


V
B
J
C
119572
III

# ADPARATVS
*AD*
# HISTORIAM HVNGARIAE,
*SIVE*
## COLLECTIO MISCELLA,
*Monumentorum ineditorum partim,*
partim editorum, ſed fugientium.

*Conquiſiuit, in Decades partitus eſt,*
& Præfationibus, atque Notis illuſtrauit,
MATTHIAS BEL.

*Cum Cenſura Ampliſſ. Senatus Poſoniens.*



Sumtu Philohiſtorum Patriæ.

POSONII, Typis Joannis Paulli Royer,
A. MDCCXXXV.

*Patriam prodere nefas;*
*ſcelus contra,*
*cum poſſis, nolle illuſtrare.*





CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,
*DOMINO DOMINO*

# EMERICO,

E COMITIBVS ESZTERHÁZY DE GALANTHA, ECCLESIAE METROPOLITANAE STRIGONIENSIS ARCHIEPISCOPO, SACRAE SEDIS APOSTOLICAE LEGATO NATO, PRIMATI REGNI HVNGARIAE, EIVSDEMQVE SVMMO ET SECRETARIO CANCELLARIO, COMITATVS STRIGONIENSIS SVPREMO AC PERPETVO COMITI, SACRAE CAESAREAE REGIAEQVE MAIESTATIS ACTVALI INTIMO STATVS ET CONSILII REGII LOCVMTENENTIALIS HVNGARICI CONSILIARIO,

*Nec non*,

VNI E IVDICIBVS TABVLAE SEPTEMVIRALIS, &c.
*DOMINO DOMINO*
BENIGNISSIMO,
PROSPERITATEM!

# CELSISSIME PRINCEPS,
*DOMINE, DOMINE*
**BENIGNISSIME!**



St hoc in virtutibus TVIS, quæ & multæ ſunt, & dignæ, eo, ad quod TE euexerunt, faſtigio, prorſus eximium; quod, ſicuti percultum melioribus litteris animum, ab ingenio & induſtria, nactus IPSE es: ita, ſingulari beneuolentia, complecti ſoleas hos, quibus labor omnis ætasque, in cultu bonarum artium, collocatur. Longus ſim oportet, ſi benignitatem hanc TVAM, oratione velim explicare: adeo, & multifaria eſt, & plurimis paſſim locis, cumulatiſſime prodita. Nemo eſt enim vero, eruditorum, qui ſe TIBI, intimauit penitius, & cuius ſtudia, ad communis vtilitatis procurationem adtinent; quin eum, bene liberaliterque acceperis, iuueris ad hæc conſilio, quemadmodum Muſis, dura hac tempeſtate, cum fructu queat operari.

Quo-

Quoties in animum venit, reminiſci; venit autem ſæpe ac multum; qua, CELSISSIME PRINCEPS! bonitate, deſtinationum mearum rationes, impedimenta item & remoras, explicantem, non audiueris modo; ſed viam quoque, expediendarum difficultatum, commonſtraueris: non poſſum non, iucundam habere eam recordationem, & coniunctam cum tacita quadam grati animi ſignificatione: vt non ſint mihi e longinquo arceſſendæ cauſſæ, quibus, ſiue excuſem, ſiue defenſem, hanc audaciam meam, quod ſuſtinuerim, chartaceo cum munere, in TVVM, BENIGNISSIME PRINCEPS! conſpectum venire.

Diu, profecto eſt, cum cepi conſilium, palam profitendi, quantum TIBI, Benignitatique TVAE, debeam, in illo potiſſimum opere, quo res Hungaricas, eo illuſtratum. Præterquam enim, quod non vno monumento, ex diplomatibus, tabularii TVI, depromto, exaggeratiora eſſe voluiſti commentaria mea: ſpem mihi haud dubiam facit, mirifica TVA virtus, cumulatiorem in dies fore, Bonitatem TVAM, erga ſtudia hæc mea, vnice, ad res patriae eruderandas ornandasque, comparata.

Atque iſtud eſt, CELSISSIME PRINCEPS! quod inuitauit me, immo coegit, vt, qualicunque hac, demiſſiſſimi obſequii teſtificatione, ad poſteros perſcriberem, quantum munificentia TVA profecerim, in vaſto illo inſtituto, quod DEI, & CAESARIS beneficio, moliri pergo. Nunc, CHRONOLOGIA eſt, *Rerum Hungaricarum & Tranſiluanicarum*, quam TIBI, BENIGNISSIME PRINCEPS! venerabundus offero; ab homine, non indocto, & apud STEPHANVM BATHORY, glorioſiſſimum deinde Poloniarum Regem, gratioſo, miſſa in compendium.

Suſcipe

Suſcipe eam, CELSISSIME PRINCEPS! dum maiora ſuppetant, more TVO, benigne; & tenuitatem meam, in his porro habe, qui, cum litterarum, in TE amorem, pro eo, ac decet, dilaudare nequeunt; geſtiunt tamen, eum, qua ſe cunque dat occaſio, poſteritati cognitum facere, atque ſuſpiciendum. DEVS TE, commendatum Sibi habeat, magno, cum vniuerſæ patriæ, tum meliorum artium, ornamento. Ita vouet ex animo,

CELSITVDINIS TVAE,
*DOMINE DOMINE,*
BENIGNISSIME!

*obſequentiſſimus,*

MATTHIAS BEL.

SERENISSIMO PRINCIPI,

*DOMINO, DOMINO*

# FRANCISCO III.

DEI GRATIA,

DVCI LOTHARINGIAE, REGI HIEROSOLYMAE, MARCHISIO, DVCI CALABRIAE, BARRI, GELDRIAE, MONTIS-FERRATI, IN SILESIA TESCHENAE, &c. PRINCIPI CAROLOPOLIS, MARCHIONI MVSSIPONTI ET NOMENAEI &c. COMITI PROVINCIAE, VALDEMONTIS, ALBIMONTIS, ZVTPHANIAE, SARVERDENAE, SALMAE, ET FALKENSTEINAEI, &c. &c.

PER INCLYTVM REGNVM HVNGARIAE, LOCVMTENENTI REGIO, EXCELSI CONSILII LOCVMTENENTIALIS PRAESIDI,

*Atque Vnitorum Comitatuum*, PEST, PILIS, SOLTH, SVPREMO COMITI, &c.

*DOMINO, DOMINO* CLEMENTISSIMO,

FELICITATEM, PERPETVITATEM!

# SERENISSIME DVX,
*DOMINE, DOMINE*
CLEMENTISSIME!



Vam de benignitate TVA, Orbis Hungaricus, ſpem concepit, cum ei, ab Auguſtiſſimo CAESARE, Patre Patriæ, Locvmtenens datus eſſes; eam TV ſane, pro mirifica virtute TVA, non expleuiſti tantum cumulatiſſime; ſed feciſti etiam exſpectationi locum, fore, vt teſtatam, aduerſus Gentem noſtram, ſub Excelſi huius muneris exordia, clementiam, progreſſu temporis, non vna locupletaturus ſis acceſſione. Atque ita omnino hucdum euenit perpetuo, vt, luculentam in dies ſingulos, inuſitatæ bonitatis TVAE ſignificationem, cum vniuerſim erga cunctos, tum hos potiſſimum, qui ſe totos, TVAE clientelæ permiſerunt, adeoque Hvngariam omnem, ederes quam liberaliſſime.

Ab-

Abſum equidem ab adſentatione, cum in toto vitæ meæ genere, tum præcipue, in hac demiſſa obſequii teſtificatione; fatear tamen, neceſſe eſt, non potuiſſe, hac temporum difficultate, HVNGARIAE ſuæ, exquiſitius conſulere, Sapientiſſimum CAROLVM, quam, cum TE, rebus ampliſſimi Regni, in Sanctiore illo Concilio, SVI vice, & cum cura moderandis, indulgentiſſime præfecit. Non eſt hæc mea vnius exiſtimatio: in ore omnium verſatur; cum diuinum iſtud CAESARIS facinus, tum virtutes TVAE, quas, ad ſummarum rerum procurationem, adtuliſti. Mirantur hi, in tanto faſtigio, comitatem; ſuſpiciunt alii, in agendo induſtriam; alii laborum patientiam in expediendo, dilaudant; iuſtitiam prædicant plerique omnes: mihi, poſt ſingularem benignitatem TVAM, amor, in elegantiores litteras, ſe in primis admirabilem fecit. Loquuntur eum, quos penitus, Auguſtali peregrinatione, cognitos habes, Angli, Bataui, & nullus non Germaniæ populus. Neque poſſunt aliter eruditi HVNGARI, quam vt TE, DVX SERENISSIME! quemadmodum Muſæ, Apollinem ſuum, ſuſpiciant,. colant, venerentur: quippe quos, dum ſe hucuſque dabat occaſio, & accepiſti clementer, & effeciſti benigne, vt ne eos, in Muſarum egiſſe contubernio, iure queat pœnitere.

Hac TVA, SERENISSIME DVX! in meliores litteras, eas potiſſimum, quæ adtinent ad publicam vtilitatem, propenſione atque gratia, extra modum inſigni, allectus, in conſpectum venio TVVM, mecumque HVNGARIAM adfero, quam TIBI dedicem conſecremque; ritu eo ſanctiore, quo magis iubare TVO illuſtrandam, defenſandam benignitate, cupio. Opus eſt, NICOLAI OLAHI, ſummi quondam, inter

Hungaros, viri, noctibus Batauis, ante hæc duo ſecula, elucubratum; a me vero, ex tenebris iam erutum, atque Sereniſſimo Nomini TVO, non alia magis fiducia inſcriptum; quam, quod probe cognitum habeam perſpectumque, in oblectamentis TE ponere, quidquid, ad penitiorem rerum Hungaricarum cognitionem, vtile exiſtimas atque profuturum.

Accipe ergo, DVX SERENISSIME! quam TIBI cernuus trado, HVNGARIAM; & qua es, erga Regionem vniuerſam, benignitate, eadem, hanc eius imaginem, priſco quidem, ſed ſcito profecto adumbratam penicillo, bonus complectere. DEVS, iniquiſſimorum temporum, Arbiter & Reparator O. M. TE, gentis noſtræ delicium, cum HVNGARIA, fidei TVAE credita, non incolumem minus, quam ad inuidiam vſque felicem, ſeruet. Ita precatur,

SERENISSIME DVX,

*DOMINE, DOMINE*

CLEMENTISSIME!

REGIAE SERENITATIS TVAE,

deuotiſſimorum minimus,

MATTHIAS BEL.



# *PRAEFATIO.*


On putaui committendum, quin Te docerem, *Lector Beneuole*, de præſentis inſtituti ratione, antequam ad lectionem, *Adparatus* noſtri, accederes. Neque enim dubito, haud paucos fore, quibus deſtinatio hæc omnis, aut ſuperuacua videbitur, aut fructus exilioris, quam, vt quidpiam acceſſionis, ſperari inde poſſit, ad Hiſtoriam Hungaricam. In priorum numero, illi fere nomina profitebuntur, quibus, extra *Thúróczii*, *Bonfinii*, atque *Iſtvánffii* commentaria, vix vnquam aliquid in manus peruenit, quique ideo exiſtimabunt, Iliada poſt Homerum ſcribere velle hos, qui, ſeu parant edere ſua, ſeu aliena. In poſterioribus, cenſebuntur homines Suffeni, & quibus ſolemne eſt, alienos conatus, etiam honeſtiſſimos, vtiliſſimoſque, ex eo maxime capite, contemnere, quod non ſint ab ipſis præoccupati. Ergo, aduerſus vtroſque, præmuniendus es, *Lector Amice!* paucisque docendus, quæ, ſiue occaſio fuerit, ſiue ſpes, quæ me, ad edendum *Adparatum* hunc, induxerit.

Diu eſt, cum illuſtrandis Hungariæ rebus, & animum adieci, & admoui manum; eo vtique conſilio, vt, qua videbam deſertam a ſcriptoribus patriam, pro virium tenuitate, quodammodo decori ſuo vindicarem. Quam vero arduum opus, ac refractarium, elaborandum mihi delegerim, præuidebam equidem facile; reuera autem tunc demum, mea quadam culpa, expertus ſum, vbi plurium annorum ſollicitudines, lucubrationes, & factas impenſas, tenuitate mea, propemodum maiores, in irritum cadere videbam. Quomodocunque autem ſucceſſit illa deſtinatio; nam, quæ DEI, & CAESARIS eſt clementia, ſucceſſit tamen; id fructus, ex ea diligentia, operoſa profecto, & vaſti ambitus, retuli; vt monumenta colligerem non pauca, quæ, partim edita ſunt non-

dum, partim, longa retro ætate procuſa, e doctorum manibus, diffugerunt, Quæ, ex iſtiuſmodi cimeliis, in rem meam verterim, ex *Hungaria Noua*, quæ iam in Lucinæ ſinu eſt, condiſcet Lector. Atque, potueram omnino, mea hæc bona, & reliquo tempore, quod eruditorum permulti faciunt, mihi habere propria. At enim vero, cum Muſarum, quæ me, bono ſub Apolline, enutriuerunt, liberalior ſit indoles, quam quæ,

*In cumulatis, vndique chartis,*

ritu auarorum, incubare conſueſſent; non potui non, qualemcunque *Adparatum* hunc, iuris publici facere; eo id quidem promtius, quo certior me ſpes ſuſtentebat, fore, vt non modo ciues mei, honeſtiſſimi propoſiti rationes, comprobent, ac pro ſua quiſque virili, adiuuent; ſed exteri etiam, non plane auerſentur, ſuſceptam eorum imitatione, collectionem, ex ſe quidem ieiunam, haud tamen inutilem futuram, his, quibus volupe eſt, res Hungaricas, penitius cognoſcere. Quia enim, non ita felici hucuſque, licuit eſſe Hungariæ, vt ſuos ea *Piſtorios*, *Freberos*, *Goldaſtos*, *Schardios*, *Lindenbrogios*, *Reineccios*, *Raüberos*, *Meibomios*, *Schilteros*, *Menckenios*, *Struuios*, atque *Pezios*, cum Germania; cumque Italia *Muratorios*; *Cheſneos*, *Labbeos*, *Baluzios*, cum Gallia; cum Anglia, *Cambdenos*, *Seldenos*, *Fellios*, *Galeos*; cum Hiſpanis, *Schottos*; cum Belgis, *Grotios*, oſtentare, eorumque, collectionibus, gloriari poſſet. qui, cum omnes, tum ſinguli, compilatis variorum ſcriptorum monumentis, gentium ſuarum res geſtas, ab interitu, non vidicarunt modo, ſed fecerunt etiam illuſtriores. Vnius *Jacobi Bongarſii*, hominis, quod conſtat, peregrini, opera nobis, qua vtamur, ſupereſt: nam Cl. *Schmeitzelii* collectio, inde ab anno MDCCXIII, in exſpectatione eſt adhuc. Haud ergo, præter rem feciſſe exiſtimandi ſumus, quod a paruis cœpiſſe maluerimus, quam inchoauiſſe numquam, exterorum eam ſolertiam æmulari: non, quod ea ſimus confidentia, proficiſci a nobis poſſe, vel vmbram tantarum molitionum; ſed, quod credamus illud Poetæ:

*In magnis, voluiſſe ſat eſt.*

Hæc inſtituti mei occaſio, *Lector Beneuole*! auctoramentaque fuere: quid porro ſpondeam, ni graue ſit, accipe. In promtu eſt, *Decas* vna alteraue *Monumentorum*, de quibus iam diximus. Hæc, ita publica luce donare placuit, vt ſingula edantur ſigillatim; illuſtrentur, ſi opus ſit, notis; doceaturque in præfatione

Lector,

Lector, vnde nobis, huius alteriusue monumenti, facta ſit acceſſio. Continuabitur autem collectionis excuſio, ad eum modum, vt & *Alphabetorum* ſerie cohæreat, & paginarum numero. Proinde, eo vſque, in exprimendis Monumentis, pergendum erit, dum iuſtæ molis volumen, conficiatur. Quod vbi factum eſt, index volumini ſubtexetur, rerum memorabilium. Iam, *Lector Erudite*! ſi ciuis es, fac age, promoue, ſuſtenta, locupleta inſtitutum, vnice eo comparatum, vt gentis TVAE decus, & res præclare geſtæ, auguſtiores reddantur. Nam, pertinet hoc omnino, ad bonum ciuem, vt, quacunque poteſt re honeſta, & vtili, iuuet, ornet, illuſtret patriam.

Id vero, vt commode poſſis facere; fontes TIBI adaperiam, ſaltem deſignabo ſollicitius, vnde queas, non tam Adparatum noſtrum, iuuare; quam locupletare hiſtoriā patriæ. In his ſunt: *I. Diplomata*, Regum, Ducum, Archi-Epiſcoporum, cetera. Da mihi, duorum Monarchiæ Hungaricæ, ſeculorum, ducenta admodum, ex regum ſerie, collecta diplomata, tantum inde Tibi prouentus, ad augendam arcaniorem hiſtoriam, reddam, quantum, tota BONFINI Decade, haud repereris. Atque, ita ecquidem exiſtimaui ſemper, quod *S. Biblia*, Theologo; Jure Conſulto, *Legem ſcriptam*; Philoſopho, *Sanam rationem*: id eſſe, Hiſtorico, *Diplomata*. Vtinam ergo, reſeremus tandem auara ſcrinia! Iſthuc retuleris *II. Acta Publica*, Diætarum, Pacificationum, Legationum, Denuntiationum belli, Promulgationum pacis, reliqua. In eodem cenſu habendæ ſunt: *III. Litteræ*, Regum, Palatinorum, Judicum Curiæ, Banorum, Magiſtrorum Tauernicalium, Ducum belli, Legatorum. *IV. Sigilla* vetera, quæ, & regum referunt effigies, & oſtendunt regnorum, quibus imperabant, inſignia. *V. Numi*, memoriales potiſſimum, qui in euentus triſtes, feliceſque, cuſi ſunt. *VI. Lapides* ſepulcrales, vexilla emortualia, & inſcriptiones antiquæ, paſſim, per ædificiorum, publicorum & priuatorum, parietes, ruinas item, arcium, caſtellorum, templorum, & cœnobiorum, obuiæ. *VII. Laudationes* funebres, ſeu, clarorum virorum, feminarumque panegyricos, pompas nuptiales, & exſequiales: in quibus obeundis, mira priſcorum Hungarorum, eluxit obſeruantia. *VIII. Cantilenæ*, ſeu carmina vernacula, quibus, & clades lugebant priſci Hungari, & prædicabant victorias. *IX. Templorum* & Cœnobiorum fundationes, adtributæ his dotes, & latifundia. *X. Religioſorum* Ordinum,

dinum, hiſtoria domeſtica, quæ, eorum doceat ortus in Hungaria, progreſſus, decrementa & inſtaurationes. *XI. Synodorum* nationalium acta, occaſiones, cauſſæ, decreta & euentus. Denique, *XII. Priuatorum Archiua*, & in his, familiarum annales, diaria, genealogiæ, ſchedæ veteres, quibus actus inſignes, illuſtrium virorum, caſus triſtes lætique, & id genus alia, perſcribuntur.

*Hoc opus, hoc ſtudium, parui properemus & ampli,*
*Si patriæ volumus, ſi nobis viuere cari.* a)

Sin vero, mi *Lector!* peregrinus es, & forte alienus etiam a gente noſtra, vt neque probare inſtitutum velis, neque poſſis; iis ad vtendum permitte, qui, procul odio gratiaue, labore alieno, ita fruuntur, vti eſt, eruditioni ſobriæ, conſentaneum.

Plura fuere, de quibus Te, amice *Lector!* in hoc aditu, monendum volui: quod iam facere ſuperſedeo; ne nimius videar. Iſtud ſilendum non eſt; cumulatum iri in *Adparatum* noſtrum, non ea tantum monumenta, quæ ſtilo ſoluto, in litteras ſunt relata; ſed illa etiam, quæ carmine complexi ſunt, auctores haud ineruditi. Qua re, id conſequemur apud doctos *Lectores*, vt, & vtilitatem, e noſtra hac diligentia, capiant, & oblectationem. Primo autem omnium, *Hungariam*, *Nicolai Oláhi*, placuit exhibere, vt de habitu regionis ante conſtet *Lectori*, quam ad pernoſcendas res, in ea geſtas, animum adiiciat. Sequetur inde, *Chronologica* deſignatio: tunc, monumenta alia, ad res Hungaricas, & connexarum ei prouinciarum, adtinentia. Nam ita omnino comparatum eſt cum hiſtoria vniuerſa, vt cæca ſit, ſaltem caliget, ſine Geographiæ & Chronologiæ luminibus. Facile autem hinc animo præcipiet *Lector*, id nos, in tota hac deſtinatione acturos, quod ſolent, domos ædificaturi. Non his, ad educendam molem, adparatus, aut e ſecto lapide, aut e transmarino marmore, cedroue congeſtus ſemper eſt; laterculus, & nulla non tenuis materies, compingendis parietibus tectisque, ſufficiat oportet. Ad eum modum, noſtra ſe habebunt monumenta. Erunt in iis, quæ ad Cleanthis lucernam ſunt elucubrata; ſed erunt etiam, quæ profluxere exiliore e calamo: vtraque autem, eo comparata, vt, quibus volupe fuerit olim, Hiſtoriam Hungaricam, pleniorem condere, exaggeratioremque, in ſuam ſingula rem, cum fructu poſſint vertere. Vale, & age feliciter. Piſonii, Anno MDCCXXXV. Pridie Kal. Febr.

a) Horatius, Epiſtol. Lib. I, 3. verſu 28.

NICO.

# NICOLAI OLÁHI
Archi-Episcopi Strigoniensis

# HVNGARIA,

*SIVE*

*De Originibus Gentis, Regionis Situ,*
Diuisione, Habitu, atque Opportunitatibus,

## LIBER SINGVLARIS,

*Nunc primum in lucem editus.*

DECADIS I. MONVMENTVM I.

Accessit,
Eiusdem, Compendiarium Aetatis Suæ

## CHRONICON.



ICOLAI OLAHI, ſummi viri, natales, iuuentutis ſtudia, & perpetuos honorum gradus, per quos ad Archi-Epiſcopen vſque Strigonienſem, mira virtute, & in agendis rebus, prudentia, dexteritateque, eluctatus eſt, non eſt opus recognoſcere. Occupauimus eam operam, alibi, *a*) non minus prolixe, quam ad hiſtoriæ fidem. Accedit, hanc eandem HVNGARIAM, *b*) quam nunc, poſt duorum fere ſeculorum, cum eſt conſcripta, lapſum, luce publica donamus; *Chronicon* item NICOLAI *c*) compendiarium; & ortus eius palam facere, & deſignare variarum dignitatum acceſſiones, quibus, inde a prima iuuenta, ab optimis Regibus, cumulatus fuit. Ergo, ſupereſt, vt de hoc, quem edimus commentario, nonnihil moneamus.

Concinnauit eum, *Bruxellis* apud Batauos, A. MDXXXVI. Ita habet, Auguſtæ Bibliothecæ Vindobonenſis, codex; *d*) in cuius frontis pagina interiore, iſta legas, *Oláhi* manu exarata. *Hæc, ſcripta a me fuere, Bruxellis, XVI. Maii, Anno* 1536. *dum eſſem Sereniſſimæ Reginæ Mariæ, viduæ Domini Ludouici Regis Hungariæ, ſororis Caroli & Ferdinandi Imperatorum, a ſecretis & conſiliis.*

Neque id, de HVNGARIA hac ſola, verum & de ATTILA, cuius res, egregia vſus adcuratione, deſcripſit, accipiendum eſt. Eodem enim tempore, hos ingenii partus, natos ei fuiſſe, ex Belgarum, qui familiariter vtebantur *Nicolao*, laudibus, libro vtrique circumpoſitis, condidicimus. *Petrus* certe *Nannius*, in Reginæ miniſterio, collega ſuus, doctus non minus, quam ingenuus, *Oláhi* lucubrationum, exiſtimator, ita ad noſtrum: „ De „ TVO Attila, & Hungariæ deſcriptione, quid ſentiam, ſæpius „ litteris meis teſtatus ſum. Cuius me iudicii, numquam pœ„ nitebit; niſi quod malignius videor, & nimis parce, rei lau„ datiſſimæ, laudes impertiiſſe. Olim carmine teſtabimur, „ quantus mihi videare. Proinde, iidem, cum Attila, Hungariæ huius, natales fuere: manu ſcriptum certe, quo vſi ſumus, exemplar, continua Capitum ſerie, vſque ad XXXVII. decurrit, & tractatum vtrumque, vno faſce complectitur.

Illud mirari ſubit, quod, quum ATTILA, ſemel iterumque recuſus, in doctorum ſit manibus; latere tamdiu, in ſcriniis potuerit, præſens iſta HVNGARIA. Nempe, ita reor; non potuiſſe

Olá-

*a*) HVNGARIAE NOVAE, Cis-Danubianæ, Tomo I. Parte Spec. Memb. I. Sect. I. in *Hiſt. Vrbis Piſonienſ.* Cap. V. Artic. VI. §. IV. p. 472. ſequ.

*b*) Cap. XII. §. III. p. 23. ſequ.

*c*) Vide SAM. TIMON, Soc. I. in Noua Synopſi Chronol. ad an. 1531.

*d*) In *Hiſtoricis Latin. MSCptis*, N. CCXVII.

*Oláhum*, ſupremam manum apud Batauos, ſcito ex ſe operi, impoſuiſſe: ſaltem noluiſſe, id publici iuris facere, quod de patria, extra patriam, ſolius memoriæ adminiculo nixus, conſcripſerat: ſedit profecto animo, ea deſtinatio, vt redux ad lares, ductas peregre lineas, partim ex locorum obtutu, partim ex peritorum ſermonibus, domi, diligentia, quam poſſet maxima, ad iuſtam molem educeret. Id vero, ſi per publicorum munerum, vti varias, ita graues occupationes, facere potuiſſet; librum, ad poſteros transmiſiſſet, infinitis modis, quam nunc eſt, & copioſiorem, & adtentione elaboratum cumulatiore.


Neque hæc, eo dicta volumus, vt, ſeu diligentiam, ſeu fidem, in elegantiſſimo Scriptore, deſideremus; ſed, vt teſtemur, nihil non conſummati, a *Nicolao*, exſpectari potuiſſe. Alioquin, nemo, niſi vltra modum rudis ſit, derogaturus quidpiam, *Oláhianæ* huic operæ, cenſendus eſt. Profecto, ignorare nos oportuiſſet, quis *Budæ?* quis *Viſſegradi?* atque *Strigonii* habitus? quæ, Bibliothecæ Coruinianæ cimelia, ornatus, & copia fuerit; dum *Matthias*, & poſt hunc *Ladislaus*, denique *Ludouicus II.* rebus præesſent: vt multa alia, ſicuti memoratu digniſſima, ita nuſquam obuia, ſilentio prætereamus.

Confidimus ergo, fore, vt non apud gentem modo noſtram; ſed apud exteros quoque, gratiam ineamus, dum ab interitu vindicandas, has ſummi viri lucubrationes, ſuſcepimus. At enim, voles forte cognoſcere, *Beneuole Lector*, vnde nobis, vtiliſſimi ſcripti copia? Paucis dicam. *Stephano* id *Zitkovſzkyo*, Fiſci Regii Aduocato, viro, rerum patriarum curioſiſſimo, & noſtri ſtudioſo: hic, amico *Franciſco Barinay*, Proto-Notario Locumtenentiali: iſte, ammanuenſi, qui illud in ſcrutario foro, an taberna caſearia, fato meliore, repererat, in acceptis referimus.

Quod ad noſtras, in edendo, curas adtinet, recenſuimus ſcriptionis genus, nil quidquam contemeratis auctoris verbis; ſed collatis etiam, cum codice MSCto alio. Capita ſingula, idoneis lemmatibus inſtruximus, in paragraphos, pro materiarum ratione, ſollicite diſpertita: adiecimus notas, non quæ potuiſſent, debuisſentue; verum, quæ concordarent, cum inſtituti rationibus. Compendiarium eiuſdem auctoris *Chronicon*, ſchedæ *Oſtroſithianæ*, quas, iure optimo poſſidemus, ſuppeditauerunt. Qua noſtra opera, ſi vti voles, *Lector Beneuole*, operam dabimus; vt Deo propitio, vitaque ſuperſtite, proxime, Monumentum ſecundum, a nobis accipias. Vale.

## NICOLAVS OLÁHVS,

### Ad Lectorem.



*I nihil in nostro est lepidi* a) *gratiue libello,*
*Anxia me grauius scribere cura vetat.*
*Mens etenim duro patriæ confecta periclo*
*Torpet, & est longo nunc hebetata malo.*
*Nec mea doctiloqui coluerunt arua* Catones,
*Hinc sterilem messem terra relicta tulit.*
*Hæc mea quum cernes gracili contexta Minerua*
*Splendidiora negant aulica pensa dare.*
*Fontibus haud semper placidis Parnassia Musa,*
*Aut Heliconiadis regia prata rigat,*
*Non tersus loquitur comptas* Ptolemæus, *ad aures*
*Describens radio quidquid in orbe fuit.*
*Non etiam celebris lepidi facundia* Crispi,
*Non tibi vel* Trogus *maximus ore tonat.*
*Nec gratum resonat Patauina natus in vrbe*
Liuius, *ingenio splendidus arte potens.*
*Sed qui Castalium parco bibit ore liquorem,*
*Et quem non gremio docta Thalia fouet.*
*Et cui non studii requies sed multa laborum,*
*Solicitique fuit temporis anxietas.*
*Nomina sed prodat calamus, quod barbara noster,*
*Scilicet hæc Scythica voce referre iuuat.*
*Si dedero nostris Romana vocabula rebus,*
*Non bene conuenient nomina cuique loco.*
*Sic sua dum condunt multi monimenta latini,*
*Non nisi barbarice barbara verba sonant.*
*Materiam tribui tantum, qui docta requiris*
*Scribere me multo, cultius ipse potes.*
*Si quid inest mendæ topicis, ignosce precamur,*
*Nam procul a Gethico littore cymba mea est.*
*Quum dulces* b) *repetam portus patriosque Penates,*
*Singula tunc referam candidiore fide.*
*Interea magni precibus deuictus amici,*
*Hæc tibi nunc subito qualiacunque dedi,*
*Nam licitis decuit votis parere potentum,*
*Quæ magni nobis ponderis instar erant.* Vale!

*a*) Manu scriptus codex, quem cum nostro hoc contulerunt amici, loco *lepidi*, habet *sapidi*.

*b*) Istud est, quod pagina superiore, monuimus.

NICO-



NICOLAI OLÁHI

# HVNGARIAE,

## CAPVT PRIMVM.

## *De Scythia vetere, & Originibus Scytharum.*

*Scythia duplex: Aſiatica:*

SCYTHIAM veteres duplicem prodidere: vnam in Europa, alteram in Aſia ſitam, Tanai flumine vtramque dirimente. Quæ vltra Tanaim eſt, *Aſiatica* dicitur, atque a Riphæis, & Hyperboreis a Septemtrione montibus incipiens, Orientem verſus, citra & vltra Imaum montem contenta, atque innumeras rituum diuerſorum, morum ac legum, complexa nationes barbaras, tandem per littus Hircani maris, in Occidentem recurrens, ad paludem Mæotidis, & Pontum Euxinum, circa Caucaſum montem, terminatur. Altera vero, citra Tanaim eſt, quam *Europæam* dicunt. *Europæa:* Hæc, a locis Septemtrionis fere incognitis initium ſumens, per iuga Riphæa & Hyperborea, meridiem verſus ad Thraciam finitur, & a monte & flumine Alano, olim Alania dicta, eiusque populi Alani. Noſtra ætas, hanc, Sarmatiam, Lithuaniam, Ruſſiam, Moſcouiam appellat. Siue ergo, ex Aſiatica, quod multi pro vero dixere, ſiue ex Europæa Scythia, Hungari originem ducant, haud multum intereſſe crediderim. Satis certe conſtat, eos ex Scythia ortos.

*De vetuſtate Scytharum, & Hunnorum origine:*

§. *II.* De Scytharum vetuſtate, & quo parente ſint geniti, varia eſt auctorum ſententia. *Trogus Pompeius*, a) Aegyptios, & Scythas, de generis antiquitate diu contendiſſe, atque Scythas, veluti in regione, ad homines, & alia quoque animalia, in initio rerum producenda, aptiore commodioreque, quam Aegyptus eſt, prius natos, victoriam contra ſententiam Herodoti, conſequutos fuiſſe tradit. Alii, fabulam Scytharum origini iniiciunt. *Herculis Fabula:* Herculem, b) Gergonis pecora paſcentem, ob vehementis pluuiæ, atque frigoris incommoda fatigatum, leonina pelle ſubſtrata, alto ſopitum ſomno, illis interim



a) IVSTINVS, *Trogi* epitomator, Lib. II. Cap. I, 5. ſequ. p. 16. edit, *Joh. Georgii Græuii*, Amſterod. An. 1694. for. oct.

b) HERODOTVS, *Melpomene*, ſiue Lib. IV, 8. 9. p. 224. ſequ. edit. *Jacobi Gronouii*, Lugd. Batau. A. 1716. fol.

aberrantibus, experrectum, e virginis cuiusdam admonſtratione, Telluris filiæ, ad femur vsque mulieris, reliqua parte in viperam deſinente, illa recepiſſe, virginemque præmium a ſe indicati armenti, Herculis concubitum habuiſſe: ex quo, tres filios, *Agathyrſum*, *Gelonum*, & *Scytham* eſſe natos. *Scytham*, ex ſuo poſtea nomine, & regno *Scytharum* nomen indidiſſe, & regibus ac populis originem fuiſſe.

*Scytharum nomen:*

*Epiſcopus* Jornandes, *in origines Hunnorum iniurius:*

§. *III.* JORNANDES EPISCOPVS *c)* refert; ſe ex antiquitate comperiſſe, Filimirum regem Gothorum, Gandarici Magni filium, quum in Scythiam ingreſſus fuiſſet, quasdam magas feminas in populo ſuo reperiſſe, patria lingua *Alirumnas* vocatas, hasque ab exercitu depulſas, & in ſolitudinem longe fugere coactas, ab immundis quibusdam ſpiritibus compreſſas eſſe, ex quo coitu, Scythas fuiſſe ortos: res certe indigna Epiſcopi relatu. Qui, cum ſcire debuerit, ſpiritum, nec carnem, nec oſſa habere, nec alium quempiam, qua hominem, ex naturali commixtione generare poſſe; ipſe tamen, aut odio gentis Scythicæ, quia fuerat a Gothis, per Hunnos expulſis, oriundus; aut ſimplicitate quadam alia, hæc tam ridicula, quæ etiam alii poſt eum aſſeuerarent, in monumenta publica referre non ſit veritus. Nonnulli tradunt, *Noe*, cuius tempore diluuium orbem opperuerat vniuerſum, tres genuiſſe filios, *Sem*, *Cham*, & *Japhet*. Hunc Japhet, poſt diluuium ex Enech vxore, Hunor & Magog filios, quos tamen Chronica Hungarica, filios Nemroth, filii Chus, qui ex Cham, Noe filio genitus erat, fuiſſe tradunt. Hos igitur, *Hunor* & *Magog*, quum in tabernaculo, prope a patre, ſiue Nemroth, ſiue Japhet, vitam agerent, ceruam *d)* quampiam, ſtudio venationis, traditum eſt perſecutos: quam dum longius perſequerentur, ad paludes vſque Mæotidis, amiſſa ob ſiluarum denſitatem cerua, progreſſos fuiſſe. Et cum ea loca paſcuis, lignis, feris, auibus, & piſcibus, rebus tam hominum, quam pecorum vſui neceſſariis, opportuna vidiſſet, facultate eo migrandi a patre accepta, in eadem Mæotidis regione conſediſſe tradunt. Quos, quinque ibi annis quiete confectis, ſexto demum anno, cupiditate venandarum ferarum ductos, a loco habitationis, ad loca deſerta Mæotidi conterminata, longius egreſſos, noſtra dicunt Chronica; atque ibi quasdam feminas, absque viris & tentoriis, tunc feſtum diem in tympano & choreis celebrantes, reperiſſe, easque comprehenſas, ad paludes Mæotidis, quas incolebant, abduxiſſe. Inter quas forma, decore & corporis habitu, duas fuiſſe præſtantes: quarum alteram *Hunor*, alteram *Magog*, duxerit vxorem.

*Tres Noe filii:*

*Vnde dicti* Hungari *Gothi per Hunnos, e ſedibus ſuis expulſi ſunt:*

§. *IV.* Ex quo connubio *Hunnos* tandem traxiſſe originem, & *Hungaros*, ab *Hunnor*, a *Magog* autem *Magyarokat*, quod Hungarica lingua Hungaros ſonat, appellatos. Hinc multiplicatam progreſſu temporis gentem Hunnicam, ſubito furore dominandi percitam, ſub rege *Valamiro*, ingenti exercitu, Gothos, quibus *Ermanaricus*, vel vt alii referunt, Emenricus, Amalus, Vitulfi, ſiue Achiulphi filius, ea tempeſtate

ſtate

*c)* De Rebus Geticis Cap. XXIV. p. 66. edit. Lugdun. A. 1618. *for. oct.*

*d)* CALLIMACHVS, *hunc cellæ perſequutorem*, *Baudetem*, nominat. Hæc, in margine, codicis illius, quem diximus, leguntur.

ſtate præerat, ob ſeditionem Perſarum, & Amnium, propter necem Sunielis ſororis, contra Emenricum regem concitatam, inuaſiſſe deuiciſſeque, atque ad loca Sarmatiæ interiora propuliſſe, auctores reliquere. Qui poſtea Emenrico; tum ob ſenectutem: quippe qui, centum & viginti annos iam natus eſſet; tum propter vulnus in ipſa ſeditione *e*) acceptum, mortuo, ſub Vinitario duce eorum, contra Hunnos recurrere, ac primo prælio ſuperiores facti, poſtremo, dum Vinitarius ſagitta proſtratus interiiſſet, bifariam diuiſi, pars citra Danubium permanſere; pars vero ſub Alatheo, Fridigerno, & Saphraco, ſuis regulis, pertranſito Danubii flumine, *Valentis* Imperatoris permiſſu, in Myſia inferiore conſedere. Polliciti enim *Valenti* fuerant, ſe Chriſtianos futuros, & Danubii ripam, ab *Hunnorum*, & aliorum barbarorum incurſionibus, tutam reddituros. Vnde rurſus in Italiam progreſſi, eamque depopulati, primum in Gallia Aquitanica, deinde viribus paulatim aucti, in Hiſpania, ſedem fixere. Hi *Viſſogothi*, illi vero *Oſtrogothi* appellati ſunt. Qui quidem Oſtrogothi, vna cum populis, ea tempeſtate ipſis parentibus, *Hunnis* poſtea ſubiecti fuerunt, & tributa penderunt. Operæ pretium hic videtur, paucis repetere, qui reges *Scythis* bellum intulerint.

*Sigebertus in Chronicis ſuis.*

# CAPVT SECVNDVM.

## *De Bellis & Propaginibus Scytharum.*

SCYTHAS, imperium *Aſiæ*, ter quæſiuiſſe; eosque ab imperio alieno, aut intactos, aut inuictos fuiſſe; *Darium* regem Perſarum, ex Scythia, præter decorem regium, fugatum; *Cyrum*, cum vniuerſo ſuo exercitu deletum; *Zopiriona* item, Alexandri Magni ducem, cum omnibus copiis trucidatum, auctor eſt *Trogus Pompeius:* Vexores rex Aegyptius, primus omnium bellum Scythis intulit. Sed is, derelicto omni ſuo apparatu bellico, trepidus in Aegyptum pedem retulit. Quem inſecuti Scythæ, vniuerſo imperio priuaſſent, ni Aegypti paludes prohibuiſſent eos, longius ducere exercitum. Hinc magna gloria reuerſi, vniuerſam Aſiam, armis, ſibi tributum pendere coegerunt. In qua annos quindecim commorati, ab vxoribus, virorum abſentiam ægre ferentibus, reuocantur. Quæ, vocationi minas addunt, ni mariti redeant, ſe nolle eos amplius præſtolari; ſed in animum induxiſſe, a finitimis populis, ſpe procreandæ ſobolis, connubium petere, & nequaquam pati, vt per abſentiam maritorum, genus Scythicum, per vniuerſum orbem formidoloſum, deficiat. Quibus poſtea reuerſis, Aſia, per mille & quingentos annos, vſque ad Nini regis tempora, vectigalis fuit.

*Quos reges Scythæ deuicerunt.*

*Aſia, Hunnis tributaria:*

§. *II.* Superfluum eſſe arbitror, quum alii ſcriptores latiſſime hiſtoriam hanc ſint perſecuti, hoc loco recenſere, quæ bella *Ylino*, & *Scolopitho*, *f*) regiis apud Scythas adoleſcentulis, conſpiratione eorum populorum, qui Cappadociæ, fluuioque Thermodoonti, finitimi erant, trucidatis, gens *Amazonum*, mulieres Scythicæ, duce Marteſia, & Lampedo-

*Amazones mulieres Scythicæ:*



*e*) *In ipſo tumultu*, legit laudatus codex: quod idem eſt.

*f*) Apud JVSTINVM, Lib. II, Cap. IV. 1. ſequ.

pedone, in *Europa*, & *Aſia*, feliciter geſſere. Taceo & illud, quod *Darius* rex Perſarum, ob negatas, filiæ Lantini regis Scytharum, nuptias, bellum Scythiæ intulerit: ad quod, exercitu ſeptingentorum millium hominum ingreſſus, & ex his nonaginta mille militibus amiſſis, magno cum dedecore retroceſſerit. Quæ omnia, cum ab aliis, maxime a *Trogo Pompeio*, late ſint tractata; hoc ſilentio præterire nolui: primum *Gothos*, quos Scythiæ, vt dictum eſt, regno priuarunt; tum *Hunnos*; poſtremo *Vandalos*, quos omnes ex Scythia originem ducere plerique tradunt auctores, vniuerſo orbi formidini, & terrori fuiſſe.

*Turcæ, a Scythis originem habere dicuntur:*

§. *III.* Sunt, qui gentem etiam *Turcicam*, cuius imperium non ſolum in *Aſia*, verum etiam iam in *Europa*, Chriſtianorum noſtrorum Principum ſimultate, odio, diſcordia & bellis inteſtinis, longe lateque nunc patet, a Scythis originem habere teſtantur. Quidam, *Parthos* etiam *g*) memorant, Scytharum exſules fuiſſe. Quorum rex *Tamerlanus*, transmiſſo Euphrate, & equitum quandringentorum, peditum vero ſexcentorum millium exercitu, vniuerſa *Aſia minore* in poteſtatem redacta, *Pazaietem* regem Turcarum, eius temporis potentiſſimum, pari copiarum numero, regnum defendentem, deuicit, atque in caueam, veluti feram quampiam incluſum, per vniuerſam Aſiam circumuexit; *Soldanum*, Aegypti regem, armis deuictum, vltra Peluſium fugere coegit.

*Pazaietes rex Turcarum, a Tamerlano captus.*

# CAPVT TERTIVM.

## *De Hunnis, & horum Aduentu in Europam.*

*Actus Hunnorum.*

AVctis locupletatisque in Scythia *Hunnis*, quum eorum multitudinem, ea, quæ tunc incolebant loca, vix caperent, decreuere, eos, qui ad occidentem degunt, populos inuadere. Hisque ſuperatis, ſedem, quæ humano vſui commodior, vberior & fertilior eſſet, ſibi quærere. Ex omni tribu, quas centum & octoginta habebant, ſex Duces *h*) delegere, viros, & animi corporisque virtute, & generis vetuſtate, inter ſuos inſignes. *Belam*, *Keme*, & *Kaditſa*, filios Chelæ, ex tribu *Zemen*; ex tribu autem *Kadár*: *Athilam*, *Keve*, & *Budam* filios *Bendegutz*. Hi, ex ſingulis tribubus, numero, decem millium armatorum conſcripto, decies centum & octoginta millium hominum fecere exercitum. Ne autem tanta multitudo, quæ vxores, liberos, omnem familiam, gregem & armenta, quærendi ſibi regni gratia, ſecum ageret, absque legibus viueret, atque, vt inter eos iuris & æqui præfectus eſſet, quendam virum *Kadárum* nomine, præ ceteris prudentia, induſtriaque præſtantem, crearunt; qui adminiſtrandæ iuſtitiæ præeſſet, motas lites, aut componeret, aut decide-

*Sex Duces: Jornandes dicit patrem Athilæ fuiſſe Mundzuicum: Callimachus vero Valamérum, Kadár, iuris & iuſtitiæ adminiſtrator.*

*g*) Idem, ibid. Cap. I, 3. Adde Lib. XLI. Cap. I. initio: *Parthi*, inquit, *Scytharum exſules fuere. Hoc etiam ipſorum vocabulo manifeſtatur: nam Scythico ſermone*, Parthi, *exſules dicuntur.* En, Hungaricæ linguæ exſtans veſtigium! *Pártos* enim, hodieque *ſeditioſum* ſignificat.

*h*) Vide, Chronica Hung. M. JOHANNIS THÚRÓCZ, Parte I. Cap. X. p. 12. ſeq.

cideret, flagitiosos, sicarios, prædones, maxime vero fures, qui Hunnis, æque, vt hostes sunt exosi, mulctaret. Præterea, vt Duces, ad ea, quæ belli sunt munia, solertiores, diligentiores, & cautiores facerent, atque ipsum etiam *Kadárum*, ad ferenda in plebe iura, iniquitatem tollendam, iustitiam, absque odio & fauore, administrandam, incorruptiorem & attentiorem redderent, publico decreto sanciuerunt: vt tam ius, a *Kadáro* male administratum, aut corrigere, aut abrogare; quam Duces, legitima ex caussa, magistratu priuare possent.

§. *II.* Edictum deinde est, vt si quod ipsi bellum aliis indicturi essent, aut quispiam regum populorumue, bellum parare, exercitum contra eos ducere conarentur, gladius sanguine tinctus, per præconem, in castris Hunnicis præseferretur, hæc verba proclamantem: *Vox DEI, & publicum Hunnorum mandatum est, vt quisque armatus, vel, vt cuiusque est vis, die & hoc loco, quem nunc statuo, compareat, statutum publicum intellecturus.* Huius edicti contemptoribus, duplex propositum supplicium; vt si quispiam ad circumlationem gladii sanguinolenti, & vocem præconis, die, & loco designato, aliqua iusta caussa non allegata, minus comparuisset, is, quem atrocius puniri cuperent, cultro medius discindi; is vero, cui pœnam morte leuiorem vellent irrogare, in perpetuam seruitutem redigi deberet. Hic mulctandi mos, multis postea seculis inter nostros fuit obseruatus. Quo factum est, vt, quum antea omnes, æquo nobilitatis iure censerentur, hi, qui edictum transgressi fuerant, serui efficerentur & ignobiles; quo nobilitas, a plebe secerneretur. Nostra quoque tempestate, hæc circumlatio ensis, vel pali, cruore aspersi, obseruatur, *i*) dum hostis quispiam externus Hungariam inuadit, & Hungari subitaneum militem conscribere volunt. At pœna, eos, qui edicto non sunt audientes, aut discindendi, aut in seruitutem redigendi, exoleuit. Verum, & nunc, in manibus situm est Regis, qua, ex decreto nobilium, mulcta, rebelles adficiat.

*Signum conuocandorũ Hunnorum, gladius sanguine tinctus.*

§. *III.* His ita in Scythia ordinatis, relicta domi in custodiam Scythiæ, reliqua, & ad tam longam expeditionem inutili plebe, quæ auitum imperium, ab hostili impetu tutaretur: Duces ipsi, anno a natali *k*) Domini, CCCLXXIII. *Valentiniano* in occidente; *Valente* vero in oriente Imperatoribus, ac *Damaso* primo, Romanæ Ecclesiæ Pontificatum gerente, cum exercitu memorato, præteritis Mæothidos paludibus, & deuictis populis. Alipzaris & Alcidzuris, Itamaris, Tuncassis, & Boiscis, ripæ Mæothidos accolis; Gotthos, quorum mentionem supra fecimus, gentem fortem bellicosamque, regno priuarunt, tributumque sibi pendere coegerunt. Qua elati victoria, arbitrati, nullum sibi vsquam deinceps obstaculum occursurum, quod

*Egressus primus Hunnorum ex Scythia, fuit Anno Domini 373.*



*i*) Loquitur de sua ætate *Oláhus*. Hodie, nihil de eo ritu superat; nisi forte apud Siculos Transiluaniæ.

*k*) Triplex, *Hunnorum* in Pannoniam *aduentus* fuit: id quod, primus, quantum sciam, FRANCISCVS FORIS OTROKOCSI, in Originibus Hungaricis, Parte I. Cap. III. sequ. fuse non minus, quam docte, monstrauit. Fuere autem: *Hunnorum* primus; secundus *Abarum*; *Hungarorum* tertius.

ab occupando omni occidente eos remoraretur, ſubactis prius finitimis Barbaris populis, per Beſſos, Cumanos Albos, Suſdalos, Ruthenos, ferro ſibi viam aperientes, in Cumaniam Nigram, quæ nunc Moldauia dicitur, peruenere; vnde per eam Hngariæ partem, quæ olim Daciæ pars occidentalis vocabatur, progreſſi, ad aquilonarem ripam Tibiſci amnis, caſtra ſunt metati.

*Rutheni olim Rhoxolani, vel Ruxolani.*

§. *IV.* Tradit vetus noſtrum Chronicon, Daciæ huius Hungaricæ regionem, olim Danos coluiſſe, hosque metu poſtea Hunnorum aduenientium perculſos, ad ea maritima ſeptentrionis loca, vbi nunc Dania eſt & Noruegia, cum ſuis migraſſe. Quod, vti ſatis pro comperto ſit, ita non pro certo, inficias iuerim. Nam ipſa Daciæ, & Daniæ ſymphonia, non paruam mihi fidem præſtat, Daniæ, quæ nunc ſeptentrionalis eſt, a Dacia Hungariæ, quam forte olim Dani coluerunt, nomen eſſe inditum. Danorum tamen Chronicon refert, eos a Gothis originem ducere, & a *Dan*, primo eorum rege, *Danos* vocatos. Nunc res admonet, vt breuiſſime, quam fieri poterit, deſcriptioni Hungariæ generali, manum admoueamus.

*De Danis.*

## CAPVT QVARTVM.

## *De Nomine, Situ, & maioribus Hungariæ Fluuiis.*

*Hungaria, vnde nuncupata:*

HVNGARIA, ſiue ab *Hunor*, & *Magog*, vt ſupra dictum eſt; ſiue ab *Hunnis*, & *Garis*, vt plerisque videtur, populis, qui vna olim militarunt; ſiue ab *Auaris*, quos Caelivs, *l*) Hunnos fuiſſe tradit, nomen ſortita ſit, aliorum eſto iudicium. Hac tempeſtate noſtra, a quadrageſimo primo, ad quadrageſimum nonum gradum, in longitudinem porrecta; in latitudinem vero, a quadrageſimo tertio, fere vſque ad quinquageſimum primum eleuata, multas complectitur regiones, quæ in quatuor potiſſimum diuidi poteſt partes: de quibus paulo poſt dicemus. Hungaria igitur ipſa, inter alios quam plurimos amnes, flumina habet quatuor inſignia, variis & multiplicibus piſcibus abundantia: *Danubium*, *Tibiſcum*, *Drauum*, *Sauum*.

*Situs, & diuiſio:*

*Danubius:*

§. *II.* Danvbivs, circa ſiluam Herciniam, ſiue Nigram, non longe a pago Dueneſthingen *m*) in Rhetia, Sueuiæ finitima, in planitie fontem habet, duobus vt dicitur, milliaribus, a Rheni ripa diſtantem: qui per latos Germaniæ fines, Vindeliciam, Bauariam decurrens, Auſtriam primum diuidit, deinde Hungariam. Hinc longo & ſinuoſo lapſu, Daciam a Miſcia ſuperiore, (quæ nunc Seruia & Boſnia appellatur) diſterminans, infra Myſiæ inferioris, quæ nunc eſt Bulgaria, terminos, ſexaginta, vt *Plinius* *n*) refert, amnes, & horum

*l*) Intelligit Caelitvm Calanvm Dalmatam, qui vitam Attilae, compendio dedit, progreſſu operis, a nobis edendam.

*m*) Veros Danubii fontes, haud quidem, vti creditum eſt hactenus, *Don-Eſchinga* tantum, ſed alibi etiam quærendos, integro tractatu, qui *Fons Danubii Primus & Naturalis*, inſcribitur, docuit, M. Fr. Wilhel. Breüniger. Tubingæ A. 1719. 8uo.

*n*) Libro IV. Cep. XII. p. m. 159. oſtiorum nomina ſunt: Peuce, Naracuſtoma; Caloſtoma; Pſeudoſtoma; Boreoſtoma; & Spireoſtoma.

rum medium ferme numerum, nauigabilem, ſecum deferens, in Pontum Euxinum, ſex vaſtis oſtiis exoneratur. Per hæc oſtia, *Antacei* piſces, quos Plinius *Mariones*, nunc vero vulgus *Vzones* appellat, creduntur in aduerſi Danubii alueum, ex Ponto aſcendere fere Poſonium vſque vrbem: de quorum captura infra dicemus. Danubius hic intra Hungariam a Borca, hos accipit fluuios: citra Poſonium, *Marchiam*, vel *Morauam*, qui nunc *Morauia* dicitur; vltra *Tyrnauiam* riuulum; circa Comaricium, nunc Comaron arcem; ad oppidum Gutta, *Vágum*, in montibus Septentrionalibus ortum; paulo inferius ſub pago Nyárhida, *Nitriam*; deinde circa Strigonium, *Granam*, ſiue *Garamum* & *Ipol*; poſtremo non procul a Titulio, ex ripa oppoſita oppido Zalonkemen, *Tibiſcum*, multa ſecum deuehentem flumina. A meridie vero, his creſcit amnibus: circa Ovár, ſiue Altenburgum, *Laytha*, citra Bregætium, quod nunc Jaurinum nominatur, *Rabnicza*, qui nunc *Rapcza* & *Raba*, ante Narabone. Citra Bátham oppidum, *Sauaros* amne; tum ad Drazad, quod ante Teutoburgum fuiſſe creditur, *Daro*, nunc *Drauo*; poſtremo circa Taurunum, *Sauo* augetur. *Bregætium, nunc Jaurinum; Narabo fluuius:*

*§. III.* Qui quidem Danubius, inter alias inſulas, quas Taurunum vſque facit quamplurimas, duas habet, & magnitudine, & fertilitate maxime præſtantes; altera infra *Poſonium* vrbem initium ſumens, porrigitur ad arcem vſque *Comárom*: hæc tredecim longa eſt, lata vero, nunc duorum, nunc trium miliarium noſtratium: frumenti, hordei, ſiliginis, leguminumque aliorum feraciſſima. Ab arce Comárom, & huic inſulæ, & comitatui, qui in ea eſt, nomen *o*) eſt inditum. In hac ſunt oppida: *Eberhárd*, *Püſpöky*, *Zeliſte*, *Samorja*, *Syl*, *Aſſvantó*, *Padan*, *Megyer*, *Várkony*, & alia pleraque. Alterius, paulo infra Budam incipientis, nomen eſt *Chepel*. Hæc cum aula, quæ ibi extructa eſt, ac oppidis *Chepel*, *Thekel*, *S. Martino*, *Keuy*, quod Raſciani incolunt, ac nonnullis aliis pagis, Reginæ Hungariæ *p*) eſt, iure donationis propter nuptias. Auibus, phaſianis, perdicibus, turdis, gallinis ſilueſtribus, ac aliis diuerſi generis auiculis, ceruis, apris, damis, leporibus, abundantiſſima. Ad hæc, ſiluis, nemoribus, vineis, paſcuis, frumento, & aliis ad vſum mortalium neceſſariis leguminibus, adeo inſignis, vt nihil, quod ſiue ad neceſſitatem victus, ſiue ad voluptatem pertineat, huic deeſſe videatur. Quæ ſola, & LVDOVICO II. regi, & MARIAE reginæ, Principibus meis, tam in venationibus, & aucupiis, quam aliis rebus, animum recreantibus, dum nonnunquam ab aliis abſoluti grauioribus negotiis, animi gratia eo diuertêre, magnum amœnumque præbuit oblectamentum. Hæc, longa eſt in meridiem nouem milliarium, lata vero trium aut quatuor. *Inſula Comáron & Comitatus. Chepel inſula Danubii: Fertilitas Chepel.*

*§. IV.* TIBISCVS, aliis tribus longe piſcoſior, ducit ortum ex occidentalibus Carpathici montis radicibus, qui multis aliis auctus, ſuperioris, vt vocant, Hungariæ, & etiam Daciæ fluminibus nauigabili- *Tibiſcus:*



*o*) Vulgatius nomen eſt hodie, *Cſallóköz*. Tres Comitatus partem inſulæ capiunt: *Poſonienſis* maximam; non plane nullam *Camaromienſis*; *Jaurienſis* fere minimam.

*p*) Eſt iam in poteſtate Principis EVGENII, ad priſtinum cultum, quodammodo inſtaurata.

bilibus, non longe, vt ſuperius dictum eſt, a Titulio, & Salon-Kemen oppidis, infra Taurunum, quod Nándor-Alba nunc dicitur, in Danubium influit.

*Drauus:* §. *V.* DRAVVS, ex Cæcio monte, vt traditur, Carinthiæ oriens, perque Styriam fluens, *Muram*, & alios pleroſque accipit fluuios, atque Hungariam a Sclauonia Hungarica, ad meridiem, orientem verſus diuidens, oppidum Eſzſzek alluit, vltra quod, non longe ab oppido Drazad, Danubio miſcetur.

*Sauus:* §. *VI.* SAVVS, vt quibuſdam placet, in radice eiuſdem Cæcii montis, vel, vt *Aeneas Syluius* tradit, in Carniola irrigua, non adeo procul ab Arnolſtain Carniæ, tribus a Villaco milliaribus, Libonothum verſus, initium habet. Is, multis admiſſis, Sclauoniæ Hungariæ, Croatiæ, Myſiæque ſuperioris, ſiue Seruiæ, & Boſiniæ, fluminibus, per fines Seruinicos labitur, & mœnia arcis Sabacz alluens, Semplinium que, ſub q) Tauruni mœnibus, qua occidentem reſpiciunt in Danubium ſeſe exonerat. *Inſignia, ſiue arma Hungariæ.* Hæc quatuor flumina, quæ cum duplicata cruce alba, e monte viridi enata, inſignia ſunt Hungariæ, quantam habeant piſcium copiam, paullo inferius dicemus. Verum iis iam recenſitis, ad inſtitutam *Hungariæ* diuiſionem, animus properat.

## CAPVT QVINTVM.

## *De Hungaria Occidentali, Regia Buda, & huius Bibliotheca.*

*Prima pars Hungariæ:* PArs igitur eius prima, quæ, Cis-Danubium, occidentalis pars erat Pannoniæ Superioris, a flante Fauonio, initium habet ab Auſtria prouincia, olim Pannonia ſuperiore; ab Euro, Drauum attingit occidentalem: ſubſolanum vero verſus, porrigitur ad oſtia eiuſdem Draui; a Borea, vbique vicina eſt Danubio. In hac parte Comitatus ſunt: Sopronium, Moſonium, Jaurinum, Strigonium, Caſtriferrei, Saladinum, Simigium, Veſprimium, Alba Regalis, Tolna, Baronya. Duæ paludes, tum magnæ, tum piſcoſiſſimæ: altera *Fertbô*, prope oppidum Mariæ reginæ, *Neyſidel*, & *Ruſt*; altera *Balathon*, quæ Veſprimium a Simigio, diſtinguit. Ea pars continet, *Archiepiſcopatum Strigonienſem*, cuius Antiſtes, Primas, Legatusque natus, & Supremus regni Hungariæ, ex Regum veterum inſtituto, eſt ſemper Cancellarius. *Epiſcopatus*: Quinque Eccleſias, Veſprimium, Jaurinum: *Abbatias*: Sancti Martini, Sexárd, Sômeghuár, Péch-Váradiam, Zalavár, Bátham: *Ciuitates* munitas, BVDAM, a qua, veluti metropoli, initium ſumam. *Buda regia.*

§. *II.* Hæc Regum Hungariæ eſt regia, quæ tota in ſaxo, ad altitudinem ſatis magnam enato, ſita, & a ſeptentrione in meridiem protenſa, in fronte meridionali arcem habet, non magno interuallo ab vrbe diſſitam, egregie, omni munitionis genere, inſtructam. Adhæc ædificiis inſignibus, artificioſis fornicibus, tabulatiſque, auro & coloribus depictis, ad admirationem vſque ſplendidam. Hæc, præter

q) Vetus *Nándor-Albæ*, ſeu *Belgrádi* nomen, a *Tauriſcis* populis, arces- ſitum, ſicuti infra monebimus.

ter ſitum atque architecturam tam regiam, tum, corpore *Diui Joannis Elemoſinarii*, inſignis fuit, tum, ob Bibliothecas *Matthiæ Coruini* Regis, memorabilis & admiranda. Qua itur ad ſtationem, ex latere interioris Bibliothecæ, ad ſacellum *Diui Joannis* perforatum, vnde rex ſacrum audire conſueuit, duæ obuiæ ſunt ædes concameratæ; quarum altera voluminibus Græcis, partim e medio Græciæ, partim ex aliis orientis regionibus, per Regem, non minori cura, quam labore eo congeſtis, referta erant; altera interior, continebat codices totius linguæ Latinæ, a primis rudimentis, ad arcem vſque omnium ſcientiarum, per capſulas, & loculamenta, ordine quosque ſuo diſtinctos. Tegebat horum quodlibet, velum ſericeum, coloribus auroque variegatum, cum indice diſciplinæ, & profeſſionis, in quas libri erant diſcreti. Maxima voluminum pars conſtabat membranis, colligata ſerico, vmbilicis, fibulisque argenteis, auro lucidis. Audiui a maioribus, MATTHIAM regem, dum viueret, aluiſſe ſemper ad triginta ſeruos amanuenſes, pingendi peritos, quorum ego plerosque, illo mortuo, noueram. Horum erant opera, omnes fere, & Græci & Latini codices, conſcripti. Præfectus his FELIX RAGVSINVS DALMATA, & ipſe iam ſenex, mihi cognitus, qui non modo Græce & Latine, ſed Chaldaice & Arabice doctus: præterea in ipſa quoque pictura exercitatus, ſedulo aduertebat, ne quis error in deſcribendis libris committeretur. Præter has, & aliæ duæ erant Bibliothecæ, in locis diuerſis arcis, ſed prioribus inferiores, quas omnes Turca, poſt Ludouici regis, ad campum Moháts, interitum, qui Anno MDXXVI. 29. Auguſti contigit, *Buda*, Septembris ſequentis, octaua die, poſtea capta, partim dilacerauit, partim in alios vſus, argento detracto, diſſipauit.

*Bibliotheca Regis Matthiæ Coruini:*

*Annus interitus* Ludouici *Regis.*

§. *III.* Ad orientem, *Buda*, Danubium reſpicit, radices vrbis alluentem; vltra quem, oppidi Peſthi, e regione ſiti, latam diffuſamque planitiem, quæ in omnem partem ad tria & vltra noſtratium milliaria patet. Eius planitiei initium, quod hæret moenibus fere oppidi, appellatur *Rákos*, qui campus deſignatus eſt electioni regum Hungariæ, & Palatinorum. Vterque enim, more veteri hic eligitur, in quo alii etiam conuentus Hungarorum publici aguntur. A meridie obiicitur altiſſima præruptaque rupes, *Diuo Gerhardo*, ex eo ſacra, quod hinc biga alligatus, per quoſdam *Hungaros*, in præceps actus erat.

Rákos *campus ad Peſthum:* *Rupes* Diui Gerhardi:

§. *IV.* In huius radice, a Danubii ripa, ad viginti fere paſſus recedente, ſcaturiunt thermæ, ægris corporibus, præſertim puſtulis, & tabo infectis, maxime ſalutares. Inter quas ſunt & aliæ, quæ *Regiæ* nominantur, ob Regis in his balneum, in quibus natare poſſis. Occidentem verſus, regii, & alii amœni ſub mœnibus horti, in planitie viſuntur. Supra, interſtitio viginti paſſuum, vineæ in montibus ſunt conſitæ, amœna viſu ſpectacula.

*Thermæ regiæ, & horti:*

§. *V.* Ad Septentrionem, *Ferarium* eſt regis, cui nomen eſt *Nyèk*, cingens vallo, non tantum ſiluoſum montem, ſed prata etiam lætiſſima, in ambitu quatuor milliarium Hungaricorum, feris variis abundans. Lateri huic adnectitur aula, magnificis extructa ædificiis. Supra

Nyék *Regis Ferarium:*

pra mons cernitur *Diui Paulli* ſiluoſus, monaſterio Fratrum Eremitarum, & corpore *Paulli Primi Eremitæ*, *r*) clarus.

*Montes vitiferi:* §. *VI.* Ad ipſum vero aquilonem, partim alii exſurgunt montes, frugiferi vitibus, in quorum radice monaſterium eſt *Eremiticum Diuæ Virgini* ſacrum, quam *Albam Mariam* appellant; partim *Sicambriæ* vrbis, de qua infra dicemus, reliquiæ adhuc cernuntur. Introrſus meridiem verſus eſt oppidum, *Vetus Buda*, in quo fundata eſt Eccleſia Collegiata, Præpoſitura, & aliis Sacerdotiis inſigne. Supra hoc oppidum, ex eodem tractu eſt Xenodochium Sancti Spiritus, in quo thermæ ſalubres erumpunt. Paulo longius eſt aliud oppidum Sanctæ Trinitatis quod Hungarice *Felhéviz* vocatur, Collegiata Eccleſia, & thermis eleganti domo concluſis, pariter inclytum. Sunt & aliæ, in tribus aut quatuor locis thermæ, omnes mirum in modum ſalubres. Aliquæ ex his a ripa Danubii, vix decem abſunt paſſibus, ſub dio patentes, in queis ruſtici, vinearumque cultores, lauari conſueuere, capite & humeris tenus extantes. Quod intuentibus ſpeciem quodammodo præbet picturæ reſurrectionis generalis, in parietibus ædium ſacrarum pictæ.

*Vetus Buda:*

*Felhéviz.*

*Budæ celebritas:* §. *VII.* Oppidum ipſum Budenſe celebre eſt, Italis, Germanis, Polonis, & noſtra hac ætate, Turcis quoque, mercatoribus eo confluentibus, veluti ad totius Hungariæ emporium. Quacunque ex parte, oppidum & arcem, extrinſecus longe proſpexeris, magnam capies ex ſitus amœnitate voluptatem: vt ædificia non ex materiis facta, ſed inſignem quandam videaris picturam conſpicere. Contra, ſi ex oppido loca amoeniſſima illi ſubiecta deſpexeris, in maximam ducaris admirationem, ſic vtrobique oculi reficiuntur. Rupes ipſa, in qua conſiſtit oppidum, excauata eſt, propter cellas vinarias, vt non minus, ſub qualibet domo operis, intra ipſius rupis viſcera, quam ædificii ſub dio videas; qua ex cauſſa, terræ motus maxime illic formidantur.

*Amœnitas ſitus.*

## CAPVT SEXTVM.

## *De Vrbibus, Caſtris, & Oppidis, in Budæ vicinia.*

Alba Regalis *ciuitas:* ALba Regalis *s*) ciuitas, a Buda ad occidentem, octo abeſt milliaribus, paludibus, orientem præſertim verſus, circumdata. Hæc inclyta eſt diuorum, *Stephani*, & *Emerici* corporibus, tum etiam aliorum Regum ſepultura. In huius Eccleſia Collegiata, *Diuæ Virgini* ſacra, Præpoſitura ſcilicet maiore (cuius poſſeſſor præeſt eccleſiæ & cuſtodiæ ſiue theſauriatui) aliisque deinceps optimis Sacerdotiis inſigni, Reges per Archi-Epiſcopum Strigonienſem inungi, ac diademate inſigniri debent; alioquin non habentur legitimi. Nundinis Boariis

*r*) Vitam S. PAVLLI Primi Eremitæ, legeſis, Annalium Eremi-Coenobiticorum, Lib. I. Cap. II. p. 6. ſeqq. Viennæ Auſtr. A. 1663. fol.

*s*) Fruſtra eſt BONFINIVS, Dec. I. Lib. I. p. 23, 39. quando, huius, & reliquarum vrbium, quas *Albas* dicimus, nomen, a priſcis, neſcio quibus populis, deriuat. FEJER-VAR dixerunt Hungari, ſiue ob arcis recentis alborem, ſiue, boni ominis gratia.

riis & vinariis, quæ ex Simigio eo aduehuntur, aliisque mercimoniis, eſt hæc vrbs celebris. Citra hanc vrbem, ad radices Vérthes ſiluæ, de qua paulo poſt dicemus, ſunt arces *Palotha*, *Oroſzlánkő*, infra quos oritur *Sáros t*) fluuius.

§. *II.* *Viſſegrád*, quod Germani *Plintenburg* vocant, oppidum, abeſt Buda, occidentem verſus quinque milliaribus, conditum ad ripam Danubii, in radicibus ſiluæ vaſtiſſimæ, pardorum aliarumque ferarum altricis. In fronte oppidi, ad plagam orientalem, aula extructa, pluſquam dici poteſt, & ſitu decora, & impenſis magnifica, & palatiis, aliiſque ædificiis, vere regiis, præſtantiſſima: vtpote, quæ vnica, quatuor regibus, *u*) cum ſuis ordinariis, vt vulgo vocant officiariis, eodem tempore commodum præbuit hoſpitium. Dicitur enim continere, trecentas quinquaginta & vltra ædes. Porta huius patet in Danubium, a ſe bis centum circiter paſſus recedentem: quo interſtitio, per id ſpatii, quod eſt inter oppidum & portam, conſitæ ſunt arbores. Altera ex parte, orientalis aulæ hortus eſt; vitibus & arboribus fructiferis amœnus. Oculis ingredientium portam, offertur ſtatim area ſpatioſiſſima, in omni parte viridis, floribus pratenſibus vernans. Ad centum & vltra e porta paſſus introrſus, incipit gradus ex quadratis lapidibus, ſeptem aut octo latus vlnas, altus vero quadraginta circiter paſſus. Hic area eſt quadripenſilis, fornicibus ſiue cellis vinariis, pro regio ſumptu, & amplis & magnificis, inſidens inſtructaque, lapidibus pariter quadris ſtrata: in qua, iuxta æquam dimenſionem, plantatæ ſunt tiliæ arbores, & odoribus verno tempore fragrantiſſimæ, & aſpectu placidiſſimæ. Huius in meditullio, exurgit fons, miro artificio, ex rubro fabricatus marmore, cum ſculptis Muſarum imaginibus. Ex cuius cacumine, effigies Cupidinis, vtri marmoreo inſidens, aquam exprimit, quæ non minus ſapida, quam frigida, ex vicini montis fonte, per canales eo deducta, cum iucundiſſimo ſtrepitu, in lancem ex ſiphunculis deſilit marmoream, hinc in labrum orbiculare. Hic fons, Matthiæ illius *Coruini* Regis iuſſu, (cuius vniuerſa hæc ædificia, quæ narro, ſunt opus) dum plerumque triumphum ageret, vino, & vt a maioribus accepi, nunc albo, nunc rubro fluebat, ſuperius in radice montis, arte canalibus immiſſo. Hoc in loco Rex ipſe, verno æſtiuoque ſole, florentibus floribus, ſolebat apricari, auram captare, prandereque, nonnunquam etiam legatos audire, & dare reſponſa.

*Arx, & oppidum Viſſegrád:*

*Deſcriptio aulæ:*

*Fons Muſarum.*

§. *III.* Narratur res, non minus riſu digna, quam memorabilis, olim, eo loco contigiſſe. Turcarum quidam legatus, dum, vt moris eſt, ab aulicis Regis, ex oppido, legationis ſuæ exponendæ gratia, in aulam deduceretur, & in porta, vnde rectus patet ad hanc penſilem aream aſpectus, parumper ſubſtitiſſet, circumſpiciens tantam loci illius amoenitatem ſplendoremque, & aulicorum, tam in infe-

*Lepida, de Legato Turcarum, narratio:*

 riore

*t*) Hodie *Sár-Viz* Hungarice adpellamus, ob cœnoſas, quas vehit, aquas.

*u*) Confer Bonfinivm, Decadis II. Lib. IX. p. 323, 23. Item, vitam Caroli IV. in Rerum Bohemicar. antiquis ſcriptoribus, p. 96, 22. Edit. Hanouiens. A. 1602. fol.

riore, quam ſuperiore, vbi Rex erat, area, infinitam multitudinem, ſerico, argento, auroque contextis indumentis, atque non ex minima ſui parte baltheis (vt moris eſt noſtrorum Hungarorum) enſibuſque argenteis, ac torquibus aureis ornatam, tanta ſubito admiratione ſtuporeque perculſus eſt, vt totius ſuæ legationis obliuiſceretur, & dum per gradus in conſpectum Regis aſcendiſſet, propter eius aſpectum, qui ob magnos oculos cruore veluti perfuſos, terrorem inſpicientibus incutiebat, conceptus, iam antea timor, ita magis ac magis hominem occupauit, vt poſt diuturnum ſilentium, nihil aliud proferre potuerit, quam; *Cæſar ſalutat! Cæſar ſalutat!* Quem, cum Rex interrogaret; an quid vltra vellet? ille nihil reſpondit. Rex, viſo, hominis tam nihili, ſtupore, ad ſuos qui adſtabant, purpuratos x) conuerſus: *Videte*, inquit, *quales belluæ noſtros, & aliorum Principum Chriſtianorum fines, negligentia noſtra publica, incurſent: verum, quantum in me erit, curabo frœna his belluis imponere, ne tam licenter excurrant. Si alii etiam Principes, ſocordia & internis diſſenſionibus ſepoſitis, hoc idem præſtare curarint, agetur bene de rebus Chriſtianis.* Iubet deinde legatum reduci ad hoſpitium. *Vade*, inquiens, *reſpira, reſipiſce!* Ei, poſt multum temporis, reuocato ſignificatum a Rege eſt; *vt domum rediret, nunciaretque domino ſuo, alium mitteret, qui legatione fungi ſciret.* Ita ille, pro regis dignitate, magnifico nihilominus munere oneratus, coactus eſt cum rubore reuerti. Hæc, quamuis in rem præſentem minus pertinebant, nolui tamen ſilentio præterire.

*Aulicorum Matthiæ ornatu, & Regis obtutu, perculſus, obmuteſcit:*

§. *IV.* Introrſus ad latus areæ, in radice montis, qua paulo eleuatior eſt, extat ſacellum amœniſſimum operibus muſaicis, vt aliæ etiam pro maiori parte ædes, ſtratum, in quo inſtrumentum eſt muſicum pretioſum, quod vulgus *Organum* vocat, fiſtulis nonnullis argenteis ornatum. Præterea reſeruaculum Corporis Dominici, & tria altaria, cum ſtructuris & tabulis, ex alabaſtro puriſſimo inaurato fabrefactis. Hinc orientem verſus, palatia regia, tabulatis inaurata, bifariam protenduntur, miro artificio fabricata. Altera via aſcenditur in palatium oblongum, cui mons ipſe imminet; altera deſcenditur ad inferiores ædium partes. Hic quoque in medio areolæ, fons eſt, ex alabaſtro exſurgens, quem ambit ambulatio, columnis marmoreis ſuſtentata, quæ a ſolis æſtiui ardore tuta eſt. Tum ædes ipſæ recurrunt in Septentrionem; poſtremo occidentem verſus redeunt; quarum omnium feneſtræ, in decurrentem latiſſimo alueo Danubium, proiiciuntur. Quod maximæ eſt proſpicientibus amœnitati; præſertim, cum e regione vltra Danubium, ex colonis Germanis cernatur *Maros* oppidum: ſupra quod, mons exſurgit, longus magis, quam altus, vineis totus conſitus.

*Continuatio de ſcriptionis aulæ.*

Maros *oppidum, Viſſegrádo oppoſitum*

§. *V.* Hæc aula, y) præter ſitus amœnitatem, tam prætioſis ædificiis ornata eſt, vt ſine controuerſia plurimorum regnorum ædificia

x) Habebat hoc in more poſitum MATTHIAS; vt comiter quidem haberet legatos exterorum; ſed pertentaret etiam lubenter, eſſentne rebus agendis idonei: id quod, cum *Turcis* potiſſimum factitaſſe, certum eſt.

y) Poſt tot arcis obſidiones, ad eum modum detrita nunc ſunt omnia, vt vix ſplendiſſimi palatii, veſtigium poſſis obſeruare.

ficia ſuperare videatur, & nuſquam viderim, quidquid regnorum in hunc diem peragrarim, ædes paribus ornamentis ſtructas. In ipſa ſola Lutetia Pariſiorum, vrbe, eo loci, quem vulgus *Aulam Parlamenti* vocat, in qua ius dicitur, negotiumque tractatur regis, vnicam vidi cameram, in ſimilitudinem harum, & Budenſium ædium, tignis tabuliſque inauratis, fabrefactam. Supra aulam, in altiſſimo montis prærupti cacumine, lateribus vndique ſiluoſis, exſtructa ſuſpicitur, veluti quiſpiam nidus, arx fortiſſima. Huic præficiuntur more maiorum ex regni proceribus, non ſolius Regis arbitrio, ſed totius regni electione. In ea cuſtoditur Corona, quam nos ſacram vocamus, cum priuilegiis & aliis regni iuribus. Hæc parietibus vndique concluſa ſunt. Duo hi Proceres, firmiſſimo adiguntur iuramento, z) ne perfractis parietibus, diadema regium ex ea arce aliter educant, quam ad totius regni & Regis, vnanimem deliberationem, quæ non aliis temporibus fieri conſueuit, quam in coronatione Regis & Reginæ. Per hos Proceres ſubſtituuntur alii duo arcis præfecti, quorum alter, per totum ſemeſtris temporis ſpatium diademati regio cuſtodiendo incubat, nec toto hoc tempore, ſub vitæ periculo pedem efferre audet, donec collega in eius ſuccedat locum. Ab ea arce demiſſus eſt murus, per montis præcipitium, ad aliam vſque arcem, fluctibus Danubii obnoxiam, quæ aquatica vocatur. Hæc mœnibus ſuis, & hortum, mira amœnitate lateri aulæ adnexum, & eandem aulam, oppido coniungit confirmatque.

*Aulæ præſtantia:*

*Arx monti imminens:*

*Vbi ſeruetur ſacra Corona Hungariæ.*

## CAPVT SEPTIMVM.

### *De reliquis Vlterioris Hungariæ Vrbibus, & Opportunitatibus.*

HÆc ſilua, quæ ex arcis nomine denominatur, in ripa aduerſi Danubii in Zephyrum retrahitur, in ſpatio quinque milliarium noſtratium. In huius medio eſt *Præpoſitura Demes*, & dignitate, & reditibus inſignis. Danubii ripam proſpectans, & in eiusdem circa finem radice, aula alia eſt exſtructa, quam amœniſſimus hortus, & ferarium Archi-Epiſcopi Strigonienſis, ad vnum milliare Italicum, a Strigonio diſtans, ambit. Exſurgit hinc mons, cuius in latere, vineæ porriguntur, arci & ciuitati Strigonio imminens. In ipſa ripa Danubii, rupes ſatis alta in orbem enata eſt, ex ea parte, qua Danubium proſpicit prærupta, vndiquaque tercentum circiter paſſus lata. Hic condita eſt arx, ſedes Archi-Epiſcopi, & loco, & munitione fortiſſima, palatiis atque ædificiis, præter ſitum loci, maxime decora. Hæc natiuitate atque baptiſmo D. *Stephani*, primi Regis Hungarorum, eſt memorabilis. Occidentem verſus, Danubium, late, &

*Silua Viſſegradienſes:*

*Situs arcis Strigonienſis:*



z) Iuris iurandi formulam geminam, qua ſe obſtringebant, Coronæ Cuſtodes, dum *Viſſegrádi* adſeruaretur, PETRVS de REVA nobis adſeruauit, in Comentario, de S. Corona Reg. Hung. p. 59. Edit. Tyrnauienſis.

& leni murmure defluentem, proſpicit. In *a)* orientem, ruinas, ædium magnificarum Capituli, anno ab hinc *b)* quarto exacto, propter obſidionem arcis, ad ſolum vſque dirutarum; tum montes vinearum; ad meridiem vero ciuitatem proſpicit. Fundata eſt in arce eccleſia Cathedralis, Diuæ Virgini Sacra, *c)* in Hungaria Metropolitana: in qua, præter alia ſacella & ornamenta, duo ſunt maxime præſtantia.

*Sacellum Thomæ de Bakocz, Cardinalis Strigonienſis:*

Alterum ſacellum in latere Eccleſiæ meridionali, a fundamento, ad ſummum vſque intrinſecus ex rubro marmore, eoque politiſſimo, per *Thomam* Cardinalem, Patriarcham Conſtantinopolitanum, maximis impenſis exſtructum. Hoc ſuperne in orbem coarctatur, & cupro inaurato concameratur, opus ſane magnificum & pretioſum. Alterum ad plagam aquilonarem, ſupra ſacrarium fabrefactum eſt, opus teſtudineum, multifariis picturis exornatum: in quo eſt bibliotheca codicibus veteribus, omnium facultatum refertiſſima. In arcis radice, in ipſa Danubii ripa, eſt turris fortiſſima,

*Thermæ.*

quæ ob cuſtodiam aquæ, aquatica dicitur, in qua thermæ tanto impetu erumpunt, vt molam circumagant. Auditu res admiranda; eodem tractu fere contiguo, iisdemque venis aquam gelidam Danubii decurrere, & thermas erumpere.

*§. II.* Ab arce ſemota eſt ciuitas, quadringentorum fere paſſuum ſpatio, quod ſimiliter thermæ in aliquot locis irrigant. Ea, ad meridiem in ripa Danubii, qua in inſula oppoſita, Monialium eſt Cœnobium, protenditur, mœnibus Danubio connexa. In fine dictæ ſiluæ, quæ ciuitati huic imminet, initium habet alia ſilua vaſtiſſima, verſus meridiem vſque ad terminos paludis *Balathon* auſtrales, longe

*Vérthes ſilua vaſtiſſima: Abbatia S. Martini: Sabaria Diui Martini patria:*

protenſa. Huic nomen eſt *Vérthes*; in tota Hungaria nominatiſſima. Ad latus huius occidentale, *Abbatia S. Martini*, reditibus opulentiſſima, in monte qui appellatur, *Sacer mons Pannoniæ*, editiſſimo amœniſſimoque ſita eſt, ad omnes plagas, oppida & latos campos proſpiciente, per *D. Stephanum* Regem exſtructa.

*§. III.* Hinc meridiem verſus *Sabaria* arx, *D. Martini* patria. Deinde magis ad Auſtrum, *Præpoſitura Vaſvár*; arx *Monyorókerék*, quam Teutones *d)* *Eberau* vocant; oppidum *Kermend Arczberg*. Tum ad latus ſiluæ vaſtiſſimæ, quæ decurrenti Murauo adiacet, in rupe difficili, exſtructa eſt arx *Németh Vjvár*, ſiue Nouum Caſtrum. Non longe ab hac abeſt meridiem verſus inter ſiluas, arx *Felſő-Lindva*,

Strido *Hieronymi patria.*

& oppidum *Mura Szombath*. Hinc intra Murauum & Drauum fluuios, eſt *Strido, D. Hieronymi* patria; arx *Cſák-Tornya*. A Felſő-Lindva non ita multum diſtat, *Sanctus Gothardus*. Item, arx *Alsó-Lindva*, *Némethi*, caſtellum *Buzaſzigeth*: ſupra quæ *Berzentſe* arx. Hinc ad orien-

*a)* Hunc locum, ita legit, P. SZENTIVANY, in Diſſertat. Paralipomen. Rerum Memorab. Hung. p. 16. *Ad meridiem vero proſpectus fuit, in magnificas Canonicorum e regione ſitas ædes; ad ſeptentrionem autem in montes vinearum; ac demum ad meridiem, in ſubiacentem ciuitatem.* Nos, fidem manuſcripti gemini, ſequimur.

*b)* Fuit is, annus 1532. obſidio autem, GRITTO duce, irrita.

*c)* Laudatus Szentivány, interſerit: *Et D. Adalberto Epiſcopo & Martyri.*

*d)* De eius conditore, legendus omnino, WOLFFGANGVS LAZIVS, de Migrat. Gent. Lib. VIII. p. 477. alioquin, ignari ſimus, oportet, de Germanica nominis origine.

orientem *Babolcza* arx, oppidum *Kalmanchel*, tres mei vici, Dobzæ habitacula, centum & vltra colonorum. Ad Vérthes, non procul a Veſzprimio, eſt *Leüvöld*, Cœnobium fratrum Charthuſienſium, multis oppidis & reditibus opulentum. *Leveld Cœnobium Carthuſienſium.*

§. *IV.* Citra *Balathon* lacum, ad radices ſiluæ, eſt arx *Váſon*, cui vicinum eſt oppidum meum, *Mernye*, & *Dergitze*, cum ſuis vicis, in queis, bona & ſapida naſcuntur vina; cuiuſdam procuratoris, quem *Hiſpanum* vulgus vocat, ſuſpendio famoſum: quia hic *Hiſpanus*, colonos iniquis cruciabat exactionibus. Ab hac, non multum abeſt *Abbatia Tithonium*, *e*) in amœno loco ſita, arx *Sigligeth*, Abbatia *Szalavár*, arx munitiſſima, & prouentibus ampla. Alius item conuentus religioſorum in *Kapornak*. Supra *Váſon*, ad boream eſt *Veſprimium* Epiſcopatus; *Berenhyda*. Hinc non longe a ripa meridionali, *Sáros Ladan Urhida*, *Lepſin*, arces *Ozora*, *Simon-Tornya*; oppida *Bikad*, *Szerdahely* Ad orientem ripam Balathon, *Szántó*, *Kereſzthely*, *Czepel*, *Tard*; mediterranea, *Sümegh-Vár*, Abbatia, tum colonis, tum reditibus vinariis, opulenta: *Oſzthopan*, *Korpád*. *Balathon lacus: Epiſcopatus Veſprimienſis.*

# CAPVT OCTAVVM.

## *Continuatio Deſcriptionis Hungariæ Vlterioris.*

AD occidentem, (vt eo, quod prius omiſeram, reuertar) *Sopronium* vrbs, a Vienna vrbe, decem circiter milliaribus, vltra paludem *Ferthö*, meridiem verſus diſtans. In ea parte, qua muro cingitur, in valle, qua vero mœnibus ipſis Septentrionalibus coniungitur, in monte condita eſt. Accolæ eius Alemanni ſunt. Ager & frumenti & vini ferax, vna ex ſeptem ciuitatibus Hungariæ liberis. Sopronio huic, Septentrionalis eſt ad octo circiter milliaria arx *Ovár*, quæ a Germanis Altenburgum nuncupatur. Hæc in loco ſita eſt paluſtri, aggeribus, vallisque fortiſſimis, & duplici foſſa aquatica circumducta, in quarum exteriorem, quadraginta & vltra paſſus latam, a meridie influit *Laitha* flumen. A ſeptentrione pars Danubii, qui inſulas ibi tres facit mediocres, feris, & maxime apris abundantes, præterlabitur: ex quo, ad interiorem arcis foſſam, MARIÆ Reginæ impenſis, cuius ea eſt arx, non longo ante tempore, aqua deducta fuit, vt arcis aer viuo flumine, fieret temperatior ſalubriorque. *Sopronium, ciuitas Libera: Arx Ovár, ſiue Altenburgum:*

§. *II.* *Jaurinum*, olim *f*) Bregætium, arx, ſedes Epiſcopi Jaurinenſis in ripa Danubii (qui eo quoque loci inſulam facit) meridionali ſita eſt: infra quam, occidentem verſus olim *Rabnicza*, nunc *Rábcza* flumen, prope Abdam pagum in Danubium exoneratur. Sub ipſa vero mœnia arcis, aliud flumen, olim *Narabo*, nunc *Rába* dictum, in eundem Danubium rapitur. Hinc *Tata*, arx regia, inter Strigonium & Jaurinum, ad latus meridionale ſita occurrit, medio milliari a ripa Danubii diſtans, inſignis MATTHIÆ regis ædificiis. Alluit huius *Jaurinum: Rabnicza, & Narabo fluuii: Thata Arx.*



*e*) Peninſulam lacus Balathonis eſſe, norunt, vna nobiſcum, ſituum gnari.

*f*) Non eſt pronum, vetera Geographorum nomina, quibus vrbes inſigniuere, hodiernis conferre. Certe, de *Jaurino*, & *Bregætio*, ſub iudice lis eſt.

*Piſcina ad Tatam* ius muros orientales, latiſſimum viuarium, piſcibus multigenis memorabile, in orientem ad vnum milliare protenſum. Ad auſtrum imminet arci oppidum ſitum in monte, qui marmor rubrum continet. Infra Budam meridiem verſus, *Théten*, *Erd*, *Adon*, *Pakſium*, *Tholna*, *Sexárd*, *Abbatia*, & *Báttha* oppida, ripæ Danubii adiacent. Infra quam Bátthám, quæ Abbatia eſt ſatis opulenta, & ſacramento miraculoſo celebris, flumen *Sáros* Danubio miſcetur. Vltra hanc Bátthám, Quinque Eccleſias verſus, eſt alia *Abbatia*, quæ *Pétſvváradya* appellatur, reditibus amplis inſignis. *Abbatia Pétſvá-radia.*

§. *III.* Hinc occurrunt *g*) *Quinque Eccleſiæ*, quarum arx in radice *Metſek* montis ardui, cuius latera & verticem procera cingunt robora, eſt condita, ſedes Epiſcopi Quinque Eccleſiarum. Hæc, tam templo Cathedrali, *D Petri*, quam ædificiis, per *Georgium Zathmárum*, eius loci tunc Epiſcopum, ( qui *h*) poſtea Strigonienſis Archi-Epiſcopus fuit, ſummæ pietatis & iuſtitiæ, rectique conſilii, atque non paruæ eruditionis virum,) magno arcis decore exſtructis, inclyta eſt. Ad Septentrionale latus templi, eſt collegiatum Sacellum *D. Virgini Auratæ* ſacrum, in quo ſepulcrum viſitur *Nicolai*, olim Epiſcopi Quinque Eccleſienſis, exempli veri Epiſcopi: huic affixum eſt cilicium, veſtis pilis contexta, quam viuens deferebat. Hic dicitur, interdiu ſuam plebem verbo DEI pauiſſe, noctu vero, profectus ad ſiluam vicinam, humeris ligna detuliſſe, & pauperes fouiſſe, hiſque inſeruiuiſſe, vt etiam ex manuum ſuarum laboribus pauperibus ſubueniret, nedum Epiſcopatus reditibus. Huic arci, ſubiicitur ex radice montis prædicti, meridiem verſus in planitiem porrecta ciuitas, nec ſitu, nec opere ſatis munita, accolarum tamen comitate, & ciuilitate præſtans, Canonicis ac Præsbyteris referta, fluminis & aquæ indiga. Eſt hortus, ad Septentrionale latus dicti montis, in quo ſcaturit fons, cuius fluor ciuitatem verſus, quadraginta circiter molas, ex ordine circumagit. Erumpunt & alii, ex montis latere, fontes, quorum per canales deductione, ciuitas reficitur: agro fertilis, vini optimi multum abundans, piſcium indiga; præterquam eorum, qui recenter a captura mortui, aliunde eo aduehuntur.

*Arx & Epiſcopatus Quinque Eccleſiarum:* Nicolai *Epiſcopi Sanctimonia:* *Vrbis ſitus:*

§. *IV.* Huic vicina eſt, ad tria milliaria, *Soclóſium*, *i*) arx, & munitione, & natura fortiſſima, ædificiis vero inſignis. A Quinque Eccleſiis abeſt ad quatuor milliaria, orientem Septentrionalem verſus, oppidum *Mohácz*, ad ripam Danubii ſitum, ex oppoſito oppidi inſulam ferarum altricem facientis; clade LVDOVICI, Regis mei, funeſtum: de qua, cum hic ſcribendi locus non eſt, ita ſilendum potius, quam pauca dicenda arbitror.

*Arx Soclós:* Mohács *oppidum.*

CAPVT

*g*) Hungari, PETS adpellant; etymo, ab Illyriis petito: quibus, *Peth*, ſignificat *quinque*. Alias notum eſt prouerbium: *Németnek* BETS; *Magyarnak* PETS. Id eſt: *Quod eſt Germano Vienna, id ſunt Quinque Eccleſiæ Hungaro.* Tanta, priſca illa ætate, vrbis, & celebritas fuit, & ad degendam vitam, commoditas.

*h*) Tota hæc parentheſis, deeſt, in fragmento, quod SZENTIVANY, loco citato, p. 17. exhibet: quin & reliqua vrbis deſcriptio, a manuſcriptorum noſtrorum textu, diſcrepat nonnihil.

*i*) Illuſtrem fecerunt arcem, SIGISMVNDI Regis carceres: de quibus conſule BONFINIVM, Dec. III. Lib. II. pag. 379.

# CAPVT NONVM.

## *De Secunda Hungariæ Parte, citra & vltra Sauum ſita.*

SEcunda pars Hungariæ, partim *Drauo* & *Sauo* fluminibus includitur, partim trans *Sauum*, ad alpes fere vſque, quæ Adriaticum reſpiciunt mare, porrigitur. Trans *Sauum* ſunt regna *Croatia*, & *Boſyna*, Epiſcopatus Boſnenſis, arx *Taurunum*, *k*) ſiue *Nándor Alba*, cum oppido eiuſdem nominis, metropoli Seruiæ. Huius mœnia alluit *Sauus*, qui paulo ſupra oppidum, in Danubium exoneratur. Hæc arx, murus fuit Hungariæ; qua, anno nati Domini, milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, LVDOVICO rege imperante, per *Valentinum Theürek*, qui ei arci præfuerat, amiſſa, Turcis, hoſtibus fidei, ad Hungariæ dirreptionem, patuit traiectus. A Tauruno, legendo ripam, aduerſi fluminis *Saui*, in latere, quod ſpectat meridiem, ſunt ex ordine poſitæ, *Sabacz*, *Wyvár*, *Barka*, *Myhalócz*, *Arky*, *Dobor*, *Dobotzitz*, *Slobotzina*, & e regione *Arky*, in Boſyna, *Grayacz*, *Maglay*, *Zreberník* arces, ante annos circiter viginti, per Turcas interceptæ.

*Secunda pars Hungariæ: Arx Taurorum, ſiue Nándor Alba: Sabacz Arx:*

§. *II.* Quæ vero regio, *Sauo*, & *Drauo*, fluminibus, incluſa eſt, noſtra ætate bifariam nominatur. Ea pars, quæ ad occidentem hybernum, vſque ad fines Carniolæ, & Carinthiæ, (quæ antea Carina nominabatur) & Comitatum Ciliæ vergit, appellatur *Sclauonia Hungarica.* In hac ſunt Comitatus Zagrábia, Váraſd, Poſega, Valpó, Valto, & plerique alii. Epiſcopatus *Zágrábia*, dignitate & reditibus inſignis. *Chaſma*, *Poſega*, Eccleſiæ Collegiatæ, & ſitu, & prouentibus præſtantes. Arces: *Varáſdinum*, *Gerebes*, *S. Gregorius*, *Rabócza*, *Monoczló*, *S. Demetrius*, *Valpó*, non longe a meridionali ripa *Draui* ſita, natura & munitione fortiſſima, ædificiis vero præſtantiſſima. *Eſzek*, ad ripam pariter eiuſdem amnis condita. *Erdőd*, *l*) in monte ſita, Danubium proſpectans ſeptentrionalem, ad meridiem vero campos latiſſimos.

*Sclauonia Hungarica: Zagrábia Epiſcopatus: Erdőd.*

§. *III.* Ea vero pars, quæ inter oſtia *Draui*, & *Saui*, orientem verſus porrigitur, vocatur *Sirmium;* in ea ſunt, arces *Wylak*, Sirimii initium & caput, quæ in monte Danubio imminente non abſimili ſitu, quam Buda, iacet, regalibus exſtructa ædificiis, tum ſepultura *Joannis Fratris Capiſtrani* inclyta. *Sylſegk*, *Bánmonoſtra*, ſedes Epiſcopi Sirmienſis; *Kamáncz*, *Varadinum Petri*, *Karom*, *Zalom-Kemen*, in ripa Danubii omnes ſitæ. Circa Septentrionalem vero ripam Saui, a meridie, orientem verſus, ſunt ex ordine arces: *Diako*, ſedes Epiſcopi Boſnenſis, *S. Laurentius*, *Maróth*, *Racza*, *S. Demetrius*, *Bancz*, *Semplinium*, & pleræque aliæ. Hic tractus olim *Sauia*, *m*) ſiue Sauenſis regio appellabatur. Hæc itaque, ſecunda Hungariæ pars, vt ſupra *Decad. I. Monument. I.*

*Sirimium in quo Wylak arx: Epiſcopatus Sirimienſis: Sedes Epiſcopatus Boſnenſis:*



*k*) TAVRVNVM, a Tauriſcis, Pannoniæ populis, & nomen accepiſſe, & originem, docti exiſtimant. Vide ORTELII, Theſaur. Geograph. in vtraque voce.

*l*) Slauoniæ iſtud ERDŐD, confundendum haud eſt, cum ERDŐD, caſtro & oppido, quod eſt in Comitatu *Szatmarienſi*, originibus COMITVM ERDŐDY, in primis nobilitato.

*m*) Notum omnino *Pannoniæ Sauiæ*, apud auctores, nomen; de quo vide ORTELIVM, in voce, *Pannonia.*

docuimus, Sauo intercisa, ab ortu Mysos, Triballos, qui nunc Rasciani vocantur, contingit; ab occidente, Austriæ prouincia; ab Austro, monti *Scardo* est conterminata; ad Septentrionem vero Draui ripis finitur.

## CAPVT DECIMVM.

### *De Tertia Hungariæ Parte, quæ Danubium & Tibiscum interiacet.*

*Tertia Hungariæ pars.* Tertiam Hungariæ partem, quæ inter *Tibiscum*, & *Danubium* fluuios, Boream versus & Carpathum vsque montem, est protensa, ac inter Septentrionem, & occidentem, Morauiæ fines; ad orientem vero Tibisci in Danubium decurrentis, ostia attingit. Si PTOLEMAEO *n*) credimus, olim Jazyges Metanastæ incolebant. In eadem est Archi-Episcopatus *Calocia*, qui & Bácia dicitur. Episcopatus *Agria*, *Nittria*, *Váczia*: multa adhæc Monachorum, Prælatorum, diuersi ordinis Monasteria. Comitatus, Scepusium, Sáros, Uyvár, Trencinium, Nittria, Pesth, Bodrog, Bácha, multique alii.

*Archi-Episcopatus Colocensis.*

*Pesthum ciuitas:* §. *II.* PESTHVM ciuitas, vt ab ea descriptionem exordiar, ad orientalem Danubii ripam, e regione, vt supra memoraui, arcis Budensis conspicitur, mœnibus in latum orbem circumductis, Danubio vtrinque compacta; incolis, partim *Hungaris*, partim *Germanis* frequens, & ex vtraque parte longis suburbiis insignis: vinis exoticis, non Sirmicis modo optimis, atque perinde ac Cretica sunt, dulci sapore præstantibus; sed etiam Baroniaicis, Somodinis, & alterius *o*) generis; præter hæc, mercaturis quoque omnibus celebris. Mercatorum magnus est eo concursus. Poloni, Silesitæ, & pleræque exteræ nationes, in ea vinum mercantur. Ager arenosus sterilisque, nullius frumenti magis, quam peponum, rapæ, & raphani minoris ferax. Campum vndiquaque habet longe diffusum: cuius latus septentrionale appellatur *Rákos*, de quo supra memorauimus. Inter hanc vrbem, & Budam interfluens Danubius, sicuti in aliis quoque locis multis, quibus quieto delabitur flumine, quolibet fere anno, circa finem Decembris Mensis, & initium Januarii, ponte, non ex roboribus aliaque materia, sed frigore constricto, consternitur. Nam, pro hyemis rigore, tanta glacie, ad vnum plerumque cubitum alta; subito consistit, vt perinde, ac in latissimo firmissimoque ponte, plaustra onerata, & quæuis alia pondera, nunc vnius mensis, nunc longioris temporis spatio, sine periculo transuehantur. In huius pontis *p*) glacialis medio, memoratur, MATTHIAS ille rex *Coruinus* absens, fuisse in regem electus, dum detineretur iussu *Ladislai* regis, in carcere Pragensi, per *Georgium Pogyebratium*. Alia etiam flumina Hungariæ, eadem ratione gelu consistunt; quo tempore maxime formido-

*Rákos campus:*

*Electio MATTHIÆ in regem, super glaciali ponte facta.*

*n*) Geographiæ Lib. III. Cap. VII. p. 44. edit. Basileensis, A. 1540. fol.

*o*) Nondum, scilicet, ad eam celebritatem, laudemque Tokaiensia vina, peruenerant, qua sunt hodie. Sirmiensi & vicinis, præcipua tunc gloria fuit.

*p*) Nihil eius, in electionis historia, quam BONFINIVS, Decad. III. Lib. IX. exhibet, obseruaris: præterquam,

midolosi antea nostris fuerant Turci, ne hac vtentes occasione, pertransito *Sauo* diriperent Sclauoniam, quam anno præterito, fere totam; tum propter Christianorum Principum internas dissensiones, ob quas Hungariæ, immo suis periculis prospicere non curant; tum propter nostram negligentiam & factiones, quibus regna magna periclitari consueuere, in ditionem suam redegerunt. Conspiceres in prædicto *Danubii* campo, multos homines, iacentes interdiu, qui Bacchum, *Pesthi* dulcissimum, præter rationem exhaustum, decoquant, & in longas moras despument, destinentque.

§. *III.* VACIA ciuitas, sedes Episcopi, ad ripam pariter Danubii, qui insulam illic mediocrem circumluit, sita est; a *Pestho* Boream versus, quinque milliaribus recedens. Locus, propter montem *q*) arboribus plenum & supereminentem, & ex alio orientis latere, propter viridaria, & campum late diffusum, non modice amœnus. Hinc, sub radice eiusdem montis, occidentem versus, ad aliquot milliaria, longe porrecti, aduerso Danubio, non commode, ob viam angustam & fragosam peruenitur, ad *Maros* oppidum, Vissegrádo obiectum. Tum, traiectis per ordinem, *Ipola*, *Grano*, & *Nitria* fluuiis, quos in Danubium infundi, supra memorauimus, recurritur ad *Guta* oppidum, quod ad ostia *Vagi* fluminis, (circa quæ loca, piscatio fit *r*) antaceorum piscium) situm est. Hinc magis ad occidentem, circa ripam eiusdem Vagi, quæ est ad Zephyrum, constructa est arx fortissima, Alexii Thurzonis, *Semthe*, inclusaque vtrinque oppidis, aliquo interuallo ab ea dissitis.

Wáciensis Episcopatus: Marot oppidum: Arx Semthe.

§. *IV.* Eo ex loco semipalustri, & aliquando profunde lutoso, relictis ad dextrum latus, aliquot pagis, & Tyrnauia, POSONIVM tenditur. Hæc vrbs, adiacet ripæ Danubii, quæ, & loco, & munitione est fortissima. A sinistro, campi satis lati, spatio, incumbit ei mons, cuius latera vinetis consita sunt. A fronte, arx pariter validissima, inter montem, a sinistro satis siluosum, inferiore vero vineis consitum, condita est in loco editissimo, ædificiis splendidis decora. Quæ, ex ea parte, quæ Austriæ fines respicit, & Morauam fluuium, (in cuius ripa orientali, in edito monte arx *Deuén* exstructa est, duobus a Posonio, occidentem versus recedens milliaribus,) murum habet, circiter viginti pedes latum; qua vero vrbem & Danubium prospicit, ambulationes, cum quietis amœnisque interstructis ædiculis, ad quas, ex regiis cubiculis patet transitus. Mea hæ ætate, supra mœnia ædificatæ fuerunt, per *Joannem Bornemiszam*, eius loci Comitem, Secundi

Posonium, *vrbs & arx, cum descriptione.*

 LVDO-

quod, Danubius, quarto Idus Februarias, subito rigidoque gelu concretus, & quasi pauimento constratus, perterruerit factionem *Coruino* contrariam, vt relicta *Buda*, Pestum concederet. Tum vero, facile poterat euenisse, vt occursantes sibi mutuo proceres, dextras, in medio, glaciali hoc ponte, iungerent, inque MATTHIAM eligendum, consilia anticiparent.

*q*) NASZÁLY ei nomen est, quasi *Nagy Szál*, dictum; eo quod termini instar, excelso vastoque iugo, surrectus, late regionem despicit.

*r*) Legi in diplomatibus, Reges Hungariæ, antaceorum viuarium hic olim habuisse, per oram fluminis, roboreis palis circumclusum: quorum trunci, decrescente amne, notari possunt hodieque.

Lvdovici regis nutricium, virum, non minus ſtrenuum, fortisque & animi magni, quam ingenio, conſilio, fide, & religione præſtantem, mihi certe veluti alterum parentem. Apud quem tamen, licet 'ΑΤΕΚΝΟΝ 'ΌΝΤΑ, (improlem exiſtentem,) nec captarim, nec acceperim, vt plerique alii, hæreditatem. Hic, ad Danubium & campos Trans-Danubiales proſpectus, magnam præbet oculis intuentium delectationem.

*Arx Stompha, Bozyn, & S. Georgius: Tyrnauia ciuitas:*

§. *V.* Vltra Poſonium, intra viſcera montis prædicti, ad orientem æſtiuum, eſt arx *Stompha*; & Monaſterium Heremitarum *Thál.* In radicibus vero, porrectæ ſunt arces, *S. Georgius*, optimis & dulciſſimis vinis memorabilis; *Bozyn*; *Vereskő*; præterea, aliquot oppida. Hinc ad orientem viſitur ciuitas Tyrnavia, natura minus, quam arte munita. Ad huius mœnia, fluuiolus eiuſdem nominis, ingens facit piſcium viuarium: ex quo iterum effluens, prope Vizkelet, Danubio miſcetur. Hanc incolunt Germani, Hungari, Bohemi, mercimoniis, aliiſque rebus vſui hominum, neceſſariis, abundantem. Nitria dehinc, ſedes Epiſcopi, ad Septentrionalem partem, orientem verſus vergens, tranſmiſſo Vago fluuio, in ripa *Nitriæ* fluminis, ſita eſt. Arx, & ſitu & arte munita, a qua diſtat *Trincinium*, in Cæciam, nouem milliaribus, & loci amœnitate, propter alluentem Vagum, & munitione memorabilis: inter quam, & Nitriam, ſunt arces *Galgócz*, & *Themetvén*, atque nonnulla oppida. Supra Trincinium, *Ilauai* tum, ad radices ſiluoſi montis, eſt caſtrum fortiſſimum, *Biſtricia*, orientem verſus *Vhrovecz*, & deinde *Baymócz* ad fluuiolum Thurócz ſita. Vltra montem arx *Letaua*, & citra Vagum magis ad Septentrionem, *Sztreczen*, *Oraua Likava.* Vltra Vagum, *Suczán*, Blatnicz, *Sklauina* arces.

*Nitria Epiſcopatus, Trincinium arx: Galgócz, & Temetvén: Biſtricia, & Baymócz, arces. Septem montanæ Ciuitates:*

§. *VI.* His ad orientem Brumalem, vicinæ ſunt Septem Ciuitates montanæ, ſiluis, & locis aſperis, interſeptæ: *s*) *Cremnicia*; *Schemnicia*; *Biſtricia*; *Bucanum*; *Mons Regius*; *Dilenum*, & *Libeta*: quarum caput eſt, *t*) arx *Vetuſolium.* Hinc arces, *Saskőv*, *Dobrouina*, *Végles*, *Lyptſe*, ſupra quam *Garanus u*) oritur: harum incolæ vtuntur Hungarica, Germanica, & Slauonica, lingua; auri, & argenti, fodinis, atque aliis metallis, vt infra dicetur, diuites. Hæ ſunt Reginarum Hungariæ, titulo Donationis, propter nuptias, per Reges & Proceres regni, iam olim, a maiorum noſtrorum temporibus, eis deſtinatæ. Inter hos, quibus ciuitates hæ incluſæ ſunt, montes, ac *Ipolum* fluuium, qui ſupra *x*) *Schemnicium*, in radice montis oritur. Ad ſiluam, quæ *Agriæ* adiacet, ſunt: oppidum *Rima-Szombath*, *Ozdien*; arces *Fylekvár*, *Loſſoncz*, *Salgó*, *Taryán*, *Kalonda*; Præpoſitura *Bozok*; Oppida *Carpona*, *Lythva*, *Hydvég*; Præpoſitura *Sáagh*, ad Ipolum: a qua arx orientalis *Drégel*, oppidum *Oroſzy*, quod incolunt omnes liberi. Hi nihil aliud ſube-

*Præpoſitura Bozok, Sáagh:*

*s*) Hungari: Kőrmőtz-Bánya; Selmetz-Bánya, Beſztertze-Bánya; Baka-Bánya; Uj-Bánya; Bela-Bánya; Libét-Bánya; vocamus: vbi vox *Bánya*, fodinam ſignificat.

*t*) Non quod accenſum reuera ſit Vrbibus montanis; ſed quod Regum eſſet ſedes, cum huc accederent, tenereturque præſidio, defenſandis montanis deſtinato.

*u*) In Comitatu *Gömörienſi*, Granus capita habet, quinque, plus minus, milliaribus altius: qua de re, alibi.

*x*) Aliter ſe res habet. Diſtant fontes *Ipolæ*, minimum octo milliaribus, in æſtiuum orientem, Schemnitzio.

ſubeunt oneris, quam quod tenentur e ſuo gremio, Regi, & Reginæ, ianitores dare. Populus fidus, nunquam proditio eorum miniſteriis facta fuiſſe, cognita eſt; quamuis libere ingrediantur, Regis, & Reginæ cubiculum.

§. *VII.* Ab his recurritur CASSOVIAM, quæ ipſis montanis ciuitatibus eſt Septentrio-orientem verſus. Hæc ciuitas, non minus pulcra, quam munita eſt, ciuilitate & incolarum comitate, inclyta, olim frequens emporium, quo, non modo *Hungari*, ſed etiam *Poloni*, & pleræque aliæ Septentrionis nationes, confluebant. Lingua vtuntur pene Saxonica. Hanc iuxta labitur, *Hernándus* fluuius, meridiem verſus, qui poſtea iunctus *Sajóni* amni, infra cum *Bárſonos* exoneratur, non adeo procul a *Mohy*, oppido Reginæ, in Tibiſcum. Caſſouia *ciuitas.*

# CAPVT VNDECIMVM.

## *De Reſidua, eiuſdem Hungariæ Parte.*

HVic Caſſouiæ, vicinæ ſunt Ciuitates aliæ liberæ: *Eperies*, *Leucouia*, *Barthfa*, *Sibinium*: omnes inter loca montoſa ſitæ, quarum incolæ eadem, qua *Caſſouiani*, vtuntur lingua. Harum, Septentrionalius eſt oppidum, *Rybnov*; arces *Scepuſium*: inter montes *Thárkö*; citra *y*) Vagum, *Keſmark*; *Roſnauia* vero, & *Smilnicia* oppida, inter Hernádum, & Sajónem fluuios; tum citra eundem *Olſoua.* Hinc inter montes, *Murány* arx, ad meridiem, occidentem verſus ſita. Inter Sajónem & Hernádum fluuios ſunt oppida: *Vámos Sykſó*; tum Caſſouiam verſus, *Gradua*, *Syna*: arx *Nagy Hida.* Intra autem Hernádum, & fluuiolum, qui ex montibus Septentrionalibus, diuerſis fontibus ortus, ad Tibiſcum influit, ſunt arces, *Sórár*, *Czieeua*, *Vnguar*, *Vjhely*, *Terebes*, aggere extra mœnia circumducta fortiſſimo: *Fyzér*, *Buldo-Kö*, *Thálya*: oppida, *Zánto*, *Lyska*, vini optimi feracia. Arx TOKAY, in ripa occidentali Tibiſci ſita, qua traiectus eſt ad reliquam Hungariæ partem: de qua paulo poſt dicemus; locus, non minus ſitu amœnus, quam munitus. In vlteriore fluminis parte, vſque ad ripam Tibiſci, orientem verſus multæ ſunt, arces & oppida, quæ longum eſſet omnia recenſere. Inter quas eſt, *Sáros-Patak*, arx, & *Munkácz*, reginæ reditibus, vini & porcorum, ſitusque amœnitate, inſignis: a qua non longe abeſt, oppidum *Beregſzáz*, Parochiali templo memorabile. *Vrbes Liberæ Regiæque: Arces: Szikſó oppidum: Terebes arx: Arx Tokay Munkácz arx.*

§. *II.* Infra *Sajónem* fluuium, meridiem verſus, vt eo redeamus, vnde digreſſi ſumus, *Dyóſgyeör*, arx reginæ, cum oppido eius nominis, ei ſubiacente, magis amœna, quam munita occurrit. (Meridionalis iſte *Caſſouiæ*, ſitus eſt, amœnitate & omnium rerum copia, merito memorabilis.) Hæc, exſtructa eſt, in latere montis, ab oriente & meridie, ſiluis cincti. Cantus philomelarum, & aliarum auicularum, in ramis vicinarum arborum concinentium, verno tempore, eorum aures, *Dyóſgyör arx.*



*y*) Immo, pluribus milliaribus, ſupra fontes *Vagi*, poſitum eſt *Käſmarkinum*, ad Popradi amnis ripam orientalem. Alioquin, *Hungariæ* hunc tractum, minore, quam reliquos, adcuratione, deſcripſit noſter. quod ætati illi condonandum eſt.

aures, qui in ipsis cubiculis arcis agunt, mirum in modum oblectant. Infra arcem, fluit riuus, trutis, & aliis piscibus delicatioribus, scatens. Ad medium hinc milliarium est oppidum *Myskóltz* (incolarum choreis z) iam olim famosum) subditum arci, vinis optimis & omni commeatuum genere, abundans.

*Chorea ciuium Myskóltz :*

§. *III.* Ab hoc, meridiem versus, ad quatuor milliaria, Agria, sedes Episcopi, dissita est; non solum reditibus amplis; sed etiam loci situ, & alimentorum copia, maxime insignis. Arx, ad montis radicem, in loco editiore, condita est, in qua Ecclesia Cathedralis, cui subiacent in planitie ædes Capitulares, & oppidum. Hinc, in ripa Tibisci, orientem versus labentis, sunt inter alia plurima oppida, *Szolnok*, *Varkon*, *Kórthvélyes*, *Szegedinum* oppidum, tam Camera salis, quod ex Transyluania, vt infra dicetur, nauigio vectum, eo loci deponitur; quam loci commoditate, maxime memorabile. In ripa vero Danubii, e regione meridionali defluentis, sunt, prætermissis aliis, oppida *Kórthvélyes*, *Pathal.*

*Agriensis Episcopatus : Szegedinum oppidum.*

§. *IV.* Hinc Colocia, sedes Archi-Episcopi Colocensis, Ecclesia Cathedrali inclyta; *Zeremlyem*, Bakmonostra, Bodrog, Apáthy. Hinc *Báczia*, alia Archi-Episcopi Colocensis sedes, ad vnum milliarium a ripa Danubii: sita est in planitie, omnibus commeatibus, maxime piscibus, copiosa. Narratum mihi est, a fide dignis viris mille circiter pisces lupos, siue lucios, mistos carpionibus, quorum longitudo mediam vlnam, breuitas vero, vnam palmam non excesserit, hoc, in aliisque locis ei vicinis, vno ducato emtos fuisse, & nunc quoque, pro temporis conditione, emi posse. Tum ad ostia fere Tibisci, in Danubium se exonerantis, est Titvlivm Præpositura, olim reditibus quatuor millium ducatorum diues: deinde *Kysdy*, *Cabol*, & aliæ plurimæ arces, partim in ipsa ripa Danubii, partim non procul sitæ.

Colocia, *Archi-Episcopatus : Báczia, sedes Colocensis :*

Titulium *præpositura.*

§. *V.* In his, inter Danubium & Tibiscum, locis, ad Septentrionem *Campus* est *Cumanorum*, in quo *Cumani* per sedes, siue, vt ipsi vocant, sessiones diuiduntur. Inter quas sunt vici, *Halás*, & plerique alii, regio fisco addicti. Alunt pecora, & equorum greges, ex quibus opes, non paruas sibi comparant: aquæ, & lignorum sunt inopes; nisi quod ad aquandum pecora, puteos, non a) sapidam præbentes aquam, effodiant. Ager, non vllius leguminis commodius ferax, quam peponum. Ad ignis vsum, vtuntur arundinibus, fimo b) animalium, & modicis lignis, procul aduectis. Supra quos in orientem, aliquot milliarium interuallo, dissitus est alius tractus campestris, perpetuo campo, qui *Báchiensis* regio appellatur: in qua, multa sunt oppida, quorum descriptionem, breuitatis caussa, consulto prætereo; quia non est animus, totam nunc Hungariam depingere; sed eius saltem situm, & nonnullorum locorum positionem. Hic tra-

*Campus Cumanus :*

*Regio siue tractus Báchiensis.*

z) Quale chorearum genus fuerit, nemo nos docere potuit hucusque: tametsi recordentur, aliqui prouerbiorum: *Miskóltzi Tántz*; item, *Tántzos Miskóltziak.*

a) Putrescunt nonnunquam, & scatent vermibus, non tam laticis vitio, quam neglectu. Nam, vbi frequenter hauriuntur, vigescunt, & sunt potui haud inutiles.

b) Bubulum stercus est, recens illud, & stramini illitum, postea ad solem duratum, & ignis tenax.

tractus, tritici, frumenti, leguminumque, quam aliarum rerum, eſt feracior. Vino vtuntur accolæ *Sirmico*, a quo, Danubius interfluens, eos dirrimit. Naſcuntur hic, equi, & velocitate, & fortitudine, non contemnendi; ſed quod magna ferant capita, vulgi dicteriis, pene ridiculi.

## CAPVT DVODECIMVM.

## *De Hungaria Trans-Tibiſcana.*

QVarta illa HVNGARIÆ pars, quæ vltra Tibiſcum eſt fluuium, PTOLEMÆO *c)* referente, olim *Dacia* appellabatur. Hæc, ad Septentrionem, Sarmatiæ partem attingens, a Carpato monte, vſque ad flexionem Tyræ fluuii, porrigitur. Ab Auſtro vero Danubio, vbi Iſter vocari incipit, ab occidente Tibiſco, & Jazygibus Metanaſtis, terminatur. In ea ſunt prouinciæ: *Valachia* magna, quæ & Transalpina vocatur. *Moldauia*, *Tranſyluania*, *Maromaruſium*, *Sámosköz*, *Kéresköz*, *Nyir*, & *Temesköz*. *Tranſalpina*, quæ olim a *Flacco*, qui coloniam Romanorum eo deduxerat, *Flaccia* vocata eſſe dicitur, ab alpibus, quibus a Tranſyluanis disjuncta eſt, incipiens, ad Euxinum fere pelagus extenditur. Terra plana aquarumque indiga. A Septentrione *Roxanos*, qui nunc *Rutheni* vocantur; ad meridiem Hungariæ eam partem, quæ arcem *Temesvár*, & campum Maxons reſpicit; ad orientem vero *Danubii* flumen, Myſiam inferiorem, ab ea diuidens, contigit. *Tranſalpinia regnum.*

§. *II.* Huius Princeps *Vajuoda* appellatur, opibus, & imperio potens; qui ſedem habet in ciuitate *Tragauiſtya*. Dum exigit neceſſitas, ad quadraginta hominum millia armatorum conſcribere, & in aciem deducere, intra ſuos fines, poſſe dicitur. Subditus eſt Regi, cui per legatos præſtat iuramentum fidelitatis ſeruandæ. In hac prouincia, a maiorum noſtrorum temporibus, ad noſtram ætatem, duæ fuerunt familiæ, in initio ex eadem domo ortæ; altera *Dana*, a *Dano* Vaiuoda, altera, a *Dragula*, *Dragulana*: quarum etiam *Aeneas Syluius*, in Europa capite ſecundo meminit. Ex his, legitimi *Vajuodæ* creantur, nunc Regis noſtri, nunc Turcarum Cæſaris, promoti viribus. *Vajuodæ ſedes & potentia: Duæ, in Tranſalpinia factiones:*

§. *III.* JOANNIS HVNYADIS, Vaiuodæ Tranſyluani, poſtea vero Gubernatoris Hungariæ tempeſtate, *Dragula* Vaiuoda *d)* partim interfectis, partim expulſis his, qui e *Dani* erant ſanguine, Regnum occupauerat. *Mamzillæ*, ab Argyes, ex vxore *Marina*, eiuſdem *Joannis* Vaiuodæ ſorore, *e)* duo erant inter alios filii: vni nomen fuerat Stantzul, qui *Danum*, & *Petrum* filios ſuſcepit; alteri *Stojam*, hoc eſt *Stephanus*. Is me, & Matthæum, filios; Vrſulam, & Helenam filias genuit. Potitus igitur rerum *Dragula*, Stantzulum patruum meum inſidiis inter- *Oláhi genus: Dragulæ Vayuodæ tyrannis.*



*c)* Lib. III. Cap. VIII. p. 44. b.

*d)* DRAGVLARVM, ſiue *Dracularum*, facinora pœnaſque, legeſis, apud BONFINIVM, Decad. III, Lib. VI. extremo; & Libro VII. p. 469, 2. Item, Decad. eiuſd. Lib. X. p. 532, 39.

*e)* Ergo, ab inuidis, dubitationem, de illuſtri adeo OLAHI genere, motam fuiſſe oportuit: nobis ſummi viri, potior eſt fides, quam eius æmulorum.

terceptum, ſecuri percuſſit. *Stephanus* vero, puer adhuc, Deo ſibi propitio, illius euadens tyrannidem; confugit ad Matthiam regem: qui, vt ab ipſomet patre, & *Joanne Bornemiſza*, ac *Ambroſio Sárkán*, Comitibus in Hungaria, qui cum patre, vna ſub rege militabant, poſtea audiui, decreuerat eum ſæpe numero, ad regnum, cum exercitu reducere; ſed pater videns rerum mutationes, quæ imperii gratia illic fiunt, periculoſas eſſe; maluit in Tranſyluania matrem meam *Barbaram Hunzár* ducere vxorem, vitamque agere priuatam, quam in tyrannide & imperio, mille periculis ſubiecto, inſtar maiorum ſuorum, interfici.

§. *IV.* Succedente deinde tempore, *Myhnæ*, propingua nobis iunctus ſanguinis neceſſitudine, vtpote ex *Danorum* natus gente, vir conſilio magnus, & manu ſtrenuus, Vayuoda creatur. Qui cum circa annum milleſimum quingenteſimum decimum, a nato Chriſto, cum vxore, & *Mirtze* filio, ac filia, poſtea per Vayuodam Moldauienſem (vt accepi,) ducta vxore, a Bojaronibus perfidis, coniunctis Turco, fuit regno pulſus; data ei per regem *Vladislaum*, Ludouici patrem, publica fide, ad Cibinium Tranſyluaniæ ciuitatem confugit. In qua, non multo poſt tempore, dum quodam die ex templo, a Patre meo, & Joanne Horuáth a Vingaris, honoris cauſſa ad hoſpitium deduceretur, quidam *Demetrius Jaxith*, natione Raſcianus, ex inſidiis ſubito erumpens, eum incautum, nihilque mali, ſub fide publica, metuentem, tribus aut quatuor vulneribus, inter fere manus deducentium, & magnum numerum iuſſu eiuſdem, *Myhne*, ne videretur publicæ fidei diffidere, inermium aulicorum, confodit. Hic quoque perpetrato facinore, ad hoſpitium propinguum, magno tumultu, & plebe, propter regiam & publicam fidem violatam, in furorem concitata, a quodam, e plebea multitudine, quæ ædes oppugnabat, bombarda petitus, miſerabiliter periit.

*Mors* Myhnæ *Vayuodæ violenta*:

§. *V.* Hæ duæ familiæ, in hunc diem mutuo confligtantur. Quælibet omnibus curat viribus, e ſua familia creari Vayuodam, nunc Turcarum, nunc Hungarorum auxilio. Qui potentior eſt, alium non modo aduerſæ factionis; ſed etiam ex ſua familia hominem, de imperio ambiendo ſuſpectum, interficit, captumque, ſæpe naribus, aut aliis membris, truncat. Quod cum ſæpe alias, tum nuper contigit. *Petrus ab Argyres*, Stantzulis filius, de quo mentionem feci, Patruelis meus, ſcripſit ad me *f*) his diebus, ex Hungaria, ſe creatum fuiſſe in Transalpina Vayuodam, per Mahumetum Imperatoris Turcarum Baſſam: & quum regno præeſſet, miſſum eſſe, aliquo poſt tempore, a Turca alium, aduerſæ factionis, cum exercitu, qui ſe expulſo, regnum occuparet: ſe vero, inter duos exercitus, cum hoſte, ſingulari congreſſum certamine, illumque a ſe vulneratum equo deieciſſe: quem, dum interficere vellet, Barones Tranſalpinæ, qui ſua lingua adiectis duabus litteris *Boiarones* *g*) vocantur, perfidia vſi, victum liberaſſe, & ſe cepiſſe, par-

*Petrus, Stantzulis filius*:

*f*) Bruxellis, apud *Batauos*, agebat, dum hæc ſcriberet, Olahvs.

*g*) Sarmatica vox eſt *Bojar*, a *Boj*, quod pugnam ſignificat, ducta, & his, cum nobilitari prærogatiua, ad tributa, qui ſe viros in bello præſtiterunt: quæ apud eas gentes, vnica fere nobilitatis origo fuit.

parteque narium truncata, expulisse: sperare tamen se in Dei clementia, quod expulso hoste, ignominiam acceptam, armis vindicaturus, regno, virtute potiatur. Ita spes hominem trahit, rerumque humanarum conditiones, mutari consueuere. Sed, vix alicubi tuta esse potest regni societas, multo minus in *Transalpina*, nostra ætate, iam pro maiori parte, Turcarum tyrannidi subiecta. *Valachi*, Christiani sunt; præterquam, quod Græcos sequuti, in Spiritus Sancti processione, & quibusdam tolerabilioribus articulis, ab Ecclesia nostra dissentiant. Hæc obiter volui inserere, vt mores Transalpinorum essent cognitiores.

## CAPVT DECIMVM TERTIVM.
### *De Moldauia.*

MOldauia regio, ab oriente coniungitur Transalpinæ; ad Septentrionem, occidentem versus Polonis; ad Boream, interposita Podolia, non longe absunt a Tartaris, qui vicini sunt Ponti *b*) Mæothidis. Eius etiam regionis Princeps vocatur *Vayuoda*, non tantis mutationibus periculosis, quam Transalpini, obnoxius. Haud aliter tamen hic quoque, quam ille, iuramentum præstat Regi Hungariæ, fidelitatis exhibendæ. Qui, vt in fide permaneant, liberalitate Regum Hungariæ, in Transyluania aliquot arces possident. Lingua, ritu, religione, eadem *Moldaui* vtuntur, qua Transalpini; vestitu, aliqua saltem ex parte differunt. Judicant se, Transalpinis esse, & generosiores, & magis strenuos; equis præstant. Sæpius a Rege Hungariæ defecerunt; sæpius cum Polonis bellum gessere. Ad quadraginta, & vltra, millia armatorum hominum, dicuntur cogere posse. Sermo eorum, & aliorum *i*) Valachorum, fuit olim Romanus, vt qui sint coloniæ Romanorum: nostra tempestate, maxime ab eo differt; præterquam quod multa eorum vocabula, latinis sint intelligibilia.

*Moldauia regnum.*

## CAPVT DECIMVM QVARTVM.
### *De Transyluania.*

TRansyluania, vndequaque cincta est altissimis alpibus, ex ea maxime parte, qua a Transalpinis secernitur: vno saltem ex latere, quo Septentrionem, & Moldauos respicit, patentiorem habet aditum. Ex Hungaria, tres ad eam patent viæ, hæque difficiles & salebrosæ. Vna appellatur via *Mezes*, ex ea parte, qua *Sdmos*; alia *Keres* dicitur, qua Keüres; tertia *Porta Ferrea* dicitur, qua *Maros*, labuntur flumina. Ex Transalpina, angustus & arduus est ingressus. Hanc ob rem, Turcæ, qui hinc inuaserunt Transyluaniam, magnam sæpe a parua manu, accepere cladem. Facilius ex Transyluania, quæ triginta vel circiter, milliaria Hungarica longa est, & lata fere totidem, aut paullo minus,

*Transyluania regio.*



*b*) Malim legere: *Paludi Mæotidis.*

*i*) De Valachorum Lingua, vide, Lavrentii Toppeltini, Origines & Occasus Transylu. Cap. VIII. Et, de Valachorum Origine, Cap. VI. *Lugduni*, A. 1667. forma duod.

minus, totam Hungariam ſubigere poſſis, quam ex Hungaria Tranſyluaniam. Nam, itinera eius, roboribus ſuccisis, facile coarctari poſſunt.

*Gentis habitus: Regionis ingenium:*

§. *II.* Gens adhæc, membris bene compacta, bellicoſa, armata, & equis robuſtis bonisque prouiſa. Regio tota, nunc planitiem, nunc ſyluas, alternatim habet: aquarum diuortiis, flexionibusque, vt paullo poſt dicemus, interſecta, agri fertilis: vini ferax, auri, argenti, ferri, aliorumque metallorum, præterea ſalis plena; bouum, ferarum, vrſorum, piſcium abundantiſſima; vt naturam accuſare non poſſis, quin omnia vitæ commoda, in eam contulerit regionem.

*Quatuor in Tranſyluania nationes:*

In hac ſunt, quatuor diuerſo genere nationes: *Hungari*, *Siculi*, *Saxones*, *k*) *Valachi*: inter quos, ineptiores bello putantur *l*) *Saxones*. HVNGARI, & SICVLI, eadem lingua vtuntur; niſi quod Siculi quædam peculiaria gentis ſuæ habeant vocabula: de quibus, in fine operis latius dicemus.

*Saxonum Tranſyluanorum origo.*

SAXONES, *m*) dicuntur Saxonum Germaniæ eſſe coloniæ, per *Carolum Magnum* eo traductæ: quod verum eſſe arguit, linguæ vtriusque populi conſonantia. *Valachi*, Romanorum coloniæ eſſe traduntur. Eius rei argumentum eſt, quod multa habeant communia cum idiomate Romano, cuius populi, pleraque numiſmata, eo loci reperiuntur; haud dubie, magna, vetuſtatis imperiique Romani, iſtic indicia.

*Flumina Tranſyluaniæ.*

§. *III.* In hac Tranſyluania, Sajó, Sámos, duo Keüres, olim *Cuſus* dictus, albus & niger: Marus, qui olim *Amoriois*, *Mariſus*, vel *Moroſſus* vocabatur: Aranyas, Kikleő, Ompay, & Biſtricia flumina, oriuntur. Quæ poſtea diuerſis aucta fluuiis, tam intra, quam extra Tranſyluaniam, maiori eorum parte fiunt nauigabilia.

*Sajó:*

*Sajó*, in finibus Siculiæ, Septentrionem verſus, ortum habet; qui, mixtus primum *Biſtricia* amne, ciuitatem, & opibus & ciuium multitudine, ſatis potentem alluente, ſupra oppidum *Deés*; in cuius montibus ſal foditur;

*Sámos:*

*Sámoſum* fluuium, ex radice alpis *Kalata*, ad meridiem ſitæ, ſupra oppidum *Váſárhely* ortum, admittit. Hinc, inter duos montes arduos decurrens, Tibiſco, ſupra vicum Naddi, *n*) miſcetur. Inter fontem Sámoſi, & alpes Valachorum, ſunt: *Gyalu*, *Almás*, *Iklod*, *Némethi*, *Alpreth*, *Kereſztúr*.

*Albus Kőrős:*

Inter has ipſas alpes, exurgit etiam *Albus Keüres*, qui in anguſtiis montium, crebris reflexionibus gyrisque, vt non ſecus, quam ſæpius reuerſus, vno die quindecies circiter tranſmeetur, cum magno inter ſilices ſtrepitu, primum pagum Feketeteü, tum extra Tranſyluaniam, Reüv & Thelegd arces, deinde Varadinum ciuitatem præterlabens, recta meridiem verſus decurrit, admiſſoque *Nigro Keüres* fluuio, in Tibiſcum exoneratur.

*Niger Kőrős: Eius Fons:*

Huius nigri Keüres fons, in Siculia fertur ortum habere, non procul a Gergya. Hinc, acceptis aliis riuulis, eodem fere tractu ortis, ad viſcera penetrat Tranſyluaniæ: vbi non longe a *Gherend* oppido, duos facit alueos; altero flectitur occidentem verſus, & penes oppidum *Thorda*; in cuius montibus ſal

*k*) Non ſunt inter nationes Tranſiluaniæ cenſendi *Valachi*, ex hodierno prouinciæ habitu: quod norunt Iuris Publici periti.

*l*) Aliter legas, apud BONFINIVM, Decad. IV. Lib. VI. p. 614, 29. vbi, Saxones, loco difficillimo, primas, in pugna partes, ſibi viriliter depoſcunt.

*m*) Eleganti compendio exhibet TOPPELTINVS, doctorum, de *Saxonum* originibus, controuerſias, loco cit. Cap. III.

*n*) Rectius, ad *Számosſzeg*, vnde & vici nomen.

ſal eſt; delabens, *Aranyas* vocatur. Hic fluuius, quod de *Tágo* Hiſpaniæ, & *Pactolo* Lydiæ ſcribitur, aureas vehit arenas: qua ex re, illi nomen hoc eſt inditum, *Aranyas*, o) id eſt, aureus. Hinc excurrens, inter alpes, alluit oppidum *Keresbánya*, vbi nomen *Keüres* accipit, longoque poſtea fluxu, miſcetur *Albo Keüres*. Altero ipſius alueo, orientem verſus vehitur, nomenque accipit *Maruſi*, atque admiſſis ſuper *Albam Juliam*, (quæ ſedes eſt Epiſcopi Tranſyluanienſis, Eccleſia Cathedrali, multisque opulentis ſacerdotiis, ac ſepultura *Joannis Hunyadis* inclyta) *Kikeülö*, *Ompay*, & aliis fluuiolis, ſui partem, ad *Aranyas*, veluti inſulam faciens, transmittit. Alia autem ſui parte, oppida, *Vyncz* & *Borberek*, dirimens, meridiem verſus, inter oppidum *Zázváros*, & *Rapolth*, (a quibus ſpatio duorum milliarium, *Hunyad* arx fortiſſima, ſub radice montis meridionalis ſita diſtat,) haud procul a *Demia*, arce in altiſſimo monte condita, penes *Kapronczam*, & *Váralyam*, inter montes vtrinque eminentes, qui riuulos illi infundunt pleroſque, labitur; deinde prætergrediens *Lippam* arcem, *Orodium* Præpoſituram & Eccleſiam collegiatam, *Nagylak* arcem, ad *Zegedinum* oppidum, *Tibiſco* miſcetur.

*Aranyas fluuius:* *Ciuitas Aba Iulia, ſedes Epiſcopi.* *Hunyad, & Demia, arces:* *Zegedinum oppidum.*

§. *IV.* Inter hos alueos, qui ſpeciem inſulæ præbent: ſunt, Gherend, Sanctus Rex, Szék; vbi ſal effoditur; Detzeh oppidum; vbi naues ſale onerantur; Toroczko, Diód arx, & oppidum Lupſa, Ketzkerotth, Somkerék, Bontzida, Ludas, Kolos; vbi ſal e montibus extrahitur; *Kolosvár*, Teutonice Clauſenburg, quæ olim *Zeugma* fuiſſe traditur. Ciuitas, & ſitu, & opibus, & rerum omnium copia, mercatoribusque inclyta. Abbatia *Coloſmonoſtor*, *Thorda* oppidum; penes quod ſimiliter ſal ſcinditur; & multa alia. Vltra diuiſionem dictorum alueorum, ſub Siculia, intra alpes, quæ orientem verſus *Transalpinæ* imminent, & quibus ad meridiem Tranſyluania, ab Hungaria diſiungitur, ſunt oppida: Regen, Vásárhely, Zakad, Terem, Nagylak, Saaros, Vduarhely, Réhalom, arx Kikeleü, non minus munita, quam amœna. Ciuitates: *Megyes*, ſitu & arte munita, ac vſui hominum commodiſſima; altera ciuitas, *Braſſouia*, ſiue *Corona*, ante *Zermigethuſa p*) appellata, ad fines Tranſyluaniæ, orientem verſus ſita eſt, tum munita, tum ciuium, & mercatorum frequentia, celebris, victu vero commoda. Adhæc, Tranſalpinorum, & aliorum externorum hominum emporium. Huic vicina eſt arx *Thertz*, fortiſſima, clauſtrum veluti, & porta Tranſyluaniæ, quæ Tranſalpinis eſt introitus, in aſperrimo loco ſita.

*Kolosuár ciuitas:* *Thorda oppidum:* *Braſſouia ciuitas:* *Thertz arx.*

## CAPVT DECIMVM QVINTVM.

### *Continuatio Deſcriptionis Tranſyluaniæ.*

HInc ſunt ſeptem Ciuitates, quas *Sedes* vocant *Saxonicas*: Cibinium, Sázſebes, ſiue Millembach, olim Sabeſus, Segeſvár, Saſváros,

*Septem ciuitates, ſiue Sedes Saxonicæ.*



o) Igitur, concordat, cum veterum *Chryſio*, vocabulum: quod itidem ab auro petitum eſt.

p) Videndus de hac vrbe eſt, ne antiquiores ſollicitemus, STEPHANVS ZAMOSIVS, Analectorum Lapidum Daciæ, Cap. V. p. 33. Prodiit libellus PATAVII, A. 1593. forma duodec. mai.

város, ſiue Broſz, Vyntz, Bertalom, & Holtzonia. Harum quarumlibet præfecturam; quæ *Iudicatus Regius* vulgo vocatur, Rex confert. Subſunt his ſingulis, multa oppida & vici.

Cibinium *ciuitas.* §. *II.* CIBINIVM, *q* ) caput ſeptem Sedium Saxonicalium, qua orientem & meridiem reſpicit, in colle; qua vero alias plagas, in ipſius collis lateribus exſtructa eſt. Fons eſt in loco vrbis editiore, ex quo aqua, per canales eo ducta, in labrum decidit: hoc magna incolarum pars vtitur. Qua ab occidente intratur, in loco vrbis humiliore, admiſſum eſt brachium *Cibini* amnis, qui pleno alueo extra mœnia delabens, in fluuium *Altum*, complures riuulos, ex ſeptentrionalibus Siculiæ plagis ortos, prius admittentem, non procul a turri rubra, exoneratur. Hoc brachio, molæ frumentariæ, & aliæ intra mœnia, ad ciuium vſum fabricatæ, aguntur. Magna eſt hæc vrbs, atque potens, & non ſolum magnificis ædificiis decora, ſed omnibus negotiationibus, aliiſque rebus florens. Adhæc, munitiſſima præter mœnia, quæ & lata ſunt, & turribus crebris robuſta, foſſa ex omni parte, præterquam ab oriente, aquatica, & lata, & profunda, circumducta eſt. Quam extrinſecus, in omnem vrbis partem latiſſima & altiſſima viuaria, in triplicem & quadruplicem ordinem, alicubi ad vnum fere Italicum milliarium, circumcingunt: ob quæ, non patet aliunde hoſtibus ad mœnia acceſſus, quam per vias, quæ ducunt diuerſis e regionibus, ad vrbis portas. Hæ quoque vallo, clauſtris & aliis munimentis ſatis firmatæ ſunt, vt vix alia ratione expugnari vrbs poſſit, præterquam inedia, aut ciuium negligentia, vel diſcordia: quibus potentes ſæpe vrbes, periclitatæ fuere. Non procul hinc ad radicem alpium, quæ ſunt Tranſalpinam verſus, eſt turris fortiſſima, ſub ditione Cibinenſium exiſtens, quæ *Rubra* vocatur. Hac Turcæ, per ardua alpium itinera ſæpe inuaſere Tranſyluaniam, cum maxima ſui clade.

§. *III.* A Cibinio, non longe diſſitum eſt oppidum Vizakna, prope quod ſal effoditur. Ciuitati ZAZVAROS; cuius præfectura, nobis hæreditaria, *Matthæus Oláhus*, frater fungitur, in loco amœno & fertili ſita, & propter propinquum illi flumen, ad incolendum commoda; ſubeſt ad vnum milliarium, ſeptentrionem verſus, vicus quidam, cui nomen eſt *Kenyér*, latine *Panis*. Huic adiacet campus eiusdem nominis, *r* ) planus longeque diffuſus: qui memorabilis eſt, Turcarum & Hungarorum quoque, magna internecione. MATTHIÆ regis tempeſtate, dum *Stephanus Bathoreus* Tranſyluaniæ præeſſet, Turci, duce *Balibego*, alpibus ſuperatis, numero, vt traditur, ſexaginta millium equitum, inuaſere Tranſyluaniam. His *Stephanus*, coactis ſubito omnibus, quæ potuere, Tranſyluaniæ copiis, accerſito etiam in auxilium, *Paulo Kyniſy*, Comite Temeſienſi, præter Turcarum ſpem, in eo campo occurrit: vbi vtrinque, tanta comiſſa eſt cædes, vt riuulum,

*Campus Kenyér.* (margin)

*q* ) Eſt & in Hungaria, CIBINIVM, ſeu *Sibinium*, Comitatus Sároſienſis, Libera Regiaque Ciuitas, cum hac Saxonum Tranſyluaniæ Metropoli, haud confundenda: de qua ſupra, p. 21.

*r* ) Hungaris, *Kenyér-Mező.* Pugnæ hiſtoriam, legere eſt apud BONFINIVM, Decad. IV. Lib. VI. p. 614. ſequent.

uulum, qui in campi medio labitur, sanguine mixtum fuisse, ab his, qui prælio interfuere, audiuerim. *Balibegus*, cum paucis, per alpes, difficulter euasit: nostrorum maxima pars interiit. *Stephanum Bathoreum* Vayuodam, equus ab hostibus vulneratus deiecerat, qui tamen adiutus a suis, incolumis euasit: in eo, quo deciderat loco, sacellum postea ædificauit. Huius rei, perpetuum monumentum, Episcopi Transyluani eius temporis, ducenti equites cataphracti, in ea pugna desiderati sunt. Ad horum corpora conquirenda, ipsemet profectus, ea, *Albam Juliam*, quæ tribus circiter milliaribus ab eo distat campo, cum pompa funebri reduxit. Tanta fuit boni huius viri, erga suos, in defensione ab hostibus patriæ, trucidatos pietas.

§. *IV.* Census habent *Saxones*, statutos, quos Regi conferunt. Sæpe tamen, maior legitimo ab eis exigitur. Agriculturæ, & aliis laboribus sunt mirum in modum dediti; fœminæ perinde opus faciunt, ac mares, quæ patientissimæ sunt laborum. His ex caussis *Saxones* opulenti sunt, hospites honorifice excipiunt, & lautissime tractant. *Saxonum indoles.*

§. *V.* Fogaras, arx munitissima, ad radices alpium, quæ Transyluaniam, a Transalpinis diuidunt, condita: riuulis, qui ex alpibus delabuntur; in queis truttæ sunt, & alii pisces delicatiores; aliisque rebus amœna. Hæc arx est, veluti quidam paruus *s*) *Ducatus.* Subiecti sunt ei etiam Bojarones Valachi, qui arcis dominum obseruant, vt Principem. *Fogaras arx.*

## CAPVT DECIMVM SEXTVM.

## *De Reliqua, vltra, & infra Tibiscum, Hungaria.*

SVpra *Sámos* fluuium, qui, vt ante memorauimus, inter duos montes, in occidentem primum labitur, ad montes septentrionales est oppidum, Rivvlvs Dominarvm, *t*) circa quod auri, argenti & aliorum metallorum sunt fodinæ. Ad septentrionem inter ipsum *Sámos* fluuium, & fontem *Tibisci*, est Maromarusium; in quo prope *Róna* oppidum sunt salis fodinæ, ex quibus sal perinde atque saxa in lapicidinis, ferro excinduntur: quæ, cum arce *Husszt*, *Vysk*, ac oppidis his subiectis, pertinent ad reginas Hungariæ, iure donationis propter nuptias. In hoc tractu sunt Zigeth, Váralya, Medyes, Egry, Paled, Forgola, Vári, Selenus, Dolha, Salak, & multa alia oppida. *Riuulus Dominarum, oppidum: Maromarusium Comitatus:*

§. *II.* Hinc meridiem versus occurrit Sámos-Keüze, inter Sámos, & Keüres fluuios. Sunt hic oppida: Zehota, Zathmár, Némethi, Darócz, Domanhida, Karol, Báthor, Sancta Margaretha, Belthek, Zékel- *Sámos-Keüz regio:*



*s*) Terra Fogaras, in diplomatibus audit; in titulis, inclutæ gentis Comitvm Nadasdy, relata: quibus iuribus, alibi dispiciemus.

*t*) Nomen latinum, inde traxit originem, quod *Dominarum*, seu *Reginarum* olim fuerit, vna cum metallorum reditibus. Hungari, a fodinarum, siue amplitudine, siue prouentu diuite, *Nagy-Bánya*, vocauerunt. Censetur in Liberis Regiisque ciuitatibus.

Zékelhida, Zalárd, Isthar; infra quæ, orientem versus, est ciuitas VARADINVM, sedes Episcopi, Ecclesia Cathedrali, sepultura Diui LADISLAI Regis miraculis clari, & SIGISMVNDI Imperatoris inclyta: in qua, diu noctuque, ex eiusdem Cæsaris fundatione, Psalmi Dauidici, ad eius tumbam, mutatis per vices personis, concinuntur. Arx huius conspicua est, tum statua equestri, *Diui Ladislai* ærea, ingentis molis, tum ædium magnificentia, quas *Sigismundus Turzo Episcopus*, meus olim nutricius, ædificauerat. Ciuitatem eiusdem nominis, a septentrione *Keüres*, pleno alueo intersecat. A meridie, supra arcem, exoneratur ad fluuiolum Petze, brachium ipsius Keüres.

*Ciuitas Váradiensis.*

§. *III.* Hinc sunt vicina: Pőspeky, Bihorium, Kereſztes, & pleraque oppida. Occidentem versus, latissimi sunt campi, alendis pecoribus commodissimi. In queis est oppidum DEBRECZEN, *u*) ciuium opulentia, sex nundinis annuis, pecorum mercatura, & aliis rebus, insigne. Inferius sunt: Angelháza, Nádudvar, Ostupal, aquæ & lignorum indiga. Vtuntur accolæ in fomentum ignis, arundinibus, cespitibus, & lignis, procul eo aduectis. Inter hos mihi fuit cognitus, quidam ciuis, cuius nomen erat, *Caspar Biró*, qui *decem* circiter *millia x*) boum sæpe alebat venalia. Hinc versus ostia Keüres, in Tybisci ripa: Bala, Sanctus Nicolaus, Varsán; in aduersa ripa Keüresii: Sanctus Andreas, Alba Ecclesia, Bekyn. Inter vtramque *Thúr* oppidum.

*Debreczen oppidum.*

*Thúr oppidum.*

§. *IV.* Inter duos Keüres, qui tractus *Kereskeüz* vocatur, est arx, Fekete Báthor, Ireg, Chesa, Zudan, Mezeügyan, Keleſér, Gyarmad, Sarkád oppida. Hinc magis ad orientem, arx munita *Gyula*, Bezely, Theleky, Miske, Talpas, Félthóth oppida. Quæ inter Nigrum Keüres, & Maros fluuios, Septentrionem versus sita est regio, Nyrkeüz vocatur. In ea sunt arces: Solymós, Lyppa, tum Pankotha, Zarád, Kerék: tum ad meridiem tendunt oppida: Simánd; vici: Paly, Kouwátsháza, Perek, Bozzás, Sanctus Ladislaus, & alii plerique.

*Gyula arx.*

*Solymós, Lippa.*

## CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

## *De Prouincia Themesiensi, & huius vicinia.*

EX rupe, quæ oppido *Karansebes* imminet, oritur amnis *Themes*, qui adluens castellum & oppidum *Lugas*, cuius incolæ sunt fere omnes equites, militiæ dediti, ac *Possa* meridiem versus attingit: *Themesvár* arcem fortissimam ab ipso amne ita denominatam. Hæc arx obstat Turcis, ne a Samandria pertransito Danubio Temesium, traiicere, ac Hungariæ fines inuadere possint. Locus populosus, & omni genere comeatuum maxime piscium, copiosus. Hic amnis, per latissimos primum defluens campos, partim in Danubium sese euomit, medio inter Samandriam, & Taururum, siue Belegradum, a Septentrionali fluminis ripa, interstitio; partim, non nihil ad occidentem, factis

Themes *amnis*:

Themes-vár *arx.*

*u*) Anno MDCCXV. Artic. CVIII. in Liberis Regiisque vrbibus relatum.

*x*) Nolim summo viro fidem derogari; numerus tamen hic, maior videtur, quam pro hominis priuati opibus. Ergo, copiosum adeo armentum, integræ societatis fuit, cui *Biró* iste, qua ditissimus, forte præfuerat.

factis aliquot infulis, conuerfus, prope Titulium orientali Tibifci ripæ fe infundit; ficque, fui partem in Danubium quoque perducit. Inter hunc Temefium, & Maros fluuium, quæ fita eft regio, *Themeskeüz y)* vocatur. *Themeskeüz regio.*

§. *II.* In ripa occidentali Themefy funt: Garád, Tzona, Belegza, Czokoan; occidentem verfus funt, ex ordine: Bizere, Zeüdy, Zeündlin, Egres, Sanctus Michael, CSANADIVM Epifcopatus, Ecclefia vetufta, & loci commoditate fpectabilis; Zombár, Deesk, Zeüurek; mediteranea vero: Zetzen, Zakan, Kenetz, Horogfzek, Zenthel, Drozlan, Monofthor, Czóka. Magna eft in hoc tractu pifcium copia, quam facit trium fluminum pifcoforum propinquitas. *Cornelius Duplicius Scepperus*, eques auratus Cæfaris CAROLI a fecretis, & confiliis, quocum mihi eft, ob eius virtutes, arctiffima familiaritas, dum anno exacto, apud Turcarum Imperatorem legatione functus, per Hungariam, hoc itinere huc ad Belgas rediiffet, inter alia noftra amica colloquia, interrogatus a me; equid de *Hungaria* ei videretur; dixit: fe reuertiffe per hunc tractum Temefienfem, defertum quidem, & nunc vaftatum a Turcis, fed pifcibus abundantem. Temefium fluuium fe vidiffe, præ multitudine pifcium, veluti nigricantem & turbidum. Quendam etiam molitorem, fuum immerfiffe flumini rete, & veluti e viuario quopiam, tantam exhaufiffe pifcium z) multitudinem, vt rete vix eos continere potuerit. Qui ex eo numero omni, non plures, quam vnum delegiffet pifcem, aliis maiorem, cæteros proieciffet, in continentem: quo facto, fe molitori non parum fuccenfuiffe, propter tot optimorum pifcium iacturam. *Cfanadium Epifcopatus.*

§. *III.* Inter hunc *Temefium* flumen, & *Danubium*, eft campus, qui *Maxons* appellatur, in cuius medio filuofo arx eft, *Erfomlyo*, alia item Temefvár verfus, campeftris arx, *Somlyó* cernitur. In hoc vafto campo, a Temefvár arce, vfque ad ripam Danubii, e regione cuius *Samandria*, arx Turcarum ad meridiem fita eft, in latitudinem duodecim & amplius milliarium Hungaricorum protenfa, fæpe vifus effe dicitur grex ceruorum, ceruarum & damarum, trium quatuor & plurium millium. Quarum venatio, nec noftris tuta eft a Turcis, nec illis a noftris, præterquam cum trecenti pluresue egreffi fuerint equites. E regione Samandriæ, in ripa Danubii feptentrionali, funt ex ordine ad Boream: Kevyni, Dombó, Haram, Buthotzin, Sanctus Ladislaus, Peth, iam a multis annis per Turcas occupatæ. *Campus Maxons: Ceruorum multitudo.*

§. *IV.* Hinc SEVERINVM, arx infra Traiani pontem, cum tribus aliis Orfoua, Peth, Miháld, illis fubditis. Harum præfectus vocabatur BANVS, magiftratus inter noftros magni nominis. Sedecim, vel circiter nunc aguntur anni, quod hunc *Banatum* incuria noftrorum amiferimus. Non procul a Seuerino, fons dicitur fcaturiens, quem accolæ *Sanctæ Crucis* nominant: cuius aquam, multis accepi conferre corpo- *Seuerinum arx: Et Banatus: Fons Sanctæ Crucis.*

H 2 ris

y) Ita Hungari adpellant, regiones amnibus interfitas, fiue infulæ fint, fiue peninfulæ. Tale fuit nomen: Sámos-Kőz; Kőros-Kőz; & citeriore vlterioreque Hungaria. Cfalló-Kőz; Rába-Kőz, Mura-Kőz, *reliqua.*

z) Haud vero perpetua eft hæc, feu in Tibifco, feu in reliquis Hungariæ fluuiis, pifcium copia. Peregrinantur non raro, & nunc in hunc, nunc in alium amnem fe infundunt: quod nos rerum iftiufmodi curiofi, docuerunt.

ris languoribus; nihil immundi intra ſe continere, mortuorum animalium cadauera, experiendi gratia eo proiecta, paulo poſt eieciſſe; faces, neſcio quas, ardentes, noctu iſthic videri. Has ob res etiam Turcis, fontem in magna eſſe veneratione. Hæc ego olim audiui, a ſeruis *Barnabæ Belay*, Bani eius loci, penes quos fides rerum habetur.

*Pons Traiani Imperatoris:*

§. *V.* Pons TRAIANI, *a*) cuius mentionem fecimus, magnificis exſtructus fuit operibus. Quod licet, ex his, DIONIS CASSII, quæ ſubieci, verbis cognoſcere: „Per ea, *inquit*, tempora, Traianus lapideum pontem in Iſtro fecit, opus ſane mirandum, & maxime memorabile, cui cætera illius opera vix adæquare poſſis. Viginti ſtant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo centum & quinquaginta pedum, præter fundamenta habetur: latitudo ſexaginta pedes continet: diſtant inter ſe, centum & ſeptuaginta pedibus, fornicibus vero coniunguntur. Impenſa profecto ingens, & vix credibilis. Sed illud mirari conuenit, quanam ratione, & quibus viribus, quoue artificio in illa gurgitum altitudine, tamque præcipiti fluuio, tum ſingulæ columnæ exſtrui valuerint, tantarum molium fundamenta ſtabiliri: vada præterea limoſa erant, neque amnis alio auerti poterat. Quanta vero ſit altitudo aquæ, & quam latus pateat amnis, haud equidem enarrauerim: diffunditur, per ea loca, ſpacioſus atque interim mole concitatus, ripas longius ſub mouet. Alibi vero duplo, atque interim triplo, priori ſui parte maior aut reſtagnat aut defluit. Qua vero arctatur, vorticoſus & ferox, ædificia & pontes non patitur, & rurſum liberatus anguſtiis, in pelagi formam totus exſpatiatur, iterumque coit, quaſi retentus profundior, & rapidus fertur. Arduum itaque & maxime laborioſum fuit, in ea fluminis parte, pontem ædificare. Hunc pontem poſtea, *Adrianus b*) demolitus eſt, alia, quam qua *Traianus* ædificauerat, ductus ratione. Hic, vt omnibus anni temporibus Romano exercitui eſſet contra Barbaros, ſecurus per Danubium tranſitus; ille, ne Barbari pertranſito, commoditate pontis, Danubio, Romanam ditionem incurſare poſſent. Extant etiam nunc aliquot pilæ, pontis ipſius reliquiæ. Huic ponti, hæc erant inſcripta: PROVIDENTIA AVGVSTI, VERE PONTIFICIS, VIRTVS ROMANA, QVID NON DOMAT? SVB IVGVM ECCE RAPITVR ET DANVBIVS.

*Reſcinditur ab* Hadriano.

CAPVT

*a*) De PONTE hoc TRAIANI, non eadem eſt doctorum omnium ſententia. LIPSIVS, *Dionis Caſſii* fidem ſequutus, extra modum molem dilaudat, in, *de Magnitudine Romana*, Libro III. Cap. XIII. p. 163. edit. Antuerp. Plantinianæ, A. 1605. forma quadrip. Idem facit, in Analectis Daciæ Lapidib. SAMOSIVS quoque, Cap. IV. p. 22. ſeqq. vt alios taceamus. Derogat fidem omnibus, Comes MARSIGLIVS, cum peculiari ad MONTFAVCONEM epiſtola, quæ exſtat, apud SALLENGRE, Theſauro Antiquitatum Rom. Tomo II. num. IX. p. 989. tum, *Operis Danubialis*, Tomo II. p. 25. ſeqq. Fig. XXXIII. & reliquis: vbi locum Dionis præclare excuſſum legas.

*b*) Videndi ſunt in hanc rem, *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores*, quos iam non moramur.

# CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

## *De Hungariæ Opportunitatibus variis.*

NVnc tempus admonet, vt, quæ in hac deſcriptione, a me ſuperius prætermiſſa ſunt, in vnam veluti omnia ſummam, contraham, & ob oculos ponam. HVNGARIAM igitur ipſam, rerum omnium, quæ tum ad vſum mortalium, tum ad opes comparandas, neceſſariæ eſſe putantur, non exiguam gignere copiam, ſatis conſtat. Terram habere nigram, pinguem, ſucci plenam: quæ ſcilicet non magno cultorum labore, vberes producat fructus, ſtercorationis, nec ad arua, nec ad montes conſitos vitibus, inſtaurandos, nullus admodum, (exceptis pauculis montoſis quibuſdam locis,) eſt vſus. Arua, ſemel vel bis leuiter arata, ſeminataque, copioſum ferunt tritici frumentiue, & aliorum leguminum, fructum. Sunt certa, vt accepi loca, in quibus, ſi ſementem farris feceris, ad tertium dein annum, ob terræ ſucculentæ bonitatem, vertatur in electum tritici granum. *Hungariæ vbertas:* *De frumentis, & leguminibus:*

§. *II.* Vini copia tanta, vt omnes fere Hungariæ regiones, (exceptis campis, qui citra & vltra Tibiſcum, Varadinum verſus ſunt, atque tractu Báchienſi, & pauculis aliis locis,) vina generoſa, dulcia, ſtyptica, media inter vtraque, fortia, leuia, temperata ferant, multo maiorem tamen albi, quam rubri copiam. Vſum cereuiſiæ, ob vini abundantiam, minima regni pars nouit. In campis Cumanicis, præter vina aduectitia, vſum habent Cumani, cuiuſdam liquoris, ex milio, & aqua, ſuo more expreſſi, quem *Bozam* vocant. Contingit plerumque, vt aeris temperies, & bona anni tempeſtas, tantum vini ſuppeditet, vt vix reperiantur dolia, vino condendo neceſſaria; quod ego in Comitatu de *Baranya*, dum eſſem *Quinque Eccleſiis*, hiſce vidi oculis; ſed coguntur vaſa, ad alios vſus domeſticos præparata, in vſum, vinorum infundendorum, conuertere, & pro vaſe vacuo, alterum vas, vino repletum, rependere. Vinorum melius eſt & nobilius, primum quod in Sirmio, tum Simigio, Baronya, Poſonienſi, Sopronienſi, Agrienſi, Borſodienſi, Vjuarienſi, Veſprimienſi, Szaladienſi Comitatibus; poſtremo, in Tranſyluania, & Sclauonia, *c*) naſcitur. Vites ſilueſtres, maiores, & botros, & acinos, in plerisque locis, maxime in Sirmio producunt, quam non paucis in locis domeſticæ cultæue; neque, quod ex iis vinum exprimitur, minus ſapidum eſt, quam quod apud *Belgarum* quoſdam, natiuo in ſolo productum, habitumque ab incolis, pretio expoſitum vidi atque expertus ſum. *De vinis:* *De Cereuiſia:* *De Boza liquore:* *Vinorum ſpecies.* *Vinum Silueſtre.*

§. *III.* Fructuum omnis generis infinita copia. Peponum & melonum, varia genera, vt frumentum, in campis ſeminantur, Italicis, ſiue magnitudinem, ſiue ſaporem dulcem conſideres, non inferiora. Ad vina, aquas & fructus, ſub diebus caniculæ refrigerandos, vbi deſunt cellæ vinariæ frigidæ, vtuntur noſtri glacie, in cauernas ab hyeme con- *De fructibus variis:*



*c*) Mireris, nullam fieri *Tokaienſis* mentionem. Nimirum, nondum eius, ſeu cultura inualuerat, ſeu fama. Alioquin, meminit ſupra, Cap. XI, p. 21. oppidorum *Szánto*, & *Lyska*, vini optimi feracium. Ergo, tardius, poſt amiſſum *Sirmium*, celebre eſſe cœpit *Vinum Tokaienſe.*

*De auibus in genere.* coniecta conseruataque. Phasianorum, perdicum, gallinarum siluestrium, turdorum, & aliarum quoque nobilium diuersarumque auium, ea abundantia, vt in his, Hungariæ nihil omnino deesse videatur. Nonnullæ aues, quæ in Belgio, Gallia, & aliis regnis in pretio atque deliciis habentur, vt ardeæ, & rostratæ, quas Galli, *Becasses*, Germani vero *Schneppas*, vocant, aliæque id generis, nihili *d*) in Hungaria penduntur, neque earum est vsus: tanta est aliarum delicatiorum copia.

*De pascuis: De fœno:* §. *IV.* Amplitudo, & satietas tanta est pascuorum, vt multa millia equorum, boum, ouium, caprarum, & aliorum id genus pecorum, alat. Fœni tanta vis, vt campis primo vere, ob neglectum in eis, non recisum fœnum, ignis iniici soleat, quo herbæ nouellæ repullulare possint. Visum est, vehementia ignis, campis sæpe iniecti, temeritate, seu incuria bubulcorum & pecuariorum, magnam siluarum quantitatem aliquando consumtam. *De Siluis:* Siluæ tot & tantæ, vt & coloni, *e*) nullo impenso pretio, ad quotidianos vsus, lignorum abunde sat habeant; lucri etiam caussa, quotiescunque illis visum fuerit, ad vicina deuehant oppida, ibique vili pretio venalia exponant. Apum & mellis magna copia. *De equis:* Equi optimi, celeres, decori, & pulcritudine insignes, inter quos meliores æstimantur, quos Transyluania, Siculia, & Valachia educat. Horum multi, etiam Turcicis, qui & pernicissimi sunt, & pulcri, præstant.

*De bobus, ouibus, & feris.* §. *V.* Nec minus, tot greges boum, caprarum, ouium, tantaque copia ferarum omnis generis, vt non modo Hungaria, earum sentiat commodum; verum vicinæ etiam prouinciæ harum sint participes. Boues, partim omnem illam Italiam, quæ est circum Venetos, partim Austriam, Morauiam, Bauariam, Sueuiam, & populos Germaniæ, quam lata est, ad Rhenum vsque, alunt. Audiui ego pluries a publicanis, quos vulgus *Tricesimatores* vocat, in singulis nundinis boariis, quæ, circum loca Viennæ ciuitatis Austriæ, bis quotannis aut pluries celebrari consueuere, sese a boum triginta aut circiter, millibus, vectigalia, siue tricesimas, Regi exegisse. Taceo hic eorum numerum, qui alio, per Styriam, & Carinthiam, itinere, anno quolibet, in Italiam aguntur; quem non minorem eo esse constat; magna ipsius parte, vt supra dictum est, horum vsum habente. Eorum quoque boum numerum, qui in Morauiam quotannis agitur, prætereo. In locis fere singulis Hungariæ, ea est ferarum, tam maiorum, quam minorum, omnis generis copia, vt, sicuti aues qualescunque, ita feras, tam nobilitas, quam plebs passim venentur, *f*) aucupenturue, quisque in suum, tum vsum, tum voluptatem.

*De piscibus variis.* §. *VI.* Piscium præterea, Antacæorum, non ossibus, sed cartilaginibus compactorum, quos Hungari lingua patria *Vyzam*, Germani *Huzones* (*Hausen*) vocant, Sturionum, *Tok*, *Keczege*, quos PLINIVS *g*) Pelamides forte appellat; item, Silurum, quem nos *Harcsam* vocamus; Syl-

*d*) Nunc magni fiunt, ab his etiam, qui sunt palati delicatioris.

*e*) Adductior iam lignatio esse incipit, vtili nimirum prouidentia, populo, passim per Hungariam, augescente.

*f*) Venandi ea & aucupandi licentia, publicis legibus coercita iam est. Vide, Anni MDCCXXIX. Articulum XXII.

*g*) Libro IX. Cap. XV.

Syllen, Trutarum & aliorum omnis generis fluuiatilium, quos etiam alia ferunt regna, quanta ſit abundantia, vicini populi, pro comperto habent. Sæpius hoc viſum eſt, & nunc videri poteſt, Danubii, Tibiſci, Themeſii, Draui, & aliorum aliquot inundationibus, tantam vim piſcium, aqua tandem refluente, in alueis riparum hæſiſſe, vt negligentia colonorum, & mortuis porci paſti fuerint, & ex relictis, aer caloribus infectus, nonnunquam accolis luem inuexerit. Si quispiam retia habuerit, non deerunt ei piſces, absque pretio, modo abſtineat a paucis locis prohibitis. Cancrorum etiam, in omnibus fere Hungariæ locis, competens eſt ſufficientia. Verum in pagis, præſertim MARIÆ Reginæ, Dominæ meæ, ad arcem *Altenburg* pertinentibus, tanta eorum prehenditur *h*) copia, vt coloni ſoleant, multis plauſtris, Viennam, vicinam eis ciuitatem, venundandos inuehere.

§. *VII.* Antacæorum piſcium, quorum ſupra meminimus, hoc modo fieri conſueuit piſcatio. Inter *Taurunum*, & *Poſonium* ciuitatem, ſunt pleraque loca in Danubii alueo, vbi aqua eſt altior & vorticoſior. In his Antacæi ſuum veluti diuerſorium habent. In menſe Nouembri, *i*) antequam glacies appareat, trabibus, tota Danubii latitudo, paribus interuallis compingitur, relicto in medio ipſius aluei loco vacuo, qui naſſa vel reti, ad id parato, communitur. Infra trabes, piſcatores e nauiculis ſua tendunt retia. In ripis interim Danubii, iaculationibus machinarum, veluti tonitrua emittuntur, quibus Antacæi ex ſuis latebris exciti, & vi quodammodo expulſi, Danubium circumnatant, quos poſtea piſcatores, in retia delapſos, tam facile ad ripas trahunt, vt nihil oneris ſibi adeſſe ſentiant. Nonnunquam, in loco & piſcatione vna, Antacæi, demptis aliis minoribus piſcibus, prehenduntur, ad numerum mille, & vltra. Ex quibus reperiuntur nonnulli, duodecim & vltra pedum longi. *De piſcatione Huſonum.*

§. *VIII.* Thermæ quoque quam plurimæ *k*) ſunt diuerſis in locis, tanta vehementia alicubi erumpentes, vt molas circumagant frumentarias. Hæ, ad omne fere genus morborum curandorum ſuauiſſimæ, ex experientia habentur; maxime, quæ ſunt *Budæ*, *Varadini*, *Trenchinii*, & in *Sclauonia*. *De Thermis.*

## CAPVT DECIMVM NONVM.

## *De Reſiduis Hungariæ Commoditatibus.*

AVri, argenti, ferri, cupri, ſtanni, *l*) vitrioli, marmoris, & rubri, & albi, maxima ibi copia. Alabaſtrum quoque eſt Hungaris patrium, *De Auro, & aliis metallis, atque lapidibus:*

I 2

*h*) In amne *Leytha*, qui ex Auſtriæ finibus adlapſus, Comitatum Moſonienſem, vbi eſt *Altenburgum*, ſiue *Ovár*, interluit.

*i*) Compendioſior hodie Antacæorum eſt captura. Neque enim, vel depactis trabibus, vel machinarum tonitru, opus habent, ad proliciendos eos, piſcatores. Satis eſt, deſignatam Danubii oram, quam Hungarice *Tanya* vocant, a ſtipitibus repurgatam habere, vt & iaci, & ſubduci ſine offenſa, retia poſſint. Qua de re alibi prolixe egimus.

*k*) Pleraſque omnes recenſuit GEORGIVS WERNHERVS, De Admirandis Hung. Aquis. quem vide, dum noſtra de iis commentaria poſſis legere.

*l*) De *Stanno* ambigo.

trium, qui aliquantum etiam plumbi habent, non tamen ad neceſſitatem regni ex omni parte ſufficiens, quod hac de re ex Polonia aduehitur. Montes minerarum, metallorum, & ferri per Hungariam plurimi, qui non coluntur. At fodinæ aurariæ, & argentariæ, quarum nunc eſt vſus, primum ſunt, vt memoraui prope *Ciuitates*, quas *Montanas* vocant, nempe: *Cremniciam*, *Schemniciam*, *Biſtriciam*, & loca eis vicina: tum in *Rybnou*, *Roſnauia* & *Smelnitia*: dein in *Riuulo Dominarum*; poſtremo in Tranſyluania. Cibinii, Cremniciæ, & Caſſouiæ, Hungariæ Ciuitatibus, cuduntur aurei, quos *Ducatos* vocant; monetæ autem argenteæ puræ, tum in his iiſdem ſemper, tum vbicunque, & in quot Regi, pro tempore commodum eſſe videtur, locis. Aurum eſt triplex, vnum reperitur inter lapides ſolidum, in maſſæ formam, natura ſatis defecatum, & purum. Quod alii quidem diuerſa in magnitudine; ego vero ad quantitatem habui oui gallinacei, ponderis ſupra centum ducatorum. Reperitur idem etiam magnitudine nucis & lapillorum. Alterum extrahitur artificio ex mineris, aurum, argentum, & cuprum ſimul complectentibus. Quod vero eſt tertium, ex fluuiolorum (qui præter *Aranyas* fluuium, de quo ſupra meminimus, ſunt plures) alueis arenoſis expurgatur, quod *arenoſum*, ſiue *lauatile*, ex ipſa re vocant. Primum, & vltimum genus, gignit Tranſyluania; medium, aliæ Hungariæ, *m*) vt ſupra relatum eſt, partes. Qui viderunt, certo dicunt, in *Scepuſio*, *n*) in quo etiam vitriolum deſtillat, eſſe fluuiolum, qui ferrum iniectum, in ſpeciem & materiam cupri tranſmittat. Nec hoc taceo, eſſe in Hungaria terram viſcoſam, in modum ceræ, ex qua luminaria, faceſque & lucernæ fiant, inſuauiter tamen olentes.

*Triplex auri genus.*

*Aquæ Cypriæ.*

*Montes ſalis.*

§. II. Montes ſalis foſſilis ſunt plurimi: inter quos, qui nunc coluntur in Tranſyluania, ſunt quinque, prope oppida: *Vizakna*, *Thorda*, *Dees*, *Seek*, *Kolos*: in Maromaruſio vero vnus & alter prope *Róna* oppidum. Loca hæc vocantur *Cameræ*, præfecti vero *Camerarii*. Alteræ vero ſunt in Tranſyluania, quæ ſpectant ad *Fiſcum Regium*: alteræ in Maromaruſio ſunt, *Reginæ Hungariæ*, ex donatione propter nuptias. Cæteri ſalis montes, qui plurimi ſunt, vt lucrum Regi, & Reginæ ex iam dictis accreſcat, vetiti ſunt ſub graui pœna coli, præter Regis conſenſum, atque arbitrium. Idem fit etiam in montibus, aurum, argentum, & mineras producentibus, qui vltra prædictos ſunt plurimi. Sal, qui in *Tranſyluania* effoditur diſcinditurque, per duo flumina, *Maros* & *Sámos*, nauigio vſque Tibiſcum amnem euehi, hinc ad varias *Cameras* Regias per totam Hungariam diſtribui, venundarique ſolet. *Maromaruſius* vero, partim curribus, quorum quemlibet boues in ſedecimum, & vltra iuncti ordinem, partim naui, ad ſuperiores Hungariæ

*m*) Sunt & *Danubii*, atque *Grani*, & aliorum fluuiorum arenæ, auri feraces, ſed fere neglectæ. Vt taceamus *Germinans* illud *Aurum*, quod in vineis *Tokaienſibus*, viti; in agro *Vetuſolienſi*, culmis hæreſcit quandoque.

*n*) Aquæ nimirum Cypriæ *Smelnitzenſes*, eximii reditus. Quibus merito accenſueris, eas, quæ in *Valle Dominorum*, ad *Neoſolium* ſcatent. *Aquas* autem *Cyprias*, ab ære Cyprio dicimus, quo ſunt ſaturæ. Metallici, *Czimment Waſſer* vocant.

gariæ partes, quæ ſunt citra Tibiſcum ſuperiorem, ad *Cameras Reginales*, in vſum earum, & illis vicinarum regionum, aduehitur. Hoc ſale Hungarico, non modo Hungari, ſed & Seruiani, Boſneni, & Turcæ vtuntur. Sunt & in Tranſyluania prope *Kolos*, riuuli *o* ) ſalſi, ex montibus decurrentes, quorum aqua vtuntur ruſtici, in condimento ciborum, manifeſto argumento, optimum exinde ſal, ſi paululum adniti velint, coqui poſſe. quod ne tentare quidem cogitant, alterius ſatis magna copia exuberante.

*Quot linguæ, & nationes, ſint in Hungaria tota:*

§. *III.* Totius huius Hungariæ Regnum, continet in ſe, noſtro hoc tempore, diuerſas nationes; Hungaros, Alemannos, Bohemos, Sclauos, Croacos, Saxones, Siculos, Valachos, Raſcianos, Cumanos, Jazyges, Ruthenos, & iam poſtremo Turcas: quæ omnes, differenti inter ſe vtuntur lingua, niſi quod aliqua vocabula, propter diuturnam conſuetudinem, atque mutuum commercium, aliquam habere videantur ſimilitudinem & ſymphoniam. In valle Agrienſi, aliquot pagi incoluntur, habiti pro coloniis *Eburorum*, qui nunc *Leodienſes* dicuntur, olim eo traductis. Horum incolæ, in hodiernum diem *Gallicam* ſonant. Quo autem tempore, aut eo traducti ſint, aut ſponte migrarint, haud ſatis *p* ) compertum habeo.

*Eburorum colonia.*

*Cæci, & claudi, in pago* Simánd, *propriam habent linguam.*

§. *IV.* Alius eſt etiam pagus, inter Maros & Keüres fluuios, extra *q* ) Tranſyluaniam, cui nomen eſt *Simánd*, qui accolas fere omnes habet claudos, cæcos, homines, vel cruribus, vel brachiis contortis, vel alia corporis fœditate inſignes. Eo ſanum neminem admittunt: qua re, & quod ſint corporis deformitate conſpicui, maxime gloriari videntur. Non id quidem, ferente natura, ſed quod fama eſt, infantes *r* ) recenter natos, a parentibus, aut excæcari, aut ipſorum oſſa, compaginesque membrorum, quo ſint ipſis, deformitate corporis, non inæquales, interuerti. Hi ab initio, vt quemadmodum corporis habitu, ita etiam idiomate, ab aliis differrent, propriam ſibi linguam, qua inter ſe loquerentur, a nemine externo, niſi ſuo ciue intelligibilem, quam noſtri, *Cæcorum Linguam* vocant, confinxerunt. Hacque vtuntur prærogatiua, vt ſint ab aliis oneribus cæterorum Hungarorum perferendis, liberi, atque per omnes regni partes, cancionibus mendicalibus, victum, quæſtumque ſibi, & ſuis faciant. Hominum genus, turpe, infame, & omnibus cruciatibus dignum: qui naturæ humanæ decorem, facto ſuo ſceleſto, dedecorant. A quo a Principibus noſtris, ſiue aliis, maioribus rebus deditis, ſiue in amplo regno, id non aduertentibus, hactenus prohibiti non fuere; alioqui generi humano, non tantam infamiæ, deformitatis-




*o*) Eiuſdem naturæ, tametſi originis forte diuerſæ ſal eſt, qui in *Só-Vár*, apud Sároſienſes, excoquitur.

*p* ) Ecquidem, reliquias fuiſſe crediderim, *Vallonum*, qui FERDINANDO I. aduerſus Regem IOHANNEM, militabant: niſi aliud nos, diplomata, aut eius ætatis ſchedæ, docuerint.

*q*) Accolarum nomine, *Incolas* vult dicere auctor; ſicuti habuimus ſuperius. *Simándi* locus, ſuperat hodieque; non item monſtra.

tatisque notam, inuſturi. His a nobis, breuius modeſtiusque, quam Hungariæ eſt fertilitas, expoſitis, rem iam *r*) inſtitutam adgrediamur.



# NICOLAI OLÁHI,
## Compendiarium ſuæ Aetatis
# CHRONICON,
## Ex manuſcripto, nunc primum editum.

*Sorte noua redit Hunnorum clariſſima quondam,*
*Tempore quæ fuit* Atilæ *victoria Regis.*

ILli clariſſimo Regum ſideri, MATTHIÆ de Hunyad, JOANNIS quondam, inclyti regni Hungariæ Gubernatoris filio, per *Dionyſium* Cardinalem, Archi-Epiſcopum Strigonienſem, regalis corona imponitur, Anno CHRISTI MCCCCLXIV. Die 29. menſis Martii.

ANNO CHRISTI MCCCCLXV. Die 1. Februarii, DIONYSIVS *de Zeech*, Archi-Epiſcopus almæ Eccleſiæ Strigonienſis, obiit.

Anno Domini MCCCCLXVII. die I. *Julii*, Venerabilis Magiſter D. D. Cantor & Vicarius Strigonienſis obiit: qui alias fuit auditor cauſſarum Socii Concilii Baſilienſis.

Anno Domini MCCCCLXXII. IX. die menſis *Auguſti*, JOANNES Archi-Epiſcopus Strigonienſis, obiit.

Anno Domini MCCCCLXXIII. die XVIII. *Julii*, Martinus de Peſth, Canonicus Quinque Eccleſiarum, ſpiritum exhalauit.

MATTHIAS Rex, mortuus *Viennæ*, Anno MCCCCXC. & ſepultus in *Alba Regali*.

NICOLAVS OLAHVS, Archi-Epiſcopus Strigonienſis, natus eſt *Cibinii*, ciuitate principali Saxonum Tranſyluaniæ, in menſe *Januario*, Anno Domini MCCCCXCIII.

LVDOVICVS, Vladislai Regis filius, natus *Budæ*, ex ANNA Regina, Anno MDVI.

MARIA Regina ſponſa eius, nata fuit Anno MDV.

Dictus NICOLAVS OLAHVS, Anno MDX. in menſe Maio, venit ad aulam *Vladislai* Regis.

Anno MDXIV. Bellum cruciatum, ſiue ruſticum, ortum fuit.

VLA-

*r*) Crederes, imitatione *Hunnorum*, id factitaſſe *Simándienſes*; de quibus AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XXXI. Cap. II. p. 473. edit. *Iac. Gronouii*, Lugduni Batau. An. 1693. fol. ſic ſcribit: *Quoniam, ab ipſis naſcendi primitiis, infantum altius ſulcantur genæ, vt pilorum vigor tempeſtiuus emergens, corrugatis cicatricibus hebetetur*, &c. Sed contra ſe res habet. Nam, *Hunni* quidem, lacerabant infantum genas, vt truci eſſent adſpectu: *Simándienſes*, corrumpebant ſuos, deturpabantque, vt mendicabula facerent.

*s*) ATTILAM intelligit: qui, quod in omnium eſt manibus, editione noſtra, iam quidem non eget.

VLADISLAVS, Rex Hungariæ, mortuus eſt Budæ, Anno MDXVI. & ſepultus in *Alba Regali.* Quo anno NICOLAVS OLAHVS, factus eſt Secretarius *Georgii Zathmár*, Epiſcopi Quinque Eccleſienſis.

Idem NICOLAVS OLAHVS, Anno MDXVIII. creatus in Canonicum Quinque Eccleſienſem, in menſe *Julio.*

THOMAS BAKOCZ de *Erdeödi*, Cardinalis Strigonienſis, mortuus in menſe Iunio, An. MDXXI. cui ſucceſſit GEORGIVS *Zathmár*, eodem anno.

Eodem anno, MARIA Regina, deducta in Hungariam, excepta fuit *Budæ*, a Rege LVDOVICO, in menſe *Junio.*

SOLYMANNVS Imperator Turcarum, primo in Hungariam, eodem anno venit, & *Nándoralba*, ſiue Belgrádium, ab eo obſeſſum, a *Blaſio Oláh*, & *Joanne Morgay*, propter victualium inopiam, *Vigeſima nona Auguſti*, ei deditum eſt. Qui tamen detruncati fuere, contra fidem eis a Turca datam.

NICOLAVS OLAHVS, An. MDXXII. creatus eſt in Eccleſia Strigonienſi, Archi-Diaconus Comaromienſis, & Canonicus Strigonienſis.

Anno MDXXIV. *Georgius Zathmár*, Archi-Epiſcopus Strigonienſis, *Budæ*, ſeptima die Aprilis mortuus, cui ſucceſſit LADISLAVS *Zalkanus*, VI. Maii.

Dictus NICOLAVS OLAHVS, d. XVI. Martii An. MDXXVI. creatus eſt in Secretarium, & Conſiliarium LVDOVICI Regis; & poſtea eiuſdem Regis voluntate, ſimiliter *Mariæ* Reginæ XXI. Martii.

LVDOVICVS Rex, in conflictu ad *Mohácħ*, cum Solymanno Turca habito, periit anno eodem MDXXVI. Die XXIX. Auguſti; vbi ſimul perierunt: *Ladislaus Zalkanus*, Strigonienſis; *Paullus Tomory*, Colocenſis Archi-Epiſcopi; *Franciſcus Beréni*, Waradienſis; *Philippus Moræ*, Quinque Eccleſienſis; *Blaſius Paxy*, Jaurinenſis; *Georgius de Zápolya*, Comes Scepuſienſis, Frater *Joannis* Regis; *Joannes Drágſy*; *Thomas Zeechy*, & *Matthias Zluny*, Comes de Zlun: ac infiniti nobiles potiores in Hungaria.

Eodem anno, *Solymannus* victor, poſt conflictum aſcendens, ciuitatem Budenſem, cepit, combuſſit, & arcem, integram quidem, ſed vacuam reliquit, in menſe Octobri.

Eodem anno, Sereniſſimus FERDINANDVS, Archidux Auſtriæ, electus & coronatus eſt in regem Bohemiæ: & in Hungaria quoque *Poſonii* electus in regem Hungariæ.

Eodem ſimiliter anno, JOANNES Rex, in *Tokay*, per alteram factionem, præelectus eſt in regem, qui antequam coronaretur, corpus Regis LVDOVICI, quod Regina MARIA *Albam Regalem* deduci fecerat, in menſe Nouembri, ibidem fecit ſepeliri.

ANNO MDXXVII. præfatus Sereniſſimus Rex FERDINANDVS, in menſe *Julio* ingreſſus Hungariam, cum exercitu exceptus eſt in *Ovár*, prima die menſis *Auguſti.* quo die natus filius ſuus Viennæ, Sereniſſimus *Maximilianus*, nunc Rex Bohemiæ; & poſtea *Buda* ei tradita, vigeſima Auguſti, & in *Alba Reginali*, die Dominico, ante Feſtum *S. Martini*, in menſe Nouembri, coronatus eſt.

Eodem anno, NICOLAVS OLAHVS, factus eſt Cuſtos, & Canonicus Eccleſiæ *Albæ Regalis*.

Anno MDXXIX. reuerſus *Solymannus* ſecundo, *Buda* rurſus capta, *Viennam* fruſtra obſedit.

Anno MDXXXI. Sereniſſima regina MARIA, voluntate CAROLI V. Imperatoris, fratris ſui, ex Lincio fuit profecta, in menſe *Martio*, ad gubernationem Flandriæ ſuſcipiendam. Cum qua etiam NICOLAVS OLAHVS ſimul profectus fuit.

Anno MDXXXII. *Solymannus*, tertio in Hungariam reuerſus, *Criſium* ciuitatem, Hungarice *Keüſzegh* vocatam, fruſtra obſedit, discesſitque vigeſima quinta die Septembris, non expectato aduentu *Caroli* V.

Anno MDXXXVIII. *Solymannus* cum exercitu contra Vayuodam Moldauienſem, quarto venit, in menſe Auguſto.

Anno MDXXXIX. NICOLAVS OLAHVS, rediit ex Flandria Viennam, & Hungariam.

Anno MDXL. *Carolus*, Filius Cæſaris noſtri FERDINANDI natus eſt: quo anno, etiam *Joannes* Sigiſmundus filius, JOANNIS Regis natus eſt.

JOANNES Rex, eodem anno mortuus in *Száſzſebes*, vigeſima prima Julii. cuius corpus, *Frater Georgius* Epiſcopus Varadienſis, XV. die Septembris, *Budam* adducens, poſtea ſepeliuit in *Alba Regali*.

Anno MDXLI. *Solymannus*, Turcarum Imperator, quinto in Hungariam reuerſus, *Budam*, e manibus Reginæ *Iſabellæ*, pro ſe occupauit, vigeſima ſexta Auguſti.

Idem *Solymannus*, An. MDXLIII. reuerſus ſexto in Hungariam, arce *Walpó*, XXIII. Junii, occupata, ingreſſus *Budam*, XXI. Julii; *Strigonienſi* arce, noſtrorum turpi deditione, potitur, IX. die Auguſti.

Sereniſſimus Rex FERDINANDVS, nunc Imperator, eodem anno, & menſe Auguſti, creauit NICOLAVM OLAHVM, Pragæ in Epiſcopum Zágrábienſem, & Cancellarium Hungariæ.

Eodem anno, die IV. Septembris, *Alba Regalis* capta per Turcam.

Anno MDXLVII. Sereniſſima Regina ANNA ex partu *Joannæ* filiæ ſuæ, moritur Pragæ, die XXV. menſis Januarii, & ibidem ſepulta, trigeſima eiuſdem menſis.

Sereniſſimus Rex FERDINANDVS, profectus Praga, tertia die Februarii eiuſdem anni, ad expeditionem Saxonicam, conueniensque Fratrem ſuum Carolum V. Imperatorem, in oppido *Hirſham*, intrauit in ciuitatem *Egram*, & illinc XIII. die Aprilis diſcedentes, auxilio mille equitum Hungarorum, profligauimus & cepimus, vulneratum in facie, *Joannem Fridericum Ducem Saxoniæ*, vltra oppidum *Mylpergh*, XXIV. die menſis Aprilis, quæ fuit dies *S. Georgii*. Ac deinde IV. die ſequentis menſis Maii, *Vittembergam* ciuitatem obſedimus, ac XXIX. eiuſdem menſis cepimus; ac reuerſi Pragam, II. die Julii, *Pragenſes*, vt aliæ ciuitates Bohemiæ rebelles, cum Baronibus aliquot, & Nobilibus, octaua die eiuſdem menſis Julii, iuridico proceſſu, per Maieſtatem regiam, bene fuerunt caſtigati, decollatione non nullorum, & priuatione omnium bombardarum, & rerum bellicarum, ac confiſcatione bonorum ſuorum.

Anno MDXLVIII. prima Aprilis, mortuus eſt *Sigiſmundus* Rex Poloniæ, Frater Vladiſlai Regis olim Hungariæ, patris *Ludouici* Regis.

Eodem anno MDXLVIII. creauit Sereniſſimus Rex FERDINANDVS Poſonii, NICOLAVM OLAHVM in Epiſcopum Agrienſem, XXVIII. Nouembris; & poſtea ibidem publicauit, XII. Decembris.

Anno MDXLIX. Sereniſſimus MAXIMILIANVS Archidux Auſtriæ, electus eſt Pragæ in Regem Bohemiæ, XIX. die Februarii.

Eodem anno D. PAVLLVS *de Varda*, Archi-Epiſcopus, Strigonienſis XII. die Octobris, annum agens Sexageſimum ſextum, *Poſonii* mortuus eſt, & ibidem ſepultus.

Anno MDLII. Veſprimium, prima die Junii Turcis proditum; & *Dreghel*, IX. Julii, per Turcas expugnata; *Themeſvár* quoque XXVII. eiuſdem menſis, decollato ibidem *Stephano Loſſónczi*, Comite & Capitaneo eiuſdem arcis.

Eodem anno, capto fortalitio *Zolnok*, arx Agrienſis, per *Ambath Paſſam*, & *Beglerbegum* obſeſſa eſt, & oppugnata, quadraginta duobus diebus, virtute tamen & fortitudine *Stephani Dobó* de Ruſzka ac *Stephani de Mechke*, Capitaneorum, ac aliorum ſeruitorum NICOLAI OLAHI Epiſcopi Agrienſis, cæterorumque militum regiorum, viriliter defenſa.

Anno MDLIII. die VII. Maii, Sacra Maieſtas Romanorum & Hungariæ Rex, *Sopronii*, in publica dieta, creauit & publicauit NICOLAVM OLAHVM, Archi-Epiſcopum Strigonienſem: quo anno, XXV. Junii, Sereniſſimam etiam Dominam *Catharinam* filiam ſuam, viduam Ducis Mantuæ, Sereniſſimo Regi Poloniarum, *Sigiſmundo Auguſto*, deſponſauit, *Viennæ*, miniſterio ipſius Archi-Epiſcopi, in Monaſterio Fratrum *B. Auguſtini.*

Dominus *Thomas Nádaſdy*, Poſonii creatus in *Palatinum*, & nomine regio publicatus, per NICOLAVM OLAHVM, Archi-Epiſcopum Strigonienſem, VX. die menſis Aprilis, An. MDLIV.

FRANCISCVS WYLAKY, Epiſcopus Agrienſis, mortuus *Poſonii*, prima Februarii, Anno MDLV.

*Capoſvjvár* periit, die XIV. Septembris, *Anno Domini* MDLV.

Anno Domini MDLVI. die XIII. Junii, obſeſſa *Szygeth* fruſtra, & vigeſima ſeptima Julii, fuit obſidio ſoluta.

Eodem anno, MATTHIAS ZABERDINVS Epiſcopus Varadienſis, vir bonus, & militaris, mortuus eſt XII. die menſis Auguſti, Varadini.

Eodem anno, Cæſar CAROLVS V. quinquageſimum agens annum, ex *Hollandia* diſceſſit in *Hiſpaniam* XVII. die menſis Septembris, quieturus in monaſterio.

MATTHIAS, filius Maximiliani Regis Bohemiæ, natus Viennæ XIV. Februarii anno MDLVII.

Diuus FERDINANDVS, Carolo Quinto, fratre eius cedente Imperio Romano, *Franckfordiæ*, electus Imperator eſt in locum fratris, XIV. Martii anno MDLVIII.



FINIS.

## *Ad Emtorem,*
### *Monitiuncula.*

CVm Monumenta huius collectionis ſingula, temporis ſucceſſu, ſigillatim edenda erunt; e re emtoris cuiuſque fuerit, non ante, Bibliopego tradi chartas, quam integrum, iuſtæ molis, volumen, conficiatur.

# MICHAELIS SIGLERI
# CHRONOLOGIAE
## RERVM HVNGARICARVM, TRANSILVANICARVM, ET VICINARVM REGIONVM,

## LIBRI DVO,

*nunc primum in lucem editi.*

DECADIS I. MONVMENTVM II.

*Temporum vicissitudines,*
*ex vero cognovisse,*
*Gradus est ad prudentiam.*

MICHAELIS SIGLERI,

# CHRONOLOGIAE

## *Rerum Hungaricarum, Tranſyluanicarum & Vicinarum Prouinciarum,*

## LIBER PRIMVS.

### CAPVT I.

ANNVS, CHRISTI — *Res geſtæ Pannonum, Vicinarum Gentium, & Hunnorum.* — IMPERATORES Romani.

366. HVNNI, ſub Valembero Rege, traiecta ad Cimmerium Boſphorum, Mæotidis palude, ſedibus Gothos eiecerunt, & vniuerſam Scythiam Europeam, aſſiduis irruptionibus, domitarunt. — VALENTINIANVS, & VALENS.

373. Primus ingreſſus *a*) Hunnorum, ex Scythia in Pannoniam, ſub ſex *Ducibus*, ſeu *Capitaneis*, quorum I. ATTILA; II. CHEME; III. BVDA, & hi fratres *Bendeguoſi*, vel vt alii volunt Mundizici filii, Cadarum genere nati fuerunt; IV. BELA, *Chyele* filius, ex Zomeiarum familia progenitus; V. CHEVE; VI. KADICHA; *Belæ* fratres. Ex centum & octo tribubus, decies centena & octo millia hominum coacta, Pannoniam, eiectis Gothis, occuparunt. Primum enim Gothi, deinde Vandali, & poſtremo *Hungari*, in Hungariam, ingreſſi ſunt: & hi poſtremi, terram retinuerunt, vnde & *Hungariæ* appellationem, tractus ille accepit.

378. SARMATAE Pannoniam vaſtant.

380. HVNNI, in Gothos exarſerunt. Gothi, traiecto

381. Danubio, a *Valente* Imperatore, ſedes acceperunt.

395. *Hunni*, Antiochiam obſederunt. — THEODOSIVS Senior.

399. Armenia, & partes Orientis, ab *Hunnis*, miſere vaſtantur.

401. HVNNI, *Cheua* duce, Pannoniam tranquille poſſident, publico tandem omnium conſenſu, (Cheua, & reliquis Capitaneis, in præliis ſuperioribus abſumptis.) — ARCADIVS, & HONORIVS.

ATTILA, frater Budæ, vir acris ingenii, & rei militaris peritiſſimus, in ſupremum Capitaneum creatus eſt; & Ducis nomen, quinquennio habet.

447. ATTILA, interfecto fratre *Buda*, ſolus Regno potitur.



*a*) BARONIVS, Annal. Tomo IV. ad annum CCCLXXVI. num. VII. coll. ad annum CCCCXLIV. & CAROLVS SIGONIVS, de Occidentali Imp. Lib. VIII. initio, p. m. 174. edit. Baſil. A. 1579. for. quadrip. ad annum CCCLXXVI. primum Hunnorum egreſſum, referunt.

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES Romani. MARTIANVS.

Is ex Hungaria, exercitum quingentorum trecentorum millium, duxit in Germaniam, & quam plurimas Vrbes potentissimas; *Basileam*, *Augustam*, *Argentoratum*, *Vormatiam*, *Coloniam*, & plures alias, diripuit. Inde, in Galliam progressus, *Aureliam*, Galliæ Lugdunensis vrbem, obsidione cinxit. Erat tum, in parte Galliæ citerioris, Romanus dux, *Ætius*, qui, suis copiis, Francorum, (quorum Rex *Mæroueus*,) & Gotthorum, (quorum Rex fuit *Theodoricus*,) vires coniungens, apud Tolosam, vrbem Galliæ, cum ATTILA, acri prælio, in campis Catalaunicis, *b*) conflixit. Pugna, ab exortu solis, in noctem vsque durauit. ATTILA, amissis centenis octoginta millibus, in fugam conuersus, *Ætio*, Francis, & Gotthis, victoriam reliquit. *Theodoricus*, Rex Gotthorum, in eo prælio cadit. Postea *Attila*, collectis in Hungaria viribus, & reparato exercitu, Italiam inuadit, *Aquileiam*, post longam obsidionem, diruit, Tergestum, Paduam, Veronam, Mediolanum, & Ticinum, vastat, & se, *flagellum DEI* nominat, vsurpato sibi hoc titulo: *Attila, Bendeguz filius, magni Nemroth nepos, in Engaddi nutritus, DEI gratia, Rex Hunnorum, Medorum, Gotthorum, Dacorum, metus Orbis, Flagellum DEI.*

VRSVLA, Virgo Britannica, cum XI. M. comitibus, ab *Hunnis*, Coloniæ interficitur.

457. ATTILA, qui primum, *Valentiniani* filiam, in vxorem habuit, confecto bello Italico, in Pannoniam reuersus, alteram vxorem, *Micholdim*, Bactrianorum Regis filiam, duxit. Nocte vero nuptiali, *Attilæ*, temulento atque alte stertenti, maxima vis sanguinis, per nares erupit, atque ita supinus, multitudine cruoris suffocatus, fato concessit, anno, ab ingressu Hunnorum in Pannoniam, LXXXV.

Filii Attilæ: ALADAR, mortuus est, nulla post se relicta prole; CHABA, post obitum patris, relicta Pannonia, reuersus est in Scythiam; ERNACVS, succedens patri, regnat annis III.

458. ERNACVS, & DVRICHVS, filii Attilæ, Hunnis præsunt; sed, de successione inter se dissidentes, ab *Ostrogotthis*, bello superati, se cum *Hunnis*, ex Pannonia, in Scythiam recipiunt; in vltima vero *Daciæ*, quæ *Transyluania* vocatur, ora, remanserunt tunc, quædam *Hunnorum* reliquiæ, se *Siculos*, pro *Scythulis*, nominantes.

CAPVT

*b*) De Catalaunicis campis, infra, in IVVENCI Attila, erit disputandi locus. Neque enim, tam facile est eos designare, quam cum vulgo creditur. Quid? quod tota *Attilæ* historia, tam est intricata, quam quæ maxime.

| Annvs, Christi | CAPVT II. | Imperatores Romani. |
|---|---|---|
| | **CAPVT II.** <br> *Oſtrogothi, Rege Valamiro, deuictis Hunnis, Pannoniæ imperant, Annis LXVIII. quorum Reges fuerant:* | |
| 4 6 0. | VALAMIR, Oſtrogotthorum Rex, pulſo *Ernaco*, Pannoniam obtinet. Regnauit ibi, annis. IV. Eſt in ſede Zazváros adhuc hodierna die, pagus *Valamir*, quem ab hoc rege nomen accepiſſe, volunt. | Leo I. |
| 4 6 4. | THEODOMERVS, qui aliis *Tindemerus* vocatur, fratri Valamiro, in regno ſucceſſit; imperat Annis XI. | |
| 4 7 5. | THEODORICVS, filius Theodomeri, Oſtrogotthorum Rex, annis L. Is, *Odoacrum*, Herulum, ſiue Saxonem, qui Regis nomen, in Italia aſſumpſerat, ad Veronam vincit, & Italiam, annis XXXIII. obtinet. | |
| 4 8 8. | THEODORICVS, a Zenone Imperatore, conſulari dignitate, ornatur. | |
| 4 9 7. | THEODORICVS Rex, Rauennam ingreſſus, *Odoacrum*, molientem ſibi inſidias, interemit. | |
| 5 1 5. | HVNNI, Caſpias portas egreſſi, Armeniam, Cappadociam, Galatiam, & Pontum, populati ſunt. | Ivstinvs. |
| 5 2 3. | ZELIOBES, Hunnorum Rex, accepta pecunia, Romanis & Perſis, auxilia fert; & a *Cauade*, Rege Perſico, occiditur. | |
| | *Longobardi*, expulſis Oſtrogotthis, Pannonia potiti, Annis XLII. | |
| 5 3 9. | HVNNI, Europam inuaſerunt, & ad Byzantium vſque, omnia depopulati, Potidæam euerterunt, & CXXM hominum captis, domum rediere. | |
| 5 4 4. | HVNNI, Illyricum inuadunt. | |
| 5 5 1. | HVNNI, Romanorum terras vaſtant, Macedoniam & Thraciam populantur. | |
| 5 6 7. | HVNNI, Thuringiam inuadunt, ſed a Sigiberto, Francorum Rege, victi, & expulſi ſunt. | Ivstinvs II. |
| 5 6 8. | LONGOBARDI, Pannonia Hunnis relicta, Italiam intrant. Pannonia, Calend. April. Longobardi exeunt. | |
| 5 6 9. | AVARIVS, Hunnorum Rex, Pannoniam a Longobardis, ex pacto accepit. Regnat annis XXIX. | |
| 5 7 7. | HVNNI, iterum a *Sigiberto* victi, fœdus cum eo paciſcuntur. | |
| 5 8 1. | CHAIANVS, qui, & aliis Chacamius ( Bajanus, Chaganus, ) dicitur, Rex *Auarum*, ſeu Hungarorum, vir magnæ potentiæ, & magno vſu, militiæ celebris. Hic, occupato *Sirmio*, ad *Anchyalum*, quæ aut *Varna* eſt, aut oppidum vicinum Varnæ, proceſſit; ſed a Mauricio, | Mavricivs *Cappadox*. |
| 5 8 3. | recepto *Anchyalo*, repellitur. | |
| 5 8 8. | CHAIANVS, Myſiam, Scythiam, & Thraciam inuadit, & | |

| ANNVS, CHRISTI | | IMPERATORES Romani. |
|---|---|---|
| | & Commentioli, Orientalis præfecti perfidia, duodecim millia Romanorum, capit, templa delet, & ossa Martyrum, ex monumentis eiicit. | |
| 593. | CHAIANVS, Thraciam denuo populatur. | |
| 600. | Idem CHAIANVS, Dalmatiam inuadit, XL. vrbes diripit, a Prisco præfecto superatus, amissa præda & exercitu, ad propria redit. | |
| 602. | CHAIANVS, tertia vice, hoc vnico anno victus, quarta tandem clade accepta, regno Pannoniæ exuitur. Atque ita Pannonia, tandem Orientis imperio subiecta, variis, per annos CXLII. est agitata casibus. | PHOCAS. |
| 623. | Regnum Saracenorum cœpit. *Mahometh* Arabum, Saracenorum dux & propheta, potens fit. | HERACLIVS. |
| 677. | HVNNI, Constantino Copronymo imperante, septem itineribus, totidemque exercitibus & ducibus, ex Scythia iterum emigrantes, per longum iter, in Transyluaniam veniunt, ibique, tentoria figunt; ex quo facto, quidam volunt *Transyluaniam* vocari, regionem septem castrensem. Postea Pannoniam repetunt, & *Zuatopolugem*, (qui & *Suaten* dicitur,) cum Polonis, in Pannonia late regnantem, bello, duce ARPAD vincunt, atque ita, priores sedes occupant. | |

## CAPVT III.

## *Secundus Ingressus Hunnorum, in Pannoniam, sub Septem Ducibus, quorum hæc sunt nomina:*

ARPAD, filius Almi, prognatus ex Elendo, filio Vgek, qui ex Edo, Edus autem, ex Chaba, filio Attilæ, genitus.

II. ZABOLCHVS, dux alter, vnde *Chákiorum* familia. Hic, in Pannoniæ agro, consedit, vbi antiquitus, oppidum *Chákvár* fuit, *Andreæ*, *Belæ*, & *Leuentæ*, temporibus, dirutum. Ab hoc, *Comitatus de Zabolch*, nomen accepit.

III. GYVLA, a quo *Albam Juliam*, in Transyluania restauratam, & familiam *Gyulay*, propagatam adserunt.

IV. CHVNDVS, aliis KEVVD, ad amnem *Nyrin*, castra fixit, a quo gens *Kendia* deducta.

V. LEHEL, qui eiectis *Bulgaris*, Mysiam occupauit, & ab hoc, *Zuardorum* familia promanasse dicitur.

VI. VERBVLCVS, ad lacum Pannoniæ, quem *Balathonem* appellant, consedit.

VII. VRSVS, septimus dux, in agro *Sejó* constitit. Cæteræ Hunnorum familiæ, pro arbitratu suo, sedes, vltra citraque Danubium, sibi inuenere.

*Genea-*

| Annsv, Christi | | Imperatores Romani. |
|---|---|---|

## Genealogia, Præcipui Ducis, Arpad.

Attila.
Chaba.
Edvs.
Vegecvs, alias *Vgek.*
Elendvs.
Almvs.
Arpadvs.
Zolthan.
Toxis.

Geysa. Hic primus, inter Vngaros fidem Christianam amplexus, & a *S. Adalberto* Episcopo, baptisatus est. Ex eo natus,
- S. Stephanvs, Rex Hungariæ.

Michael.
- Ladislavs Calvvs, & Vasul; ex Ladislao,
  - *Andreas: Bela: Leuente.*

7 5 0. Hvnni, Bohemiam & Morauiam regiones, quas dux *Vratislaus* regebat, inuadunt.

7 9 1. Bellum *Caroli Magni*, cum Hunnis *c*) grauissimum, quod octo fere annis durauit. Vbi vires Hunnorum, ita sunt adtritæ, vt, viuenti Carolo Magno, & posteris suis, obsequia præstiterint. — Carolvs Magnvs.

8 6 5. *Hvnni*, *d*) & Bulgares, Christianum nomen suscipiunt. — Lvdovicvs, Lotarii filius.

9 0 3. Hvngari, excusso tam longæ seruitutis iugo, rebelles fiunt, Morauiam subigunt, Bauariam diripiunt, omnia crudeliter vastant, & in terrorem, sanguinem interfectorum, potant. Sed, a Ludouico III. quarto Idus Augusti, continenti trium dierum prælio, cæduntur. — Lvdovicvs III.

9 0 6. *Hungari*, in Morauia, grauissime cæsi.

9 0 8. *Bavariam*, Vngari, iterum diripiunt, assiduis depopulationibus, & cædibus, omnia late replent.

9 0 9. Saxonia, & Thuringia, ab Hungaris crudeliter vastatur.



*c*) Abares fuerunt, sed Hunnorum consobrini.

*d*) Fuit hæc, *Abarum ad Christum* accessio, Caroli M. pietate, post subactos hostes, procurata; sed temporaria tantum, ob infidæ gentis inconstantiam.

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES ROMANI.

913. HVNGARI, apud Enum fluuium, a Germanis & Bauaris, profligantur.

922. HVNGARI, poſt finitas nouennales inducias, excurſionibus Saxoniam depopulantur. His occurrit, Henricus Auceps, ad oppidum Mersburgum: vbi amplius 40000. Hungarorum, internecione deletis, reliquos fugatos, tota Germania exegit. Alii, hanc Victoriam accidiſſe volunt, anno 934. a nato Chriſto, Hungaris videlicet, a Saxonibus, & Thuringis, tributum poſtulantibus. CONRAD. I. HENRICVS *Auceps.*

926. *Salardus*, Hungarorum dux, Italiam ingreſſus, *Papiam*, igne cremauit.

948. TOXIS, Hungarorum dux, diui *Stephani* Regis auus, cum incredibili copiarum adparatu, Italiam inuaſurus, acceptis a *Berengario* decem modiis pecuniæ, *Italiæ* pepercit, &, in Hungariam rediit.

955. HVNGARI, Otthonis Imperatoris potentiam, aſſiduis bellis adritam rati, copiis denuo, quantis antea nunquam, per *Bauariam*, duce *Geyſa*, in Germaniam, populabundi, irrumpunt. *Ottho* cum his, ad Lycum fluuium, non procul ab *Auguſta*, congreditur, quarto Idus Auguſti, totumque hoſtilem exercitum, inſigni ſtrage afficit. Tres Hungarorum duces, capti & ſuſpenſi. *Conradus*, dux Bauariæ, gener Imperatoris, cum aliis præſtantibus viris, in eo conflictu, occubuit.

## CAPVT IV.

### *Poſt Geyſam Ducem, Res Hungariæ, quæ per aunos CCIV. fere per Duces, ſeu Capitaneos, tantum adminiſtratæ fuerant, facta innouatione, deinceps per Reges gubernari cœperunt.*

969. S. STEPHANVS, qui fuit primus Rex Hungariæ, Auo *Toxe*, Patre vero *Geyſa*, naſcitur *Strigonii*, & a *S. Adalberto* Epiſcopo, & Theodato Comite, de Sacro Baptiſmi fonte lauatur.

984. *Boleslaus*, Dux Bohemiæ, vxorem ducit *Judith*, Filiam Geyſæ Ducis Hungariæ.

997. GEYSA moritur. *Stephanus filius*, Ducatum accipit Hungariæ, annis tribus.

1000. STEPHANVS, Rex Hungariæ I. Is Chriſtianæ fidei fundamenta in Hungaria iecit, & varias leges & edicta tulit, de ſicariis, homicidis, adulteris, latrociniis, & de furtis, capitalia ſupplicia promulgauit. CVPAN Ducem Simigienſem, profligauit. A religioſa in fide Chriſtiana perſeuerantia, cognomentum *Sancti* accepit. Regnauit Annis XXXVII. integris, & aliquot menſibus,

*Eccleſia*

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES ROMANI.

*Ecclesia* Strigoniensis fundata, nomen metropolitanæ accepit.

*Templum* Diuæ MARIAE Virginis, in Alba Regali, vbi Reges coronantur, & vbi Regum Hungarorum corpora sepeliuntur, fundari cœpit.

1002. Bellum ciuile, inter Regem *Stephanum*, & *Gyulam*, auunculum, ob religionem. Hoc tempore *Transylvania* Hungariæ adiecta est, *Gyula* Duce, cum vxore & liberis, capto.

GISELA, Henrici Imperatoris soror, *Stephano*, Hungariæ Regi, in vxorem desponsata. Cum ea quam plurimæ ex Germania *e*) nobiles familiæ, in Hungariam ingressæ sunt. Inter quas, *Hermannum* quoque, quem annales Hungarorum vetustissimi, Norembergensem fuisse tradunt, vna venisse constat. A quo *Hermanno*, ciuitatem *Cibiniensem* primum fundari cœptam, & a fundatoris nomine, VILLAM HERMANNI appellatam esse, verisimile est. Huic sententiæ suffragatur inscriptio autentici sigilli, quo *Cibiniensis Respublica*, adhuc hodie vtitur, sic sonans: SIGILLVM CIVIVM DE VILLA HERMANNI.

1031. Bellum *Stephani*, cum *Conrado* Imperatore.

EMERICVS S. Stephani Regis filius, moritur.

1032. STEPHANVS Rex, per legatos cum Imperatore pacem fecit.

1038. S. STEPHANVS, ex febre moritur, in festo *Assumptionis Mariæ*, in Basilica Albensi, ab ipso condita, sepultus.

1039. PETRVS, cui cognomen *Alemanno* fuit, filius *Guilhelmi*, fratris *Sigismundi* Burgundiorum Ducis, & *S. Stephani* ex sorore nepos, vir crudelis, & superbus, Hungariæ Rex II. Ann. III. Hic Hungariam, dici voluit *Angariam*, quasi perpetuo angore, eam angi oporteret. HENRICVS III. alias *Niger*.

1042. ABA, (quem alii *Albinum*, plerique *Otthonem f*) nominant) sororius *S. Stephani*, pulso *Petro*, Hungariæ rex creatur, Anno I. *Petrus* regno eiectus, ad Imperatorem confugit.

1043. HENRICVS Imperator, Hungariam ingressus, *Petrum* Regem restituit. Regnat Ann. IV.

1044. Idem Imperator I. Hungariam denuo ingressus, *Hungaros* ad firmandam pacem cogit.

1045. Idem Imperator Hungariam tertio ingressus, *Abam*, cum omni familia fugat, restituto *Petro*.

*Quinque Ecclesiæ*, Ciuitas Hungariæ, condita.

1047. ANDREAS, Calui Ladislai, patrui D. *Stephani* filius,

M 2 Hun-

*e*) De his, videndus est, M. IOH. THVROCZIVS, Chron. Hung. Parte II. Cap. X. seq.

*f*) *Ouonem*, non plane nulli. Reuera autem Hungaricum nomen ABA fuit: quod retinet hodieque, rudus castri, & Comitatus *Aba-Ujvárienses*.

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES ROMANI.

Hungarorum Rex IV. Ann. XII. Ab hoc Hungarica gens, quæ ad Scythicam profanitatem reciderat, iterum ad *Christianam* fidem conuertitur. Bohemos, Australes, & Polonos, tributarios fecit. Bello a fratre *Bela*, ad amnem Tisiam victus, moritur, & in *Cœnobio Tybonienſi*, iuxta lacum Balathonem, quod ipse fundauerat, sepelitur. Ex *Agmunda*, Ruthenorum Ducis filia, genuit *Salomonem*, & *Dauidem*: ex pellice vero, *Georgium* suscepit.

1060. BELA I. Hungariæ Rex V. *Andreæ* frater fuit, a *Boleslao* Poloniæ Rege, in regnum restitutus, regnauit Ann. III. in Oppido *Themesio* moritur, ac in monasterio *Zegzardino* sepelitur. Tres filios, *Geysam*, *Ladislaum*, & *Lampertum*, post se reliquit.

Primus, in Hungaria, ex argento monetam signauit, forum & pretia rebus sanxit, mensuras & pondera constituit.

HVNGARI, iterum in religione claudicant.

1063. SALOMON, Andreæ filius, Rex Hungariæ VI. Is, cum a *Bela* Regno exactus fuisset, ab Imperatore, affine suo *Henrico*, magna strage copiis *Belæ* fusis & disiectis, in regnum reponitur. Regnat ann. XIII.

1064. SALOMON, anno secundo regni sui, Albæ Regiæ coronatus, *Geysa*, *Ladislaus*, & *Lampertus*, Duces Hungariæ, ad *Boleslaum* Regem Poloniæ fugiunt.

1074. Bellum inter *Geysam* & *Salomonem*. *Henricus*, pulso Salomoni, frustra auxilia tulit; victoria, *Geysa*, & *Ladislaus*, Duces potiti.

1075. GEYSA, superato & fugato *Salomone* patruo, VII. Rex Hungariæ, annis III. Huius tempore, Hungaria bellis ciuilibus grauiter afflicta est. Moritur *Geysa*, septimo Calend. Maii, relictis post se, *Colomanno*, & *Almo* filiis, & Vaciæ, in templo *Beatæ Virginis*, quod ipse construxit, sepultus iacet. Anno primo regni *Geysæ*, durissima fame, Hungaria laborauit.

1078. LADISLAVS, eius nominis I. frater *Geysæ*, VIII. Hungariæ Rex, princeps, fortitudine, pietate, & vitæ sanctimonia, clarus, cognomen *Sancti* accepit. Regnauit ann. XVIII. & menses aliquot.

*Dalmatia* & Croatia, *g*) Regno Hungariæ adiecta.

CHVNI, seu Rutheni, frequentibus incursionibus Hungariam vexantes, insigni victoria prostrati.

Rutheni, & Poloni, domiti. Ciuitas Cracouiensis, Polonorum regia, expugnata.

*Templum* Beatæ MARIÆ Virginis, *Varadini* fundatur.

1082. *Boleslaus*, regno Poloniæ, in Hungariam excedens, at

*g*) Conferendus omnino est, IOHANNES LVCIVS, de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, Lib. III. Cap. I. sequ. p. 105. edit. Amstel. 1668. fol. scriptor, fide dignissimus.

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES ROMANI

& ob exilii difficultates, in amentiam lapsus, a canibus suis voratus est.

1095. S. LADISLAVS, Hungariæ Rex, moritur, quarto Calend. Augusti. Varadini, in templo *Beatæ Mariæ Virginis*, a se fundato, quiescit.

COLOMANNVS, Geysæ regis filius, Rex Hungariæ IX. atroci & crudeli ingenio præditus, fratrem *Almum*, vna cum filio infante *Bela*, excæcari fecit. A Ruthenis grauiter bello superatus. Iste *Colomannus*, primus Episcopus Varadiensis, qui permissu summi Pontificis, deposito sacerdotio, tandem in regem creatus fuisse dicitur. Mortuus est, cum regnasset ann. XIX. completos, & mensem vnum, Albæ Regiæ, Nonis Februar. sepultus. Reliquit post se, *Ladislaum*, & *Stephanum* filios. HENRICVS V.

Simultas, inter *Colomannum*, & *Almum*, fratres, exorta. Almus, priuatus sua dignitate ducali, ad *Henricum* Imperatorem confugit.

*Hungariæ* & Poloniæ reges, fœdus contra Imperatorem feriunt.

*Dalmatia*, a Venetis, qui eam occuparant, erepta, *h*) & Hungariæ adiecta.

1114. STEPHANVS II. adolescens, patri *Colomanno* successit superbia, feritate, & crudelitate, patri similis, regnauit annis XVIII. Is a vulgo fulmen dictus, quod omnia subito furore animi, sine consilio & matura deliberatione, aggrediebatur.

1118. STEPHANVS, Rex Hungariæ X. Roberti Guischardi filiam vxorem duxit: cum Cumanis perpetuam pacem habuit: cum Imperatore Constantinopolitano *Calo-Ioanne*, ad Carasum amnem, infeliciter pugnauit. Abdi- LOTHARIVS.
1131. cato regno, factus est monachus, Agriæ mortuus, & Varadini sepultus.

1132. BELA II. filius *Almi*, fratris Stephani, a Colomanno oculis priuatus, & ideo *Cæcus* appellatus, XI. Rex Hungariæ. Vir, in consultationibus & deliberationibus acutissimi ingenii, ac iudicii, probitate & sapientia celebris. Regnauit Ann. IX. Mensibus XI. Diebus 12. Ex *Helena*, Comitis Seruiæ filia, suscepit filios: *Geysam*, *Ladislaum*, *Stephanum*, & *Almum*.

Post *Borichum*, Colomanni regis filium, qui regnum affectabat, memorabili clade profligatum, pie decessit, Albæ sepultus.

1141. GEYSA II. primogenitus Belæ cæci filius, Hungariæ Rex XII. Princeps pius, & humanus, regnauit ann. XX. Mens. III. Genuit filios: *Stephanum*, *Belam*, *Geysam* & *Arpad*. Vicit Teutones, Saxones, & Bauaros, qui *Posonio* occupato, Hungariam populabantur. Eam vero CONRADVS II.



*h*) Idem, inibi, Cap. V. & VI.

victoriam, grauiſſima in Hungaria fames ſubſecuta eſt. Mortuus, anno Domini, 1161. in Alba Regali ſepultus. IMPERATORES Romani.

SAXONES Tranſiluani, & ſedes, & priuilegia, a Rege *Geyſa* acceperunt, ſicut id teſtantur diplomata regia, genti *Saxonicæ* conceſſa.

Expeditio magna in Terram Sanctam.

1162. STEPHANVS III. filius *Geyſæ*, Hungariæ Rex XIII. Regnauit ann. X. mens. IX. diebus 3. ſine hærede deceſſit. Fuit is Venetis in Dalmatia, & Emanueli Imperatori Conſtantinopolitano, valde infeſtus, contra quos multa geſſit. In Arce *Zemlyén* moritur, ac in templo Strigonienſi ſepelitur. FRIDERICVS I. Barbaroſſa.

1172. LADISLAVS, Belæ Cæci filius, cum anno dimidio regnaſſet, moritur. Huic ſuccedens STEPHANVS, eius nominis IV. frater *Ladislai*, regnat menſibus quinque. Hunc, *Bela III.* frater ſuperioris *Stephani*, bello vincit, & regnat in Hungaria. XIV. Rex, annos XVIII. mens. 1. dies 19.

1188. Bellum, inter Polonos, & Hungaros, ob *Vladislaum* Ducem Halicienſem, qui ad *Belam* Hungariæ Regem transfugerat, & ab eodem in Ducatum reſtitutus fuerat.

1190. BELA III. Rex Hungariæ, Calend. Maii. Albæ moritur, ac ibidem ſepelitur. Filios habuit, *Emericum*, & *Andream*.

1191. EMERICVS, Belæ filius, Hungariæ Rex XV. regnauit ann. VIII. Mens. 7. Dies 6. ex Conſtantia, Regis Arragoniæ filia, Ladislaum genuit. HENRICVS VI.

1193. Pax perpetua, inter Polonos & Hungaros, firmata.

1200. LADISLAVS, Emerici filius, regnat menſes ſex, coronatus 24. die Septembr. Mortuus, Albam Regiam delatus eſt. PHILIPPVS Barbaroſſæ Filius OTTO IV.

1201. ANDREAS II. Belæ III. filius, XVII. Rex Hungariæ. Hic, ab expeditione in Terram Sanctam, vna cum Imperatore *Friderico II.* & aliis Chriſtianis principibus, aduerſus Babyloniorum Sultanum ſuſcepta, cognomen *Hieroſolymitani* habuit. Regnauit annis XXXIV. Ex *Gertrude*, filia *Bertholdi Bauari*, Dalmatiæ & Hiſtriæ Ducis, ſuſcepit: *Belam*, *Colomonnum* & *Andream* filios, & *S. Eliſabeth*, quam *Ludouicus*, Landgrauius Thuringiæ, vxorem duxit, fæminam, a pietate celeberrimam. FRIDERICVS II. Barbaroſſæ Filius.

1223. CIBINIENSIS Ciuitas, ab *Andrea* Rege priuilegiis donata, & circa hoc tempus adhuc *Villa Hermanni* nominata. Ab eodem rege, Hungarica nobilitas, ſuæ libertatis priuilegia obtinuit, & in huius regis conſtitutiones *i*) omnes Hungariæ reges, tempore inaugurationis, iurare ſolent.

Memo-

*i*) Abrogatum eſſe, certa ſui parte, & quæ offenſæ habebat plurimum, notius eſt, quam vt monere ſit neceſſum.

ANNVS CHRISTI. | IMPERATORES Romani.

Memorabile, antiquæ grauitatis & ſapientiæ exemplum. Poſt diſceſſum *Andreæ* regis, in expeditionem Hieroſolymitanam, *Ottho* frater reginæ *Gertrudis*, venit
1228. in Hungariam, ſororis ſalutandæ gratia. Is, cum ex familiari conſuetudine adamatam coniugem *Bancabáni*, præcipui gubernatoris, cui regni & coniugis, ac liberorum curam, rex *Andreas*, demandauerat, vel conſenſu, vel ope reginæ, ſtupraſſet; *Bancabánus*, contumelioſam iniuriam vlturus, reginam *Gertrudem*, iteratis vulneribus obtruncauit. Ab hac cæde, eum *Andreas* Rex, e Terra Sancta reuerſus, publico iudicio abſoluit.

1233. TARTARI primo deuaſtarunt Regnum Hungariæ.

1236. BELA IV. Andreæ Hieroſolymitani filius, Hungariæ Rex XVIII. annis 35. probus fuit princeps, ſed bellator infelix. Ex *Maria*, Imperatoris Conſtantinopolitani filia, genuit *Belam*, qui viuo patre deceſſit, & *Stephanum*. A BATHI, Tartarorum rege, qui denuo magnis viribus, Poloniam & Hungariam ingreſſus, populatione, igne & cæde, omnia late compleuerat, funeſta ſtrage victus, & ad inſulas maris Adriatici fugatus eſt. Atque ita Tartari, Hungaria triennio potiti; quo completo, Tartariſque ex Hungaria abeuntibus, *Bela* Rex, Rhodianorum militum, quos *Crucigeros* vocant, & Frangepannum Comitum auxiliaribus copiis, regno reſtitutus eſt. Sepultus *Strigonii*. CONRADVS IV. Seuus.

## CAPVT V.

### *A Stephano Primo Rege, vſque ad Deuaſtationim Tartaricam, ſub Bela IV. factam,*

*elapſi ſunt Anni CCLVII. tempus dimidiæ Periodi, valde fatalis.*

1259. BOLESLAVS rex Poloniæ, metu Tartarorum, in Hungariam fugit.

1260. Bellum, cum *Otthocaro* rege Bohemiæ, die *S. Margarethæ*.

1271. STEPHANVS V. Belæ quarti filius, Hungariæ rex XIX. regnauit ann. II. Bellator felix. *Otthocarum* vicit; *Budam k)* cepit; Bulgaros, & vniuerſam Myſiam, imperata facere coegit. In inſula Budenſi moritur, ſuperſtitibus liberis, *Ladislao*, & *Maria*, quæ nupſit *Carolo Claudo*, regi Siciliæ. RVDOLPHVS CÆSAR.

1273. LADISLAVS IV. qui *Kún Lászlό* appellatus eſt, patri ſucceſſit, XX. rex Hungariæ. Regnauit ann. XVII. in-

N 2

k) Nihil rei STEPHANO, cum *Buda* fuit: quippe patri, ſibique obnoxia. *Bodum*, Bulgarorum metropolis fuerat, inquam cepit. Vide, BONFINIVM, Dec. II. Lib. VIII. p. 303, 22.

| ANNVS, CHRISTI | | IMPERATORES Romani, & Turcici. |
|---|---|---|
| | interfectus a suis famulis, iuxta castellum *Kereszegh*, sine hærede decessit, Chánadini sepultus. | |
| | Tartari iterum Hungariam inuaserunt, omnia, vsque ad *Pestum*, longe lateque vastantes. | |
| 1290. | ANDREAS III. nepos *Andreæ* II, cognomento *Venetus*, eo, quod matre *Veneta* natus, & *Venetiis* educatus fuit, Rex Hungariæ XXI. regnauit ann. XII. Austriam, secundo anno regni sui, bello domuit. Mortuus *Budæ*, nulla post se relicta sobole, in templo *S Joannis Euangelistæ* sepelitur. | |
| 1299. | Circa hæc tempora *Bonifacius VIII.* Papa, efflagitantibus Hungariæ principibus, *Carolum Robertum*, Caroli Martelli, Siciliæ regis filium, nepotem vero *Caroli* | |
| 1300. | *Claudi*, & *Mariæ*, ac pronepotem *Stephani V.* Hungariæ regis, in Hungariæ regem declarat. Is statim, *Venceslaum*, Bohemiæ regis filium, & *Otthonem* Ducem Bauariæ, competitores habuit. Prima fuit hæc pernicies, & initium mutationis & ruinæ regni Hungariæ. | *Ottomannus* I. Turcar. Imperat. Regnat annis XXVIII. |
| 1302. | VENCESLAVS, quem Hungari *Ladislaum* appellant, per factiosos quosdam Episcopos, in regem Vngariæ eligitur, regnat ann. III. | ALBERTVS I. |
| 1305. | OTTHO, Dux Bauariæ, a Vesprimiensi & Chánadiensi, Episcopis, apud *Albam* Rex salutatur. Regnat annis IV. fere. | |
| 1308. | OTTHO, a Ladislao Vaiuoda Transyluano captus, in carcerem coniicitur. Hungari, ob non receptum *Carolum Robertum*, a Papa *Clemente V.* excommunicati. | |
| 1310. | CAROLVS I. omnium Hungarorum consensu, rex Hungariæ factus. Regnauit solus ann. XXXII. | |
| 1315. | MARIA, regis Poloniæ *Casimiri* filia, vxor regis *Caroli*, in Temesvár mortua, *Albæ Regiæ* sepelitur. | |
| 1318. | BEATRIX, filia Regis Romanorum, vxor *Caroli* secunda, eodem, quo regi nupserat, anno, moritur. *Varadini* sepulta. | |
| 1320. 1328. | CAROLVS, Rex Hungariæ, *Elisabetham*, Vladislai regis Poloniæ filiam vxorem duxit, ex qua *Carolum*, qui intra annum mortuus, & *Ladislaum*, quem pater, exacto fere lustro, amisit: item, *Ludouicum*, & *Andream*, suscepit. | *Orchanes*, II. Turcar. Imper. Regnat annis XXII. |
| 1332. | EXPEDITIO *Caroli* regis contra *Bazaradum* Vaiuodam Valachorum, infelix. | LVDOVICVS Bauarus. |
| 1335. | Conuentus in *Vissegrádo*, *Joannis* Bohemiæ, *Casimiri* Poloniæ, & *Caroli* Hungariæ Regum. | |
| 1342. | CAROLVS Rex Hungariæ, princeps, pace, & bello felix, postteaquam fines regni plurimum auxisset, adiecta Hungariæ *Dalmatia*, *l*) & *Croatia*, *Bosna*, *Bulgaria*, *Ser-* | |

*l*) Vide LVCIVM, de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, Lib. IV. Cap. X. sequ. p. 186.

Annvs Christi | *Seruia*, *Ladomeria*, *Russia*, *Comania* &c. 16. die Augusti in *Vissegrádo*, moritur. Inde *Budam*, postea *Albam Regiam*, translatus, honorifice & magnifice sepultus est. | Imperatores Romani, & *Turcici.*

1343. Lvdovicvs I. Caroli filius, Rex Hungariæ. Regnauit annis XL. mense vno, diebus 22. In finibus Transyluanis Saxones domuit. *Alexandrum* Vaiuodam Trans-
1350. alpinum, item *Moldauos*, & *Ruthenos*, ad præstanda obsequia coegit.

1353. Tartari Duce *Atlauo*, Hungariam & Transyluaniam populantes bello superantur. | *I. Amurathes*, III. Turcar. Imperat. regnat annis XXIII.

Dalmaticum bellum. *m*)

Neapolitanum bellum.

1357. Lvdovicvs contra Venetos bellum mouet, & plusquam XLM equitum in Italiam ducit, *Taruisium* obsidet. | Carolvs IV.

1359. Venetis pacem petentibus, *Ludouicus* humaniter concessit, & vrbes, Marte prius occupatas, pacta pace, eisdem restituit.

1371. Lvdovicvs Hungariæ Rex, etiam Poloniæ Rex declaratur, regnat annos XII. | *I. Bajazetes*, IV. Turc. Imp. reg. an. XXVI.

1376. Seditione orta, centum & sexaginta Nobiles Hungarorum, *Cracouiæ* trucidati.

1379. *Veneti*, iterum a rege Hungariæ, graui bello afflicti. Anno secundo post, pax, inter *Venetos*, & *Ludouicum* facta. | Venceslavs Bohemus.

1382. Lvdovicvs, cum *Sigismundum*, ex *Carolo IV.* progenitum in filium adoptasset, promissis ei filiæ *Mariæ* nuptiis, & regno in dotem, adhuc antequam *Sigismundus* annos pubertatis attigisset, ex hac vita decessit, XI die Septembr. relictis post se filiabus *Maria*, & *Heduige*, quarum illa, *Hungariæ*; hæc vero *Polon*iæ regina facta est.

1383. Maria Ludouici regis filia, Hungariæ Regina annis duobus.

1385. Carolvs Neapolitanus, fraude primatum, regnum Hungariæ occupat. Sed in arce *Budensi*, vidua *Ludouici* hunc veneno interimi curauit, vt futuro genero, *Sigismundo*, regnum pacatum traderet. Necem *Caroli* vltus est, *Joannes Horuáth*, Banus, qui reginam in aquas demersam suffocauit.

Nicolavs *Gára* ob fidem erga reginam clarus.

1387. Sigismvndvs, Caroli IV. filius, Marchio Brandenburgensis *Mariæ* reginæ maritus, Hungariæ Rex XXVI. regnauit ann. LI. Statim, susceptis ornamentis & insignibus regiis, & nuptiis celebratis, de *Joanne Horuáth*, parricida, & aliis triginta duobus, apud vrbem Quinque Ecclesiensem, supplicium sumsit.



*m*) Res Lvdovici, pro *Dalmatia*, *Neapoli*, & cum *Venetis* gestas, omnium adcuratissime, quia ex Diplomatibus, & coæuis schedis, descripsit Lvcivs. Loco cit. Cap. XV. sequ. & Lib. V. Cap. I. p. 238.

| ANNVS, CHRISTI | | IMPERATORES Romani, & *Turcici.* |
|---|---|---|
| | CROATIAM & Boſnam, *Sigismundus* ſuæ poteſtati ſubegit. | |
| 1389. 1390. | MOLDAVIA domita & recepta, Vaiuoda *Stephano* iurare coacto, ſe regi Hungariæ tributum quotannis de more ſoluturum. | |
| 1392. | Expeditio *Sigismundi* contra Valachos, qui Turcas euocauerant. Victor rediens, *Mariam* vxorem mortuam inuenit. | |
| 1395. | SIGISMVNDVS, cum Turcis ad *Nicopolim* (quæ monimentum eſt victoriæ, quam *Trajanus* de Dacis deuictis retulit) in vigilia *S. Michaelis*, infeliciſſime, ob *Gallorum* leuitatem, petulantiam, & inſolentem præripiendæ pugnæ cupiditatem, confligit, & accepta ingenti clade, per Danubium paruo nauigio traiicit, & fuga elapſus, primo *Conſtantinopolim*, deinde *Rhodum*, demum *Dalmatiam*, *Croatiamque* peruenit. | |
| 1399. | SERVIA, & *Valachia*, Mahometi Imperatori facta tributaria. | |
| 1400. | LADISLAVS, ex Apulia, in regnum Hungariæ euocatur. | RVPERTVS. |
| | *Sigismundus*, regnum repetens capitur, & in caſtro *Soklós*, ad exquiſitam corporis pœnam cuſtodiendus, feminæ viduæ, cuius maritum, e nobili *Garaorum* familia, inter factioſos ſupplicio affecerat, traditur. | |
| 1402. 1404. | SIGISMVNDVS, e vinculis placato, promiſſis ampliſſimis iratæ viduæ animo, diuinitus liberatur, & in Morauiam deducitur, nec multo poſt recepto præſidiisque firmato regno, Stephanum Vaiuodam autorem coniurationis, capitali ſupplicio afficit. | *I. Mahometes*, Turc. V. Imper. reg. an. XIV. |
| 1408. | PANNONIAE, & Apuliæ regna, variis procerum cædibus turbantur. | |
| 1410. | SIGISMVNDVS Rex Hungariæ, in Ruperti Imperatoris Germani ſucceſſorem creatur, imp. ann. XXVIII. | SIGISMVNDVS. |
| | STEPHANVS, Valachiæ Princeps, Alexandro ſuccedit. | |
| 1412. | Pax inter *Sigismundum*, & *Jagellonem* Polonum facta. | |
| 1416. | SIGISMVNDVS Imperator, conciliandæ pacis cauſſa, tam Francorum, quam Anglorum regem, ſed fruſtra conuenit. | |
| 1419. | ALEXANDER, Moldauiæ Vaiuoda, regi Poloniæ fidelitatem iurat. | |
| | SIGISMVNDI Imperatoris & Jagellonis conuentus, vbi bellum in Cruciferos Pruſſiæ concluſum & reſumptum. | *II. Amurathes* Turc. VI. Imper. reg. an. XXXI. |
| 1421. | SIGISMVNDVS Imperator, Pragam obſedit, qua relicta in caſtro *Sancti Venceslai*, coronam regni Bohemiæ accepit. | |
| | Eodem anno, *Amurathes* Turcarum Imperator, terram Bar- | |

ANNVS CHRISTI. | IMPERATORES Romani, & Turcici.

*Barcensem* n) deuastat, senatum *Coronensem* abducit, residuo populo, in arce Coronensi, seruato.

*Stephanus Lossonczius*, in regione Transalpina, in prælio contra *Danum* Vaiuodam cadit.

1432. Idem Turcarum Imperator iterum terram *Barcensem*, & vrbem *Coronensem*, ferro & igne populatur.

1433. SIGISMUNDVS, ab *Eugenio IV.* Papa, Imperiali Corona donatur.

1437. SIGISMVNDVS, in vrbe Morauiæ *Znoyma*, IX. die Decembr. annum agens *septuagesimum septimum*, placide decessit: anno imperii XX. regni Hungarici LI. regni Bohemici XVII. Cadauer, regio apparatu, *Varadinum* translatum, & ibi honorifice sepultum est. Coniuges habuit duas: prima fuit *Maria*, Ludouici regis Hungariæ filia, quam amisit primo a nuptiis anno. Altera *Barbara*, Hermanni Comitis Ciliæ filia, profligatissimæ impudicitiæ & lasciuiæ femina. Ex ea vnicam filiam genuit, *Elisabetham*, hæredem regni, quam *Alberto* Austriaco, desponderat.

1438. ALBERTVS Austriacus, gener *Sigismundi*, cum Imperio Romano, simul duo potentissima regna, *Hungaricum*, & *Bohemicum*, anno vno, obtinuit, *Albæ*, Calendis Januariis, Hungariæ Rex salutatus, imperat annum I, menses VIII. ALBERTVS II.

*Sabesus*, Ciuitas Transyluaniæ, ab *Alba Julia* vrbe vetustissima, stadiis distans XXXII, a copiis *Amurathis* obsessa, capitur. Vastata tunc est ferro & igne, *Hungaria*, *Bosnia*, *Albania*, *Græcia*, *Valachia*, & *Transyluania*, quam plurimis in tristissimam captiuitatem abductis.

1439. ALBERTVS Rex Hungariæ, ex perniciosa dissenteria, in quam ex nimis assiduo peponum esu inciderat, non procul a *Strigonio*, in festo *Simonis* & *Judæ*, decessit, relicta *Elisabetha* coniuge grauida.

1440. LADISLAVS, Alberti filius, 22. die Februarii *Comoræ* nascitur, & vix quatuor mensium infans, per Archi-Episcopum Strigoniensem, in Hungariæ regem, coronatur. Eodem quoque tempore, scissione procerum Hungariæ, in partes facta, *Vladislaus*, rex Poloniæ, in Hungariæ regem eligitur. Regnat ann. IV. Ea res in bellum graue & perniciosum erupit; parte procerum *Vladislaum* deposcente, nonnullis vero, reginæ, & regis posthumi, partes tuentibus. FRIDERICVS III.

Eodem anno, *Amurathes*, superiorem Mysiam, quam nunc Rasciam vocant populatur, & Thessalonica, Venetis per vim adempta, in Ætoliam & Epyrum, castra mouet.



n) Prouinciola est, *Coronæ* vrbi confinis, ab annonæ fertilitate, opportunitatibusque aliis, celebris.

Annvs Christi. | Imperatores Romani, & Turcici.

1442. Joannes Hunyades, Comes Bistriciensis, & Vaiuoda Transyluanus, pater *Matthiæ* regis, cum *Amurathe*, qui Belgradum, seu Albam Græcam, prius Taurunum dictam, & ad Danubii & Saui fluenta sitam, obsederat, confligit, & eum magna clade afficit; *Seruiam*, *Bulgariam*, & *Moldauiam* recipit. In eo bello Hunyades, *vno* & eodem die quinquies, cum Turcis congressus, quinque victoriis, sextam quoque addidit, sub noctem *Anatoliæ Bassa*, cum *triginta millibus* Turcorum, ad internecionem cæsis.

Hvnyades in Transyluania, *Bassam Mezetum*, circa villam S. Emerici, & *Bassam Sabatinem*, circa Vaskapu, fundit.

1443. Terræ motus, Hungariam, Poloniam & Bohemiam concutit.

*Carambeius*, quem Hunyades in bello ceperat, precio *quinquaginta millium ducatorum* redemtus, dimittitur.

Amvrathes, tot acceptis cladibus, a *Vladislao* rege Hungariæ pacem petit, quibus victor vellet conditionibus. *Vladislaus* præscribit conditiones, vt *Amurathes* cedat tota Seruia, præsidia ex arcibus & oppidis, quæ adhuc tenebat, deducat, reddat *Georgio Despotæ*, liberos & fortunas ereptas, omnibus iniuriis deinceps abstineat, neque *Moldauiam*, neque amissam *Bulgariæ* partem, repetat. *Amurathes* solam sibi Bulgariam integram relinqui petit. Qua concessa, pax, in annos *decem*, conclusa, & iureiurando sancita est.

1444. Pax inter *Vladislaum*, & *Amurathem* facta, rumpitur. Nam *Julianus Cæsarinus Cardinalis*, & Eugenii Papæ legatus, ad regem, sacri belli suadendi caussa, a Pontifice missus, audiens inducias cum Turca factas esse, persuadet *Vladislao* regi, vt cum Turcis percussa fœdera disrumpat. Non posse enim cum Turca, tanquam totius Christianitatis hoste pacem fieri, sine consensu Papæ, & nulla omnino esse vincula, quæ Christianos obstringant, vt infidelibus fidem seruare teneantur. Sperabat autem legatus Pontificius, Turcas facile vinci posse, cum *Vladislaus*, & Hungarorum, & Polonorum copiis esset instructissimus. *Vladislaus* itaque Julianum audiens, fœdus violat, fidem fallit, & exercitum *octoginta millium* militum, contra Amurathem ducit, ad Varnam, Bulgariæ vrbem vsque, quæ ab antiquis *Dionysiopolis* vocata est, & ibi subsistit; etiamsi *Hunyades*, qui populi sui vires, & Turcarum potentiam satis perspectam habebat, bellum vehementer disuaserit. Fertur quoque, *Draculam*, Valachiæ Vaiuodam, *Vladislao* auxilia petenti, bellum disuasisse, & per filium suum, quem cum *viginti mille* equitibus auxiliatum miserat, Vladislao nunciasse,

| ANNVS CHRISTI. | | IMPERATORES Romani, & Turcici. |
|---|---|---|
| | ciasse, donare se ei acrem & velocissimum equum, qualem item & filio dedisset: se enim non cogitare aliud, quam vincendos & feriendos esse eos; ideo, ad manum habendos esse hosce equos, vt vrgente necessitate, equorum celeritate, periculum euadant. Hunyades, regis exercitum o) disponit. Eductis X. die Nouembris vtrinque copiis, totos tres dies & noctes, ancipiti fortuna pugnatum est, & iam victoria ad Christianos inclinante, *Varadiensis* & *Strigoniensis* episcopi, fugientem hostem intempestiuius secuti, deserta statione sua, Turcis aditum perrumpendi castra regia præbuerunt. Et quamuis Christiani strenue se defenderent, trucidatis Turcis quamplurimis, tamen Turcæ, multitudine superiores vicerunt. | |
| | VLADISLAVS Rex iuuenis, post acerrimam pugnam, equo prolapsus, interficitur. *Julianus Cardinalis*, in fuga quoque occiditur. *Hunyades* per montes, paludes, & siluas inaccessas fugiens, euasit. Facta est hæc strages in *D. Martini profesto*, scilicet X. die Nouembris, cum maximo totius Christianæ Reipubl. detrimento. | |
| 1445. | LADISLAVS, Alberti Romani Imperatoris filius, regno Hungariæ præficitur; sed in tenella adhuc ætate, *Joannem Hunyadem*, tutorem accipit. | |
| 1448. | Pugna Vaiuodæ Joannis Hunyadis in *Campo Merulæ*, | *II. Mahometes*, Turc. VII. Imp. reg. annos XXXII. |
| 1450. | Hungaris *Rigómezö* vocato, circiter festum *S. Lucæ* Euangelistæ. | |
| 1452. | Athenæ, per Mahometem, solo æquatæ. | |
| 1453. | Constantinopolis, post longam obsidionem, a Mahomete, filio Amurathis, XXIX. die Maii capitur. | |
| 1456. | JOANNES Hunyades, strenuus totius Reipubl. Christianæ propugnator, *Mahometem*, Amurathis successorem, a Belgradi obsidione, VI. die Augusti, fortissime depulit, fusis circiter *quadraginta mille* Turcarum, vbi victor *Hunyades*, ex continui duarum dierum prælii laboribus, in aduersam valetudinem coniectus, X. die Septembris, placide *Zemlini* moritur, relictis post se, *Ladislao*, & *Matthia*, filiis. | |
| | *Joannes Capistranus*, Hunyadis, in propugnando *Belgrado* collega, monachus minorita, a Papa *Nicolao*, in Germaniam & alias regiones, ad prædicandam obedientiam missus, vt suæ doctrinæ autoritatem faceret, ludos, aleam, conuiuia, saltationes &c. prohibuit. Ob quam seueritatem, & alios insignes actus, a multis pro sancto | |



o) Fertur, Agriensem Episcopum, virum acrem & militarem, *Hunyadyo*, castra curribus præmunienti, identidem dictitasse: *non curribus, sed cruribus, præmuniri aciem oportere*; Lacedemonios æmulaturus, quibus viri, pro muris erant.

ANNVS CHRISTI. | IMPERATORES Romani, & *Turcici.*

DEI homine habetur, etiam hoc anno moritur, in oppido *Vjlak* ſepultus.

VLRICVS, Ciliæ Comes, a *Ladislao* Comite, Joannis Hunyadis filio, in Albenſi arce obtruncatur.

1457. LADISLAVS Rex Hungariæ, annum XVIII. ætatis ingreſſus, dum ſe ad nuptias parat, *Pragæ*, veneno extinguitur, anno coronationis ſuæ, decimo ſeptimo.

1458. MATTHIAS Hunyades, alias Coruinus, Rex Hungariæ XXXI. electus & declaratus. Regnat annis XXXIII. Corinthus hoc anno a Turcis capta.

1460. Ingreſſus MATTHIAE regis in Moldauiam.

1462. DRACVLA, Vaiuoda Tranſalpinenſis crudeliſſimus tyrannus, per regem *Matthiam* capitur.

1463. MAHOMETES II. ſuperiorem Myſiam & Illyricum adgreſſus, *Stephanum* regem, vrbe *Jaicza*, totoque regno expulit, & viuum excoriauit. Sed Boſnenſe regnum, vna cum vrbe, paullo poſt, *Matthias Coruinus*, Hungariæ regnum adeptus, fuſo, fugatoque ingenti exercitu, qui venerat populatum Sirmienſes agros; item multa alia in vicina Croatia & Dalmatia, prius a Turcis occupata, recepit, & Mahometem reuerſum ad alteram obſidionem, caſtris atque impedimentis omnibus exutum, repulit.

1464. MATTHIAS Coruinus, *Albæ Regali*, in frequentiſſimo, omnium Procerum & Magnatum conuentu, circa diem Paraſceues, regio diademate coronatur.

1465. MICHAEL ORSZÁGH, ſapientia, fide, & militaris rei peritia, & ſingulari in rebus agendis felicitate celebris, in generali optimatum regni Hungariæ conuentu, *Szegedini* celebrato, a rege, Palatinus declaratur.

1466. MATTHIAS Rex, ob rebellionem, autore quodam *Benedicto Vörös*, tentatam, & quia *Joannes Comes de S. Georgio*, Vaiuoda Tranſyluanus, a rebellibus Tranſyluanis in regem ſalutatus erat, Tranſyluanos inuadit, eos grauiſſime puniturus; ſed *Joannes Comes*, & reliqui totius Tranſyluaniæ primarii iudices, *Matthiæ Regi* occurrentes, & ſupplices facti, veniam & gratiam impetrant.

Eodem anno, *Stephanus*, Moldauiæ Vaiuoda, ad Turcas deficit, a Mahomete totam *Moldauiam* regendam, ſub tributo ſuſcipit, & vrbem *Kilia*, quæ veteribus *Achillea* fuit, excluſis Hungaris, occupat.

1467. Tranſyluaniæ rebus pacatis, MATTHIAS Rex, cum *Michaele Orſzágh*, regni Palatino, *Stephano Báthory*, *Nicolao Bánffy*, cœteriſque magnatibus, rebellantes Moldauos, iuxta oppidum *Moldvabánya*, atrociſſimo prælio adoritur, in quo conflictu rex, circa ſpinam dorſi, ſagitta ſauciatus, de loco certaminis, in lectica elatus eſt. Anceps aliquamdiu fuit victoria. Cæſa Moldauorum *ſeptem millia*,

*millia*, atque ita *Stephanus*, ad fidem & obedientiam præstandam, adactus.

MAHOMETES, in celeberrimo Hungarorum conuentu, per legatum suum, inducias petit. In eo conuentu, de bello duplici, altero contra Turcas, altero contra Bohemos suscipiendo, deliberatum est.

1468. MATTHIAS Rex Hungariæ, bellum Bohemis & Morauis illaturus, exercitum suum, circa oppidum Austriæ *Laua*, in loco paludinoso collocat, cui *Georgius Podzebradszky*, Bohemiæ rex, cum numero peditum & equitum satis magno, obuiam procedit. Tractatum ibi de pace fuit. Bohemus deinde fame premente, campum deserens, re infecta domum reuertitur.

Morauia, Silesia, & Lusatia, prouinciæ, regno Hungariæ adiectæ.

1469. MATTHIAS, Olomutii, quæ est metropolis Morauiæ, in *Regem Bohemiæ*, & Marchionem Morauiæ, coronatur.

STEPHANVS Vaiuoda Moldauiæ, Matthia rege, rebus Morauiæ & Silesiæ occupato, cum *mille octingentis* equitibus, Transyluaniæ fines populatur; & *Petrum*, suum aduersarium, qui patrem eius occiderat, & quem rex *Matthias*, in ora Transyluaniæ fouebat, intercipit, & capite truncat.

1470. GEORGIVS Podzebradszky, rex Bohemiæ, moritur. Huic, *Vladislaus*, filius Casimiri regis Poloniæ, in Cuthna vrbe rex salutatus, substituitur. Ea res occasionem præbuit, vt *Matthias*, Hungariæ rex, hoc anno, bellum septennale cum Bohemis, ob regnum Bohemiæ, feliciter adgrederetur.

1471. CASIMIRVS, Casimiri Poloniæ regis filius, per factiosos quosdam episcopos, ac proceres, rex Hungariæ declaratur; *Nitriæ*, a Matthia rege obsidetur, & tandem, per nuncios impetrata salua abeundi licentia, in Poloniam regreditur.

1472. Poloniæ fines, crebris Hungarorum incursionibus, ob Hungariæ regnum, a Casimiro Polono affectatum, longe lateque vastantur.

1473. VARADINVM, per Turcas deprædatum & vastatum.

1474. STEPHANVS, Comes de Zápolya, ob res in bello Bohemico & Polonico, præclare gestas, *Trentschinio*, *a Matthia* rege, donatur.

1475. Pax, inter *Matthiam* Hungariæ, & *Ladislaum* Bohemiæ reges, die XII. Febr. firmata, his conditionibus; vt *Ladislao*, pars *Silesiæ*, quæ Bohemiæ & montibus Sudetis adiacet, & vtraque *Lusatia* accederent. Reliquam Silesiam & Morauiam, *Matthias* possideret; sed ea cautione, vt, si absque masculo hærede decederet, rediret ad *Ladislaum*. Si gigneret hæredem, liberum esset Ladislao,

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES Romani, & Turcici.

vel illi relinquere prouincias, vel eas redimere *ducentis millibus* aureorum.

1476. BEATRIX regina, *Matthiæ* regis ſponſa, filia vero *Ferdinandi* regis Apuliæ, per Rudolphum Vratislauienſem, & Joannem Varadienſem, Epiſcopos, & Joannem, Ducem Opolienſem, & cæteros in comitatu ſexingentorum equitum, in Hungariam deducitur, & *Albæ*, in die *S. Lucæ* Euangeliſtæ, coronatur. Inde Budam, ad nuptiarum ſolennitatem, magna pompa proficiſcitur.

1477. MATTHIAS, Hungariæ Rex, Auſtriam, & Stiriam ad Bauariam vſque vaſtat, & Bohemiæ coronam, Imperatori Friderico III. extorquet.

1478. MATTHIAE Regi, a Papa & Venetis, ſtipendia & penſiones, ad expeditionem contra Turcas antea collatæ, negantur: paullo poſt, Turcis omnia in ditione Veneta diripientibus, Veneti, deſtituti Matthiæ regis ſocietate, cum Mahomete fœdus percutiunt.

1479. STEPHANVS Báthorii, Vaiuoda Tranſyluanus, *ſexaginta quinque millia* Turcarum, in campo *Kenyér*, memorabili clade proſtrauit, XIII. die Octobris, quæ eſt *D. Colmanno*, martyri ſacra.

1480. Turcæ, Rhodum ciuitatem obſident, machinis partes murorum rumpunt, & mœnia conſcendunt. Pluribus vero, ex vtraque parte cadentibus, repulſi, cum maximo ditionis illius damno, diſcedunt, in Apuliæ regnum traiiciunt, multam cladem faciunt, & *Hydruntum* ciuitatem expugnant.

1481. *Mahometes* Turcarum Cæſar, non ſine hauſti veneni ſuſpicione, die III. Maii, Conſtantinopoli moritur, ac ibidem ſepelitur, relictis poſt ſe filiis, *Bajazethe*, & *Zolyabo*, quorum ille natu maior, patri in imperio ſucceſſit, iſte vero in exſilio extinctus eſt. *II. Bajazetes*, Turc. VIII. Imp. reg. ann. XXXI.

1482. *Bajazethes II.* Turcarum Imperator VIII. an. XXXI. Peſtis grauiſſima in tota Hungaria graſſatur.

MATTHIAS Rex, Hamburgum, in confiniis Hungariæ & Auſtriæ ſitum, pridie Calend. Octobris expugnat.

*Paullus Kyniſy*, & *Petrus Dóczy*, tria millia Turcarum, in campo *Becskereke*, *p*) victoria inſigni, fundunt.

1483. *Pruck*, *Clauſtro Neüburgum*, Oppidum *S. Hypoliti* & aliæ vicinæ ciuitates, ditionis Auſtriacæ, iubente *Matthia* rege, a Stephano Dáuidházy, poſt aliquot menſium obſidionem, capiuntur, & omnis ager Viennenſis, ab Hungaris plurimum infeſtatur.

Turcæ, per Croatiam, circiter 7000. equites, in Carinthiam & Carnioliam excurrunt, omnia ferro & igne vaſtant,

*p*) Fuit olim *Becskerék* oppidum Comitatus *Toronthál*: nunc, tota ea regio, *Temeſuarienſi* prouinciæ admenſa eſt. Hic ergo quærendus eſt, Comitatus *Toronthál*.

| ANNVS, CHRISTI | | IMPERATORES ROMANI, & *Turcici.* |
|---|---|---|
| 1484. | vaſtant, & *decem millia hominum* captiuorum, abducunt. Præda vero onuſtos Turcas, prouinciæ præfecti, *Wolffgangus Deſpota*, & *Bernhardus de Frangepan*, adoriuntur, ad internecionem cædunt, omnibus recuperatis. | |
| 1485. | MATTHIAS Hungariæ Rex, poſtquam Oppidum *Sabacz*, Turcis eripuiſſet, *Viennam* Auſtriæ, auxiliis & commeatu deſtitutam, XXVIII. die Januar. obſidet, & prima die Junii, feliciter expugnat & occupat. In cuius rei memoriam, ſequens Hexaſtichon editum:<br>*Diſcite mortales nimium non fidere muris,*<br>*Mœnia quid valeant, capta Vienna docet.*<br>*Strenua quid poſſit virtus & dextera regis,*<br>*Exemplo monſtrat clara Vienna ſuo.*<br>*O miranda nimis placidi clementia regis,*<br>*Lædere non nouit, vincere cuncta ſolet.* | |
| 1486. | Lauia, Cziczersdorff, Rehez, Neapolis, Sennona ciuitas, Egnburgum, & aliæ arces & vrbes Auſtriæ, longas obſidionis moleſtias pertæſæ, & fame adactæ, *Matthiæ* regi, deditionem faciunt. | |
| 1487. | Induciæ, per oratores Imperatoris Romanorum, & ducem Saxoniæ *Albertum*, cum *Matthia* rege factæ. | |
| 1488. | Styria, & Carinthia, ob frequentes Hungarorum incurſiones, a *Matthia* rege, pacem mercantur. | |
| 1489. | MATTHIAS, Hungarorum rex, grauiſſima podagra correptus, bello finem imponit, & rebus prouinciarum ſuarum, vbique pacatis & compoſitis, Viennam venit. | |
| 1490. | MATTHIAS rex Hungariæ, eo die feſto, qui palmarum memoriæ, dicatus eſt, Viennæ, apoplexia moritur. *Albam Regiam* translatus, honorifice ſepelitur. Fuit, & eſt, hic Princeps, cognitione doctrinarum, omnis generis, ſingulari, in bonis artibus ſtudio, propagandis, & munificentia ac probitate, erga viros, eruditione excellentes, apud omnem poſteritatem, commendatiſſimus. Amauit *Johannem Regiomontanum*, & *Antonium Torquatum*, Mathematicos, *Joannem Pannonium*, Poetam clariſſimum. | |
| | MAXIMILIANVS, hæreditarias ſuas terras, Ducatus Auſtriaci, occupatas olim, ab Hungarorum rege *Matthia*, iam mortuo, cum *Vienna* repetit, & poſſidet. | MAXIMILIANVS I. |
| | *Alba Regia*, paullo poſt, per *Maximilianum* Imperatorem, occupata. In cuius vrbis oppugnatione, *Joannes*, Saxoniæ Dux, inter primos mœnia conſcendens, coronam muralem promeruit. | |
| 1491. | VLADISLAVS, Caſimiri Poloniæ regis filius, Bohemiæ rex, Hungariæ regno præeſt, annis XXVI. *Albam Regiam* recipit, Maximiliano interim, conuentu Norimbergenſi occupato. | |
| 1493. | Turcicus exercitus, qui in Tranſyluaniam popula- | |

| Annvs Christi. | | Imperatores Romani, & Turcici. |
|---|---|---|

tum venerat, in angustiis alpium, iuxta *rubeam turrim*, duobus, a Cibinio milliaribus, per pastores cæsus.

1503. Turci, castrum *Jaicza* obsidentes, ab Hungaris cæsi.

1506. Maximilianvs, Hungaros rebelles, *q)* capto Posonio, ad suas partes retraxit, & pacem fecit.

Eodem anno, *Ludouicus*, Vladislai Vngariæ regis, & Bohemiæ filius, prima die Augusti nascitur.

1510. Michne, *r)* filius *Draculæ*, ob summam crudelitatem & tyrannidem; regno Transalpinensi pulsus, in ciuitatem Cibiniensem transfugit, vbi, per insidias cuiusdam *Demetrii Jachsith*, sub arcu, iuxta myropolium vrbis Cibiniensis, ex improuiso trucidatur, die XII. mensis Martii, festo, *Gregorio Papæ* dicato. *Jachsith* parricida, cum aliis suis complicibus, a ciuibus Cibiniensibus, orta seditione, misere cæduntur.

*Michne*, in templo *S. Crucis*, fratrum Prædicatorum, honorifice tumulatur, cum inscriptione sequentis epitaphii:

*Heu res humanæ fragili quam stamine pendent.*
*Quam ruit aligero gloria nostra gradu.*
*Regnabam nuper multo cumulatus honore,*
*Sede parentali splendida sceptra gerens.*
*Militia notus, qua Cynthius astra subumbrat,*
*Quaque terit gelidum Parrhasis vrsa polum.*
*Ante meam faciem prouincia nostra tremebat,*
*Me quoque finitimæ pertimuere plagæ.*
*Prædonum fueram domitor, furumque flagellum,*
*Justitiam rigide fortiter ense colens.*
*Christigenis volui sociata iungere signa,*
*Inque Byzantinos arma mouere lares.*
*Jam mihi non vires, auri neque copia fului*
*Defuit, aut quicquid principis aula tenet.*
*At breuis hora graui mea subruit omnia casu,*
*Omnia, ceu paleas disiicit aura leues,*
*Dum mea gens patrio pepulit me perfida regno,*
*Turcarum immensa concomitata manu.*
*Cibinium fugi, insignem dum incedo per vrbem*
*Sepositis armis omnia tuta putans.*
*Irruit hostis atrox, multoque satellite cinctus,*
*Vitam furtiuo surripit ense meam.*
*Exoritur clamor, vulgus cita corripit arma,*
1512. *Horrendique reos criminis ense ferit.* *I. Selimus*, Turc. IX. Imp. regn. ann. VII.
*Flebat luctifico populus mea funera planctu;*
*Sed nequit ad dulcem me reuocare diem.*

*Sic*

*q)* Nequiuerunt ita dici Hungari, eo quod numquam, consummato iure, Maximiliano fuerunt subiecti.

*r)* Relege, supra, Olahi Hungariam, Cap. XII. §. IV. p. 24.

ANNVS CHRISTI. | IMPERATORES Romani, & Turcici.

*Sic quasi momento volucri cecidere ruina:*
*Noster honos, regnum, gloria, robur, opes,*
*Corpus humo tegitur pius æthera spiritus intrat*
*Et clarum toto nomen in orbe manet.* s)

1514. THOMAS, Cardinalis Strigoniensis, cum *Selimus*, Turcarum Imperator, bello Persico implicitus esset, suadet, vtendum esse occasione, rei bene gerendæ contra Turcas, ob Imperatoris absentiam, & consulit regi, vt sub signo crucis, exercitus cogatur, qui spe veniæ, pro peccatis admissis, gratis militet. Consilio diuulgato, immensa subito, eaque promiscua ex variis gentibus, multitudo confluit, quæ oblita plane belli Turcici, confestim latrociniis grassari, villas & oppida populari, nobiles & sacerdotes capere, ac exquisitis suppliciis interficere, incipit. Eius multitudinis ducem, se facit quidam *Georgius Zékel*, vna cum fratre suo *Gregorio*, & quodam *Laurentio Pap*. Nobilitas, summo in discrimine constituta, *Johannis Zápoliensis*, Vaiuodæ Transyluani, opem implorat, qui cruciatam multitudinem, difficilimo, & periculosissimo prælio, prope flumen *Temes*, ex aduerso oppidi *Temesvár*, ad internecionem delet. Ducem cum fratre, viuum capit, nudum, & catenis vinctum, ac corona ferrea candente, redimitum, equo imponit, & venis incisis, sanguis fratri *Gregorio Zékel*, potandus præbetur: postea, a viginti sociis, tridui inedia maceratis, dentibus laceratur, & deuoratur. *Gregorii Zékel*, & *Laurentii Pap*, corpora, extractis visceribus, frustulatim concisa, verubus affixa, & tosta, militibus comedenda apponuntur. Atque ita, ad vnum omnes, immanibus suppliciis, pœnas seditiosi conatus, dederunt. Ob hanc tumultuariam *insurrectionem*, subditi, nobilibus suis dominis, perpetua rusticitate & seruitute, subiiciuntur.

1515. JOANNES CEPVSIENSIS, Vaiuoda Transyluanus, a Turcis, ad oppidum *Sarno*, victus.

Congressus trium vicinorum principum: Imperatoris *Maximiliani*; *Ladislai* Hungariæ & Bohemiæ; *Sigismundi* Poloniæ, regum, Viennæ Austriæ, mense *Julio*. Vetera inter hos pacta, sublatis omnibus simultatibus, noua comprobatione, & nuptiis, inter liberos, & nepotes, contractis, firmata sunt. *Maria*, Maximiliani neptis, *Ludouico*, Vladislai filio; *Anna* vero, filia Vladislai, & soror Ludouici, *Ferdinando*, nepoti Maximiliani, desponsata, cum certa successionis spe, in regno Hungariæ, si *Ludouicus*, absque hærede masculo, ex hac vita decederet.

1516. VLADISLAVS, rex Hungariæ & Bohemiæ, Dominica die Palmarum, pie moritur. *Albæ Regali* honorifice sepultus.



s) JOHANNES SALIVS, Doctor | Medicinæ faciebat.

ANNVS CHRISTI. | | IMPERATORES Romani, & *Turcici.*
---|---|---

1517. LVDOVICVS II. patri, in Hungariæ, & Bohemiæ, regnis, successit, anno æt. X.

## CAPVT VI.

### *Periodus Regni Hungariæ, hoc anno completa. Ab electione, Diui Stephani regis, in primum Hungariæ regem, quæ facta est, anno Domini 997. vsque ad coronationem regis Ludouici, quæ accidit, anno Domini 1517. completi sunt anni 517. singuli vero, anni 500. regnis iudicantur esse fatales.*

NUptiæ, Sigismundi Regis Poloniæ, cum Bona, ex Arragonum regum, Mediolanensiumque ducum familia.

1518. JOANNES Vaiuoda Transyluanus, Scytulos, qui Siculi vocantur, & concitata tumultuaria seditione, contra coronam regni insurrexerant, insigni victoria reprimit, & ad obedientiam compellit.

1519. BONA, VXOR Sigismundi, regina Poloniæ creatur. CAROLVS, *Solymannus †)* Turc. X. Imp. reg. annis XLVII.

1521. FERDINANDVS Cæsaris Caroli frater, Austriæ Princeps, *Ludouici* regis Hungariæ sororem, *Annam*, in matrimonium ducit, nuptiis *Lintzæ* celebratis.

LVDOVICVS Hungariæ & Bohemiæ Rex, cum Maria sorore Caroli, & Ferdinandi, Budæ, nuptias celebrat.

Alba Græca, alias Belgradum, vel *Nándor Alba*, fortissimum regni Hungariæ propugnaculum, a Solymanno capitur, opere & præsidio munitur.

Moldauia & Transalpina prouinciæ, Turcis eodem anno, tributariæ factæ sunt.

1522. RHODVS, a Turcis Junio mense, magna vi obsessa, septimo tandem mense, die 25. Decembris, deditione capitur.

1523. Terræ motus magnus, in Transyluania, in die festo *S. Elisabeth.*

Eodem anno, noua in Hungaria moneta cuditur, *Elenkesch* vocata.

1526. LVDOVICVS Rex Hungariæ, agens annum ætatis 20. Solymanno Imperatore, cum ducentis millibus Turcarum, Hungariam ingresso, non expectatis vicinorum, & præcipue Transyluanorum, vna cum *Joanne Cepusiensi*, Vaiuoda, aduentantium auxiliis, cum exiguis copiis peditum, & equitum *viginti quinque millibus*, inter Budam, & Quinque Ecclesias, occurrit, & procerum suorum, præcipue *Paulli Tomorii*, Archi-Episcopi Colocensis, importunis sollicitationibus, ad pugnam compellitur.

Con-

†) *Solymannus*, vt proximo mense post *Carolum* V. natus; ita proximo anno post *Carolum*, *salutatus est imperator.*

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES Romani, & Turcici.

Confligitur in campo *Mohács*. Rex, equitatu & præsidio suo, plane nudatus, prostrato & dissipato vndique, a Turcis exercitu, fugit, & in proxima palude, reflectente se equo, resupinus, cum equi, tum armorum pondere, suffocatur & opprimitur, die festo *Decollationis S. Joannis*. Desiderata sunt in eo prælio Christianorum *quindecim millia*. Ex proceribus vero *Ladislaus Salcan*, Strigoniensis; *Paullus Tomory*, Coloczen: *Franciscus Perenny*, Varadien: Episcopi. *Georgius Cepusius*, frater Joannis Vaiuodæ Transyluani; *Ambrosius Sárkány*, *Anthonius Paloczi*, *Thomas Szétsi*, *Joannes Drágffy*, & alii quamplurimi. Regis cadauer, post menses duos, decedentibus hostibus, indicio *Cetrischi* armigeri, in loco palustri, in riuulo *Czelepataka*, repertum, tumultuario funeris honore, ad *Albam Regalem*, tumulatum est. Atque ita *Buda*, antiqua Hungarorum regum sedes, per deditionem occupata est: ex qua *Solymannus*, pro trophæo Pannonicæ victoriæ, tres æneas statuas, *Herculis*, *Apollinis*, & *Dianæ*, in vestibulo regiæ, a *Matthia* rege constitutas, inter cetera sustulit.

1526. JOANNES de Zápolya, Comes Cepusiensis, & Vaiuoda Transyluanus, *Ludouico* rege miserabiliter extincto, in festo *S. Emerici*, per Paullum, Strigoniensem Archi-Episcopum, & Stephanum Brodaricum, præsulem Vácziensem, magno præcipuorum procerum, *Stephani Verbőczy*, *Paulli Artándy*, *Gregorii Pesthény*, *Nicolai Glessa*, *Joannis Dóczy &c.* applausu, in festo Martini, rex appellatus, & ad Albam Regalem, coronatus.

*Emericus Czibak*, Episcopatu Varadiensi, *a Joanne* rege donatur.

1527. FERDINANDVS Austriæ Princeps, & Maximiliani Imperatoris nepos, Ludouici regis sororem, in matrimonio habens, ex pacto, quod *Maximilianus*, cum Vngaris, & Vladislao rege fecerat, regnum sibi adserere nititur, & quorundam primatum Hungariæ consensu, *Posonii*, rex Hungariæ designatur. Ex hac scissione, ciuilia bella exorta, quibus vires Hungariæ conciderunt, & Turcis ianua, ad vastandam, & occupandam Hungariam, aperta.

FERDINANDVS, ab Hungaris *Albæ*, XXVIII. die Octob. regio diademate ornatus, bellum infert *Joanni* regi, & eundem, ad arcem *Tokay* vincit. *Joannes* rex, superato Tibisco, arcem Germanis occupandam relinquit. Tunc facta regni Hungarici scissio infausta, istis *Ferdinando*, aliis *Joanni* regi, adhærentibus.

Eodem anno, vir *Niger* grassatur, a quo, *Petrus Perénny* Vaiuoda, profligatur.

1528. JOANNES, rex Hungariæ, collectis Transyluanorum, & Polonorum viribus, iuxta Cassouiam, castra ponit;

 sed,

ANNVS CHRISTI | IMPERATORES Romani, & Turcici.

ſed, a Valentino Tőrők, copiisque Ferdinandicis, victus, in Poloniam transfugit.

1529. SOLYMANNVS Turcarum Imperator, a *Joanne* rege, per *Hieronymum Laskum* Polonum, Vaiuodam Siradienſem, ſollicitatus, cum magno exercitu, per Hungariam profectus, ViennamAuſtriæ, XVII. dieSeptembris obſidet; ſed ob hyemis aſperitatem, & inclementiam, ſoluta obſidione, 15. die Octobr. & amiſſis amplius *octoginta millibus*, reuerſus, *Joannem* regem, qui anno ſuperiore, per *Ferdinandum*, regno eiectus erat, *Budæ*, regem conſtituit.

ARADVL Vaiuoda Tranſalpinen: vna cum filio, per proceres ſuos, IV. die Januarii, doloſe capite plectitur.

*Nicolaus de Gerend*, Epiſcopus Tranſyluanus, *Valentinus Tőrők*, Comes Temeſſien: *Stephanus Mayláth*, conſiliarius, & *Marcus Pemfflinger*, Judex regius Cibinien: iuxta oppidum *Meremburg* in Barcia, infeliciter confligunt, cum *Petro*, Vaiuoda Moldauiæ, qui Siculiam & Tranſyluaniam populatum venerat. Clades iſta, XXII. die Junii accidit.

STEPHANVS Báthory de Somlyó, Vaiuoda Tranſyluanus, poſteaquam Segesuárinum, Medyes, & reliquas omnes, in Tranſyluania ciuitates, (ſolo Cibinio excepto,) ferro & igne, ad deditionem & obedientiam, *Joanni* regi præſtandam, compuliſſet, capit caſtellum in *Stoltzemburg* XII. die Octobris. Huic fortalitio, *Martinus Húnn*, alias *Kakas*, præficitur. Coloni Stoltzemburgenſes, ad caſtellum, intus vallo muniendum, coguntur; ſed non plures, quam decem perſonæ initio, ad opus fabrile intromiſſæ; tandem, cum ſtructura tardius procederet, coloni præfecto perſuadent, enumeratis prius variis incommoditatibus, ſe, plures numero, intra triduum, ceſtellum intus vallaturos, & opus perfecturos. Intromiſſi, ruſtico ſtratagemate, V. die Nouembr. præſidiarios caſtelli adoriuntur, ſecuri obuios quosque trucidant, & omnes, in arce captos, palis affigunt, atque ita caſtellum recipiunt.

1530. PETRVS, Vaiuoda Moldauiæ, prouinciam Barcenſem igne vaſtat, & vrbis Coronnenſis fortalicium, in montis cacumine ſitum, expugnat.

Peſtis horrenda, per totam Hungariam & Tranſyluaniam, graſſatur.

MOYSES, Vaiuoda Tranſalpinus, eodem anno, XIII. die Februarii, ſorore ſua, Bano Tranſalpinenſi deſponſata, præcipuos magnates & nobiles, (quos *Bojerones* vocant,) ad nuptias inuitat. Conuiuio peracto, eoſdem, ob proditionis notam, capitali pœna afficit. *Draganztan*, & alii, qui nuptiis non interfuerant, Turcicis adductis auxiliis, *Moyſen* regno eiiciunt. Is, in fuga a Siculis ſpoliatus, *Cibinium* venit. Poſtea XVIII. die Auguſti, auxi-

 auxiliaribus copiis, Episcopi Transyluaniæ, & Caspari Horuáth, ac Stephani Mailáth, in regnum restituitur. 

1532. Solymannvs Imperator, Belgradum veniens, deflectit ad leuam, & oppidum *Güncz*, vna cum arce, oppugnare frustra tentat, deinde prædatum emissis, circiter *quindecim mille* equitibus, duce *Casson Bassa*, Linczium vsque, supra Viennam, agris longe lateque vastatis, omne genus immanitatis exercet; sed in reditu, a *Sebastiano Schertel*, Germanicarum cohortium duce, ceditur & interficitur *Casson-Bassa*. Cæsar vero, oppidum Styriæ *Gratz* petit, inde ad Viennam castra positurus; sed ob ingruentem hyemem, & *Caroli* Imperatoris aduentum, mutato consilio, & re infecta, pedem refert.

1533. Exundationes maximæ per Transyluaniam. Dimidia pars *Turris Rubeæ*, quæ infra oppidum *Talmatsch*, in angustiis alpium, fortalicii loco, sita erat, torrentium & *Alutæ* impetu, corruit.

1534. Lvdovicvs Grittvs, Andreæ Gritti, Venetæ Reipublicæ ducis, filius nothus, Byzantii susceptus & educatus, comparata, ob summam liberalitatem, & assiduas largitiones, sibi, per *Ibraimum Bassam*, præcipuum apud *Solymannum*, gratia quam maxima, eius partis Illyrici, quæ Venetis est proxima, ac inferioris Hungariæ, cuius caput est Bellgradum, dominus & princeps, constituitur. Maximo cum apparatu, & splendore, per Hungariam in Transyluaniam venit, ac ibidem, ob interfectum *Czybak*, Episcopum Varadiensem, in festo *Venceslai*, die XLVIII. a nece *Emerici Czibak*, in ciuitate Megyes, vniuersis opibus suis prius misere direptis, trucidatur.

Magna annonæ caritas in Transyluania. Cibinii modius tritici, tribus & dimidio floreno venditur. Anno sequente, modius tritici, denariis quatuordecim emitur.

1536. Cassovia, a militibus *Joannis* regis capta, vniuersis priuilegiis, & tota iurisdictione priuata, præcipuis ciuibus & optimatibus in exilium missis, ducem, seu *Capitaneum*, supremi magistratus loco, accipit.

1537. Catzianer, Octobri mense, Ferdinandi regis exercitum, ex Germanis, Bohemis & Hungaris, coactum, iuxta oppidum *Eszek*, in Comitatu Valkonensi, ad Drauum flumen situm, in tantas angustias traducit, vt inedia, & rabie Turcica, magna ex parte omnes conciderint, multi in hostium potestatem venerint, pauci vero, vna cum duce *Catzianer*, fuga salutem quæsiuerint.

1539. Joannes rex Hungariæ, Sigismundi regis Poloniæ, ex Bona regina, filiam *Isabellam*, vxorem duxit.

1540. Joannes rex Hungariæ, in Transyluania *Sabesi* moritur.

Eodem anno, *Joannes* secundus, Joannis regis Hungariæ

| Annvs Christi | | Imperatores Romani, & Turcici. |
|---|---|---|
| | gariæ & Iſabellæ filius, VII. die Julii, dimidia hora poſt quartam pomeridianam, *Budæ* naſcitur: Tutores, fratrem *Georgium Monachum*, & regni Theſaurarium, & *Petrum Petrouith* accipit, Turcaque donis miſſis, pupillo patrocinium pollicetur. | |
| 1541. | Stephanvs *Mayládt*, Vaiuoda Tranſyluaniæ, a Moldauorum Vaiuoda, ſub induciarum pactionibus, perfidioſe capitur, & a Turcis, in perpetuos carceres abducitur. | |
| | Ferdinandvs, Iſabellam, Joannis regis vxorem viduam, cum eius filiolo, *Joanne*, Budæ obſidet; tutores infantis & regni proceres, Turcicum auxilium implorant; *Solymannus* cum ſuis copiis, menſe Julio, Budam venit; Germani obſidionem, ob aduentum Turcarum, ingenti accepta clade, relinquunt. Turca, miſſis donis, nunciat reginæ, ſe cupere videre nouum regem hæredem, & eum in caſtra mitti petit. Deductum in caſtra puerum, *Joannem*, cum *Solymannus* perhumaniter excepiſſet, & cum valde ſibi moleſtum, & ſumptuoſum eſſe diceret, ſubinde in Hungariam cum exercitu redire, neque reginam, cum ſuis proceribus, defendi poſſe aſſereret, *Budam*, & *Peſtum* capit, & *Iſabellam* reginam, cum filiolo, in Tranſyluaniam relegat. | |
| 1542. | Joannes *Statilius*, Epiſcopus Albenſis, moritur. Locuſtæ in Tranſyluaniam, maximo numero transuolant, & omnes res, terra naſcentes, affligunt. | |
| | Moldavi, circa Coronam, cum Turcis, Tranſyluaniam deprædatum egreſſi, cum paſſim multum damni dediſſent, circa *Biſtriciam* reuertuntur. | |
| | Joachimvs Brandeburgicus Elector, in conuentu Ordinum Imperii, Spiræ celebrato, auxiliis, in expeditionem contra Turcas, ab Imperio Romano decretis, præficitur. *Peſtum* obſidione, ſed fruſtra cingitur, & cum plurimus miles, peſtis contagione, interiiſſet, aduerſus Turcas, nihil feliciter agitur. In reditu, *Petrus Perénny* capitur, & perpetuo carcere damnatur. | |
| 1543. | Alba Regalis, Strigonium, Quinque Eccleſiæ, Caſtrum Valpó, Siklós, cum aliquot vicinis caſtris & oppidis, in poteſtatem Turcarum rediguntur. | |
| | Terræ motus in Tranſyluania, Dominica *Quaſi modo geniti* notatus. | |
| 1544. | Locuſtæ rurſus, turmatim Tranſyluaniam peruolant. | |
| 1546. | Hungari, ductore illuſtri *D. Petro Bakyth*, bello Saxonico occupantur. | |
| 1547. | Anna, regina Hungariæ, vxor *Ferdinandi* regis, ex partu *Joannæ*, XXVII. die Januarii, moritur, Pragæ ſepulta. | |
| 1548. | Expugnatio munitiſſimæ arcis *Murány* per milites Ger- | |

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES Romani, & Turcici.

1549. Germanicos, duce supremo Nicolao Comite a Salmis.

*Matthæus Basso*, rebellis, captus, capite plectitur.

JOANNES HONTHERVS Coronensis, vir, omni genere eruditionis, & morum probitate clarus, restaurator honestarum disciplinarum in Transyluania, XXIII. Januarii, *Coronæ* moritur.

Eodem anno, quinque soles, seu parælia, *Cibinii*, & multis in locis, tota fere die *Fabiani*, & *Sebastiani*, visa.

## *Chronologiæ, rerum Hungaricarum, Transyluanarum, & vicinarum Prouinciarum.*

## LIBER SECVNDVS.

### CAPVT I.

1550. HELIAS, Vaiuoda Moldauiensis, cum magna Turcarum manu, in *Ciculiam* erumpens, ingentem tritici, & pecoris prædam, secum abducit. Homines multi, non solum interfecti, sed etiam, in tristem seruitutem, ad quinque millia fere, a Turcis abacti, sub initium brumæ.

Turcæ, iterum erumpunt, circa *Braniczka*, & Transalpinensis, circa *Haczak*. Hæ autem, tam crebræ eruptiones, fiebant propter dissidium, inter fratrem Georgium Monachum, & Thesaurarium, ac reginam *Isabellam* viduam Joannis regis.

1551. *Frater Georgius*, & Thesaurarius, in pago *Báthor*, habet colloquium, cum *Nicolao Graff*, Ferdinandi præfecto, & a Turca deficiens, *Ferdinando*, Transyluaniæ gubernationem offert.

STEPHANVS *Mayládt*, Vaiuoda Transyluanus, a Moldauo, sub induciarum pactionibus, anno Christi MDXLI. perfidiose captus, & a Turcis, in perpetuos carceres abductus, moritur *Galatæ*, ad Constantinopolim.

JOANNES Baptista Castaldus, Italus, quem Cæsar *Carolus* V. vna cum Sfortia, & aliis præstantibus viris, in Hungariam miserat, vt *Ferdinandum* regem, & ope, & consilio iuuarent, in Transyluaniam venit.

Isabella regina, (postquam Germanica præsidia, cum tormentis bellicis, & magna omnis generis armamentorum copia, per Thesaurarium, ad occupandam, & subiiciendam regi *Ferdinando*, Transyluaniam, accersita essent,) cum filio suo *Joanne Sigismundo*, ex Transyluania in Poloniam reuertitur, & pactam prius cum *Ferdinando* rege, summam administrationis, eidem permittit, XVIII. die Julii,

*Felix*, & *Baptista* Comites ab Arch: Augusti mensis die XVII. cum tribus signis militaribus, & Andreas Brandis Comes, vndecim signorum ductor, & præfectus, *Cibinium*

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES Romani, & *Turcici.*

*nium* veniunt. Quinque signa equitum Bohemicorum, Hispanorum, & Silesitarum, in Barciam proficiscuntur.

1551. Septembris die XVIII. castellum *Aratha*, & XXI. die eiusdem mensis *Bechkerek*, item XVIII. Septemb. Episcopatus *Chanád*, sine aliqua oppugnatione, a Turcis in deditionem accipitur.

*Lyppa*, præsidiis destituta, & ex improuiso, Turcicis copiis obsessa, ab Vlmanbek Bassa, capitur VIII. die Octobris.

*Achmat Bassa*, XVI. die Octobris, *Temesvár*, fortissimum in finibus Hungariæ propugnaculum, milite petit, re tamen infecta discedit.

*Lyppa*, auxilio Germanorum & Italorum, quos *Baptista*, in Transyluaniam deduxerat, & virtute Hungarorum, ac Transyluanorum militum, quos frater Georgius, Andreas Báthory, Franciscus Patochy, & Saxonum vniuersitas conscripserant, Turcis vicissim eripitur, XXVIII. die Nouembris. In vrbe & arce, 4000. Turcarum fuerunt; sed post factam oppugnationem, 2300. desiderati sunt. Portæ arcis occupantur, & Germanica, ac Hispanica præsidia imponuntur. *Vlmanbeck Bassa*, cum 300. fere Turcis, a Monacho, saluum conductum impetrans, ex arce discessit; sed in itinere, a Melchiore Balassa prohibitus, leuibus aliquot præliis vtrinque commissis, exiguis copiis, ad suos reuertitur.

BEGLERBEGVS, Solymanni, Turcici Imperatoris consiliarius, supremusque *Capitaneus*, XV. die Decembris, arcem *Betsche*, in inferioribus Hungariæ partibus sitam, obsidione cingit, & machinis bellicis, tota fere nocte vexatam, mane capit, die XIX. eiusdem mensis.

*Frater Georgius Dalmata*, ordinis Eremitarum Paullinorum, qui ob fidem singularem, a *Joanne* rege, in Thesaurarium, Episcopum Varadiensem, & post obitum regis, in supremum Locumtenentem filii regii, in Transyluania, electus fuerat, vir magnæ in Hungaria auctoritatis, & sub Idus Octobris, a Pontifice Romano, Cardinalis creatus, ob suspitionem Turcicæ societatis, & regni affectationem, in arce *Vyncz*, a *Sffortia*, & aliis Italicis militibus, ictu bombardæ, *u*) percutitur, XVII. die Decembris mane, circa horam quartam. Sepultum est cadauer, iam grauiter olens, Albæ Juliæ. Pontifex Romanus, de eius nece, quæstionem habere iussit.

1552. *Szegedinum*, virtute Michaelis Thót, & pastorum, (quos *Hajducos* vocant,) Turcis eripitur, sed cum potita victo-

*u*) Non *bombardæ*, sed gladii ictu, sæpius repetito, cæsus est Monachus, vti auctor est BETHLEN, Hist. Lib. IV. p. 173. Laudes, & vitia, viri summi, JOHAN. MICHAEL BRVTVS, Epistolarum Lib. II. Epist. XXII. p. 89. sequ. ad *Martinum Berzeuitzium*, facunde expromit.

victoria nescirent vti, & omnia improuide agerent, a Turca, viciſſim oppreſſi ſunt, III. die Martii.

Georgivs Comes ab Heluenſtein, cum fratre Sebaſtiano, & decem ſignis Germanorum militum, XVIII. die Julii, Coloſuarinum venit, & ibidem, milites reficiendi cauſſa, octo diebus moram facit, XXIV. Julii. Cum ciues, ſeſe inhumanos exhiberent, neque ab iniuriis inferendis ſeſe continerent, auctores fiunt magnæ ſeditionis. Ciuitas obſidetur, tormentis bellicis petitur, & multum damni, foris & intus, a Garmanis accipit; agnoſcens deinde peccatum, & regiis copiis cedens, veniam petit, ac impetrat.

Temesvar, auxiliis & commeatu carens, ab *Ahmaz-Baſſa* expugnatur: periit tunc præſtantiſſimus belli dux, *Stephanus Loſſonczy*, & *Petrus de Aldano*, quem alias *Kiskampo* vocarunt.

Alexandri Vaiuodæ Moldauienſis copiæ, oppidum *Tartlen*, in Barcia obſident, finitimum agrum populantur, & multa mala dant toti Barciæ. Poſtea, cum proprius ad arcis mœnia acceſſiſſent, vt quæ eſſent oppidanorum vires, tentarent, magna clade repelluntur.

*Lyppa*, cum a Germanorum, ac Hiſpanorum præſidiis eſſet deſerta, ac noua fama expugnati *Temesvár* perculſa, a Turcis deditione capitur, & recuperatur.

Obſidio caſtri *Bettlen*, in Tranſyluania, *Stephano Dobó*, & *Franciſco Kendy*, Vaiuodis Tranſyluaniæ, res adminiſtrantibus.

1553. Inchoata eſt ordinatio, miniſtrorum euangelii, in eccleſia Cibinienſi, Superintendente, *Paullo Viener*, paſtore eiusdem eccleſiæ vigilantiſſimo, XXII. die Martii.

*Petrus* Petrasko, a Solymanno Turcarum Imperatore, fit Vaiuoda Valachiæ, pulſo *Myrche*, crudeliſſimo tyranno: præfuit prouinciæ annis III. mens. IX. & eam ſatis pacifice rexit. Tandem vero, anno MDLVII. die XXIV. Decembr. in oppido Valachiæ *Bokoreſd*, moritur.

Herrelt Baſſa, Baly-Baſſa, cum Matthia Ordög, ductore exercitus regis Ferdinandi, (quem Germani Erasmum Teuffel nominarunt,) confligit, eius vires & copias fundit, & caſtella Dregell, Gyarmat, Secsént, Holokővet, & alia plura occupat.

Amhad Baſſa, Baly-Baſſa, Beglerbek, & Caſſonbek Turcarum manu, *Agriam*, inſidiis adoriuntur, & XXXVIII. diebus obſident; ſed ſumma *Stephani Dobó*, *Stephani Mechkey*, & oppidanorum virtute repulſi, fugam, non ſine magna clade ſuorum, dare coacti ſunt.

Franciscvs Stancarus, Mantuanus, Theologiæ & Medicinæ Doctor, ex *Regio Monte*, nobiliſſima vrbe Bruſſiæ, in Tranſyluaniam ingreſſus, primum *Claudiopoli*, ſpargere

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES Romani, & Turcici.

cœpit, impium & blasphemum dogma; *Christum, humani generis Redemptorem, ac Mediatorem esse, non secundum vtramque naturam, sed secundum humanitatem tantum*: fundamentum sui furoris constituens, dictum D. Paulli: VNVS EST MEDIATOR DEI, ET HOMINVM, HOMO CHRISTVS JESVS.

1554. Pestis, (cuius semina *Coronæ* primum, sub initium anni MDLIII. deinde *Cibinii*, circa festum Martini eiusdem anni, sparsa sunt, ) cum in omnes Transyluaniæ partes, sese effudisset, ibidem crudeliter grassata est.

Nobilis, ac magnæ integritatis matrona *Despina*, relicta *Bassarabi*, Vaiuodæ quondam Transalpinensis, peste correpta, *Cibinii* moritur.

1555. Hoc toto anno, pestis in Hungaria, & Transyluania crudeliter seuiit; *Cibinii*, circiter 3200. hominum, mortui sunt.

1556. Conuentus omnium ordinum regni, x) in oppido *Zékelvásarhely*, vbi præcipue actum est, de suscipienda legatione, ex singulis nationibus, ad regem *Ferdinandum*, & facienda abrenuntiatione.

*Joannes Sombory*, Ladislaus Kemény, a nobilibus, ac Thomas Bomelius, ab vniuersitate Saxonum, missi legati, Febr. die IX. coram *Ferdinando* rege, Viennæ constituuntur, & commemoratis Hungariæ, & Transyluaniæ calamitatibus, quas proximis annis, partim a Turca, partim a subitariis, & intercisis auxiliis Germanorum, in Hungariam missis, acceperint. Primum orant, vt via quæratur, ne Transyluania, & illæ regni Hungariæ reliquiæ, a Republ. Christiana diuellantur; deinde ostendunt, Turcam omnes ineundæ pacis, cum rege, conditiones recusare, nisi Transalpina & alia potiora regni loca, filio regis *Joannis* tradantur. Postremo supplices petunt, vt *Ferdinandus* rex, habita ratione, extremæ necessitatis totius Hungariæ & Transyuaniæ, fieri permittat, quo filius *Joannis* regis, in prouinciam y) introducatur.

*Visus est Cometes*, III. die Martii, circa horam IX. vespert. in vndecimo gradu ♎ coloris fusci turbidi, & ad rubedinem tendentis, motus velocissimi. Martii die V. erat iuxta ♎ partibus 60. ab æquinoctii circulo declinans, toto quatriduo, 75. partibus, ab oriente, in occidentem, & 30. partibus, a meridie, in septentrionem processit, ita, vt deinde supra horizontem manserit. A fine Martii, subsecuta est perpetua serenitas, vsque ad 27. Aprilis, & tantus calor, vt Junio mensi similis esset, illius mensis

x) Ita, *Zápoliorum* temporibus, ac postea, Transyluaniam adpellabant, eius prouinciæ scriptores.

y) Prolixe, legationem hanc, comitiaque describit, WOLFG. BETHLEN, Hist. Lib. IV. p. 195. sequ.

ANNVS, CHRISTI 1556.

IMPERATORES Romani, & Turcici.

mensis constitutio. Significauit autem astrologorum iudicio, dissidia circa leges, controuersias in caussa religionis, & morbos pestiferos, propter colorem, crines, & motum: præsertim in Germania, Pannonia, Asia & Græcia, & Boreales apud nationes.

*Martii XIII.* Legati a *Ferdinando* responsum ferunt; ne posthabito iuramento, quo sese ad perpetuam fidem & obedientiam obstrinxissent, alicuius in regno innouationis auctores esse velint; nullum nouum principem quærant; nihil in Prouincia tentent, pendente adhuc pacis tractatu cum Turcis, rege Poloniæ, & Isabella regina inito, neque peruersis priuatorum quorundam consiliis se patiantur seduci, quo, posthabita regia auctoritate, aliquid suæ ipsorum fidei, & pristinæ constantiæ contrarium faciant.

PETRVS PETROVICH, qui, a rege *Ferdinando* proscriptus erat, propter notoriam rebellionem, ex oppido *Lugas*, communibus procerum suffragiis, in regnum reuocatur. Legati mittuntur ad Vaiuodas, Transalpinensem & Moldauiensem, pro impetrando subsidio, ad introducendum filium *Joannis* regis, electi quoque regis insignia, vbique eriguntur.

STEPHANVS DOBÓ, Vaiuoda Transyluaniæ, & *Ladislaus* z) nuncius regis Ferdinandi, variis argumentis, subditos in officio retinere, conantur, & tam per legatos, quam per litteras, *Saxones*, ad præstandam *Ferdinando* fidelitatem, hortantur.

SOLYMANNVS, Turcarum Imperator, & eius consiliarii, quos Bassas vocant, missis litteris omnes regni status hortantur, vt *Joannis* regis filium, pro vero domino agnoscant, & in regnum reuocent. Cibiniensibus, qui soli nondum in nouam principis electionem consenserant, extrema mala, nisi pareant, & Turca, & Vaiuodæ, Transalpinensis & Moldauiensis, minantur.

SENATVS Cibiniensis, missis ad Petrouich legatis, fidem & obedientiam, *Joannis* regis filio, nomine vniuersorum Saxonum, deferunt, cum his conditionibus; vt nulla præsidia, in aliquam ciuitatem, ante aduentum electi regis, collocentur; vt vniuersa Saxonum priuilegia, iura, & collationes regiæ, inuiolatæ habeantur; vt tormenta bellica regis *Ferdinandi*, Cibinii existentia, ibidem relinquantur, nec vsquam, nisi prius, omnibus rebus in regno bene compositis, abducantur; denique, vt omnium dictorum, vel factorum, hoc tempore innouationis, amnistia, et iniuriarum impunitas, constituatur.

Hæc postulata Cibiniensium *Petrouichius*, fide inter-



z) LADISLAVM *Bánffyum* fuisse, *Bethlen* auctor est, l. cit. p. 197.

ANNVS, CHRISTI 1556.

IMPERATORES Romani, & *Turcici*.

posita, & litteris datis, rata & firma se habiturum promittit.

PETRVS *Petrouich*, constituitur locumtenens, vt ipse, vniuersa regni negotia, vsque ad aduentum reginæ Isabellæ, & filii JOANNIS II. administret. Hic Melchiori Balassa Capitaneo committit, vt *Albam Juliam*, ( in qua Paullus Bornemiszsza Episcopus, partium Ferdinandi erat, ) obsidione cingat: præsidia Moldauorum, ad arcem Vjvár, & Bettlen mittuntur, quo excursiones militum *Stephani Dobó* prohibeant, donec Alba capiatur.

GEORGIVS *Machkássy*, XXI. die Martii, a *Petrouich* locumtenente, *Cibinium* mittitur, vt 300. pedites pixidarios, bombardas & instrumenta, pro suffossione mœniorum, petat. Præbuit ea res occasionem magnæ seditioni in vrbe, cum ciues, contra prius datam fidem, & assecurationem locumtenentis, machinas bellicas postulari, & tantum sibi ipsis præsidia, in tam turbulento regni statu, eripi iudicarent. Pedites mittuntur, bombardas & machinas negant bellicas.

*Martii* die XXXI. (quæ fuit feria tertia, a festo Palmarum) circa horam II. post meridianam, *Cibinium*, metropolis Transyluaniæ, diuersis locis incenditur, & plus dimidia parte ciuitatis, cum tribus monasteriis, conflagrat. Postridie eius diei, scilicet prima Aprilis, per quosdam factiosos ciues, mota est seditio, in qua *Joannes Vörös a)* iudex regius, vir grandæuus, ante suas ædes, in publico vrbis theatro, ictu bombardæ, traiicitur. Auctores seditionis & cædis factæ, aliqui fuga in Germaniam, ad regem *Ferdinandum* elabuntur, alii tres, habita inquisitione, Cibinii XI. die Maii, capite plectuntur. Cadauer *Joannis Vörös*, extra vrbem, propter metum noui tumultus sepelitur, ac sedato rerum motu, denuo effossum, in ecclesia maiori, humatur.

CASSOVIA, & Leutschouia, ac aliæ aliquot vrbes vicinæ, circa festum Paschatis, incendiis misere vastantur.

Obsidio *Albensis*, circa festum S. Georgii, soluitur. Præsidia, quæ intus erant, impetrata abeundi incolumitate, & dedita vrbe, ad episcopum discedunt. Copiæ Locumtenentis sub arce *Vjvár*, ad obsidendum *Stephanum Dobó*, mittuntur.

*Mensis Maii XXI.* die, capitanei Turcici, videlicet: *Dernysbek*, Quinque Ecclesiensis; *Amanbek*, Babociensis; *Nazbek*, Coppaniensis; & alii: *Zanchagy*, cum suis copiis, castra, ad arcem *Sziget*, in Hungaria ponunt, accessum adimunt, & vicinos, ab omni commeatus suppeditatione, arcent. Die Junii XXI. circa meridiem, Turcæ ad oppu-

a) BETHLENIVS, *Johannem Rufum* vocat, dum iisdem his *Sigleri* verbis, cladem vrbis, & seditionem describit.

ANNVS, CHRISTI 1556.

IMPERATORES Romani, & *Turcici.*

oppugnandum oppidum accurrunt, & foſſas lignis repletas, magnis clamoribus, tranſſcendunt, & quater in oppidum ingreſſi, quater repulſi ſunt ; quinto demum incurſu, oppidani in arcem ceſſerunt. Ita oppidum a Turca capitur, vallum & foſſæ exſtruuntur, ac ſigna militaria, ex oppoſito arcis, eriguntur ; ſed *Szigetienſes*, clancularíam eruptionem facientes, commiſſo prælio, Turcam repellunt, & vallo, oppidoque eiiciunt. *Aga*, ſeu Capitaneus Janitſcharorum, tunc captus eſt. Turcarum XXIX. in arcem inducti; ceciderunt hoſtium amplius DCCC. vna cum *Zanchayo* Coppanienſi. *Achmanbek* Babotienſis vulneratus. Ex Szigetienſibus, *Benedictus Thopordy*, Capitaneus peditum, globo traiectus. Ac *Demetrius Mohácby*, decurio, cum aliis XII. occubuit. Julii XXIX. cruentum vtrinque prælium committitur ; ſed Turcicæ copiæ, ſingulari virtute *Marci Horuáth*, arcis Szigetienſis Capitanei profligantur. Reliquiæ exercitus, cum ſuis *Zanchagis*, ſequenti die, re infecta Quinque Eccleſias proficiſcuntur.

*Junii menſis die I.* conuentus, ex trium nationum ordinibus, agitur, in quo, de regina *Iſabella*, cum filio adducenda, de pecunia, ad iter faciendum neceſſaria, & milite præſidiario, decernitur. Legationi, ex nobilibus *Franciſcus Kendy* præficitur. Ex Saxonibus, *Auguſtinus Heduig*, *Joannes Tartler*, *Petrus Rener*, *Stephanus Schefer*, vna mittuntur. Julii die VI. Colloſvarino egreſſi, *Leopolim*, quæ eſt ciuitas Ruſſiæ, in confinibus Moldauiæ ſita, veniunt, die VIII. Auguſti, reginam adeunt, & dicendi data copia, *b*) quantam ruinam tota Pannonia, a Turcicis, & Germanicis præſidiis acceperit, quam cum ſummo totius patriæ malo, regina, ante annos ſex, ex Tranſyluania dimiſſa ſit, quam tragicis ærumnis, arte, & ſuaſu *Fratris Georgii Monachi*, expoſiti fuerint, ordine recenſent. Errati veniam petunt, & vt regina, in Tranſyluaniam redeat, & totius regni, adminiſtrationem ſuſcipiat, orant, debitamque fidem & obedientiam, totius patriæ nomine, reginæ offerunt.

ALEXANDER Vaiuoda Moldauiæ, ex ſua prouincia, per Rodnam, in Hungariam deſcendit. PETRVS Vaiuoda Valachiæ, circa Braſſouiam egreſſus, per Tranſyluaniam in Hungariam proficiſcitur: vbi tandem, coniunctis viribus Vaiuodæ, caſtra ad *Szakmár-Németi* ponunt, & iter, quod alias propter exercitum Germanicum, ſupra Tibiſcum vagantem, erat periculoſum, venienti reginæ, tutum reddunt. Milites ſuos, populandi cauſſa

 emit-

*b*) KENDII orationem, reſponſum item reginæ, legeſis apud BETHLENIVM, p. 200. ſequ.

ANNVS, CHRISTI 1556. emittunt, qui ferro & igne omnia late vaſtant, & pagos, plusquam 300. exurunt. IMPERATORES Romani, & Turcici.

ISABELLA regina XXIII. die Septembris *Leopoli* egreditur, & per Hungariam, magno comitatu Vaiuodarum, ſibi obuiam venientium, Polonorum, Raſcianorum, Hungarorum, Tranſyluanorum, deducta, *Colloſvarinum* XXII. Octobris, hora ſecunda poſtmeridiana, ſplendido apparatu *c*) venit. Hic, plus vno menſe commorata, cum ſeſe, ex longo itinere refeciſſet, *Albam Juliam*, proficiſcitur, vbi, de pacando regno, & componendis optimatum diſſidiis, deliberat.

STEPHANVS DOBÓ, virtute, & rei militaris peritia inſignis, partium *Ferdinandi* in arce *Vjvár*, ſe obſideri, & aliquamdiu, fruſtra vexari patitur. Pactus deinde cum locumtenente, vt ipſe, & ſui omnes, ex arce, saluis rebus & perſonis, tuto abire poſſint, die XXVIII. Nouembris, ex arce egreditur; ſed ex itinere, in Germaniam ſuſcepto, per *Gabrielem Perénny*, iuſſu reginæ, retrahitur, & quaſi contra fidem datam, aliquot bombardas, cum puluere tormentario, auexiſſet, in arcem *Vjvár* captiuus, vxor autem, cum infante *Dévam*, cuſtodienda, mittitur. Ipſe tamen paullo poſt, deceptis nocte cuſtodibus, ex vinculis liberatus, ad partes ſuperiores, magna celeritate contendit.

1557. STANCARVS, apud ſenatum Cibinienſem, litteris diu intercedit, vt in vrbem recipiatur, & aliquem, im vrbe habitandi, locum habeat, ſancte promittens, ſe ciuibus, neque grauem, nec vllius ſeditionis auctorem, per noua dogmata, futurum. Venit *Cibinium*, cum coniuge & liberis, & ibidem, menſes aliquot diteſcens, ſuum illud doctrinæ genus, de *Mediatore*, profitetur. Cum autem quosdam, in ſuam ſententiam pellexiſſet, vrbe eiicitur. Poſtea *Claudiopolim* reuertitur, illinc etiam, paullo poſt extruſus, *Biſtriciam* ſeſe contulit. Inde ad *Antonium Kendy* profectus, interdum medicam facultatem exercuit, interdum caſtra ſequutus eſt.

FRANCISCUS *Bebek*, ampla ſpe dominandi ductus, partes reginæ potius, quam *Ferdinandi*, ſequendas ſtatuit. Venit ad reginam, & cum imbecillum eius ingenium, & pueri regii, intempeſtiuam adhuc regno ætatem videret, multis verbis initio, ſua ſtudia, pericula, & labores, in ipſa reducenda, enumerat. Deinde *Vaiuodatum*, id eſt ſummam præfecturam, & arcem *Gyula*, ſibi dari petit. Regina autem hominis inconſtantiam, & animum ambitioſum, conſiderans, poſtulata ipſius reiicit; ſed hic ob repulſam paſſam, indignabundus, Alba Julia, ad Buden-

*c*) Ingreſſus pompam, BETHLENIVS deſcripſit, vna cum hiſtoria comitiorum, ibid. p. 201. ſequ.

ANNVS, CHRISTI 1557.

IMPERATORES Romani, & Turcici.

densem Bassam, hinc Constantinopolim, ad Solymannum imperatorem, proficiscitur. Vbi primum verba facit: *Isabellæ quidem reginæ regni gubernationem, in aliquot annos commendatam; sed nihil muliebri imperio, vel impotentius, vel alieno magis obnoxium arbitrio esse;* altera parte orationis exponit; *se, communibus optimatum totius Transyluaniæ suffragiis, in gubernatorem electum esse, vsque ad iustam & maturam pueri regii ætatem,* & honestam sui confirmationem petit. Cæsar, hominem beneuole excipit, vexillum gubernatoris, ipsi confert, & milite præsidiario, Vaiuodarum, Valachiæ & Moldauiæ, ipsum deduci in prouinciam iubet.

DOGMA, Berengarii, Zuinglii, Caluini, Bullingeri &c. de Cœna Domini, diu in Galliis, Italia, & Germania iactatum, recens in Transyluania spargitur, auctore *Martino Kalmanchay* claudo, pastore ecclesiæ Debretiensis, & *Ludouico Szegedino*, ac *Laurentio Perek*: contra quos, Synodus Clausenburgi indicta, XIII. die Junii. Ac post varias contentiones, confessio, *de Cœna Domini* ædita, ac publice in eam sententiam decretum. Vt singuli ecclesiarum Saxonicarum pastores, veram de Sacramentis doctrinam, in ecclesia Vittembergensi sonantem, & amplectantur, & per omnia retineant, neque vllum nouum dogma, in suas ecclesias admittant.

ISABELLA regina, animum & practicas *Bebeky* cognoscens, missa statim legatione, verbis & donis Cæsarem placat. *Bebekium*, infidelem & seditiosum esse ostendit. Cæsar re intellecta, Bebekium magistratu abdicat, & ad reginam captiuum reduci iubet. Verum, longa Moldaui intercessione, *Bebekius*, reginæ reconciliatur, in gratiam recipitur, domumque in arcem suam reuertitur.

FERDINANDI regis copiæ, quas habebat in agro Cassouiano, crebras excursiones in ditionem reginæ faciunt, ac aliquot castellis expugnatis, arcem *Munkács* obsident. Mittitur contra eos Melchior Balassa, & Franciscus Bebek, cum tumultuario exercitu, & auxiliis, a Moldauo & Turca, impetratis. Soluitur obsidio, exercitu Germanico sese, ad tutiora loca Tibisci recipiente. Postea fiunt induciæ paucorum dierum, quibus expletis, vterque exercitus confligit, ac ab vtraque parte, multis desideratis, æquo marte discessum est. Germani in hiberna discedunt, Balassa cum suis domum redit, Francisco Bebek, cum paucis militibus, in Szakmár relicto.

PETRVS PETROVITS Transyluaniæ gubernator, & sanguine iunctus regio puero, cum iam annum septuagesimum excessisset, *Collosvárini XIII.* die mensis Octobris moritur.

PETRVS, Vaiuoda Valachiæ, XXIV. die Decembris.

oppido *Bokeresd*, non ſine veneni dati ſuſpicione, mortem obiit. Magna fit rerum mutatio, in tota prouincia Tranſalpinenſi. Nobiles, cum intellexiſſent, præfecturam prouinciæ *Myrche*, priori domino collatam eſſe, & ſingularem hominis ferociam & crudelitatem, iam pridem experti, in Tranſyluaniam plurimi, cum ſuis opibus profugiunt.

*Vltima die Decembris*, miniſtri eccleſiæ Clauſemburgenſis, cum *Stancaro* colloquium habent, in quo primi, ſuarum eccleſiarum ſententiam, de *Mediatore*, ſcripto proponunt, in hanc formam: *Se credere & fateri*, JESVM CHRISTVM *Filium DEI vnigenitum, verum Deum & Hominem, generis humani Mediatorem eſſe, non ſecundum humanam naturam tantum, ſed ſecundum diuinam, & humanam ſimul.* Huic ſententiæ, *Stancarus*, e diametro contrariam, opponit, videlicet: *Chriſtum, noſtrum eſſe Mediatorem, non ſecundum vtraſque naturas, ſed ſecundum humanitatem tantum.* Addit etiam, ſe non valde dimicare cum quoquam, ratione doctrinæ Communicationis Idiomatum, neque vnquam de ea re diſputaſſe; ſed de hoc quærere in abſoluto, vtrum diuina natura poſſit intercedere, ſupplicare, orare &c. Ad hoc axioma, *Stancarus* reſponſum accipit, & de Communicatione Idiomatum, ex libello Philippi Melanchtonis, de controuerſiis *Stancari* edito, ſtatim conuincitur. Tandem concluſum, vt mutua ſcripta, indicio eccleſiarum Saxonicarum in Tranſyluania, ſubiiciantur. *Stancarus* indignabundus, Váſſárhelium abitum parat.

1558. STANCARVS, die XXV. Februarii Váſſárhelio, dat litteras ad *Iſabellam* reginam, & proceres regni Tranſyluaniæ, quibus hæc capita præcipue tractat: omnibus regibus & principibus, immo toti generi humano, diuinitus commiſſum eſſe ſtudium, amplectendi & retinendi puritatem doctrinæ cæleſtis, iuxta Scripturæ teſtimonia: *Audi Iſrael præcepta Domini* &c. *Primum quærite regnum DEI. Cauete vobis a pſeudo prophetis &c.* Adhæc, mandare DEVM, vt omnes veræ doctrinæ deprauatores, & phanatici ſpiritus, quales eſſent *Caſpar Helthus, Franciſcus Dauidis, Matthias Hebler*, & alii, qui JESV Chriſto filio DEI, cum patre & SS. aperte bellum indixerint, e medio tollantur. Se igitur hortari, & rogare, vt prædicti, cum ſuis complicibus, mandato reginæ, & auctoritate gladii, ad iudicium ſynodale cogantur, ſuæ hæreſeos conuincantur, & iuxta leges puniantur. Iuris diuini eſſe; vt ipſi cum ſuis facultatibus comburantur; iure canonico, hæreticos igni, omnia autem ipſorum bona, fiſco tradenda eſſe; iure ciuili, eadem poſtulari & requiri.

ANNVS, CHRISTI 1558.

IMPERATORES Romani, & Turcici.

*Myrche*, Vaiuoda Valachiæ, summa nobilium, (quos Bayerones vocant) pestis, ac inauditæ crudelitatis homo, post mortem Petri Vaiuodæ, intercessione & precibus *Bustan-Bassæ*, summi consiliarii, in aula *Solymanni* imperatoris, vicissim Valachiæ prouinciæ præficitur; cuius gubernationem, summa cum tyrannide suscipit XXV. Januarii.

APOLOGIA, aduersus maledicentiam & calumnias *Francisci Stancari*, iussu & voluntate omnium recte docentium, in ecclesiis Transyluanicis, per ministros ecclesiæ Clausemburgensis, conscribitur, in qua initio acta colloquii præcedente anno, cum *Stancaro* habiti, summatim recitantur. Deinde, firmis rationibus, doctrinam ecclesiarum in Transyluania, non commentitiam & hæreticam, vt *Stancarus* vociferabatur, sed veram, & voci Propheticæ, & Apostolicæ consentientem esse, ostenditur. Postremo, breuiter & modeste, ad calumnias *Stancari* respondetur.

*Mense Junio*, conspectus est cometa in plaga mundi septentrionali, inter vtramque vrsam, iuxta lucidas stellas, anguis, vel draconis, rutilus, & coloris fere plumbei, naturæ ♄ & ♂. Visus est alius cometes, die VIII. Augusti, cursus velocissimi, ab oriente in occidentem, durauit integro mense.

CAROLVS V. IMPERIVM FRATRI FERDINANDO RENVNCIAT. FERDINANDVS, IMPERIVM TRADITVM, XXIV. die MAII OCCVPAT. CAROLVS V. XXI. die Septembr. MORITVR.

CLARISSIMVS & doctissimus vir Philippus Melanchton, deliberatione & voluntate, inclytæ Academiæ Vittembergensis, scriptum, de *cœnæ Domini controuersia*, die XVI. Januarii editum, ad ecclesias Transyluanicas, sub finem Julii transmittit.

*Franciscus Némethy*, præfectus arcis Tokay, quæ ad confluentem Tibisci, & Bodrog iacet, die XX. Julii, Germanicas copias, crebris Hungariam excursionibus molestantes, ad castellum, Szerencz, inuadit, & acerrima pugna multis vtrinque desideratis, profligat.

Synodus pastorum ecclesiæ Hungaricæ nationis, in Transyluania I. die Maii, in oppido *Thorda*, agitur: illic contra *Stancarum*, de persona & beneficiis CHRISTI, & contra eos, qui negant veram, realem, & substantialem præsentiam corporis & sanguinis CHRISTI in S. Cœna. Statuitur, vt ceremoniæ ecclesiasticæ, etiam per se adiaphoricæ, quales sunt: introductio nouarum nuptiarum, puerperarum, vsus cereorum, & vestis lineæ, propter disciplinam, & bonum ordinem, retineantur. Mandatur annua ecclesiarum visitatio, & decernitur, vt contumaces, officium non facientes, & ministerio ad quæstum abutentes, ex numero piorum pastorum, secludantur.

FRANCISCVS *Kendy*, cum fratre, *Antonio Kendy* & *Francisco*

ANNVS, CHRISTI | IMPERATORES Romani, & *Turcici.*

*cisco Bebek*, a regina vocati, quasi cum ipsis aliquid de salute reipubl. tractandum foret, Albam Juliam, vltima die mensis Augusti, veniunt, & ea vespera, simul cum aliis reginæ familiaribus, in multam noctem, læti conuiuantur. Septembris die II. circa horam XII. noctis, ab Hungaricis & Polonicis militibus, duce *Melchiore Balassa*, & *Casparo Peressith*, ad hoc, a regina clam ordinatis, interficiuntur. *Franciscus Kendy*, in suo cubiculo, acceptis aliquot vulneribus, & lancea traiectus, cadit. *Bebekio*, qui in hospitio *Antonii Kendy* ea nocte latitabat, stanti, per militem Rascianum, ceruix abscissa. *Antonius Kendy*, podagricus, cum tam tristem cædem ex lecto spectaret, & vt cognitioni se reseruarent, frustra peteret, crebris quoque ictibus, trucidatur. Res quas secum habebant, prædæ militum, ceteræque opes, & bona, fisco regio cedunt.

GEORGIVS Bebek, & Emericus Telekessy, Ferdinandici exercitus Capitanei, XIV. die Nouembris, cum *Veltzembego* munitissimæ arcis Filek, quæ in iugis Carpathi sita est, præfecto, fines oppidi Sixó, & Comitatum Abaujváriensem depopulante, hostilibus signis congrediuntur, & progressi ad oppida Galgócz, & Kazon, Turcicas vires, memorabili prælio superant.

1559. REGINA ISABELLA, sub finem anni LVIII. statim aduersa valetudine laborare incipit, cumque de vita ipsius in tota prouincia dubitaretur, eamque mortuam asseruari diceretur, duas simul virgines, e suo gynecæo, Polonicis iuuenibus desponsatas, in matrimonium elocat, ac sese iis, qui ad nuptias venerant, videndam præbet.

Induciæ vnius anni cum Ferdinandicis. Hoc anno nihil actum est, mediocris enim fuit vbique tranquillitas. Annus tamen iste turbulentissimus fuit insolitis tempestatibus, procellosis ventorum flatibus, crebrisque tonitruis & fulgetris, quæ tantam annonæ caritatem effecere, vt in plurimis Transyluaniæ locis, auena homines, pro tritico vsi sint.

ISABELLA, *d*) Sigismundi regis Poloniæ filia, vxor quondam JOANNIS Vaiuodæ, regis Hungariæ, superstite relicto filio *Joanne II.* Albæ Juliæ, die XX. Septembris, tempore pomeridiano moritur. Sepelitur ibidem in templo *Michaelis Archangeli*, die VIII. Octobris.

EPITAPHIVM.

*Non potuit generi virtus præstantior addi,*
*Nec donis, quibus hæc diua Isabella nitet.*
*Edidit infantem* JANI *de sanguine regis,*
*Quo duce Pannonii secula tuta gerant.*

CAPVT

*d*) Laudes feminæ, ex JOHANNE MICHAELE BRVTO, recitat BETHLEN, Lib. IV. p. 211.

## CAPVT II.

## *De rebus gestis, sub Johanne Sigismundo, Transyluaniæ Vaiuoda.*

1559. MYRCHE, Vaiuoda Transalpinus, princeps crudelis & immanis, die XXV. Decembris moritur, non sine veneni hausti suspicione. Huic successit filius PETRVS.

1560. Pastores ecclesiarum Saxonicarum, cum magistratu politico dissident, & ei grauiter se opponunt, ob iurisdictionis ecclesiasticæ negotium, illi litteris priuilegialibus, ab *Isabella* regina impetratis, freti, diiudicationem caussarum Matrimonialium, Testamentorum, Tutelarum, Decimarum, iuxta Canones & decreta Pontificia, sibi relinqui volunt. Politici e contra, suis priuilegiis nituntur. Actio, neutris quidquam de iure suo concedentibus, diu protracta est. Tandem, re diu multumque deliberata, inter ambas partes, transactio firmatur, & ita conuenitur; vt iudicium, de casibus matrimonialibus, de gradu affinitatum, & consanguinitatis, & de diuortiis, ad forum ecclesiasticum, pertineat. In ceteris articulis, ecclesiasticæ personæ, litteris suis priuilegialibus renuntiarunt.

1561. In vrbe *Megyes*, iussu Serenissimi Principis Ioannis II. electi regis Hungariæ, die VI. Februarii, disputatio de Cœna Domini, inter *Franciscum Dauidis*, & reliquos *Caluini* sententiam amplectentes, instituta, cum ministris, & pastoribus ecclesiarum Saxonicarum, illic per aliquot dies vtrinque, res, magna contentione fuit, multisque scriptis, agitata. *Franciscus Dauidis, cum* suis complicibus, *Zuinglii*, & *Caluini*, aliorumque opiniones sequuti sunt: *Corpus & Sanguinem* CHRISTI *spiritualiter, non corporaliter, nec ore, sed corde, seu fide sumi.* Saxones, Lutheri sententiam, & Augustanam Confessionem, probarunt. Acta huius disputationis, & ambarum partium scripta, ex principis decreto, præcipuarum Germaniæ Academiarum iudiciis, & censuræ subiiciuntur. Durauit hoc dissidium aliquot annis, studiis hominum huc illuc inclinantibus.

Szkalka castellum, a militibus Ferdinandi, obsidione capitur, & succensa arce, præsidiariisque omnibus interfectis, solo æquatur, mense Februario.

*Ecclesiæ*, & ResspublicæSaxonicæ, die X. Octobris, ad Vittembergensem, Lipsiensem, Rostochiensem & Francofordiensem ad Oderam, & reliquas Saxoniæ, Mysniæ, & vicinarum regionum academias, legatos suos: *Nicolaum Fuchsium, Georgium Christianum*, & *M. Lucam Vngleich*, in negotio articuli, de Cœna Domini, mittunt, &

ANNVS, CHRISTI 1561.

IMPERATORES Romani, & *Turcici.*

de ſua, & aduerſariorum ſententia, academiarum iudicia petunt.

JACOBVS Heraclydes Baſilius, Deſpota, qui ſe inſularum, Sami, Phari, & Dorydis, verum hæredem, & dominum regni Moldauiæ, atque Palatinum finium terræ Tranſalpinenſium, ac vindicem libertatis patriæ ſcripſit, collecta hinc inde, non vltra MDC. virorum manu, Moldauiam prouinciam adoritur, ac XVIII. Nouembris iuxta villam *Verbyt*, ſeptem milliaribus a Socziouia, Vaiuodarum regia diſtantem, cum *Alexandro* congreditur. Alexandrum Vaiuodam, principatu & regno eiicit, qui initio ad oppidum *Jaas*, inde ad *Húz*, tandem *Kyliam*, & Conſtantinopolim vſque profugit.

OLCZOVA, ad fluuium Szomos, non procul vbi Zomos in Tibiſcum influit, caſtellum & oppidum, a militibus *Ferdinandi* obſidione cingitur, & ſecunda die Ianuarii capitur.

DESPOTA, Vaiuoda Moldauiæ, in feriis Epiphaniarum, diademate regio, cum maximo omnium prouincialium & optimatum applauſu, & lætitia coronatus eſt, & vocatus JOANNES. Neque vlli Vaiuodarum ante ipſum permiſſum eſt, vt corona vteretur. Primus quoque hoc anno, *taleros* argenteos, in ea prouincia, cudi fecit.

*Melchior Balaſſa*, copiarum regiarum in Hungaria, ſupremus Capitaneus, dum caſtellum *Olczoua*, a Germanis occupatur, in oppido Szakmár cum exercitu hybernat, & menſe Januario, a Joanne II. rege Hungariæ, ad partes *Ferdinandi* deficit, Szakmár, Riuulos Dominorum, & alia oppida, & caſtella vicina, pro ſe occupat, & milite præſidiario munit.

MICHAEL *Gyereöffy*, nona die Ianuarii, & poſt hunc Iacobus Pockay, die X. eiusdem menſis, cum mandatis regiis, *Cibinium* veniunt, & ſignificant: Germanos caſtellum *Olczoua* obſidione cepiſſe; *Balaſſium* defeciſſe; regem petere præſidia, tormenta, & bellicos omnis generis apparatus. *Cibinii*, & in reliquis vrbibus, milites conſcribuntur, & ex pagis, tertius quisque in expeditionem bellicam, vna inſurgit. *Sabeſus* occupatur, collocatis ibidem Nicolao Orbay, & Stephano Keſſereö, cum aliquot regiis cohortibus. Ipſe princeps, cum reliquo exercitu, *Dyód*, & *Letha*, quæ erant Melchioris Balaſſii, in Tranſyluania, caſtella obſidet.

LEGATI eccleſiarum Saxonicarum, in celebriores Academias, in negotio religionis miſſi, die XII. Ianuarii redeunt, ac iudicia, partim ad sereniſſimum principem JOANNEM II. partim vero ad eccleſias, & Reſpubl. Saxonicas, ab Academiis ſcripta, vna adferunt. Per ea Academiarum iudicia, confeſſio eccleſiarum Saxonicarum, reti-

retinens τὸ ῥητὸν, seu proprietatem verborum institutionis Cœnæ Domini, & in argumentis, ab vnione personali, & omnipotentia filii DEI sumptis, simpliciter acquiescens, vt vera & orthodoxa approbatur. Præstigiæ vero, & sophismata aduersariorum, immensurabilem Christi virtutem, disputando inquirere conantium, plane damnantur.

*Dyód*, castellum Melchioris Balassii, die IV. Februarii deditionem facit. Augustinus Nagy, Nicolaus Zegedy, & Balthasar Horuáth, eius loci præfecti, a principe, saluam & liberam, cum vniuersis rebus suis, abeundi facultatem, impetrant. Castellum funditus diruitur, & solo æquatur.

Letha, alterum eiusdem Balassii castellum, die XII. Februarii obsessum, exorta inter præsidiarios intestina discordia, deditione capitur. Ex militibus regiis, circiter quinquaginta, castellum ingressi, frustulatim, a puluere tormentario, in fornicibus subterraneis accenso, discerpti pereunt, & castellum, eiusdem pulueris impetu, funditus dirutum.

*Hadad* castellum Melchioris Balassii, ductore regii exercitus Francisco Némethy, & Simone Pauer, Senatore Coronensi, ac Matthia Seler, iudice regio Segesváriensi, Saxonicorum sclopetariorum præfectis, sub finem mensis Februarii, capitur. Sed die IV. Martii, a *Balassio*, cum copiis Ferdinandicis aduentante, & in victores incautos, ex improuiso irruptionem faciente, viciffim recipitur. Franciscus Némethy, cum equitatu regio, in fugam conuersus, pedites Saxonicos, sparsim hosti trucidandos, reliquit. Simon Pauer, cum paucis aliquot sclopetariis Saxonicis capitur; sed pacta tandem fide, se contra Christianos arma non sumpturos, ipse, & captiui omnes, dimissionem impetrant, & salui domum redeunt.

Joanne II. in firmanda, contra Germanorum, & Melchioris Balassii, irruptiones, prouincia occupato, Siculi seditionem mouent, sub initium Aprilis. Ad oppidum *Vdvarhely*, indictis comitiis, conueniunt, & iurant singuli, se patriam, suamque libertatem, contemto omni periculo, defensuros, neque susceptis vsuros armis, nisi aduersus hostem, reipublicæ, & toti patriæ, seruitutem adferentem. Hoc sacramento, vsque adeo deuinctis animis, circiter *sexaginta millia* hominum, consociata sunt, vt vel mori, vel suas libertates & priuilegia, salua esse velint. Ducem *Georgium Nagy* de Paalfalua, renuntiant, & ad oppidum *Vásárhely*, in planitie campi *Vayadt*, iuxta fluuium *Nyáradt*, castra ponunt.

Szakmar, a Bassa Budensi, & Bego Temesváriensi, &

ANNVS, CHRISTI 1562.

IMPERATORES Romani, & *Turcici.*

copiis *Joannis II.* die XXV. Aprilis, obſidione cingitur, intus incluſo *Melchiore Balaſſa*, *Antonio Székell*, *Franciſco Zay*, & *Dominico Dobó*. *Némethy*, oppidum, e regione Szakmár, vltra fluuium Zámos ſitum, Turcæ igne funditus vaſtant, & ſpe potiundi Szakmár abiecta, captaque, in tota ea vicinia, immenſa hominum multitudine, re infecta diſcedunt.

GEORGIVS *Bebek*, & *Caſpar Makóchy*, partium Germanicarum, cum Baſſa Budenſi, infelici prælio congresſi, capiuntur, & ſub cuſtodia, ad Solymannum Imperatorem, Conſtantinopolim captiui mittuntur.

JOANNES II. die XIV. Maii, per legatos in caſtra Siculorum miſſos, de cauſſa tumultuariæ iſtius inſurrectionis, & cur Siculi, aduerſus communem patriæ & regni hoſtem, ſua auxilia coniungere noluerint, percontatur. Siculi, detentis aliquamdiu legatis regiis, tandem die XXV. Maii, principi & optimatibus regni, ſe, ob aſſerendas antiquas ſuas libertates, arma cepiſſe, reſpondent. Paullo poſt Siculi, mittunt nuntios in vrbes, & ſedes Saxonicas, cauſſam inſurrectionis exponunt, & minantur, ſe omnia igne & ferro vaſtaturos, & infantibus & feminis nolle parcere, niſi Saxones ſuas copias coniungant, & de priuilegiorum recuperatione, bellum moueant. Eo tempore, *Matthias Autalffy* & *Joannes Ember*, Cibinium quoque, a Siculis veniunt, qui duos Senatores in caſtra mitti, & ſe conſilio iuuari petunt, in recuperandis, & aſſerendis priſtinis ſuis libertatibus. Senatus Cibinienſis, de capiendis eiusmodi nuntiis, mandata habens a principe, re prius principi expoſita, officium facit. Nuntii, in vincula poſtulantur, & abducuntur.

*Gabriel Mayládt*, XXXI. die Maii, coacto exercitu, ex toto diſtrictu Fogaras, Siculos, leui prælio primo adoritur, accenſum ſenſim acrius & ardentius prælium, quando multo frequentiores, quam Mayládtius putaſſet, equites & pedites Siculorum confluebant, pugna eo deducta, vt Mayládtius, amiſſis præcipuis aliquot Capitaneis, & equo, cui ipſe inſidebat, lancea percuſſo, in magnum diſcrimen perductus videretur. Victor tamen *Vdvárhelyum* ingreditur, monaſterium occupat, & firmiter munit. Dum hæc aguntur, interea alia ex parte, princeps, capta præcipua Siculorum nobilitate, & impoſitis hinc inde præſidiis, Siculos domitat, & imperata facere cogit. Reliquus exercitus, ad principis aduentum, ſua ſponte dilabitur. In huius inſurrectionis memoriam, in oppido *Vdvarhely*, caſtellum *Székeltámad*, & in vicinia quoque, aliud caſtellum *Székelbánya* nuncupatum, fundatur. Auctores ſeditionis aliquot, vna cum duce

ANNVS, CHRISTI 1562. IMPERATORES Romani, & Turcici.

duce *Georgio Nagy*, in ciuitate *Szegesvár*, capite plectuntur.

JOANNES TÖRÖK, gener Melchioris Balaſſii, die VII. Junii moritur.

1563. Maii XXVIII. die, in comitiis *Thordenſibus*, decretum, anni MDLVII. in religionis negotio, a regni ordinibus, repetitur & firmatur; *vt quisque eam, quam mauult religionem, ampleƈtatur, ſine omni coaƈtione, & in alendis ſuæ fidei concionatoribus, & vſu Sacramentorum, quiſque liber ſit, & neutra partium, cum altera, iniuriis, aut vi, certare debeat.* Iſta libertas, & impunitas, multis in Tranſyluania ſeƈtis, & nouis dogmatibus, occaſionem dedit.

DESPOTA, in nuptias, cum filia *Zborouſzky* Palatini Cracouienſis, celebrandas, intentus, dum rem ſuam, quaſi in vado eſſe putat, religionis ſtatum in Moldauia mutare, monaſteria & templa ſpoliare, occipit. Eo faƈto, ingens odium, prouincialium ſuorum, incurrit. Clam itaque, ex Ruſſia, *Demetrius* (quem illi Demetrasko vocant,) qui antea, cum *Alberto Lazky*, Palatino Syradienſi, & *Keſmarkenſi* Barone, ad expellendum *Deſpotam* coniurauerat, litteris euocatur: mortuum eſſe Deſpotam; veniret cum honorifico comitatu, & felicibus auſpiciis, gubernationem adiret. *Moldaui*, dum hoc clanculariе moliuntur, excitant quoque rumorem, Tartarum excurſiones facere, in Moldauiæ fines. *Deſpota* perſuaſus, (fato ſcilicet huc vocante,) mittit eo CCC. leuis armaturæ equites, quos *Huſzarónes* nominant, quibus maxime fidebat, & cum his, circiter *ſeptem millia* Moldauorum, duƈtore *Stephano*, curiæ Magiſtro, (quem illi ſupremum *Vornick* appellant,) vbi eo ventum, ne muſca quidem hoſtis. Noƈtu itaque communicato conſilio, Moldaui inuadunt ſemiſopitos, ac CCC. illos equites opprimunt, præter pauciſſimos, qui inter cadauera oppreſſorum latitantes, euaſerunt. Potiuntur aliquot tormentis maioribus, quæ præſidio data erant, equitibus. *Stephanum* Vaiuodam ſalutant, atque ita paulatim omnes, a Deſpota deficiunt. Multa paſſim crudeliter faƈta, ſæuitum in omnem ſexum, qui *Deſpotam* principem agnoſceret. Filia Deſpotæ, ex Græca concubina nata, ſtrangulatur, matre in cœnobium relegata.

*Soczovia*, ſedes Vaiuodæ, in quam Deſpota ſe cum paucis Hungaris, Moldauis, & Græcis, receperat, die XXX. Julii, a *Demetrio* Rutheno, & *Pyaſſoskio*, ipſius Lasky præfeƈto obſidetur. Hoc *Stephanus*, nuper Vaiuoda ſalutatus, audiens, ex inferiori Moldauia, concitata tota prouincia, reuertitur, & ad flumen *Seredt*, caſtra ponit: *Demetrium*, cum CCC. equis leuiſſime armatum adoritur, ſed ab illis, effuſiſſime toto Moldauorum exercitu fugiente, opprimitur. *Stephanus* princeps, cum

ANNVS, CHRISTI 1563.

IMPERATORES Romani, & *Turcici.*

paucis quibusdam in collem fugit, vnde contemtissimum numerum speculatus, quod iam, non centum ex hostibus superessent, eos, de integro instaurato prælio, pellit. *Demetrius*, qui rheda vehebatur, quod esset paralyticus, cum alio *Laszky* præfecto *Pyassoskio*, captus, & ad Imperatorem Turcicum est deductus, vbi vterque, ab vnco ferreo, lateri iniecto, suspensus, misere perit. *Stephanus* victor, continuata obsidione, a vicinis, & *Joanne II.* Hungariæ rege, auxilia petit. Mittuntur eo a rege, *Michael Rácz*, & *Thomas Daczó*, cum aliquot selectissimis peditum, & equitum cohortibus. Durauit obsidio XIV. hebdomadas. Interea, venit ad oppidum proximum KOTHNAR, quod sex milliaribus a *Soczavia* distat, legatus Turcicus, qui *Despotæ* incolumitatem promittit, & si arce egrederetur, pollicetur ipsum, sub fide Imperatoris Turcici, regis Hungariæ, & Stephani Vaiuodæ, saluum futurum.

DESPOTA, dum de facienda deditione sollicitatur, intus in arce *Soczovia*, Petrum Déuay, Capitaneum Hungaricorum peditum, ob tentatæ proditionis notam, vel, quod inscio principe, colloquium cum hoste instituisset, priuatim, auxilio Græci Atriensis, confodit, atque inter aulea abscondit, donec guttæ quædam sanguinis, cædis indicia, deprehensæ, militem præsidiarium ita concitarunt, vt impetrata prius, a Stephano principe, sui incolumitate, diutius stipendia sub *Despota*, facere noluerint; sed eum optionem habere iusserint, an viuus in hostium potestatem deduci, vel frustulatim dissectus, per murum proiici vellet. *Despota*, cum præsidiarios, nec prece, nec pretio, videt exorari posse, indutus iis vestibus, quibus in solennibus pompis vti consueuerat, eques arce egreditur, ab equo descendere iussus, renuit, sed cum inter intentas duorum ordinum cuspides incederet, destitutus omnibus suis satellitibus, & auxiliis, tandem obsequitur, & pedes, inter duos nobiles, ad *Stephanum* Vaiuodam, deducitur, exploratis diligenter vestium laciniis, ne quid fraudis subesset. Vbi primum in conspectum venit, claua ferrea percussus a *Stephano*, ictus est leuiter in humero, repetito ictu, quem pectore exceperat, prosternitur, omnibus vestimentis spoliatur, & diu quæsito carnifice, tandem a Tartaro, aliquot ictibus, capite amputato, expirat, quinto die Nouembris. Cadauer, manibus & pedibus abscissis, triduo, tristissimum humanæ fortunæ spectaculum, in publico iacuit. Caput vero excoriatum, missum est ad Imperatorem Solymannum. De morte *Despotæ*, versus, annum & diem exprimens:

Despota sVb nonas hostILI obIt ense noVeMbres.

*FINIS.*

## *Ad Lectorem Philohistora.*

DE MICHAELE SIGLERO, cuius CHRONOLOGIAM nunc edo, non habeo dicere amplius, quam quod ille, de se, in epistola nuncupatoria, ad STEPHANVM BATHORI, Transiluaniæ Principem, postea Regem Poloniæ laudatissimum, professus est. Fuit nempe, *Syndicus Cibiniensis*, vti eam adpellat, *Reipublicæ:* vir vtique doctus, & rerum patriæ, non amans minus, quam gnarus. Vsus est, manu exarato eius codice, WOLFFGANGVS BETHLENIVS, in Libris Historiarum, quos, de rebus potissimum Transiluanicis, conscripsit. Enim vero, eadem, non raro, verba, in rem suam vertit, quæ in SIGLERO leguntur: quod indicio est, fuisse hanc eius opellam, non plane nullius pretii, apud scriptorem, oppido sagacem & adcuratum. Ea vero, BETHLENII, de nostro, existimatio, in spem me vocat, fore, vt gratam acceptamque sint habituri, eius editionem, docti, atque in his, cum primis Transiluani. Nam, ciuiles, iuxta & ecclesiasticos motus, infelicis tunc regionis, ex vero describit. Ergo, cum fidem sequi debeat historia, non fauorem; SIGLERVS noster, nulli non Philohistori, maiorem in modum se adprobabit.

Jam & illud dicendum est, quemadmodum se nostris cimeliis, insinuauerit. Accepimus eum, a SAMVELE BOHVSS, caussarum patrono, & docto, & celebri, nostri item, a primis pueritiæ annis, amico, eodem illo exemplari, quod STEPHANO BATHORIO, auctor dedicauerat. Notas cumulare, superuacuum putabamus, ne breuitatem doctam, oneraremus explicatione non necessaria.

Reliquum est, vt TE rogem, in maiorem modum, *Lector Erudite*, velis hos nostros conatus, æqui bonique consulere. Patriæ caussa suscepti sunt; communem patriam neget oportet, qui eos non iuuerit. Vale, & cœptis faue, accepturus proxime, *Decadis* huius *Primæ*, Monumentum *Tertium*. PISONII, Pridie Calendas Apriles, Anno MDCCXXXV.

ILLV-

# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
## *AC DOMINO, DOMINO*
# STEPHANO BATHORI,
## DE SOMLYO,
## VAIVODAE TRANSYLVANO, ET SICVLORVM COMITI, &c. &c.
## PRINCIPI ET DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

MICHAEL SIGLERVS, Notarius Reipubl. Cibinienſis,

S. P. D.



CVm viderem, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, omnium Statuum Ordinumque homines, nuper, ſub feliciſſimum, *Celſitudinis* Tuæ, in vrbem Cibinienſem ingreſſum, variis rationibus, iuſtam ſuam, cum publice, tum priuatim, lætitiam, conteſtari, ac ſua ſtudia & voluntates, Tibi, tanquam Principi, diuinitus de patria merito, quam officioſiſſime, probare. Volui & ego, velut vnus de populo, qui in ditione & vrbe illa, natus ac educatus ſum, non tantum *Celſitudini* Tuæ, de felici ingreſſu, deque ſalute,& incolumitate *Celſitudinis* Tuæ, toto pectore congratulari, ſed etiam, propter admirationem ſapientiæ, & virtutis Tuæ, *Celſitudinem* Tuam, omni officii genere colere, meamque obedientiam, gratitudinem, & pietatem, *Celſitudini* Tuæ, multis nominibus, iam olim debitam, obſeruanter declarare. Huius vero meæ voluntatis, ſi ſpecimen aliquod illuſtrius, *Celſitudini* Tuæ, vel tunc, exhibere potuiſſem, aut modo quoque poſſem, & perlubenter feciſſem, & iamque lubentiſſime facerem. Nunc, cum præter iſtas, ingenioli mei primitias, nihil aliud, quod præſtem habeam, *Celſitudini* Tuæ, CHRONOLOGIAE huius duas partes, qualicunque ſtudio & diligentia mea, contextas & elaboratas, dedicare ſtatui, nulla quidem doctrinæ fiducia, ſed duntaxat, meæ pietatis, obedientiæ, atque officii ſignificandi, gratia, præſertim cum ſciam, Te, non ſolum ea humanitate eſſe, vt officia Tuorum ſubditorum, quantumuis exigua, boni conſulas, ſed etiam ea ſapientia, vt ſtatuas, iuuenilia ingenia, facilitate & benignitate Tua, excitanda eſſe: vt intelligant, tibi ſpes ſtudiorum ſuorum ampliſſimas, in bonis principibus eſſe poſitas. Obſequenter itaque, *Celſitudinem* Tuam, obſecro, PRINCEPS Illuſtriſſime, vt libellum hunc, in quo præcipue, res geſtæ, tam Hungarorum, quam vicinarum gentium, ac prouinciarum, compendioſe adnotantur, clementer accipias, tanquam teſtimonium, mei, erga *Celſitudinem* Tuam, ſtudii atque obedientiæ. Quodſi *Celſitudinem* Tuam, noſtris iſtis ſtudiis, fauere cognouero, (Domino DEO auxiliante) & reliquas compendii hiſtoriarum patriæ noſtræ partes, diligenter pertexemus. Interea me *Celſitudini* Tuæ, commendo, ac oro, vt *Celſitudo* Tua, me, ſtudia & conatus meos honeſtos, clementer tueatur, ſiquidem, ſuo fauore dignos eſſe, iudicauit. Bene & feliciter *Celſitudinem* Tuam, valere cupio. Datæ *Cibinii*, prima die menſis *Martii*, Anno Domini, MDLXXII.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis Tuæ,

*Subditus,*

MICHAEL SIGLERVS,
Cibinienſis.

MICHAE-

IVVENCI COELII CALANI
DALMATAE
# ATTILA,
*Post Venetam & Ingolstadiensem*
editionem,
Tertium recusus, recognitus,
*ET*
Notis vberrimis
*illustratus.*

DECADIS I. MONVMENTVM III.

*EXCELLENTISSIMO, REVERENDISSIMO,*
*ILLVSTRISSIMO*
VIRO
# DOMINICO PASSIONEIO,
Archi-Epiſcopo Epheſino,
PONTIFICIS MAXIMI
*Ad Auguſtiſſimum*
ROMANORVM IMPERATOREM,
# CAROLVM VI.
Legato Grauiſſimo,
*S. P. D.*
MATTHIAS BEL.



VTerer excuſatione, non æqua minus, quam prolixa; quod celeberrimum nomen TVVM, EXCELLENTISSIME PASSIONEI! tenui opuſculo præfigere ſum auſus; niſi, & de TVA ſingulari bonitate, qua me, anno ſuperiore, accepiſti, probe mihi conſtaret, & illuſtris *Pius Nicolaus Garellius*, ingens ſtudiorum meorum præſidium, plane mihi adfirmaſſet, optime caſuram deſtinatio-

nationem hanc meam, apud virum, qui, pro mirifica eruditione ſua, & ſubacta, longo maximarum rerum vſu, prudentia, egregie norit, Muſarum iſtiusmodi, quibus operor, ſacra, ab religionis myſteriis, diſcriminare.

Quod vnum argumentum, tametſi potuit, cœptas conſilii rationes confirmare, apud animum, ſui conſcium; tamen, ita rebar, non poſſe, notam ingrati animi declinari a me, ſi non TIBI, Vir Excellentiſſime! ſacrum nuncuparem libellum, qui nunc, magno TVO beneficio, emendatior in lucem prodit lautiorque. Fui, ſicuti recordaberis, in errore, de *Iuuenco Cœlio Calano Dalmata*, quaſi, qui latuerit hucusque in membranis, editus nunquam. Hunc TV, Eruditiſſime Vir! non modo animo meo, promtus exemiſti; ſed, nauaſti etiam operam ſollicitam, ne me lateret quidquam, quod auctori, non vndiquaque conſummato, ſeu ſarciendo, ſeu illuſtrando, vtile futurum exiſtimabas.

Proinde, accipe, bonitatis illius TVAE, fructum hunc, pro more TVO, benigne, habeque, in iis monumentis, quæ TIBI, maximo TVO merito, paſſim video poſita: non, quod id mihi tribuam, quaſi a me edi poſſit quidpiam, virtute TVA, & inuſitata dignum eruditione; ſed, quod tantilla hæc, deditæ TIBI voluntatis, ſignificatio, ab homine peregrino, erga TE profecta, documento futura eſt orbi litterato, quantum, vbique gentium, & optima fama valueris, & bonitatis præconio. Feliciter age, & ſtudia mea, opis eruditæ, quod noſti, indiga, quo potes modo, potes autem efficaciſſime, porro adiuua. Pisonii, apud Quados. A. MDCCXXXVI. IV. Idus Iunii.

PRÆ-



# PRAEFATIO.

## Lectori Erudito, Salutem!

ATTILAM, *Iuuenci Cœlii Calani Dalmatæ*, edimus, libellum, fama, quam habuit hucusque, multis modis inferiorem; interſerendum tamen, *Adparatui* huic noſtro, partim, vt eruditorum voluntati obſequeremur, partim, vt res *Attilæ* geſtas, nullo fere ordine, ab hiſtoricis relatas, quomodocunque illuſtraremus. quod, quam præſtiterimus feliciter; tametſi lectorum fuerit exiſtimare, docendos tamen putamus hos, qui noſtra hæc adtrectabunt, quemadmodum, in re quantiuis momenti, verſati, quaque vſi fuerimus fortuna.

Venit, nec opinantibus, in manus, ante duo hæc luſtra, ἀπόγραφον IVVENCI, ex codice *Rebdorffenſi*, a *Martino Schedelio Piſonienſi*, a) viro docto, & rerum patriarum ſtudioſo, cum apud *Matthæum Bernegerum*, inſigne Academiæ Argentoratenſis decus, ſtudiorum cauſſa ageret, cum cura exſcriptum. Difficile dictu eſt, quam ſimus lætati, de reperto hoc cimelio, cuius cauſſa, multis retro annis, doctiſſimos quosque viros, fruſtra ſollicitaueramus: prorſus in errorem inducti; latere adhuc, intra auara ſcrinia *Iuuencum*, neque adſpexiſſe vnquam lucem publicam. quod non vnis litteris adfirmatum nobis eſt, ab his etiam, quibus & eruditio exaggerata, & ſtudium eſt incomparabile, noſſe τῶν ἀνεκδώτων hiſtoriam.

Atque, idem hic error, auctoramento nobis fuit, vti libellum, ex ſe tenuem, & ſine adcuratione compoſitum, notis illu-

)( ſtran-

a) Huic debemus Schediaſma, quod moderante MATTHAEO BERNEGERO, de HVNGARIA, Argentorati prodiit forma quadripartita, quodque poſtea, IOAN. FERDINANDVS BEHAMB, ſub titulo, NOTITIÆ REGNI HVNGARIÆ, Antiquo Modernæ, perpetuis obſeruationibus condecoratum, edidit, Argentorati, An. MDCLXXVI. form. 8.

ſtrandum edendumque, apud animum, eo confidentius ſtatueremus, quo magis perſuaſi fuimus, primos nos fore, qui orbem eruditum, diuat fruſtra, exquiſito auctore, donaturi ſimus. Proinde, cœpimus commentari in noſtrum hunc, ſic ſatis ſcrupuloſe, ac forte etiam prolixius, quam meruiſſe videbitur, ſcriptor, neque ſcitus, neque antiquus. Vti vero labor is, impeditus ſane, ſed iucundus tamen, eo celerius conficeretur, vocandum in eius partem cenſuimus, virum doctum. cuius ille *b*) dulcedine ad eum modum captus fuit, vt nihil nobis reſidui fecerit, quam recognoſcendarum obſeruationum, quas diuite adparatu congeſſit, curam ac ſtudium.

Iam vero excudebatur libellus, cum *Vindobonæ* tunc diuerſanti, ita licuit eſſe felici, vt, ab DOMINICO PASSIONEIO, Pontificis Maximi, apud Auguſtam Aulam, legato, viro, in hiſtoria litteraria, ad prodigium vſque erudito, ad colloquium beneuole admitterer; PIO NICOLAO GARELLIO, conatuum noſtrorum patrono optimo, id vt faceret, amice procurante. Fit ergo, more doctiſſimi PASSIONEI ſermo, de meliorum litterarum ſtudiis, & prolixus ſane, & eruditionis exquiſitæ: cum operis mei, quod tunc Auguſtiſſimo, CÆSARI, auſpicato dedicaueram, mentio incidit. Percunctanti humaniter, quid, præter vaſtam illam molitionem porro occiperem? Adparatum me edere ad Hiſtoriam Hungariæ, reſpondi, qui decades aliquot ſit complexurus, eorum monumentorum, ex quibus *Notitiam Hungariæ* ditauerim; nunc, monumentum tertium, ineditum adhuc, ſub prælo ſudare, puta; IVVENCI COELII CALANI DALMATAE, vitam ATTILAE. Adriſit mihi, vir ſummus, comiter ac blande, cum audiret, in ineditis me habere *Iuuencum*, ſimulque adfirmauit ſerio, viſum ſibi aliquando fuiſſe, auctorem, ad calcem Vitarum PLVTARCHI, latine, Venetiis, ante duo ſecula, excuſum; elaboraturum ſe liberaliter ſpondens, vt ſaltem ἀπογράφῳ potiri poſſim: ſuſpenderem ergo operas, dum *Roma*, ab amicis, quos per litteras moniturus ſit, eius copiam nactus fuerit.

Accepi, mirificam eam bonitatem, lubens non minus, quam gratus: quum ad Muſas, Poſonienſes reducem, amicus, ex interiore Germania, eiusdem erroris, de *Iuuenco*, commonefacit, vnaque

*b*) Eſt is, ne quid diſſimulem, Cl. IOHANNES TOMKA, olim noſtræ diſciplinæ, alumnus laudatiſſimus; nunc, in Hungariæ litteratis, haud poſtremus.

que nuntiat, in ſua poteſtate eſſe Venetam editionem *Plutarchi*, cui adtexta ſit ATTILAE vita: qua, ſi vellem, adiuturus ſit, deſtinationem meam. Vſus ſum eo beneficio, &, quia in manibus fuit, *Rebdorffenſe* exemplar, ſollicita cura, cum *Veneto* illo, contuli: typographo, tantiſper feriari iuſſo. Neque ceſſabat interim PASSIONEIVS, quam diligentiſſime conniti, vti, quam mihi indiderat, ſpem, pro virili ſuſtentaret: quin immo, cumulum addidit promiſſis, quum, nec opinanti, aliam quoque, ac toto recentiorem ſeculo, *Iuuenci* editionem, ſubminiſtrauit.

Dabo, ea de re, ἀποσπασμάτιον epiſtolæ optimi GARELLII, vt palam ſit, quanta, propenſæ voluntatis ſignificatione, elaborarint ſummi viri, in promouendo inſtituto noſtro. Ita vero habet: *Peropportune accidit, V. C. vt poſtremam, eandemque humaniſſimam epiſtolam Tuam, eo fere tempore, fuerim nactus, quo & Roma, ab Ill*[mo.] *Fontanino, Archi-Epiſcopo Ancyrano, quæſitis, de Iuuenco Cœlio Calano Dalmata, reſponſum, &, ab Ex*[mo.] PASSIONEIO (*qui nunc in Mellicenſi cœnobio, vt quotannis ſolet, recreandi animi gratia, moratur*) *de eodem argumento epiſtolam accepi. Gaudeo, Te nuper ab amico certiorem factum, vitam Attilæ Hunnorum Regis, a Iuuenco Cœlio Calano conſcriptam, iam anno* 1502, *ab Hieronymo Squaricafico Alexandrino, typis Donini Pincii, ad calcem Vitarum Plutarchi, Venetiis vulgatam fuiſſe; vt fretus memoria, qua pollet, eximia, eruditiſſimus* PASSIONEIVS, *Tibi, me coram, indicauerat. Nunc Te certiorem facio, eandem* ATTILAE *Vitam, a* CANISIO *editam fuiſſe, in* Apparatu *ſuo* Eccleſiaſtico, *anno* 1608. *Ingolſtadii edito, & quidem ex MS. codice monaſterii* Rebdorffenſis, *ignorata, vt credere fas eſt, integro ſeculo, antiquiore editione. Huius* Caniſianæ *editionis exemplar, nuper ad me, ex Bibliotheca Mellicenſis Cœnobii, miſit, idem eruditiſſimus* PASSIONEIVS, *quod nondum a me viſum, auidis oculis, perlegi. Quia vero ſignificas, Tibi ab amico, Venetæ editionis* ἀπόγραφον *promiſſum fuiſſe, mearum eſſe partium duxi, Caniſianæ quoque editionis exemplar, quam fieri poterit, exactiſſime deſcriptum, Tibi procurare, vt collatis ambobus exemplaribus, cum Tuo, forte recentiore, noua, quam adornas, editione, erudito orbi, cumulatiſſime ſatisfacias.* reliqua. Quis non laudibus in cælum vehat, hanc, tantorum virorum, in promouenda re litteraria, curam ſollicitudinemque? quam, ſi æmularentur noſtri homines, facile foret, in immenſum proficere, circa res Hungariæ illuſtrandas.

Atque


Atque hæc ſunt, de quibus docendus eras, erudite Lector! Iam de ætate, & reliquo *Iuuenci Cœlii Calani Dalmatæ* habitu, ſic accipe: recte doctiſſimum GARELLIVM, ex eorum indicio auctorum ſentire, quos in rem ſuam citauit ſcriptor, ad ſeculum XII. eundem referendum eſſe. Sunt in promtu, diplomata, quæ CALANVM, ad annum MCXCVII. ſub EMERICO Rege, in Epiſcopis Quinqueeccleſienſibus referunt. Si hic is eſt, quem SZENTIVANIVS *c*), CALANVM PALEATVM, Dalmatiæ & Croatiæ gubernatorem adpellat, res in vado fuerit, cur *Calanus Dalmata* adpelletur. Tunc vero, IVVENCVS COELIVS, prænomina erunt, ſiue patronimica ea, ſiue aliunde petita. Adfirmat nobis fidem BERNEGERVS, in Schödeliano manuſcripto; adfirmant *Decreta Regni*, quæ *Calanum*, itidem in epiſcopis Quinqueeccleſienſibus recenſent. Plura non habemus dicere; niſi iſtud forte ſit: duos *Calanos*, in Epiſcope Quinqueeccleſienſi, ſemet, mutuo forte excipientes, ſediſſe. nos, priori adſerendum opuſculum exiſtimamus. Certe CVLANVS, cuius magna cum laude meminit, RATKAY *d*,) in huius laudis partem vocari nequit; tum, quod *Boſnæ Banus* dicatur, tum, quod ætate maior eſt, quam id poſcit, CALANI noſtri opuſculum. Sed de his viderint alii.

Quod eſt, de CALANO, reliquum, Illuſtris Viri, PII NICOLAI GARELLII epiſtola, ſicuti eruditionis, ita humanitatis, & præcipui, erga gentem noſtram, amoris plena, vbertim, & ſumma cura, diſputat. quam ideo, bona eius in nos voluntate vſuri, opuſculo prætexendam, exiſtimauimus. Tu interim, erudite Lector! hanc, incomparabilis viri, ad iuuandos nos, bonitatem, oppido lætam pronamque, vti nobiscum, gratus meminiſſe velis, eſt, quod abs Te, etiam atque etiam, petimus. Vale, & noſtris conatibus faue. Piſonii, An. MDCCXXXVI. Pridie Nonas Iunii.

---

*c*) Catalogo Epiſcoporum, in Diſſertatione Paralipomenica, Catalogo XIV. p. 71.

*d*) Memoria Regum & Banorum Dalmatiæ &c. Lib. II. p. 51. ſq.



PIVS

# PIVS NICOLAVS GARELLIVS,

## CLARISSIMO VIRO, MATTHIÆ BELIO SVO, S. P. D.

INter multiplices atque aſſiduas, quibus diſtineor, occupationes, tandem aliquando, obſtrictam Tibi fidem, de, *Iuuenco Cœlio Calano Dalmata*, eiusdemque Hiſtoria ATTILÆ, liberare conceſſum eſt. Habes hic, Vir Clariſſime! quod promiſi ἀπόγραφον *Hiſtoriæ Attilæ Hunnorum Regis*, ab eodem conſcriptæ & ab *Henrico Caniſio*, in Promptuario ſuo, Eccleſiaſtico, typis Ederianis, apud Andream Angermarium Ingolſtadii, anno quidem 1608. editæ, ex MS. codice monaſterii Rebdorffenſis: quam tamen Cœlii Iuuenci Calani Attilæ Hiſtoriam (quod ſat mirum eſt) fruſtra quæras in quamplurimis Promptuarii Eccleſiaſtici *Caniſiani* exemplaribus impreſſis, quanquam, in omnibus eandem adnotatam inuenies in Indice contentorum, qui Index, immediate in parte auerſa tituli huius operis impreſſus eſt, & his verbis legitur: *Iuuenci Cœlii Dalmatæ Hiſtoria de Attila Hunnorum Rege*: deeſt autem, vt dixi, in pluribus, vt in huius operis exemplari, quod olim ad Bibliothecam Hohendorfianam pertinuit, nunc Cæſareæ iunctum eſt, expertus ſum, in cuius indice, ad allata verba, manu adſcriptum inuenitur: *deeſt hic & in V. tomo.* Huius notæ ratio hæc eſt, quia ſat celebris Antiquorum Monumentorum Collectio, ſub nomine *Antiquarum Lectionem Henrici Caniſii*, ſex voluminibus ſeu tomis completur, cuius quintus, qui bipartitus inſcribitur, & anno 1604. editus eſt, eadem continet, quæ Promtuarium Eccleſiaſticum, quod anno 1608. vt titulus operis præfert, ſolitarie prodiit; ſi tamen antiqua quatuor monumenta excipias, quæ in Promptuario Eccleſiaſtico, ab initio conſpiciuntur, deſunt vero in tomo V. Antiquarum Lectionum; hic enim quintus Tomus incipit a libro Serapionis, Epiſcopi Thmuos, aduerſus Manichæos, interprete *Franciſco Turriano* S. I. & definit in Synodum Ingilenhemenſem, cum admonitione de Alcuino & notis ad vitam S. Cutberti; de *Iuuenci* vero *Calani* Hiſtoria Attilæ, nulla prorſus mentio fit in indice contentorum eiusdem tomi quinti: quapropter certum eſt, Iuuenci hoc ſchediaſma, in Tomo V. Lectionum Antiquarum *Caniſii* nunquam reperiri. Si viueret Ingolſtadienſis bibliopola *Angermarius*, ipſe commodam forte rationem reddere poſſet, cur mutata inſcriptione, Tomum V. Antiquarum Lectionum, quatuor munumentis auctum (quæ ſimul viginti integras paginas non complent) in Promtuarium Eccleſiaſticum conuerterit, & cur in fronte huius Promptuarii, adſcriptus ſit annus editionis 1608. ad calcem vero eiusdem operis, ſolitaria hæc Epigraphe legatur; *Ingolſtadii, ex officina typographica Ederiana, apud Andræam Angermarium Anno* 1604. quæ auerſam faciem vltimi folii, ſola occupat, eodem prorſus modo, ac in tomo V. Antiquarum Lectionum; denique, cur *Iuuenci Calani Hiſtoria Attilæ*, quæ in indice codicum in Promptuario Eccleſiaſtico contentorum, vltimo loco adnotatur, cur, inquam, in omnibus eiusdem operis exemplaribus, non reperiatur; in iis vero, in quibus bono fato inuenitur, eandem

)( dem

dem, ad calcem voluminis, post vltimam solitariam epigraphen, sine numero paginarum, quasi παϱέϱγον τι superadsutam videre sit, hac inscriptione notatam : *Iuuenci Cœlii Calani Dalmatæ Historia de Attila Hunnorum Rege incipit feliciter, ex codice manuscripto monasterii Rebdorfensis*; quod nuper oculis meis, nunquam antea visum, in exemplari huius Promptuarii Ecclesiastici, ex instructissima bibliotheca celeberrimi Mellicensis monasterii, ab Excellentissimo & de re literaria meritissimo Viro, Dominico Passioneo, *a*) ad me curato, perlustrare datum fuit. Accedit porro, huic Iuuenci Historiæ, a Canisio editæ, nullos esse adscriptos numeros, a quibus paginæ distinguantur : nam si vltimum locum inter Monumenta Promptuarii Ecclesiastici occupare debuisset, prout vltimo loco in indice contentorum collocatur, ejusdem prima pagina, numero 1064. notari debuisset, cum notæ in vitam S. Cutberti, quod vltimum est, tam Promptuarii Ecclesiastici, quam Tomi V. Antiquarum Lectionum Monumentum, in paginam 1063. desinant, eandemque mediam exacte non compleant; si tamen hæc omnia accuratius disquirere, aut diuinare velle, aliquod operæ pretium esset, quod mea quidem sententia nullum est. Quapropter, de *Canisiana* Historiæ Attilæ, a Iuuenco Cœlio Calano conscriptæ, editione, quæ, vt vides, certa est, adhuc dicta sint, satis.

Aeque certa est, & integro sæculo antiquior eiusdem, *Iuuenci* Historiæ editio Veneta, vt dicunt, in fol. iam anno 1502. per Dominum Pincium typis vulgata. Cum enim is, *Plutarchi* vitas latinas, curante *Hieronymo Squarciafico Alexandrino*, prælo suo in lucem dare constituisset, idem *Squarciaficus* in sua, ad *Ioannem Franciscum Bragadinum*, dedicatoria epistola monet, se vitis Plutarchi, tres alias addidisse, nempe *Socratis*, *Epaminondæ*, & eam, de qua nobis est sermo, Regis Attilæ, per *Iuuencum Cœlium Calanum Dalmatam* conscriptam, quæ folio huius editionis CXLIV. sequ. reperitur. Cum vero me nuper, per epistolam certiorem feceris, Tibi, hanc eandem Iuuenci editionem ab amico allertam fuisse, & præterea spem tibi esse ab eodem ἀπόγϱαφον indipiscendi, plura de hac editione non differam, nisi quod eadem illa sit, quam literatissimus, *Passioneus* in familiari colloquio, solius memoriæ subsidio indicauerat, & quam eruditissimus Anciranus Archiepiscopus, *Iustus Fontaninus*, epistola ad eum data confirmat. Tuum nunc erit videre, an cum illo exemplari, quod manuscriptum in tuas manus peruenerat, eodem modo respondeat, & quid intersit differentiæ inter vtrumque, & *Canisianam* editionem, cuius Tibi in hunc finem exemplar, accuratissime descriptum transmitto. Scire autem Te volo, notulas margini adscriptas & asteriscis notatas, non meas esse, sed editoris *Canisii*, rursus numeros, 2. 3. 4. &c. indicare initia paginarum *Canisianæ* editionis in *Quarto*, quæ tamen in impresso exemplari desiderantur; denique, voculam *sic*, manifesta indicare typographica sphalmata, quæ immutare vel corrigere mihi religio fuit, vt exactissimum haberes Canisianæ editionis ἀπόγϱαφον.

Vides igitur, Optime Beli, ipsum *Canisium*, talium minutiarum, quas anecdotas reputasset, acerrimum inuestigatorem; ipsum, dico, *Canisium*, dum in monasterio Rebdorfensi, Attilæ vitam, a *Iuuenco Cœlio Calano* conscriptam detexisset, eandem ineditam credidisse; quam tamen Dominus Pincius, *Venetiis*, integro sæculo prius, vna cum vitis *Plutarchi*, splendida satis & magnifica pro tempore forma, typis vulgauerat.

Idem

*a*) Sedis Apostolicæ nunc ad Aulam Cæsaream Legato.

Idem accidit, eodem ferme tempore, Togatorum Galliæ Clariſſimo lumini, *Nicolao Claudio Fabricio de Peireſe*, vt in eius vita teſtatur *Petrus Gaſſendus*, *b*) cuius verba ſunt; *Hæc inter varia officia, qua prope, qua procul literatis exhibuit, & cum anxie requiſiuiſſet ex Paullo Seruita, ex Scaligero, ex Caſaubono, ex eruditis aliis, ecquid nouiſſent de Iuuenco Cœlio Callano Dalmata, cuius codicem MS. de Attilæ vita Venetiis abſportauerat, is vt ederetur animum adplicuit.* Huius adcuratæ, *Peireskii* diligentiæ, a *Gaſſendo* in eius vita commendatæ, autenticum nobis ſeruauit teſtimonium, *Iacobus Revius*, vulgo *Iaques de Reves*, in ſua collectione epiſtolarum Gallicarum illuſtrium & doctorum virorum ad *Ioſephum Iuſtum Scaligerum. c*) Quæ enim libro ſecundo recenſentur, epiſtola, num. XXXIX. Peireskii eſt ad Scaligerum, in qua pag. 246. legere eſt: *J'en attends encores voſtre reſolution, & enſemble voſtre opinion touchant vn manuſcript antique trouvé nouvellement à Venize, intitulé, IVVENCII CÆLII CALLANI DALMATÆ ATTILA, par ce qu'on deſire ſcavoir avant que l' imprimer s' il s' eſt jamais veu ailleurs.*

Hoc idem factum memorat, multæ & exquiſitæ lectionis vir, *Paulus Colomeſius*, in ſuis Paralipomenis ad *Guil. Cavei Chartophylacem*, de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *d*) vbi poſt pauca de *Iuuenco*, qui Hiſtoriam Euangelicam exametris verſibus reddidit, mox proſequitur: *Alius ab hoc Iuuenco fuit, Iuuencus Cœlius Calanus Dalmata, Attilæ Hunnorum Regis Hiſtoriæ ſcriptor. Exſtat is in Antiquis Lectionibus Henrici Caniſii ex Codice MS. monaſterii Rebdorffenſis, quod puto neſciuit incomparabilis Peireskius, qui referente Gaſſendo in eius vita, anxie requiſiuit ex Paullo Sarpio, Scaligero, & aliis, ecquid nouiſſent, de hoc Iuuenco cuius codicem MS. Venetiis abſportauerat.*

Paucis mutatis, in eundem ſenſum diſſerit idem *Colomeſius* in ſuis animaduerſionibus ad *Lilii Gregorii Gyraldi*, de Poetarum Hiſtoria dialogos, dialogo V. pag. 286. Integrum locum vide tomo ſecundo operum *Gyraldi* Lugd. Batav. curante Io. Ienſio anno 1696. editorum in fol. Sed bona pace manium eruditiſſimi *Colomeſii* dixerim, inter opera *Henrici Caniſii* ſub titulo Antiquarum Lectionum edita, Iuuenci Cœlii Calani Hiſtoriam Attilæ, nunquam prodiiſſe; bene vero in Promptuario ſuo Eccleſiaſtico, vt vidimus, quod ſub hoc titulo, demum anno 1608. lucem vidit, & in cuius Indice notatur Attilæ Hiſtoria a Iuuenco conſcripta, quamuis in pluribus huius promptuarii exemplaribus deſideretur, vt ſuperius indicaui. Non potuit igitur incomparabilis *Peireskius*, Caniſianam Iuuenci editionem vidiſſe, quæ demum anno 1608. prodiit in lucem. Peireskius vero de reperto ſuo manuſcripro, viros doctos ſollicitauerat, iam anno 1604. vt epiſtola ſua ad *Scaligerum*, a *Iacobo Revio* nobis ſeruata euidenter demonſtrat: hæc enim data eſt Aquis Sextiis, 25. Februarii 1604. Vidiſſe quidem potuerat, *Peireskius*, integro ſæculo antiquiorem *Iuuenci* editionem, nempe Venetam, *Domini Pincii*, anno 1502. vulgatam; ſed eandem videtur cum plurimis aliis viris doctis ignoraſſe *Colomeſius* ipſe; quod tamen illi vitio vertere bono iure is ſolum poterit,



*b*) Editionis tertiæ, quæ auctior & correctior dicitur, in 4to. Hagæ Comitum, ex Typographia Adriani Vlacq, anno 1655. lib. 2. pag. 50. & in antiquiore editione in 16to. anni 1651. pag. 119.

*c*) Epiſtres Francoiſes des Perſonnages Illuſtres & doctes, a Mr. Ioſeph Iuſte de la Scala, miſes en lumiere, par Iaques de Reves. a Harderwyck 1624. in 8vo.

*d*) Vide opera *Colomeſii*, theologici, critici & hiſtorici argumenti, iunctim edita, curante *Ioan. Alberto Fabricio.* Hamburgi 1709. in 4to. pag. 702.

qui se minutias omnes, quæ typis vulgatæ sunt, vidisse inaniter gloriari audeat. Quale tulerit ab eruditis viris responsum, solertissimus *Peireskius*, non constat; certum est, *Attilæ* Historiam, a *Iuuenco* conscriptam, se curante, non prodiisse.

*Ioannes Albertus Fabritius*, cuius indefessæ diligentiæ, in conquirenda scriptorum notitia nemo est eruditorum, qui se eidem obstrictum fateri detrectare possit; hic, inquam, laboriosissimus vir, in sua Bibliotheca Latina, cuius quartam iam vidimus editionem, tom. 1. pag. 702. de Iuuenco presbytero Hispano verba faciens, post allegatam *Colomesii* animaduersionem ad *Gyraldum*, de qua supra, his paucis contentus est: *Historiæ Iuuenci de Attila lucem viderunt Ingolstadii* 1604. *in* 4to. neglecta antiquiore *Veneta* editione, quam æque cum multis ignorauit.

Illustris *Leibnitzius*, Iuuenci vitam Attilæ, *a Pigna*, in Historia Estensi citatam, plane suppostitiam arbitratus est, vide *Otium Hanoueranum*, siue Miscellanea Leibnitziana, *a Ioachimo Friderico Fellero*, collecta, pag 417. §. 18. & quæ ibidem *Fellerus* notat, quod indicasse sufficiat.

Manuscriptum codicem Historiæ Attilæ se vidisse, diserte testatur *Thomas Bartholinus*, in Schedio suo de Armillis veterum, pag. 73. editionis Amstelædamensis Henrici Vettstenii anni 1676. *Mortuo Attila*, *Proceres Regni militesque post ferales epulas armillas eius protraxerunt vt filo suo pertexuit Iuuencus Cœlius Callanus MS. in Historia Attilæ* : *Armillas & armorum diuersa genera*, *equos*, *faleras*, *diuersosque ornatus in medium producentes*, *noctem totam crapulis*, *ebrietatibus ac dissolutionibus expenderunt* : quæ verba cum codice *Canisiano* exacte conueniunt.

*Caspar Barthius*, pluribus in locis suorum Aduersariorum, *e*) Historiam Attilæ a Iuuenco Cœlio Calano conscriptam allegat *f*) quibus in locis, etsi nullius editionis expresse meminerit; tamen a Canisio editam se vidisse alibi testatur, nempe, in Animaduersionibus ad Claudianum, Francofurti anno 1650. editis, vbi pag. 1176. de ἀποσπασματίῳ, Iuuenci Calani Dalmatæ, eadem commemorat huius scriptoris verba, quæ in Aduersariis suis, lib. LVI. Cap. XV. allegauerat, atque in mendo cubare animaduerterat, hic vero, post immutatam verborum dispositionem aperte asserit: *Ita collocanda sunt verba eius scriptoris* (Iuuenci) *confusa in editione H. Canisii* : quod sane ita esse, si vterque locus conferatur, luculenter apparet. Quomodo hic idem locus, cum antiquiore Veneta editione consentiat, Tu videbis, cum illius exemplar ab amico nactus fueris; nam mihi eam videre adhuc non licuit.

Plura citato loco allegat *Barthius* ex *Prisco Rhetore*, seu, vt alii volunt, Sophista, Græco scriptore, *Attilæ* coæuo, apud quem Theodosii Iunioris, nomine Legati functus est, vt omnes eruditi ex Suida fatentur. Ab hoc Prisco suam Attilæ vitam compilasse *Iuuencum*, probabilis admodum eruditissimi *Fontanini*, præeunte *Bernardo Iustiniano*, suspicio est. Non possum tamen quin hac occasione velut in transitu & quasi vno spiritu Te moneam, immanis flagitii, quo veteres Hunnos, huius *Prisci* authoritate insimulat *Barthius*, eodem loco, pag. 1177. cuius verba sunt: *Inter reliqua Hunnorum immania*, *discimus ex eodem Prisco*, *filias quoque suas duxisse vxores*, *vti exemplo Ascæ & Attilæ*

*e*) Editionis Francofurtensis, typis Wechelianis, apud Danielem & Davidem Aubry &c. 1624. in fol.

*f*) Lib. XV. Cap. XIII. lib. XIX. Cap. XII. lib. XLVIII. Cap. III. lib. LVI. Cap. XV. & forte alibi in eodem opere.

*tilæ demonſtratur. Verba Priſci ſunt*: ὡς τοῦ Ἀττήλα ἐς κώμην τινὰ παρεσομένου, ἐν ᾗ γαμεῖν θυγατέρα Εσκὰμ ἐβούλετο, πλείστας μὲν ἔχων γαμετὰς, ἀγόμενος δὲ καὶ ταύτην κατὰ νόμον τὸν Σκυτικόν.

Equidem, nefanda filiarum cum patribus, filiorumque cum matribus coniugia, barbaris populis vſitata quondam fuiſſe, imo & legibus probata, non ignoro, de quibus B. Hieronymus aduerſus Iouinianum g) *Perſæ, Medi, Indi & Æthiopes, regna non modica, & Romano regno paria cum matribus & auiis, cum filiabus & nepotibus copulantur*: quod flagitium Perſis fuiſſe, *Herodotus, Diogenes Laertius, Philo, Plutarchus*, & alii teſtantur, ſanctique Eccleſiæ Patres, & Græci & Latini, pluribus in locis execrantur; inter quos *Clemens Alexandrinus* h) Caprinam, (vel potius Aprinam i) vt ipſe vocat, Perſarum libidinem acriter exagitat; hæc, inquam, non ignoro, nec me ignorare ſineret *Barnabas Briſſonius*, qui de regno Perſarum Lib. 2. k) horrendæ & abominandæ huius libidinis vndiquaque teſtimonia congeſſit; ſed an ex his *Priſci* verbis, enorme illud & horrendum flagitium, quod *Barthius* vult, exſculpi poſſit, ego quidem vehementer dubito; ſuſpicor potius ex analogia linguæ Græcæ, Εσκὰμ, non eſſe nomen alicuius filiæ ipſius *Attilæ*, ſed potius proprium & indeclinabile *Patris* illius virginis, quam ducere in vxorem *Attila* cupiebat: intelligendaque eſſe verba *Priſci*, ac ſi articulo adpoſito, ita ſonaſſent, (vt ad veram linguæ Græcæ analogiam ſonare debuiſſent) ἐν ᾗ γαμεῖν θυγατέρα τοῦ Εσκὰμ ἐβούλετο: latine vero ſonarent: *quo in loco filiam Eſcami in vxorem ducere voluit*; quæ vero de lege Scytharum habet *Priſcus*, naturali allatorum verborum ſequela, polygamiam reſpiciunt, non thygaterogamiam l) vt attente legenti patet; nec tempus, quod non ſupereſt, neque huius epiſtolæ ratio mihi permittunt, hoc argumentum vlterius proſequi: ideo tamen probabilem hanc coniecturam Tibi paucis indicare, mearum eſſe partium duxi, vt ſi eandem calculo tuo probaueris, antiquos *Hunnos* Tuos, quorum mores & viuendi inſtituta multis aliis titulis, apud aliarum gentium ſcriptores, tam male audiunt, ab hac ſaltem calumnia vindicare poſſes: interea, dum hæc nondum maturata præmitto (ne expectatam epiſtolam diutius morer) huius coniecturæ ſolidiora fundamenta, dum otium fuerit, inquirere non deſinam, eandem paratus relinquere eadem facilitate, qua mota eſt, ſi falſam comperero. Allatum *Priſci* locum legere poteris apud *Dauidem Hœſchelium*, qui primus Græce edidit, Aug. Vindel. anno 1603. & *Pariſiis* anno 1609. poſtea *Philippus Labbeus*, in ſuo *Protreptico*, de Byzantinæ Hiſtoriæ Scriptoribus recudi curauit, Paris. 1648.

Quæ de *Sidonio Apollinari* allegantur, prorſus ieiuna ſunt, & ad vberiorem *Iuuenci Cœlii Calani* notitiam nihil faciunt.

De *Ioanne Baptiſta Fulgoſo*, non habeo, quod affirmem, niſi eundem *Attilæ* Hiſtoriam, a *Iuuenco* conſcriptam certo quidem vidiſſe, cum exul a patria librum ſuum, de dictis factisque memorabilibus, conſcripſerit; in cuius limine, dum auctores recenſet, a quibus ſua mutuatus eſt, inter reliquos *Iuuencum Cœlium* memorat; cæterum, quæ in toto opere, ſiue facta, ſiue dicta allegantur, nullo indicato auctore, a quo deſumta ſint, referuntur. Cum vero tri-

)( )( ſtia,

g) Lib. 2. pag. 201. col. a. ex edit. Ioh. Martianay. Paris. 1706. tom. 4.

h) Lib. 1. Pædagogi Cap. VII. Pag. 131. edit.

i) Vide latinam verſionem & notas eiuſdem edit. eod. loco.

k) Pag. 231. edit. Commelianæ, anni 1595. in 8vo.

l) Si fas eſt vocabulum fingere.

ſtia, illuſtris illius viri fata ( vt turbida erant, quibus vixit, Reipublicæ Genuenſis tempora ) notiora ſint orbi, quam definitus eius vitæ terminus, nil certi ſtatui poteſt, quanquam exeunte ſæculo XV. vel incipiente XVI. eundem contigiſſe, valde probabile eſt, ac propterea editionem *Venetam Iuuenci* anno 1502. typis vulgatam, vix videre potuiſſe.

Idem dicendum eſt de *Marco Antonio Coccio Sabellico*, qui Enneade 8. *m*) hæc habet: *Erat iam Pannonia Hunnorum ſedes facta, vnde recens nomen ſortita videri poteſt, vt ab Hunnis & Garis, qui cum ea gente militaſſe dicuntur, Hungaria ſit ad poſteros dicta. Cælius Hunnos fuiſſe ait, qui & Auares, vnde id nomen factum videri poteſt, vt duplex vox in vnam, coaluit.* Cum vero *Sabellicus*, *Voſſio* teſte, ex *Leandro* vitam vſque ad annum 1507. protraxerit, eandem *Venetam* editionem luſtrare quidem potuit; ſed mihi probabilius videtur, notitiam *Cælii* ex manuſcripto aliquo codice potius hauſiſſe, cuius apographa non admodum rara fuiſſe, & vndiquaque diſperſa, ex hucusque cognitis, luculenter apparet.

Ita *Bernardus Iuſtinianus*, Patritius Venetus, ( quem cum certum ſit, ante annum 1492. deceſſiſſe ) quæ in ſua de Origine vrbis Venetiarum Hiſtoria, quam morte præuentus *Benedicto Brognolo* curandum, & typis vulgandum reliquerat, quæ, inquam, de noſtro auctore non ſine diligentiæ encomio commemorat, non potuit niſi ex apographo manuſcripto illorum notitiam hauſiſſe: verba *Iuſtiniani* paulo ante finem libri primi, hæc ſunt: *Iuuentius Cælius, Athilæ vitam ex Priſci & Iordanis Hiſtoria excerptam ( is fuit magiſter epiſtolarum Theodoſii Iunioris, & ad ipſum Athilam legatus ) cæteris, vt mihi quidem videtur diligentius ſcripſit. Refert is Cælius vixiſſe Athilam annos ſex & quinquaginta.* Hæc *Iuſtinianus.* Quorum verborum ſenſus, ſi prout iacent, attendantur, videtur *Iuſtinianum* intellexiſſe, *Iuuentium Celium* Magiſtrum epiſtolarum Theodoſii iunioris, eiusdemque ad ipſum *Athilam*, Legatum fuiſſe, quod falſum eſt, & aliquot ſæculorum parachroniſmum inuoluit; cum autem *Priſco* hæc eadem quamoptime conueniant, in intricata illa verborum ſtructura *Priſci* nomen repetendum erat hoc modo (*fuit is Priſcus Magiſter epiſtolarum &c.*) ſed hoc qualecunque παρόραμα, non ſine iniuria, vt mihi quidem videtur, ipſi *Iuſtiniano* imputari poteſt, quem conſtat, morte præuentum, laborem hunc ſuum imperfectum & necdum expolitum, *Benedicto Brognolo* reliquiſſe, quo etiam curante, lucem vidit, vt ipſe *Brognolus* in epiſtola ſua ad *Laurentium Iuſtinianum*, Bernardi filium data, & operi præfixa, diſertis verbis teſtatum reliquit.

Hæc de antiquioribus auctoribus, qui *Iuuenci* Hiſtoriam, vel nouerint, vel ignorauerint impreſſam, hucusque dicta ſint ſatis. Mirandum potius, ne dicam vitio vertendum, nouiſſimo Lectionum Antiquarum *Caniſii* editori, *Iacobo Baſnagio*, cuius nomen in republica literaria, non dudum celebre, mirandum, inquam, in recuſa ſplendidis Amſtelædamenſibus Wettſtenianis typis, *Henrici Caniſii* Lectionum Antiquarum collectione, quam ſub nouo titulo: Theſauri Monumentorum Eccleſiaſticorum & Hiſtoricorum, ad ſæculorum ordinem digeſtam variisque opuſculis auctam, præfationibus hiſtoricis, animaduerſionibus criticis, & notis in ſingulos auctores ornatam, quatuor amplis voluminibus, vt aiunt, in fol. curauit, & anno 1725. magna eruditorum expectatione vulgauit; mirandum, repeto, *Iuuenci Cælii Calani Dalmatæ*, Hiſtoriam

*m*) Lib. 1. p. 5. Pariſienſis edit. apud Aſcenſium 1509.

ſtoriam ATTILÆ, ne vno quidem verbo indicari, præſertim cum in *Præfatione* ſua generali, ſeptem agnoſcat *Lectionum Antiquarum* Tomos, quorum orbis literarius ſex tantum ſub Lectionum Antiquarum titulo hucusque viderat. Procliue igitur erat iudicare, clariſſimum virum ſolitarium illud *Caniſii* volumen, titulo *Promptuarii Eccleſiaſtici* inſignitum, ſed nullo tomorum numero diſtinctum (de quo ſupra plus quam ſatis diſſerui) pro ſeptimo tomo *Lectionum Antiquarum* reputaſſe; ſed (præter quam quod mutatæ inſcriptionis, & reliquorum, quæ circa hoc volumen animaduertimus, mentio aliqua facienda erat, de quibus ne verbum quidem) id non voluiſſe *Baſnagium*, eo luculentius apparet, quod quatuor illa exiguæ molis Antiqua Monumenta, ſolis viginti paginis in 4$^{to.}$ comprehenſa, eique Tomo V. *Antiquarum Lectionum* præmiſſa, nouum illud ſolitarium volumen ſub nouo titulo *Promptuarii Eccleſiaſtici* conſtituunt, in hac noua *Baſnagii* editione, vna cum *Iuuenci Cœlii Calani Dalmatæ* Hiſtoria ATTILÆ deſiderantur: ſunt vero hæc monumenta quæ ſequuntur:

1.) Capitulare *Gregorii II.* Pontificis Romani datum Legatis in Boiariam proficiſcentibus à pag. 1. ad 4.

2.) Libellus *Theodori Lauræ Rhaitu* Presbyteri, de variis circa Incarnationem hæreſibus, interprete Franciſco Turriano S. I. a pag. 5. ad 16.

3.) Expoſitio *B. Athanaſii Alexandrini*, de Incarnatione a pag. 17. ad 18.

4.) Expoſitio *B. Athanaſii*, Archi-Epiſcopi Alexandrini de diuina Incarnatione Verbi DEI congruens cum ſynodo Nicæna. a pag. 19. ad 20.

Incipit deinde nouus paginarum numerus, ab vnitate vſque ad 1063. cum omnibus illis Monumentis repetitis, quæ tomum V. *Lectionum Antiquarum Caniſii*, qui tomus bipartitus inſcribitur, conſtituunt, vt ſupra vidimus.

Quid, ſi *Clariſſimo Baſnagio* id accidiſſet, quod mihi hiſce diebus contigit, dum in *Iuuenci* Attilam pleniorem notitiam inquirerem? adiueram nempe inſtructiſſimam æque ac ſplendidiſſimam *Illuſtriſſimi Comitis Pertuſati*, ſingulari humanitate inter ceteras virtutes ornatiſſimi viri, bibliothecam, & dum in Corpus Antiquarum Lectionum *Caniſii* (quod olim Colbertinam ornauerat) oculos coniicio, ſeptimum Tomum *Lectionum Antiquarum* video, mole quidem, reliquis comparatum, valde exiguum, eadem tamen Epigraphe *Antiquarum Lectionum Caniſii* aureis litteris, vt a librariis fieri ſolet, in dorſo diſtinctum, & nota VII. TOMI inſignitum. Miratus nouitatem, dum librum penitus inſpicio, video ſolam hic luſiſſe, vel poſſeſſoris, vel compactoris librarii voluntatem; liber enim ſola quatuor continet monumenta ab Henrico *Caniſio* collecta, & ſimul edita *Ingolſtadii*, anno 1600. vnico volumine, vt dicunt, in Quarto, paginarum 148. cum ſex volumina *Antiquarum Lectionum*, anno 1601. prodire cœperint; eorundem vero editio, anno 1604. ad finem peruenerit: ſunt vero, quæ in hoc volumine continentur ſequentia;

1.) Chronicon *Epiſcopi Tunnunenſis.*

2.) Chronicon *Ioannis Biclarenſis*, Epiſcopi Gerundenſis.

3.) Legatio *Luitprandi* Epiſcopi Cremonenſis, ad Nicephorum Phocam, Græcorum Imperatorem, nomine *Ottonis Magni* Imperatoris Auguſti.

4.) Synodus Bavarica ſub *Taſſilone*, Bavariæ duce, tempore Caroli Magni.

Horum vero quatuor monumentorum, cum nulla exſtet, in nouiſſima *Caniſii* editione, memoria, vt ſeptimus *Antiquarum Lectionum* Tomus emergat, vnicum coniectandum manet; clariſſimum editorem, quintum *Caniſii*

 tomum,

tomum, qui bipartitus inscribitur, pro duplici reputasse; sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Patet hucusque, binas *Iuuenci Cœlii Calani Dalmatæ*, typis vulgatas editiones de Historia ATTILÆ, fato quodam suo, viris eruditis minus cognitas fuisse, quam quidem fuerint eiusdem Historiæ manuscripta exemplaria, quæ variis & inter se dissitis locis, bono numero sedulis indagatoribus, vt vidimus, se obtulerunt: nec possum, quin recentissimum huius euentus exemplum, casu mihi nuper, dum in hæc inquirerem, oblatum, quasi pro coronide recenseam. Adiueram hisce diebus, *Straubii* nostri librariam officinam, vt eidem postremam epistolam meam, ad te curandam traderem. Dum varii sermones miscentur, obtulit ille mihi, recentissimum opusculum, hoc anno lingua Germanica *Halæ*, typis vulgatum, sub hoc titulo: Rechtliche Erleütherung der Reichs-Historie vom ersten Ursprung / bis 1734. zum algemeinen Gebrauch des Iuris Publici, Canonici, und Feudalis S. R. I. nach dem Zusammenhang der Ludewigischen Lehren / und Nuzen seiner Zuhörer rc. cuius opusculi dum monita prooemialia, curioso oculo obiter lustrarem, incidi in §. 13. pag. LXXI. cui rubrica adnotatur: Von Beschaffenheit der Historie des Königreichs Hungarn. Integrum auide perlegi, & pag. LXXIII. Tui nominis, æque ac meditati operis historici mentionem, cum laude factam vidi; denique pag. LXXVII. de Hungaris verba faciens, hæc habet: Unter ihren ersten und ältesten Scribenten / hat man des Iuuenci Cælii Callani Dalmatæ Attilam, längsten zu lesen gewünschet: Nunmehro aber berichtet der Pater de la Porte, daß er Griechisch geschrieben / und Ponticus Beluinus ihn erst in das Latein übersezet habe / da es schwerer halten wird / hinter dessen rechtes Alter zu kommen rc. Ad hæc verba, duas affert notas, num. videlicet 85. & 86. prima sic habet: *Nicol. FABRY, in epist. XXIX. ad Scaliger. lib. III. pag.* 412. schreibet: *On a trouvé n'a gueres à Venize un MANVSCRIPT, intitulé: Iuuenci Callani Dalmatæ ATTILA.* Si hæc epistola eadem est, quam supra memorauimus, ex recensione *Revii*, mendose allegatur; certum enim est, per *Nicol. FABRY* alium hic intelligi non posse, quam celeberrimum *Peireskium*: epistola enim Gallice scripta, & a me supra, ex collectione *Iacobi Revii*, fideliter allegata, hanc habet Gallicam subscriptionem: *Vostre tres humble & tres affectionné Serviteur N. C. FABRY.* id est latine: *Nicolaus Claudius Fabricius*; de hoc autem familiæ nomine, in Latinum vertendo, consule *Gassendum*, in *Peireskii* vita, vbi videbis, & *Fabrum*, & *Fabrium*, & *Fabricium*, verti posse, seu verti consueuisse: quomodo autem sic volente patre, cognomentum *Peireskii*, antiquo familiæ nomini adsciuerit, diserte ipse *Peireskius* narrat, in Appendice epistolæ allegatæ, ad *Scaligerum*, quam in laudata *Revii* collectione legere poteris pag. 247.

Magis ad rem nostram facit nota, quæ num. 86 legitur, & sic habet: *In diurnis, TREVOLTIANIS* 1715. *mens. Octobr. art.* 134. *Le Pere de la Porte, a parcouru l Italie & la France, & tiré de l' obscurité des bibliotheques & des archives, un grand nombre de chartres, de bulles, de lettres, de procés verbaux, de memoires inconnus jusqu'ici.* Und hierauf folgen in den dem Druck gewidmeten Stücken *Iuuenci CELLII Dalmatæ Attila, conuersi ex Græco in Latinum, a Pontico BELVINO, ex Cod. Msc. Bibliothecæ Ambrosianæ.*

Non sunt mihi nunc ad manus *Acta* eruditorum *Trevulsentium*, vt allegatum locum penitus inspicere & examinare possim, nec calamitas temporum permittit, vt ex *Ambrosiana* bibliotheca, de hac *Pontici Belvini* Latina *Cœlii* versione, per amicos Mediolani degentes, aliquid rescire possim; cum

tamen

tamen hucusque, solidorum videlicet viginti annorum spatio, *R. P. de la Porte*, (quod ego quidem sciam) fidem suam apud eruditos non liberauerit, eandem, vt dici solet, penes auctorem relinquo, contentus, hæc Tibi indicasse; quin immo, *Straubium* monere, opportunum duxi, vt quanto citius allegatum *Ludewigi* opusculum, ad te curaret, quod spero factum; plura enim ad rem tuam fortasse in eo inuenies, quæ me obiter tantum prooemialia perlustrantem, fugere potuerunt. Probabilior tamen videtur mihi, eruditissimi *Fontanini*, opinio, qui, præeunte Justiniano, *Iuuencum Cœlium Calanum Dalmatam*, ATTILÆ vitam, quam habemus, latino sermone scripsisse credit; plurimum vero in ea conscribenda adiutum fuisse, a Prisco Sophista, in sua Historia Græce vulgata; pluries enim de ea, tanquam suo tempore existente & vulgata, mentionem facit.

Quod vero ad ætatem ipsius *Iuuenci Cœlii Calani* attinet, (vt de hac quoque paucis loquamur) quantum coniectura assequi licet, non valde antiquum esse scriptorem ex multis apparet. Citat *Eutropium*, seu potius continuatorem eius *Warnefridum* monachum, Pauli Diaconi nomine notum; ita & passim *Iordanem*, p. 7. Canisianæ editionis, *Mediolanum*, Liguriæ Metropolim asserit, in quo conuenit cum *Guntero* poeta, in suo *Ligurino*, pag. 6.; de *Utino* oppido mentionem facit, tanquam ab ATTILA constructo, quod ipse primus asserit; de *Marchia* loquitur formula, vt Grammatici aiunt, antonomastica, quæ alia esse non potuit, quam *Anconitana*, illis temporibus hac formula celebris, atque ob inuasiones & bella a *Friderico Ænobarbo*, vulgo *Barbarossa* illata, nimis nota; non ita Marchia Tarvisiana, quæ nunquam Marchia ἀντονομαστικῶς adpellabatur. Denique, eadem pag. 6. editionis *Canisianæ*, legitur opera quasi proditoria *Helinandi* Antistitis, & *Araicii*, vel potius *Artvici Tempestæ*, in potestatem Attilæ venisse; quæ familia, antiquissima illa quidem, a *Campo Sancti Petri* olim dicebatur, da *Campo San Piero*, & inter præcipuas *Taruisianæ* ditionis familias reputabatur; tractu autem temporis, antiquum hoc cognomen mutauit, & a *grandine*, Italico idiomate, *Tempesta* dicta fuit, a quodam illius familiæ bellicosissimo viro, nomine *Vinciguerra*; *quæ eadem familia* tandem *Avogaria* dicta est, quia ab *Episcopis Taruisiensibus*, in Ecclesiæ tutelam, quasi aduocati, huius familiæ potentiores assumebantur, vt vult eruditissimus *Fontaninus*: hæc omnia distincte refert *Io. Bonifacius* in sua Historia Taruisiana, Italico sermone conscripta *n*) Lib. 4. pag. 197. a quo euincitur, cognomentum *Tempestatæ* circa XII. sæculum, in hanc familiam irrepsisse.

De *Helinando Taruisiano* Antistite, rem aliter narrat *Bonifacius*, *o*) (quem ipse Helviandum vocat) paulo probabilius, quam *Iuuencus* noster: non enim ab eo proditum *Taruisium* asserit; sed concione ad populum facta, deditionem vrbis, ad vitandum excidium persuasisse. De *Artvico* nulla mentio apud *Bonifacium*, postquam vero Senatus populusque Tarvisianus in sententiam *Helviandi* Episcopi, de tradenda vrbe consenserant, duos elegerunt præcipuos ciues, nempe *Gibertum Mezzaluna*, & *Salomonem* de *Uderzo*, qui spontaneam vrbis deditionem ad *Attilam* deferrent. In allato Bonifacii opere, mentio quidem fit, de quodam *Artico* inter illustres *Tempestas*; sed, quod affert, ad *Taruisianam* deditionem plane non pertinet.

)( )( )( Hæc

*n*) Historia Trivigianadi *Gioavanni Bonifacio*, divisa in dodici Libri &c. Trivigi, 1591. in 4to.

*o*) Lib. 2. pag. 51. eiusd. operis.

Hæc omnia vero, dum craſſe admodum cum ATTILÆ chronologia pugnant; tamen, evidenter demonſtrant, *Iuuencum Cœlium Calanum Dalmatam*, poſt ſæculum XII. & forte multo ſerius, atque ſine multo iudicio, ſcripſiſſe.

De *Philippo Callimacho Experiente*, non loquor, nec de *Nicolao Olábo*, Metropolita Strigonienſi, qui ambo vitam ATTILÆ conſcripſerunt: duo enim hæc opuſcula *Bonfinii* decadibus, de rebus Hungaricis, adiecta ſunt, quas Tibi perſpectas nullus dubito.

Jam video, quantum nugarum, de *Iuuenco Cœlio Calano Dalmata*, tumultuario, & centies interpolato labore, congeſſerim. Quas tamen Te, pro Tua facilitate, æqui bonique conſulturum, confido; quod ſi autem, Tuis laboribus adiuuandis, vel minimo vſui futuræ ſint, multum quoque mihi operæ pretium acceſſiſſe putabo.

Vides igitur, Doctiſſime BELI! ex hucusque allatis *Iuuenci Cœlii Calani Dalmatæ* ATTILAM, etſi typis iterato vulgatum, plures tamen magni nominis eruditos viros, & in ſcrutis litterariis excutiendis, ad ſtuporem aſſiduos, latuiſſe. Quod Tibi, extra commercium literarium degenti, & in tenebris Hungariæ latitanti, ſi vti viris doctis, in magna luce accidit, ſolatio eſſe poterit. Tantum igitur abeſt, vt Te a noua huius ſchediàsmatis editione, *Adparatui* tuo ad *Hiſtoriam Hungariæ* inſerenda, dehortari velim; quin potius Tibi auctor ſim, vt hoc, qualecunque opuſculum, a mendis, quibus antiquæ editiones ſcatent, purgatum, & notis, quas Te iam paratas habere ſignificaueras, ornatum, denuo in lucem prodire ſinas: quod idem, ante plures annos, *Upſaliæ* præſtare meditatus fuerat, *Henricus Benzelius Suecus*, qui dum in *Iuuencum*, e tenebris, in quibus latuerat, eruendum, incumberet, datis ad *Clariſſimum* virum *Fontaninum* literis, eundem ſollicitauerat, vt ſi quid de hoc ſcriptore haberet, ſecum communicare non detrectaret. *p*) Nullus dubitat, idem doctiſſimus *Fontaninus*, in ſua, ad virum eximium, *Dominicum Paſſioneum*, reſponſoria epiſtola, Tui cauſſa conſcripta; non dubitat, inquam, Tibi commodam in Hiſtoria Hungariæ recenſenda, occaſionem futuram; quinimmo putat, ſtudio quærendam eſſe, vt in verum & exactum *Patriæ D. Hieronymi* ſitum, maiore diligentia inquiras, quam hucusque factum ſit; cum nihil certi & explorati, de *Stridone* habeamus, quo in oppido natum eſſe *D. Hieronymum*, ſe ipſo locupletiſſimo teſte, nemo eſt qui dubitet; ſed, quo in ſitu topographico collocandum ſit, mirum, quantum inter ſe diſſentiant eruditi; vide *Tillemuntium*, Tom. XII. ſuæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, pag. 6. & in notis, pag. 617. *D. Chitreum* in epiſtolis, & *Robertum Papafavam*, de ſitu Carniolæ, Carinthiæ, Styriæ & Epeiri. *Melchior* quidem *Inchoffer*, in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Regni Hungariæ, pag. LXXXII. & LXXXIII. præuii Chronici, ad annum Chriſti 341. ſe vidiſſe locum aſſerit, & euerſæ vrbis antiquas reliquias, curioſe perluſtraſſe; ſed, maiorem accurationem geographicam, e Tuis commentariis, hauſturum ſe ſperat *Fontaninus*; quod ideo Te ignorare nolui, vt ſcires, quantam apud viros doctos, expectationem concitaueris: cui adimplendæ, vt, quas dedit ab ingenio vires, omnium bonorum largitor DEUS, Tibi ſartas tectasque, ſano in corpore, quam diutiſſime conſeruare velit, orare atque obſecrare non deſinam. Vale, & me ama.

Dabam Vindobonæ, Prid. Cal. Septembres MDCCXXXV.

Finita

*p*) De hac meditata *Benzelii* editione, mentio quoque fit a Fabritio, loco ſuperius allegato, ſuæ Bibliothecæ Latinæ.

# *Ad Editorem Iuuenci, M. Belium.*

Finita iam epiſtola, dum *Thygaterogamiam* ATTILÆ & Scythis, a Barthio imputatam, animo verſarem, incidi in *Origines Hungaricas*, *Franciſci Foris Otrokocſii*, *q*) & vidi, eruditum hunc ſcriptorem, primo volumine ſui operis, pag. 125. & 126. eandem difficultatem in verbis *Priſci* exponendis, reperiſſe; paragrapho enim XV. Cap. IV. de quadam vxore *Attilæ*, nomine Creca, ex Priſco verba faciens, hæc habet: *Ceteras eius vxores nominatim non exprimit, præter* Eſcam, *quam tunc volebat ducere; ſaltem dicit in genere in mentione* Eſcæ, *eum plures etiam habuiſſe.* Adducit poſtea verba *Priſci* latine reddita, græcis ad notas relegatis: *Attilas interea* (inquit) *in quodam vico ſubſtitit, in quo filiam Eſcam in vxorem, etſi plures alias haberet, Scytharum legibus id permittentibus, ducere voluit.* Ad quæ verba, hoc notat laudatus Otrokocſius: *Videtur hic aliquid deeſſe, forte cuius Herois illa filia fuerit; nam non dicit aperte Priſcus, eam Attilæ propriam fuiſſe, nec ratio adiecta id docet, ſed potius pluralitatem vxorum licitam apud veteres Scythas.* Ex his verbis apparet *Otrokocſium* agnoviſſe *Eſcam*, pro quadam puella, ſed non pro *Attilæ* filia; quapropter, vt bonum ſenſum ex verbis *Priſci* eruat, putat in ſerie orationis deficere nomen proprium Herois putatæ puellæ patris. Ego Εσκὰμ, puto nomen illud proprium patris eſſe illius puellæ, quam ducere cupiebat *Attila*, & quam *Priſcus*, non proprio (quod forte ignorabat) ſed appellativo θυγατέρα appellat. Hanc meam ſuſpicionem, quam in epiſtola, prout ſe mihi obtulit, indicaui, ſola fretus græci ſermonis analogia, mente concepi. Solebant enim Græci, exterarum nationum nomina propria, quæ inuſitatam Græcis terminationem haberent, & quæ ſolito gentis ſupercilio, ab illis, barbara dicebantur; ſolebant, inquam, Græci, ea nomina indeclinabilia facere, & eorundem caſus obliquos, ſola motione articuli indicare, vt paſſim docent Grammatici. Quapropter, vt mea coniectura locum habeat, ad omnem tollendam, in verbis *Priſci*, æquiuocationem, ſola vocula τοῦ deficit, qua appoſita, clarus ſenſus emergit, nempe: θυγατέρα τοῦ Ἐσκὰμ γαμεῖν ἐβούλετο: quanquam non deſint, quinimmo abundent exempla propriorum nominum indeclinabilium, quorum caſus obliqui, ſine articulo reperiuntur, vt Geneſis X. verſ. 23. υἱοὶ Ἄβραμ, & XI. verſ. 31. γύναικα Ἀβράμ, & XXIV. verſ. 40. θυγατὲρ Βαθυὲλ εἰμι υἱοῦ Νάχορ. & alia plura. Accedit, quod ſalua proprietate Græci ſermonis, hoc vocabulum, θυγατὲρ, nunquam ſumi poteſt pro puella, virgine, vel alio ſimili *abſoluto*; ſed ſemper habet relationem ad patrem, & idem valet, quod *Filia* apud Latinos: vnde nata eſt æquiuocatio, quæ vitari non poteſt in verbis *Priſci*, ſiue Εσκὰμ ſit filia *Attilæ*, ſiue ſit nomen proprium patris puellæ, ab *Attila* concupitæ. In primo enim caſu, ad orationis perſpicuitatem, deficit pronomen ἑαυτοῦ, in altero articulus τοῦ, quem abeſſe quidem poſſe, allatis exemplis vidimus; vitioſe tamen ſemper omittitur, vbi æquiuocationi locus eſſe poteſt, vt in allatis *Priſci* verbis, quæ in re graui & magni momenti, alterutra ex his vocibus omiſſa, dubium ſenſum efficiunt, appoſita vero, ſenſum totius orationis determinant. Quis vero hanc oſcitantiam ipſi *Priſco*, eidemque Rhetori, non inepto alias ſcriptori, imputare ſuſtineat? cuius integram Hiſtoriam, non habemus, ſed excerptam, neque de ignoti excerptoris fide, diligentia & iudicio, conſtare cum fundamento aliquid poteſt. Vale iterum.

Moni-

# Monitio ad Lectorem.

Ne inanis pagina hæc diffugiat, placuit, alteram, Illustris Viri, epistolam, adtexere, qua, potestatem nobis facit, prioris illius edendæ. Est autem istiusmodi:

*Pius Nicolaus Garellius*,

Viro Clarissimo, *Matthiæ Belio* Suo,

S. P. D.

QUod tumultuarie congestas, de *Iuuenco Cœlio Calano Dalmata*, nugas, Tu, vir Clarissime! & eruditi illi viri, qui eas legerunt, aliquid esse putaueritis; id, singulari Vestrûm omnium, & Tuæ præsertim humanitati, non sine tacita quadam animi delectatione, facile tribuerim: hocque titulo, maximæ mihi vobis agendæ gratiæ forent. Quod vero easdem, publica luce dignas; quin immo, proxime edendo opusculo Tuo, aliquali ornamento futuras arbitramini; atque meam, vt ita dicam, verecundiam, binis iam datis epistolis, quo in id consentiam, officiosissime sollicitas; id demum est, quod me anxium, & in ipsa deliberatione, iure merito ambiguum tenet. Vereor enim, ne, si perspecta mihi operis tenuitate permotus, pertinacius abnuero, iudicio Vestro aliquid detraham; sin facilis concessero, vrbanitate Vestra, mei oblitus, abutar. Iterum enim, & candide fateor, me hanc epistolam, eo animo non conscripsisse, vt, quæ in ea congesta sunt, meo nomine prodirent; sed, vt Tibi, in recudendo, *Iuuenci Cœlii Calani Dalmatæ* opusculo, vsui essent; nimirum, vt ex farragine, si quæ forent, quæ placerent, deligeres, & notis Tuis, quas paratas Te habere, olim significaueras, data opportunitate, interfereres, vel Tibi reseruares. Quod, si re adhuc integra, facere decreueris, scias, rem mihi quoque gratissimam esse futurum; sin vero in sententia permanseris, hanc nimirum, qualemcunque epistolam meam, opusculo Tuo, vel affigere, vel præponere, inurbane nimis seuerus forem, si eruditorum virorum iudicio, & Tuo maxime, diutius repugnarem. Quapropter, *quam ad Te dedi, epistolam, Tuam puta, eademque vtere pro arbitrio Tuo*: dum, vel prefatiuncula constet, me, vt prodiret in lucem, non affectasse, vel, quod dici solet, laureolam in mustaceo, non quæsiuisse. *Reliqua.* Vale, & me ama. Dabam Vindobonæ, ad d. XIII. Cal. Decembres, A. CIƆIƆCC XXXV.

IVVEN-



# IVVENCI COELII CALANI DALMATAE
# ATTILA,
## *feliciter incipit.*
## CAPVT I.

HVNNI, *a*), qui & AVARES, nunc autem HVNGARI *b*), in vltima Mæotide *c*), quæ est palus Scytharum, inter glacialem

*a*) HVNNOS & AVARES vnam fuisse gentem, cum auctore nostro, nihil dubitamus adfirmare; tametsi non desint, qui in contrariam sententiam abeant. Recte SCHVRTZFLEISCHIVS, in disputatione, quam *Vngarica*, inscripsit, ad §. VIII. ** *Hunni & Auares, vna gens, neque origine, neque natione distincta fuerunt. Ex quo non possunt non errare admodum, qui Auares, Hunnorum socios, & tamquam sede ac sanguine discretos, censent. Torquent hic se multi, & inter hos nouitii quidam, intricantque adeo, vt non habeant, quemadmodum extricent. Quod ego quidem valde miror, quod refragentur scriptores medii æui, & habeant pro iisdem. Ex reliquis Aimoinus, alterum explicat per alterum, de vna eademque notione, & cum paria faciunt copulat, atque a Dalmatis, vnius alioquin regni societate iunctis, distinguit.* Lib. IV. de Gestis Francor. cap. 24. Hactenus ille. Sunt omnino scriptores, propemodum infiniti, iique notæ optimæ, qui *Hunnos* & *Auares*, gentem faciunt eandem. Legant, quibus volupe est, MENANDRVM de Legat. p. 117. edit. Parisiens. THEOPHILACTVM SIMOCATTAM, Histor. Lib. VII. cap. 8. collato Lib. I. c. 3. PAVLLVM WARNEFRIDI de Gestis Longobard. Lib. I. cap. 27. p. m. 40. Lib. II. cap. 10. p. 56. Lib. IV. cap. 12. p. 129. GREGORIVM TVRONENSEM de Gestis Francor. Lib. IV. cap. 29. THEOPHANEM, in Chron. p. 263. edit. Paris. anni 1655. ADONEM VIENNENSEM, in Chron. Aetat. VI. ad an. D. 564. 604. 783. & 804. HISTORIAM MISCELLAM, Lib. XVIII. FREDEGARIVM, in Chron. Tom. I. Hist. Franc. edit. Paris. Anni 1636. p. 761. atque his multo recentiorem, SIGEBERTVM, in Chron. ad An. D. 804.

*b*) Neque istud controuersia caret: *An Hungari, iidem cum Hunnis sint atque Auaribus?* Negotium facessunt viri docti, & opinionis, quam elegere, tenaces. In his SCHVRTZFLEISCHIVM nominasse sufficiat, prioris sententiæ patronum, huius vero acrem aduersarium. Verba eius, loco citato, ad §. x. * legi poterunt, quæ huc redeunt: *Hungaros ab Hunnis nomine & natione diuersos, perperam confundi*, ficuti habet *Propositio* I. *Disputationis* LXI. quam sub eius præsidio, celeberrimus IOH. FRANCISCVS BVDDEVS, Anno MDCXXCVII. defensauit. At enim vero, nihil moramur, summa isthæc nomina, quin prorsus cum auctore nostro faciamus, *Hungaros non minus consobrinum Hunnis populum fuisse, quam fuerunt Hunni Auaribus.* Data id opera, in *Hungaria* disputabimus *Antiqua*. quæ dum prodeat, lectorem ad chronographos dimittimus consulto.

*c*) Constans hæc, optimorum auctorum, sententia est, neque nisi his, qui rerum omnium sunt ignarissimi, incognita. Vt mirari subeat animum, non deesse, ingenii, multarum rerum notitia, exaggerati, viros, qui negent, Hunnos a Scythis profectos esse. Opinionis origo, nisi error, dicendus sit, hæc est, quod arctius Scythas compin-

lem *d*) Tanaim, & Maſſagetarum immanes populos, vt perhibent plerique chronographorum, habitauerunt. Hi, mortuo ALEXANDRO Macedone, qui eos intra *e*) montes artiſſimos cohibuerat, equis inſidentes velociſſimis, & a Caucaſo monte irrumpen-

pingant, quam & res ipſa fert, & ſcriptorum teſtimonia. Adde nimiam Scythici nominis, apud gentes ſeptentrionales adfectationem. Ab hoc capite manauit, quod JORNANDES, & qui hunc incauti ſequuntur, Scytharum actus, ad Gothos ſuos retulerint. Tacemus reliqua. Egregie profecto, ſummus LEIBNITZIVS *Miſcellaneorum* numero XVII. p. 45. *Ego Scythica*, inquit, *malo vocare, non quæ Scandica, ſed quæ Sarmatica, Huniaca, Vgrica ſunt.*

*d*) Aliter IORNANDES, de Reb. Geticis cap. V. p. m. 21. *Tanaim*, inquit, *hunc dico, qui ex Ripæis montibus deiectus, adeo præceps ruit, vt quum vicina flumina, ſeu Mæotis, gelu ſolidentur, ſolus amnium confragoſis montibus vaporatus, numquam Scythico dureſcit algore.* Plane MELAM exſcripſit Lib. I. cap. 19. lin. 127. vbi eadem legas: *Ipſe Tanais ex Ripæis montibus deiectus, adeo præceps ruit, vt cum vicina flumina, tum Mæotis & Boſporus, tum Ponti aliqua, brumali algore durentur, ſolus æſtus biememque iuxta ferens, idem ſemper, & ſui ſimilis incitatusque decurrat.* Hæc MELA, quæ non alia re, a JORNANDE diſcrepant, quam quod hic *Tanaim* gelu expertem dicat, quia ſolus amnium, confragoſis montibus *vaporetur*, hoc eſt ſuapte natura ob halitus, quos eructet, glaciem reſpuat; MELA vero, expertem glaciei idcirco dicat, quod præceps incitatusque decurrat, an ruat? Nam quo perniciores ſunt aquæ, eo frigoris vi adſtringuntur difficilius. Ergone abeſt a vero CALANVS noſter, quod *Tanaim glacialem* vocauit? Nolim id ipſi impingi. Legerat, procul dubio, MARCELLINVM, qui Lib. XXXI. cap. 2. p. m. 473. *Hunnos, vltra paludes Mæoticas, glacialem oceanum accoluiſſe*, ſcribit. Itaque & Tanaim ab iis regionibus delapſum, ex climatis indole, haud male *glacialem* dixit. Adde CLAVDIANVM Lib. I. v. 323. in RVFFINVM, vbi de Hunnis ſic canit:

*Eſt genus extremos Scythiæ vergentis in ortus,*
*Trans gelidum Tanaim.* - - - -

Atque SIDONIVM carmine XI. verſu 95. p. m. 138.

*Glacies vbi Caucaſum auget*
*Strinxit Hiperboreis, Tanaitica cruſta pruinis*
*Naturam ſumens gemmæ, quia perdidit vndæ.*

En glacialem *Tanaim!* qualem, vt diceret noſter D. Hieronymi, adductus auctoritate eſt: cuius verba iam ſequentur. Ceterum *Iſaacus Voſſius* e lacu, quem vaſta vndique cingit planities, oriri Tanaim obſeruat, in notis ad hunc locum MELAE p. 415. edit. *Abrahami Gronouii.*

*e*) Imitatus eſt auctor D. HIERONYMVM, paſſim Hunnorum impreſſiones & damna, deplorantem. Neque enim apud vetuſtos chronographos, quidquam horum legas. Et de Alexandri quidem clauſtris, in epitaphio FABIOLAE Tom. I. Epiſtol. ſic habet: *Ecce ſubito diſcurrentibus nunciis, oriens totus intremuit, ab vltima Mæotide, inter glacialem Tanaim, & Maſſagetarum immanes populos, vbi Caucaſi rupibus, feras gentes Alexandri clauſtra cohibent, erupiſſe Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illucque volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complerent.* Adde, quæ in epitaphio NEPOTIAN. ad HELIODOR. item quæ in epiſt. ad OCEANVM leguntur. PAVLLVS OROSIVS Lib. VII. cap. 33. p. m. 576. *Gens Hunnorum, diu inacceſſis ſecluſa montibus, repentina rabie percita, exarſit in Gothos, eoſque ſparſim conturbatos, ſedibus expulit.* Nulla hic clauſtrorum Alexandri mentio eſt. Ceteroquin, de *Muro Caucaſeo*, & huius veſtigiis, hodieque exſtantibus, quidque id rei fuerit, legendus omnino eſt, THEOPHILVS SIGEFREDVS BAYER, Acad. Petropolit. Profeſſor, amicus noſter, *Commentariorum Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ*, Tomo I. p. 425. ſequ.

*f*) Ita

pentes, Aethiopes & Arabes, totumque orientem, depopulati ſunt. Poſthæc ingreſſi loca, quæ hodie inhabitant, *Hunni*; deinde *f*) *Auares*, a quodam eorum rege, dicti, poſtremo, ex vtraque denominatione ſumto vocabulo, *Hungari g*) nuncupati ſunt, quod ſic inditum nomen eis, vſque hodie perſeuerat.

*f*) Ita PAVLLVS WARNEFRIDI, iis locis, quæ ſupra citauimus: *Alboin*, inquit, *cum Auaribus, qui primum Hunni, poſtea de regis, proprii nomine, Auares, adpellati ſunt, fœdus perpetuum iniit.* Lib. I. de Geſtis Longobardor. cap. 27. p. m. 40.

*g*) Gentem eandem eſſe, *Hungaros*, *Auares* & *Hunnos*, nunc diximus. Iam de nomine Hungarorum dicendum aliquid eſt. Audacter laudatus SCHVRTZFLEISCHIVS, loco citato, ad §. X. *Nulla*, inquit, *huius gentis mentio exiſtit ante IX. ſeculum: non quod non fuerit; ſed quia tali nomine, ſub hoc ſeculo, primo venire cœpiſſet.* Verum meminiſſe *Hungarorum* debuerat, quorum luculenta apud *Iornandem*, VI. ſeculi ſcriptorem, exſtat mentio, de rebus Geticis Cap. V. p. 17. vbi, cum Hunnorum gentes recenſet, *Hunugari*, inquit, *hinc ſunt noti, quia ab ipſis pellium murinarum venit commercium.* Sola hic ſyncope τȣ̃ V. poſt primam ſyllabam, opus, vt *Hungari*, ipſiſſimum hodiernæ gentis nomen, inde emergat. Iſta veritatis ſunt explorata. Itaque, neceſſum haud eſt, dicam, optimis auctoribus, ſcribere, quod *Hunnorum*, *Auarorumque* gentem, *Hungaros*, multo, ante ſeculi IX. exordia, adpellent; cum id non ignorantia, ſed iuſta ducti ratione, faciant.

## CAPVT II.

HI, ex *a*) horribili *Scytharum* gente *b*) creti, *Gothos c*) armis & virtute bellica, de ſedibus propriis, depulerunt, &

*a*) Recte ad Scythas Hunnorum originem refert, interiores illos, & vltra Tanaim colentes. Quod amicorum meorum decus laudatus nunc BAYERVS, data ad me epiſtola, negare viſus eſt. Quam poſtea opinionem ſuam, facunde non minus, quam ſcite, adſertum ibat, *Commentariorum Acad. Scientiar: Imperial. Petropolit.* l. c. p. 385. in diſſertatione: *De originibus & priſcis ſedibus Scytharum.* Nobis interea, ſtat ſententia vetus. Neque vero parentes tantum, ſed ipſi quoque *Hunni* horribiles fuere. *Nam, & quos bello forſitan minime ſuperabant, vultus ſui terrore, nimium pauorem ingerentes, terribilitate fugabant, eo quod erat eis ſpecies pauenda nigredine, ſed velut quædam, ſi dicere fas eſt, deformis offa, non facies, habensque magis puncta, quam lumina.* Verba ſunt IORNANDIS Cap. XXIV. p. 69. Haud vero tam natiua hæc fuit deformitas, quam immani quadam arte, a teneris inducta. ſic MARCELLINVS: *Ab ipſis naſcendi primitiis infantum ferro ſulcantur altius genæ, vt pilorum vigor tempeſtiuus emergens, corrugatis cicatricibus hebetetur. Seneſcunt imberbes, abſque vlla venuſtate, ſpadonibus ſimiles: compactis omnes firmisque membris, & opimis ceruicibus: prodigioſæ formæ & pan, vt bipedes exiſtimes beſtias, vel quales in commarginandis pontibus effigiati ſtipites dolantur incomte.* Lib. XXXI. cap. 2. p. 472. Eadem IORNANDES quoque habet, loco, quem nunc citauimus, ex MARCELLINO, vti adparet, exſcripta. Ceterum, legeſis ad hunc AMMIANI locum, notam VALESII, deformitatis Hunnorum & hanc adferentis cauſſam, quod luctum teſtaturi, cultris genas conciderint. Confer SIDONIVM carmine II. v. 245. ſeqq.

*b*) Exſecrandus merito IORNANDIS error eſt, an conuitium; dum nihil dubitat, *Hunnorum* originem, ad impuros ſpiritus referre. Cap. XXIV. p. 67. *Aliorumnas*, inquit, *Filimer habens ſuſpectas, de medio ſui proturbat, longeque ab exercitu ſuo fugatas, in ſolitudinem coegit terræ. Quas ſpiritus immundi, per eremum vagantes dum vidiſſent,* &

& quandoque, sic casus variante fortuna, a Gothis & ipsi superati, *d*) & victi sunt. His reges plures fuisse traduntur, e quibus praecellentes fuisse memorantur *e*) SVBTHARVS & MANDLVCHVS fratres; ATTILA & BLEDA, Madluchi filii. Qui propriis non contenti, efferata rabie Romanum *f*) intendentes diluere

---

*& earum se complexibus in coitu miscuissent, genus hoc ferocissimum edidere. Tali ergo stirpe Hunni creati, Gothorum finibus aduenere.* Apage istas nugas, longe omnium maleuolentissimas. quas, quod postea, gentis odio, etiam non mali scriptores, suas fecerunt, non tam nostri, quam ipsorum caussa impense dolemus.

*c*) Hoc vero in confesso est, apud omnes, *Gothos*, partim subactos ab Hunnis fuisse, partim regione depulsos. Fatentur id, praeter IORNANDEM, luculentissimi scriptores, ZOSIMVS, PROCOPIVS, MARCELLINVS, alii: vt in re pueris nota, superuacuum sit, testimonia adgerere. Gothi autem, Hunnos fugientes, quomodo accepti fuerint a Romanis, ZOSIMVS prolixe tradit, atque PAVLLVS OROSIVS Lib. VIII. cap. 33. p. m. 576. seqq.

*d*) Euenit hoc, ATTILA fatis functo, cum filii eius, de principatu inuicem dimicarent. Vide IORNANDEM, Cap. L.

*e*) Fratres vtique *Suphtarum* & *Mandluchum* fuisse, IORNANDES testis est Cap. XXX. p. 99. sed nomina eorum aliter reddit: *Attila*, inquit, *patre genitus Mundzucco, cuius fuere Germani Octar & Roas, qui ante Attilam regnum Hunnorum tenuisse narrantur, quamuis non omnino cunctorum*; Itaque *Subtharus*, auctoris nostri, *Octar* est IORNANDI. Sic & eum SIGEBERTVS, de regno Hunnorum nominat; tametsi anno mox CCCCXXXIII. *Suphtar* legat. *In Gallia, cum* SVPHTAR *rex Hunnorum, Burgundiones nimis opprimeret: illi in Deum Christianorum spem suam ponentes, se baptizari petierunt. Et statim cum Hunnis congressi, pauci, multa millia eorum peremerunt, & sic rabiem ipsorum refraenauerunt.* Haec SIGEBERTVS, quae apud CAROLVM SIGONIVM in Historia de Occident. Imperio, Lib. XII. p. m. 285. multo sunt relata luculentius: sed qui *Suphtarem*, *Optarem* vocat, & ante pugnam Burgundiacam, cibo nimio disruptum, scribit. Itaque, *Optare, Hunnorum rege, vita functo, regnum ad filios, Mundzucci fratris, Attilam & Bledam delatum est*: verba sunt SIGONII. Vnde cognoscas, neque patris Attilae nomen varietate carere. *Mandluchum*, ac postea constanter *Madluchum* auctor noster vocat, quem IORNANDES Mundzuccum, PRISCVS RHETOR Mundiuchum, denique Hungarici Annales BENDEKVTZ, adpellant. Quin & *Roas*, quem omisit CALANVS, varie scribitur, *Roua* PRISCO Rhetori est: *Rugila*, sequioris aetatis Chronographis. Nos alicubi *Ruhas* scribere maluimus, vt vocabuli redderemus significationem; quod *commode vestitum* notat. De *Mandulcho*, vide, infra, Cap. III. nota d.)

*f*) Loquitur auctor, cum de ATTILA, tum de reliquis etiam, quos nominauerat, regibus. Quod ideo monemus, quia Hungarorum annales, omnem rerum, domi forisque gestarum, gloriam, vni ATTILAE, adscribunt: cum tamen palam sit, obscuro adhuc ATTILA, multa per orbem terrarum facinora, *Hunnos* edidisse, non minus euentibus insignia, quam inusitata feritate, atrocia. Nam *Hunnis*, ante ATTILAM, complures fuisse, ex Graecorum Latinorumque, annalibus elucescit. Horum antiquissimum *Balamberum* seu *Balamirum* IORNANDES in Rebus Geticis Cap. XXIV. XLVIII. p. 71. 139. edit Lugd. 1618. 8. nominat, quem e *Cadarum* familia clarissima prognatum, Chronicon Hungaricum THVROCZII tradit. Balambero successit *Mundzuccus*, pater *Bledae*, & *Attilae*, *de quo* IORNANDES in Reb. Get. cap. XXXV. p. 99. adscito in societatem regni, procul dubio, *Vldi*, quem ZOSIMVS Hist. Lib. V. cap. XXII. Hunnorum principem dicit. Crescente enim imperio *Hunnico*, quum vnus, tantae multitudini non suffecisset: principes duo, regia potestate, ornabantur. Vtroque mortuo, *Octar* & *Roas*, fratres Mundzucci, Hunnicum populum, teste IORNANDE l. c. rexere, quibus extinctis, ATTILA, cum *Bleda* fratre, successit. PRISCVS Rhetor in Excerptis, p. 81. edit. Paris. 1609. 8. JORNANDES l. c. SIGONIVS de occident. impe-

luere imperium, Gallias, Pannonias, Illyricam & Liburnorum regiones, Germaniam & Italiam miris congreſſibus, depopulati ſunt.

imperio lib. XIII. p. 304. edit. Baſil. 1579. 4. Regiſne, an Ducis titulo, principes Hunnorum ornati fuerint, diſquirit BERNEGERVS. Notit. Hung. P. I. §. 19. 20. p. 27. PRISCVS RHETOR, & JORNANDES, reges adpellaſſe videtur, quando rempublicam Hunnorum, regnum adpellat. Quorum ATTILAM, inde ab exitu, numero quintum, non vero quartum, vti CALLIMACHVS, adnotauit, obſeruare eſt. THVRÓCZIVS P. I. c. 10. ſeq. Duces nominat, cuius ſententiam, BONFINIVS, OLAHVS & alii, rerum Hungaricarum ſcriptores, ſuam faciunt. SIGEBERTVS, ad an. 389. *Duces*, & Reges Hunnorum recenſet, atque poſt *Balamberum*, *Gnama*, & *Melga*, duces collocat.

## CAPVT III.

SVBTHAR igitur, & *a*) MADLVCHVS, cum harum gentium reges eſſent, multa aduerſus Scythas *b*) ingentia bella geſſerunt *c*) & multis claris perſæpe aduerſus eos victoriis habitis; Madulchus

*a*) *Subthar*, non cum *Mandlucho*, verum cum *Roa* fratre, vti JORNANDES cap. XXX. ſcribit, Hunnis imperauit. Ante eos quippe, *Mandluchum*, cum *Vldi* principe, Hunnorum imperium tenuiſſe, commonſtratum eſt, ad Cap. II. not. e.

*b*) Scytharum nomine *Gothos*, *Alanos*, ceteroſque Scythiæ Europeæ populos, quos HERODOTVS Iſtro, & Tanai concludit, ex mente JORNANDIS intelligit.

*c*) Res Hunnorum præclare geſtas, quas CALANVS prætergreſſus eſt, ſuccincte & iuſto ordine, ex annalibus veterum ſupplebimus. Hunni, anno a C. N. CCCLXXV. Valente, Gratiano & Valentiniano iuniore imperantibus, Gratiano autem A. III. & Aequitio Coſſ. ex Scythia egreſſi, ſuperata palude Mæotide, duce *Balambero*, Alipzuros, Adcidzuros, Itamaros, Tuncaſſos, & Boiſcos, qui ripam paludis tenebant, primum oppreſſerunt. IORNANDES Cap. XXIV. p. 69. deinde, Alanos, partim armis, partim fœdere ſibi iunxerunt. MARCELLINVS Rerum geſtarum Lib. XXXI. Cap. III. f. 478. edit. Lugd. 1693. Junctis cum Alanis viribus, Gothos adgreſſi, eorum partem vnam, Veſtrogothos puta, in Thraciam reiecere, partem alteram, Oſtrogothos ſcilicet & cum Gepidis, poteſtati ſuæ ſubiecere. MARCELLINVS l. c. JORNANDES Cap. XXIV. XLVIII. Stabilitis in Scythia & Sarmatia ſedibus, anno CCCLXXVII. Gothis, aduerſus Valentem imperatorem, auxilio fuere. SIGONIVS de occident. imperio Lib. VIII. p. 177. cum iisque, anno ſequente, Daciam & Pannoniam, occupauere. SIGONIVS Lib. VIII. p. 181. a Theodoſio imperatore, anno demum CCCLXXIX. & cum reliqua, Gothorum Alanorumque multitudine, non tam bello, quam beneficio victi, Romaniſque conciliati. OROSIVS Lib. VII. Cap. XXXIV. p. m. 579. JORNANDES de Rebus Geticis Cap. XXVII. SIGONIVS Lib. VII. p. 185. HERMANNVS CONTRACRVS ad an. 382. fol. 150. & an. 1736. ALBERT. STADENSIS an. 382. f. 164. VRSPERGENSIS in Chronico ad an. 382. f. 112. Ita benignitate Theodoſii allecti *Hunni*, anno CCCLXXXVIII. & CCCXCIV. manum delectam, Alanis & Gothis permixtam, Romanis auxilio miſere, in quorum caſtris illi, ducibus *Gaine*, *Saule*, & *Bacurio* militabant. Horum priorem, *Huldin*; Hunnorum cis Iſtrum in Scythia princeps, anno CCCC. interfecit, eiusque caput Arcadio imperatori miſit. SIGONIVS lib. IX. p. 208. 220. At vero, Alarico quoque regi Gothorum in expeditione Italica, an. CCCCI. ſuppetias tulere, & Stilichonis copias, an. CCCCII. apud Pollentiam, diſſipauere. PROSPER AQVITANICVS, Chron. apud *Caniſium* p. 137. M. AVRELIVS CASSIODORVS, Chronic. Arcadio & Honorio. Coſſ. V. mutuis cædibus, inter Hunnos, Gothos, Alanoſque ſubortis, teſte OROSIO attenuati. Eorum manus altera, *Vldin* & *Sáro* ducibus, Honorio imperatori, anno CCCCV. adfuit, qua ſtipatus, Stilicho, Radagaiſio, maſcule obſti-

chus *d*), vt alii ferunt, morbo, & vt plurimi, laſſitudine præliorum, rebus humanis exemtus eſt, duos filios, relinquens: *Bledam e*) natu maiorem *f*), ATTILAM iuniorem. quos fratri ſuo SVBTHAR cum regno in portione, ſtudioſius commendauit. SVBTHAR

obſtitit, eumque cum ducentis millibus ad internecionem vſque deleuit. OROSIVS Lib. VII. cap. XXXVII. p. 591. 592. FRECVLPHVS Chron. T. II. Lib. V. Cap. V. p. 151. PROSPER AQVITANICVS Chron. in lection. *Caniſii* Tom. I. p. 168. TIRO PROSPER, in Chronico, ibidem. Tom. I. p. 151. VRSPERGENSIS, ad an. 399. f. 118. Adeo, ſe tum, *Hunni*, Stilichoni, & magnanimitate, & fidelitate, commend[illegible]ierant: vti etiam, in cuſtodiam corporis adhiberentur, quorum poſtea omnes, *Sárus* dux Honorii, Stilichonem comprehenſurus, anno CCCCVIII. opera militum ſuorum interemit, SIGONIVS Lib. X. p. 251. Anno ſequente, iuncti, parte quadam, Alarico Gotho, in Italiam irrumpunt, & vrbis Romanæ expugnationem, promouent, quorum millia decem, ea tempeſtate, ab Honorio imperatore, aduerſus Gothos arceſſita, in caſtris Romanorum militauere, SIGONIVS Lib. X. p. 253. 257. 258. Delituerant illi hucdum in Scythia, iuxta Tanaim, & paludem Mæotidem. Tum vero, teſte HIERONYMO, vbi Roma a Gothis capta fuerat: per anguſtias Caucaſi, in Aſiam erupere, indeque præda onuſti in Thraciam penetrauere; vnde, Gothis ex Illyrico, in Italiam & Galliam emigrantibus, facto cum Honorio imperatore fœdere, in Pannoniam & Daciam transiuere, in eaque, datis acceptisque obſidibus, anno CCCCXI. ſedes poſuere. SIGONIVS Lib. XI. p. 269. Horum reliquiæ, facta anno 424. ex Scythia in Thraciam impreſſione, Romanis graues eſſe cœperunt, quibus ſedatis, Johannes, qui poſt obitum Honorii, imperium occupauerat, miſſo in Pannoniam Aetio, ingenti auri pondere, Hunnorum auxilia conduxit, quæ tamen, Aetius, capta demum Rauenna, Johanne in Italiam perducto, inito cum Aſpare pacto, perſolutaque, quam promiſerat mercede, ad ſuos redire iuſſit. PROSPER AQVITANICVS, & TIRO PROSPER apud Caniſium, p. 154. 155. HERMANNVS CONTRACTVS apud Caniſium T. I. p. 459. ad an. 425. MARIANVS SCOTVS Lib. II. ætat. 6. anno 426. f. 412. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad annum 425. f. 498. SIGONIVS Lib. XI. p. 378. 379. 380. His in Pannonia & Italia geſtis, Hunni anno 428. Burgundiones adgrediuntur, aduerſus quos, quoniam multitudo ingens emigrauerat: eos, hoc plane tempore, poſteaquam annos 50. Pannoniam tenuerant, inde depulſos fuiſſe. SIGEBERTVS ad an. cit. ſcribit.

*d*) *Madulchum*, Mundzuccum adpellat JORNANDES de Rebus Geticis, Cap. XXXV. & SIGONIVS de Occid. Imperio Lib. XIII. p. 304. *Mundiuchum*. PRISCVS RHETOR, in Excerptis Legationum. CHRONICON Hungaricum, & OLAHVS, in *Hungaria*, Cap. III. §. I. p. 4. edit. Poſonienſis, *Bendegutz*, vel *Bendegitz*. CALLIMACHVS in Attila f. 631. *Mundruthum* & *Mazuchum*; ANTONIVS BONFINIVS Rer. Hungar. Decad. I. Lib. III. f. 35. edit. Colonienſis. *Mundiziccum*; THEOPHANES, *Omnudium*, Msc. VAT. *Omundium*. Alii *Nazuchum*, & *Madluchum*.

*e*) ATTILAM tamquam natu maiorem, Bledæ anteponunt, IORNANDES de Reb. Get. cap. XXXV. SIGONIVS de occid. imp. Lib. XII. CALLIMACVS item, & alii, quam CALLANVS noſter, neſcio quo perductus auctoramento, natu minorem exprimit. *Bletam* IORNANDES nominat. PROSPER Aquitanicus & TIRO Proſper, apud Caniſium p. 147. 172. cum BEDA, Hiſt. Eccleſ. Angl. Lib. I. c. 13. & SIGEBERTO ad an. 449. *Bledam*, pro quo erronee apud HERMANNVM Contractum, ad an. 444. in edit. Piſt. *Bledlam* legitur. Eos ſequitur etiam CALLIMACHVS in Attila ſuo. *Belam* vero COM. MARCELLIN. Chron. f. 1952. in Bibl. Patrum T. VIII. & THVRÓTZ. c. 14. exprimunt. Reliqui, vti MARIANVS Scotus ad an. 445. & OTTO FRISING. Lib. IV. c. 25. cum BONFINIO & OLAHO *Budam* adpellant.

*f*) Nomen ATTILAE, per duplex, vel ſimplex T. rectiusne ſcribatur, inter auctores diſſenſio eſt. Duplicant litteram *Attilam*que exprimunt: PRISCVS RHETOR, JORNANDES, PROCOPIVS, PROSPER AQVITANICVS, SIDONIVS, PROSPER, FRECVLPHVS, SIGONIVS, Sige-

THAR *g*) ergo rex, fratre defunĉto, ſolus *h*) regnum obtinuit; ſed cum filios non haberet, BLEDAM *i*) & ATTILAM, ex fratre nepotes, ſibi adoptionis iure filios, quandoque Imperatorum Romanorum more, conſtituit, & regni *k*) ſui adſciuit ſibi conſortes.

---

SIGEBERTVS, CALLIMACHVS, THVRÓTZIVS, & alii plures: quæ ſcribendi ratio, & in nummis conſpicitur, & a HVGONE GROTIO in Hiſt. Gothorum, alibique retinetur. Simplex T. ſine adſpiratione, OTTO Friſingenſis, BONFINIVS, OLAHVSque, cum adſpiratione vero, CHRONICON Weingartenſe, ceterique adhibent: & illi quidem ATILAM, hi vero ATHILAM, quaſi vox primitiua, *Ethele*, foret, exprimunt, quos etiam FRANCISCVS FORIS OSTROKOTSY *Orig. in Hung.* P. I. Cap. 4. §. I. ſequitur. qui ATTILAM in lingua vernacula, gemino ll. ad exemplum villa, valla, alla vocum Hungaricarum exprimendum eſſe arbitratur. ceterum ATTILAM, Hungarico idiomate *Ethelè* adpellatum fuiſſe THVRÓTZIVS P. I. c. 13. tradit. Græcis apud PRISCVM & CALLISTVM *Ἀττίλας* dicebatur. A. Germanis, vti LAZIVS de Migr. Gent. ex fragmento Annal. Veter. allegat, ETZEL, vel, vti, LVCKIVS in nummis legit WETZEL, adpellabatur. conf. BERNEGERVS in Notit. Hung. p. 125. §. 249. ſeqq. RVD. ROHT. Diſſert. de Attiia. 9. 14.

*g*) *Octarem* nominat JORNANDES de Reb. Getic. cap. XXXV. Optarum, SIGONIVS Hiſt. occid. imp. L. XII. p. 285. & SIGEBERTVS in Chronogr. de regno Hunnorum; quem tamen in Chronologia ad an. 433. *Suphtarem* adpellat. *Hottarem* CALLIMACHVS in Attila f. 631. *Ottarem* ANTONIVS BONFINIVS Dec. I. Lib. III. f. 35. exprimit.

*h*) Non ſolus Suphtar, regno præfuit: teſte enim JORNANDE, cap. XXXV. *Octar & Roas ante Attilam, regnum Hunnorum tenuiſſe narrantur, quamuis non omnino cunctorum.* Omiſit Roam CALANVS, qui etiam varie ſcribitur; Roua PRISCO RHETORI eſt, Roas JORNANDI. Rugilam vocat PROSPER in Chronico, quem ſequitur SIGEBERTVS, cum chronographis, ætatis ſequioris. Nos alicubi Ruhas ſcribere maluimus: vt vocabuli ederemus ſignificationem, quod commode veſtitum notat.

*i*) Ita teſtatur JORNANDES l. c. *Is namque Attila, patre genitus Mundzucco cuius fuere germani, Octar & Roas.* Neſcio, vnde ANTON. BONFINIVS ſuam acceperit opinionem: is enim, Attilam & Bledam, fratres Suphtaris fuiſſe, incerto prorſus teſtimonio adfirmat.

*k*) Neque adoptionis iure, Attila & Bleda Hunnorum principes, in regno Hunnorum ſucceſſere, neque a Suphtare, vti CALANO videtur, conſortes regni adſciti fuere. Jure eo, quo Suphtari, Mundzucco quoque fratri, eiusque filiis Attilæ & Bledæ regnum Hunnorum debebatur. Ceterum Suphtar, minorennibus, tutor a patre dictus fuerat, qui teſte PRISCO & JORNANDE, poſt obitum Suphtaris & Roæ, regnum occupauere. Nullo iure Attilam, in annalibus veterum, regem adpellari BERNEGERVS l. c. §. 257. p. 129. exiſtimat; eo, quod a Romanis *Romanorum exercituum dux* non vero rex, teſte PRISCO vocabatur. At vero ex loco Priſci, Attilam in gente Hunnorum regis, in ſubſidiis autem Romanorum, quæ ex Hunnis legebantur, *Romanorum exercitum ducis* titulo ornatum fuiſſe, luculenter elucet.

## CAPVT IV.

POſt SVBTHAR rex, cum innumerabili Hunnorum exercitu, Germaniam *a*) inuadens, quacunque iter arripuit, omnia ferro

---

*a*) *Germaniam* intellige, *Sarmatiæ* conterminam, Viſtula amne concluſam, quo loco hodie *Polonorum* ditio ſita eſt. Hic enim, non ſolum intra, Gothini, Burgundiones, & Logiones, verum extra Viſtulam etiam amnem, *Gepidæ*, *Gothi*, *Baſtarnæ*, populi Germanorum, ſedes habebant. CLVVERVS, German. antiquæ Lib. III. cap. XXXVI. CHRISTOPHORVS CELLARIVS, Geographiæ antiquæ Lib. II. cap. V. p. 479. 480.

ferro flammisque subiecit. Deinde Burgundiam *b*) procedens, omnemque præliis & rapinis exponens, depopulatus est. Burgundiones *c*) autem sic oppressi, viam salutis quærentes, cum nullam inuenirent, tandem diuinitus inspirati *d*), paganos ritus funditus abnuentes, Christiani facti sunt, putantes, sicut & subsequen-

---

*b*) BVRGVNDIA, quam *Hunni*, duce *Subtharo* infestarunt, non in *Gallia*, vti SOCRATES & SIGEBERTVS opinantur, verum in Germania, inter Vistulam & Viadrum amnes, teste PTOLEMAEO Geograph. Lib. II. Cap. XI. quærenda est. Eo loco, hodie, CLVVERVS Germ. antiquæ Lib. cap. XXXVI. CHRISTOPHORVS CELLARIVS Geograph. antiquæ l. c. SPENERVS, Notitia Germaniæ antiquæ, Lib. V. cap. v. *Poloniam* sitam esse, doctissime commonstrarunt. Huc itaque *Hunni*, ex Scythia Daciaque, quam hac tempestate tenebant, facili modo, per medios *Sarmatas*, & *Germanos*, nullo prorsus resistente, impressionem facere poterant. Lapsum itaque SOCRATEM in Hist. Eccl. Trip. Lib. XII. Cap. IV. p. 585. edit. Basil. an. 1539. crediderim, qui Burgundiam, quam Suphtarus cum Hunnis adgressus est, ad Rhenum quærit. Ita vero ille: *Quædam insula vltra Rhenum fluuium est, Burgundionum. Isti vitam quietam agunt & pene omnes fabri lignorum sunt, ex qua mercede pascuntur. quorum regionem Hunni, crebra inuasione vastabant, & plurimos occidebant.* Atqui, nondum regnante Suphtare, fines Sarmatiæ & Germaniæ, egressus fuerat Hunnorum populus.

*c*) Eos PLINIVS Hist. naturali L. IV. Cap. XIV. inter Vandalos numerat. Hi, ætate Probi imperatoris, cum Longionibus & Vandalis ad Rhenum, vti ZOSIMVS, Hist. L. I. cap. LXVII. LXVIII. p. 108. 109. edit. Cizens. tradit, ex Germania emigrauere, & teste OROSIO L. VII. cap. XXXII. portionem Galliæ occupauere. Haud exilis tamen eorum pars, sedibus priscis remansit, qua a CLAVDIO MAMERTO Paneg. Maximiani Cap. V. cum Alemannis & Herulis, Germaniæ ad Vistulam incolis, coniungitur. Ii, ab Hunnis demum victi, sub signis Attilæ, teste SIDONIO Paneg. C. VIII. p. 95. militabant. Hinc CAROLVS SIGONIVS Hist. de occident. imp. L. XII. p. 285. edit. Basil. 1570. *Burgundiones*, inquit, *qui in Germania remanserant, quotidianis impressionibus ab Hunnis exagitati, ad Christum Deum, opem implorantes confugerunt.* Deceptum itaque SOCRATEM, l. c. & qui eius auctoritate nititur, SIGEBERTVM GEMBLACENSEM ad an. CCCCXXXIII. f. 710. edit. 1726. obseruare est. Qui ignorantes reliquias Burgundionum, auitis sedibus adsiduas mansisse, erronee Burgundiones in Gallia a Suphtare pressos, & occasione hac, ad Deum conuersos fuisse, scribunt. Nihilo rectius VALESIVS Rer. Franc. Lib. I. p. 50. Burgundiones Germaniæ ad Rhenum, a Burgundis Sarmatiæ discernit.

*d*) Non tam *diuinitus, inspiratos*, vti CALANVS tradit, quam a popularibus, qui conuersi ad Deum, Galliam insederant, commonitos fuisse, existimauerim. Quum enim impressione *Hunnorum*, in has angustias coniecti, ad Burgundiones Gallos confugerant: procliue est colligere, istos non in hominibus, sed in DEO auxilium quærendum, populares suos docuisse. Ita rem hanc SOCRATES l. c. confirmasse videtur: *At illi licet anxietate constricti, ad nullum se tamen hominum contulerunt, sed alicui DEO se committere cogitabant.* Tum audientes, *quod Romanorum DEUS fortiter adiuuat se timentes, communi consilio ad credulitatem Christi confugiunt, venientesque in vnam ciuitatem Galliarum rogabant, vt ab Episcopo Christianorum baptisma mererentur. At ille eos septem diebus faciens ieiunare & imbuens fide, baptizatos octauo die abire præcepit.* Hæc Socrates, ex quo, eodem prorsus modo, Burgundionum ad Christum conuersionem, SIGONIVS recenset. *Burgundiones qui in Germania remanserant, quotidianis impressionibus, ab Hunnis exagitati, post agros suos incensos, hominesque fœde occisos, ceteris desperatis auxiliis, ad Christum Deum opem implorantes, confugerunt, atque episcopo ex Gallia repetito, se sacro tingi lauacro postularunt.*

*e*) CARO-

ſequenter factum eſt, quod ex hoc, omnipotens DEVS, eos in ſuam tutelam receptos, ab impetu gentis Hunnorum, & ab imminentibus periculis liberaret. Quorum votis DEVS omnipotens adnuit. Nam dum Rex *Subthar*, poſt annum, cum ingentibus Hunnorum copiis, ad loca Burgundiæ remeaſſet, vt reliquias Burgundionum, efferata rabie abſumeret, ſpe ſalutis imbuti Burgundiones, audacter contra Hunnos, eorumdemque regem *Subthar* e) eductis militum peditumque copiis, prælium inſtruxere, pugnatumque vtrinque eſt, tanta Hunnorum ſtrage, vt decem millium *f*) numerum, & eo amplius gladius, DEO adiutore abſumſerit.

e) CAROLVS SIGONIVS de Occident. imp. Lib. XII. ex *Socrate* refert, SVPHTAREM, ſeu OPTARVM regem *Hunnorum*, *cibo nimio ſumto ſe diripuiſſe*, *atque Hunnos ſine duce pugnauiſſe*.

*f*) Idem SIGONIVS ex Socrate refert, Burgundios, *facto impetu*, *tanta felicitate impugnauiſſe*: *vt Hunnorum decem millia*, *a tribus ſint Burgundionum millibus occidione occiſa*. SIGEBERTVS ad an. 433. cæſorum numerum non definit. *Statim* inquiens, *Hunnis congreſſi*, *pauci*, *multa millia eorum peremerunt*, *& ſic rabiem ipſorum refrenauerunt*. Eapropter & CALLIMACHVS, in ſuo *Attila*, Hunnos, fuſis copiis, *e finibus Burgundionum*, *exturbatos fuiſſe*, ſcribit.

## CAPVT V.

MOrtuo igitur ea clade *a*) *Subthar* rege, Bleda & Attila fratres, *b*) Hunnorum regno, pari omnium conſenſu præ-

*a*) Clades, qua Suphtar rex a Burgundionibus cæſus, occubuit, contigit iuxta computum SIGONII, circa annum CCCCXXVIII. a quo imperii *Attiliani*, principium petendum eſt. Cladem hanc, & cum ſucceſſione ATTILAE tardius, ad an. ſcilicet 433. accidiſſe, exiſtimat SIGEBERTVS, qui *Bledam*, anno demum 436. *Rugilæ* ſurrogatum fuisſe, erronee tradit. Perperam itaque annales Hungarorum, & cum iis *Abraham Bakſchai*, imperii Attiliani principium, ad an. CCCCI. locant. Eotum enim, viuente *Mundzucco*, nondum *Attilæ Bledæque* nomen innotuerat, prouti ad Cap. III. not. (d.b.) expoſitum eſt. Hinc vero enatum fuiſſe errorem annalium putauerim: quod primas Hunnorum ſedes in *Pannonia*, (de quibus SIGEBERTVS) ab occupatione Pannoniæ, haud diſtinxerint. Vid. not. (b.) ad Cap. III.

*b*) De ſucceſſione ATTILAE, & BLEDAE, differebant rerum Hunnicarum ſcriptores. PRISCVS Rhetor in Excerptis p. 81. edit. lat. Paris. 1609. *Rouæ*, quem alii *Roam* & *Rugilam* vocant, ſolum *Attilam*; SIGEBERTVS vero ad annum 436. f. 405. edit. Piſt. *Bledam*, SIGONIVS autem, Hiſt. occid. Imper. Lib. XII. p. 285. cum CALANO noſtro, vtrumque *Optaro* regi ſucceſſiſſe, adfirmant. Ita vero ille: *Optaro Hunnorum rege*, *vita functo*, *regnum ad filios Mundzucci fratris*, *Attilam Bledamque peruenit*. Rem hanc omnium euidentiſſime exponit JORNANDES de Reb. Get. cap. XXV. *Eorum itaque poſt obitum Attila cum Bleda fratre germano*, *Hunnorum ſucceſſit in regnum*. Veriſimile eſt, *Attilam* primum, vti PRISCVS tradit, *Roua* mortuo, faſces imperii ſumſiſſe, poſteaque extincto *Suphtaro*, *Bledam* fratrem germanum, in ſocietatem regni admiſſum fuiſſe; id quod & THVRÓTZIVS P. I. cap. 14. obſeruat, *Belam*, inquit ille, *fratrem ſuum*, *ſui regiminis effecit participem*. Toto hic, vt aiunt, cælo, ab iſtorum ſententia, CHRONICON Hungaricum

præficiuntur c). Hi Bleda & Attila fratres, viuente Theodosio iuniore Augusto, collecto grandi d) Hunnorum exercitu, pacatis e) Burgundionibus, in dies, ceteras f) finitimas regiones, nunc

M. Iohann. THVRÓTZII, P. I. c. 10. diffidet, quod Anton. BONFINIVS, OLAHVS, ceterique rerum Hungaricarum scriptores, imitantur. Præterquam enim quod *Suphtaris*, & *Rouæ* regum, nulla ab iis fiat mentio, belli tantummodo duces, *Keve*, *Bela*, *Keme* & *Kadicha*, enumerantur. Quibus in prælio ad *Potentianam*, & *Tulnam* exstinctis, ATTILAM, Hunnorum consensu, regem proclamatum fuisse, fide dubia traditur. Vid. Chron. THVRÓTZ. P. I. cap. XI. XII. XIII. f. 13. 14. 15. collect. BONGARSII.

c) ATTILAM, cum BLEDA non electum fuisse, verum iure hæreditario successisse, ex PRISCO Rhetore & JORNANDE, constat. Ille quidem, in *Excerptis de Legat.* p. 81. obscure, Hunnorum *regnum ad Attilam peruenisse*; hic vero *post obitum* Octaris *&* Roæ, *Attilam cum Bleda germano, Hunnorum successisse in regnum*, in Reb. Get. cap. XXXV. exponit. Idem sentiunt SIGEBERTVS, ad an. 436. & CALLIMACHVS, in Attila. Minus itaque recte THVRÓTZIVS in Chronico P. I. c. 13. ATTILAM, ab Hunnis *vnanimi voto pariter & consilio*, *regia dignitate elatum fuisse* scribit. quem sequuntur, ANTON. BONFINIVS Dec. I. Lib. III. OLAHVS in Attila, Cap. III. Successiuum profecto, Hunnorum fuit imperium, non minus ante ATTILAM, quam post eius obitum; ad quod reges e *Cadárum* stirpe, mutuo sibi succedentes, contestantur. vid ad Cap. III. not. (c)

d) Hunnorum exercitum, ex quingentis armatorum millibus, constitisse referunt: JORNANDES de Reb. Get. cap. XXXV. & SIGEBERTVS, ad an. 433. quem AVCTOR Hist. Miscellæ, ad septingenta millia extendit, & CHRONICON ALEXANDRINVM, ad Olym. CCCVII. p. 735. millia multa fuisse scribit. Certe maiores, quam vel Germania, vel Gallia ferre potuit, ATTILAM copias contraxisse, ex SIDONII Carm. VII. p. 95. edit. Paris. 1609. 4. constat. Ita vero ille:

*Et iam terrificis diffuderat* ATTILA *turmis.*

e) Clade Burgundica, nequaquam Hunnorum *rabies*, veluti SIGEBERTVS, ad an. 433. scribit, *refrenata* fuit. Reliquiæ enim *Burgundionum*, postea *Hunnis* subiectæ, teste AGATHIA, de regno Justinian. Lib. V. p. 149. edit. græca. in castris Hunnicis militabant. Sed & Burgundii, qui ex Germania in Galliam transiuerant, anno demum CCCCXXXV ab *Hunnis*, occumbente in prælio Gundicaro rege, partim deleti, partim deuicti fuere. PROSPER Aquitanic. Tom. I. collect. *Canisii* p. 157. HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 435. f. 268.

f) Res Hunnorum, post mortem *Suphtaris*, & *Rouæ* gestæ, breuiter a *Calano*, exponuntur. Paullo ante mortem, ROVA, Amaldsuris, Ithamaris, Tancassiis, Boiscis, ceterisque gentibus, quæ Istrum accolunt, bellum inferre decreuit. propterea, quod cum Romanis societatem inierant. Quin, Romanis etiam, per *Elsam* denunciauerat, se a fœdere recessurum: nisi omnes Scythæ, qui ad eos confugerant, reddantur. Tum ergo mortuo *Roua*, THEODOSIVS imperator, *Maximinum* legatum, cum PRISCO RHETORE, ad ATTILAM misit, non minus subortas, inter Hunnos Romanosque controuersias compositurus, quam fœdus initum reparaturus, PRISCVS RHETOR in Excerptis p. 80. seq. ATTILA, Reparato cum *Theodosio* fœdere, teste *Callimacho* in Attila, f. 631. *Gepidas*, quos *Suphtar* sæpius tentauerat, in potestatem suam redegit, postea autem Romanis, aduersus Visigothos auxilio fuit. Ea tum, inter Hunnos Romanosque amicitia coaluit: vti etiam Attila, teste PRISCO, dux Romanorum exercituum adpellaretur. Eorum Aetius Romanorum dux, anno CCCCXXXII. in Hunnorum finum confugit interuentu Attilæ, non Rugilæ, vti SIGEBERTVS ad an. 435. existimat, imperatori reconciliandus. PROSPER AQVITANICVS in lectione Canis. Tom. I. p. 143. TIRO PROSPER ibidem p. 156. HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 432. Longe plura bella, auspiciis Attilæ gesta fuere, antequam Hunni, in Germaniam & Galliam impresserant, quam, annalibus veterum connotata, leguntur. Eorum enim armis, Gundaricus rex Burgundionum, & cum gente sua, post annum CCCCXXXV. deletus est. PROSPER AQVITANICVS in Lectionib. Canisii Tom. I. p. 143. HERMANNVS CONTRACTVS ad an.

an. 435. Valentiniano quoque imperatori, Hunni, aduersus Theodoricum regem Gothorum, auxilio fuere. quorum copiis, stipatus, Lithorius dux Romanorum, non solum, anno CCCCXXXVI. Narbonensibus obsessis, suppetias tulit, verum, redactis etiam in ordinem Aremoricis, anno CCCCXXXVII. Gothorum populationem, in Gallia compressit. PROSPER AQVITANICVS l. c. p. 143. HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 439. p. 268. MARIANVS SCOTVS Lib. II. æt. 6. ad an. 438. Huius subsidii SIDONIVS quoque meminit:

*Lithorius Scythicos equites, dum forte subacto*
*Celsus Armerico, Geticum rapiebat in agmen*
*Per terras Aruerne tuas, qui proxima quæque,*
*Discursu, flammis, ferro, feritate, rapinis,*
*Delebant pacis, fallentes nomen inane.*

vbi vero *Lithorius*, pugna, anno CCCCXXIX. imprudenter commissa, in potestatem Gothorum peruenisset: Romani, properante, ad Rhodanum Theodorico rege, *Hunnos* præsidio oppidorum imposuere. Edocet hoc iterum SIDONIVS, Carm. VII. p. 93.

- - *Capto, terrarum damna patebant,*
*Lithorio, in Rhodanum, proprios producere fines*
*Theodoridæ fixum. Nec erat pugnare necesse*
*Sed migrare Getis, rabidam trux asperat iram*
*Victor, quod sentit Scythicum pro mœnibus hostem*
*Imputat, & nihil est grauius, si forsitan vnquam*
*Vincere contingat, trepido.*

Tandem Attila, fœdere, quod Hunni, cum Theodosio inierant, disrupto, ingentique ex Hunnis, Ostrogothis, Gepidisque, exercitu coacto, anno CCCCXLI. orientale inuasit imperium, Mœsiam solus, superato Istro ingressus est, Thraciam, Bledæ fratri vastandam commisit. PROSPER AQVITANICVS l. c. p. 146. CHRONICON ALEXANDRINVM Olymp. CCCV. Ind. X. Beda de sex æt. mundi p. 114. HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 442. MARIANVS SCOTVS Lib. II. æt. 6. ad an. 443. Hoc tumultu accepto, Theodosius, Arnegislum & Joannem vtrumque magistrum militum, Hunnis, cum delecta manu occurrere iussit, quorum Arnegislus, acri prælio, cum Attila decertauit, Joannes autem dum Bledæ occurrerat, fraude Arnegisli peremtus occubuit. SIGONIVS Lib. XII. p. 304. anno sequente, *Hunni*, vastata Thracia, Græciaque, omnia oppida, inde a sinu Ionico, vsque ad Constantinopolim diripuerunt, ac duas munitissimas in Illyrico arces, vrbemque Cassandream, vt PROCOPIVS auctor est, exciderunt. In Thracia certe, omnia oppida, præter *Adrianopolim*, & *Heracleam*, furore *Hunnorum* disiecta fuere. SIGONIVS l. c. Hoc bello, quum duces Romani, variis præliis irritarant, quam represserant potius, Hunnorum multitudinem: Theodosius, bellum Hunnicum expauescens, missis anno CCCCXLIII. de pace, ad Attilam legatis, sex millia pondo auri, pro recessu, mille autem minas, si suis finibus imposterum foret contentus, spopondit. SIGEBERTVS Gemblacens. ad an. 447. SIGONIVS de occid. imp. Lib. XII. ad an. 443. Interemto vero, ex insidiis anno CCCCXLV. Bleda fratre, subactisque, qui ei parebant populis, Attila, bellum Romanis, anno CCCCXLVI. indixit, qui, superato sub initium anni sequentis, frigore, conglaciato Istro, exercitum, in Daciam citeriorem, seu Mœsiam, populatum immisit, cæsisque apud *Marcianopolim*, Anthemio & Arnegislo militum magistris, grassatus per Daciam, Mœsiam, Illyricum, Thraciam, vsque ad Thermopolim, inter Thessaliam & Macedoniam penetrauit, JORNAND. de Regn. succefs. Cap. 98. FRECVLPHVS, Chr. T. II. Lib. V. c. 14. p. 126. coll. *Vulcan.* Hac expeditione, septuaginta minimum ciuitates in oriente, *Hunnorum* deprædatione subuersas fuisse TIRO PROSPER p. 172. coll. *Canis.* T. I. ed. *Pith.* & SIGEBERTVS, ad an. 450. narrant. Vnde SIDONIVS, ad Anthemium Carm. II. p. 23. sic de HVNNIS.

*Gens ista repente*
*Venerat, & sectas inciderat orbita lymphas*
*Hanc tu directus, per Dacica rura vagantem*

nunc vna, deinde altera, variis & innumeris præliis lacesse-runt. Et exinde per Germaniam *g* ) transseuntes , Gallias *h*) in-

*Contrahis, aggrederis, superas, includis & vt te*
*Metato spatio castrorum Sardica vidit,*
*Obsidione premis, quæ te sic tempore multo,*
*In vallo positum stupuit, quod miles in agros,*
*Nec licitis nec furtiuis excursibus ibat.*
*Cur deesset, cum sæpe Ceres semperque Liæus*
*Disciplina tamen non defuit inde propinquo*
*Hoste magis timuere ducem, sic denique factum est:*
*Vt socius tum forte tuus, mox proditor illis.*
*Frustra terga daret, flexo pede cornua nudans*
*Tu stabas acie solus, te sponsa fugaci.*
*Expetiit ductore manus te Marte pedestri*
*Sudantem repetebat eques tua signa sequutus*
*Dux fugit, insequeris, renouat certamina, vincis;*
*Clauditur, expugnas, elabitur, obruis atque*
*Sarmaticæ paci pretium sua funera ponis.*
*Partitur, iussum subiit iam transfuga letum,*
*Atque peregrino cecidit tuo victima ferro.*

Minus itaque recte Lucius de regno Dalmat. & Croat. Lib. III. c. IV. f. 120. Attilam nunquam Illyricum vastauisse obseruat: cum tamen copiæ Hunnorum, & a depopulatione Mœsiæ Græciæque, teste Procopio, & ab obsidione Aquileiæ, in Illyricum excurrerint. His actis, *Theodosius*, tantum bellum auersatus, legatos ad Attilam de pace acturos, in Scythiam misit, & annuum vectigal auxit. In hanc legationem, Priscum historicum missum fuisse, elucet, ex eius *Excerptis de Legat.* p. 83. edit. *Paris.* & Jornande, de rebus Get. Cap. XXXIV. Qua re cognita, *Valentinianus*, & ipse, oratores ad pacem petendam, Cassiodorum, & Carpilionem misit. vid. Cassiodorus epist. Theod. Priscus Excerptis Legat. Pace concessa, tributoque aucto, *Agatziros* primum, duce *Onesegio*, perdomat, postea vero, bellum, aduersus *Persas* molitur. Priscus l. c. p. 108. 121. Thurótzius, Chron. P. I. c. 14. Hæc, ante Gallicam & Germanicam expeditionem. Quo tempore, Pannoniam quoque, cum Mœsia, ceterisque Romanorum prouinciis, sub iugum missam fuisse, ex euersione *Sirmii*, apud Priscum p. 104. luculenter elucet. ceterum, ante subiugatas orientis prouincias, haud infessam fuisse ab *Hunnis* Pannoniam, vel inde colligere licet; quod Attila, Romanorum, aduersus *Vestrogothos* exercituum, dux & socius, accepto a *Theodosio* annuo stipendio, intactas Romanorum prouincias reliquerit, sedemque imperii, *Daciam Ripensem*, & regionem *Iazygum Metanastarum*, delegerit. Priscus Rhetor Excerptis Legat. p. 169. seq. Non igitur ad ann. CCCCI. veluti annales Hungarorum adnotauere, verum ad CCCCXLI. vel CCCCXLVII. quo Attila, orientale inuaserat imperium, occupationem Pannoniæ referendam, eaque, quæ Chronicon Hungaricum, de præliis, cum Macrino & Detrico apud Potentianam & Kesmawr commissis, eo quod scriptores Romanorum, ea de re taceant, prorsus incerta & dubia esse, existimauerim.

*g* ) *Ex Pannonia*, & *Iazygum Metanastarum* regione, consilio, vti Thurótzio placet, *Detrici*, occidentales adgreditur prouincias. Et primum quidem, subactis *Quadis*, & *Marcomannis*, in *Noricum* irrumpit. Vbi, cum *Theodorico* Veronensi, & *Macrino Anthemio*, limitis Danubiani præsidibus, pactus, itineris aduersus *Vestrogothos* faciundi facultatem, clausis oppidis, accepit, atque per *Vindeliciam*, & *Rhetiarum Rauracorumque* fines, ad lacum *Brigantinum*, peruenit. Vnde, subuersis vrbibus, cæsisque *Gundarico* & *Sigismundo*, Burgundiæ Regibus, quorum posteriorem Thurótzius, Regem Con-

*h*) inuaserunt, *i*) omnia ferro & igni subiicientes, & hostili more vniuersa quoque diripiunt, plerisque tamen ciuitatibus *k*) & oppidis captis, multis & in deditionem receptis, secus Aurelianum

Constantiæ vocat, ad Rhenum vsque penetrat. AVENTINVS, Annalibus Boiorum Lib. II. f. 164. edit. Basil. an. 1580. Expeditione hac, omnes, sine dubio Germaniæ populi, veluti SIGONIVS L. XIII. p. 316. opinatur, se, ATTILAE, ad Gothorum, vt præ se ferebat, excidium, contendenti, adiunxerunt: *Quadi*, inquam, *Marcomanni*, *Heruli*, *Turcilingi*, *Burgundiones*, *Thuringi*, *Bructeri*, *Saxones*, & qui in Germania remanserant, *Franci*. Cum hac igitur, diuersarum gentium multitudine, ATTILA, vniuersam Germaniam, subegit.

*h*) Galliam puta Belgicam, Lugdunensem, & Aquitanicam. ATTILA quippe, tantarum gentium stipatus multitudine, superato lintribus Rheno flumine, exercitum in Belgium primum infudit; inde in Lugdunensem & Aquitanicam regionem, nullo impediente, libere progressus. Expeditionem, in hunc modum describit SIDONIVS, ad Auitum Carm. VII. p. 96.

*Cedit cito secta bipenni*
*Hercinia in lintres & Rhenum texuit alno*
*Et iam terrificis, diffuderat* ATTILA *turmis*,
*In campos se Belga tuos.*

Caussam, cur Attila Galliam inuaserit, PRISCVS Rhetor Excerpt. Legat. p. m. 63. exponit: *Itaque Attilas in varias distrahebatur sententias, & illi in dubio hærebat animus, quos primum adgrederetur. Tandem melius rem se habituram visum est, ad periculosius bellum sese conuertere, & in occidentem exercitum educere. Illic enim sibi rem fore non solum cum Italis, sed etiam cum Gothis & Francis; cum his vt Honoriam cum ingentibus diuitiis in vxorem acciperet; cum illis vt Genserichi gratiam promereretur. At Francos bello lacessendi, illi caussa fuit Regum ipsorum obitus, & de regno inter liberos controuersia. Seniori Attilas studebat, iuniorem Aetius tuebatur, quem Romæ vidimus legationem obeuntem.*

*i*) Vniuersam Germaniam, inaudita crudelitate, inde a Pannonia, vsque ad Heduos deuastatam fuisse HVLDERICVS MVTIVS Chronic. Germ. Lib. IV. T. II. p. 644. Collect. Pistorii edit. an. 1726. obseruauit; erronee tamen calamitatem, quæ anno CCCCXLIX. & CCCCL. acciderat, ad an. CCCCXLV. retulit. Memoratu digna est, cum primis *Argentinæ*, & *Coloniæ Agrippinæ*, depopulatio. Et Argentinam quidem, ATTILA propterea, quod sola, conatibus suis, obsistere audebat, solo æquauit, atque propter diuersas vias, *Strasburgum* adpellari iussit. THVRÓTZIVS Chron. Cap. XV. OLAHVS, in Attila, Cap. IV. Testatur id icon ATTILAE, in vertice, portæ Argentoratensis, anaglyphice sculpta apud SCHÖDELIVM, in Notit. Hung. Part. I. §. 245. seq. Apud Coloniam vero Agrippinam, *Gyula* Dux Hunnorum, XI. M. virgines, quæ duce *Vrsula*, Roma, in patriam, secundo Rheno, reuertebantur, interceptas, crudeliter enecauit. SIGONIVS Lib. XIII. p. 317. & THVRÓTZIVS l. c. Cap. XVII. Conf. de vndecim mille virginibus, Valesiana seu Meditamenta Critica Historica cet. Hadriani VALESII Parisiis 1694. in 12. & Acta Erudit. Lips. ad an. 1694. Mens. Iul. p. 309.

*k*) Nullam ciuitatem, nullum castellum, nullumque oppidum Galliæ, a furore ATTILAE, qua ille ducebat exercitum, tutum fuisse, ex FRECVLPHI Chron. T. II. L. V. cap. 14. p. 154. cognoscitur. GREGORIVS Turon. Lib. II. cap. 7. multas Galliarum ciuitates, pressas fuisse adnotauit. Superato enim, Rheno, *Tungros*, & *Coloniam* deleuit, *Treueros* diripuit, *Metas* succendit, *Attrebatum* excidit, *Aurelianum* obsedit. AIMONIVS de gestis Francorum, Lib. I. cap. 6. p. 286. GREGORIVS TVRONENSIS Lib. II. cap. 6. SIGONIVS Occid. Imp. Lib. XIII. p. 317. Trecas tamen, in Senonia, virtute *S. Lupi*, Episcopi percitus, nullo maleficio adfecit. HINCMARVS, Epist. V. cap. 17. PETRVS Equilin. Lib. VI. cap. I. Hac tempestate *Lutetia* quoque Parisiorum, pietate *S. Genoueuæ*, seruata fuerat. vid. HIST. S. Genouefæ. Ceterum, *Tungrorum* excidium, a *Seruatio* præsule prædictum fuisse, tradit FREDEGARIVS, de gestis Francorum, Cap. I. p. 93. collect. *Freheri.*

num *l*) caſtra metati ſunt *m*). Sed meritis *n*) B. ANIANI, eiusdem vrbis epiſcopi, DEVS omnipotens, ciuitatem ab incurſu hoſtium protexit; quamuis *o*) multa grauia perpeſſa ſit. *p*) Hoc audiens *Valentinianus Publius*, huius nominis tertius, qui (*q* cum *Theo-*

*l*) Ciuitas eſt Galliæ Lugdunenſis, ad Ligerim ſita, quæ ab reſtitutore Aureliano, nomen accepit. CHRISTOPH. CELLARIVS Geogr. Antiqu. Lib. II. cap. 2. p. 204. quam Sangibanus rex Alanorum, aduerſus Hunnorum impetum defendebat. JORNANDES de Reb. Get. cap. 37. p. 107. Ea, GREGORIO TVRONENSI Lib. V. cap. 33. & AIMONIO Lib. I. cap. 6. Aurelianenſis; JORNANDI l. c. ciuitas Aureliana; NOTIT. Prouinc. & in præfat. Concil. Aurelian. I. ciuitas Aurelianorum; OTHONI Friſingenſi Lib. IV. c. 41. & BEDAE XV. Kal. Decembris, aliisque, Aurelianis dicitur.

*m*) Hunnos vrbem Aurelianenſem obſediſſe, elucet ex AIMONIO Lib. I. c. 6. SIGEBERTO ad an. 453. PETRO item Lib. X. cap. 71. cuius oppugnationem, GREGORIVS Turonenſis, Lib. II. cap. 7. deſcribit.

*n*) B. ANIANVS, præſul fuit Aurelianenſium, FRECVLPH. Chr. T. II. Lib. V. c. 14. AIMONIVS L. I. cap. 6. HISTOR. S. Aniani, cuius meritis Aurelianum obſidione liberatum, numeroſumque Hunnorum exercitum, in campis Cathalaunicis, fuſum fuiſſe, annales Francorum tradunt. Ita enim GREGOR. Turon. L. II. c. 7. *Itaque liberata, obtentu B. Antiſtitis ciuitate*, & alibi: *Nam nullus ambigat Chunorum exercitum, obtentu memorati Antiſtitis fuiſſe fugatum.* AIMON. l. c. *Cuius meritis & orationibus, imaniſſimas Hunnorum phalanges, omnipotentia Chriſti ita protriuit: vt quibus profugi habitent in terris, hucusque ſit incognitum.* Liberationem vrbis, ab inſultu Hunnorum, meritis B. Aniani, SIDONIVS quoque, Epiſt. Lib. VIII. ep. 15. p. 553. tribuit, quam, IDACIVS Chron. Mſc. & qui eum ſequitur, SIGONIVS Lib. XIII. f. 318. orationibus beatiſſimi præſulis, ciuiumque adſcribunt. Ita enim iſte: *Ea re territi ciues, cum quidnam conſilii caperent, in incerto haberent; Anianum conſuluerunt. Ille monuit, vt ſpem in DEO figerent, atque opem eius ſuppliciter implorarent. Quod cum illi humi proſtrati feciſſent, &c.*

*o*) Aurelianum, maximo arietum impulſu, oppugnatum fuiſſe. GREGOR. Turon. Lib. II. cap. 7. ſcribit: *Attila vero Chunorum rex, a Metenſi vrbe egrediens, cum multas Galliarum ciuitates premeret: Aurelium adgreditur, eamque, maximo arietum impulſu, nititur expugnare.* Ab oppugnatione in vrbem demum, Hunnos irruptionem feciſſe, onuſtosque ſpoliis, in caſtra rediiſſe, AVCTOR Hiſt. S. Aniani, & PETR. EQVILIN. Lib. VII. cap. 71. referunt. Ita vero iſte: *Dum autem epiſcopus ad eos exiuiſſet, & pro populo intercedens, ab* ATTILA *nihil penitus obtinere potuiſſet, ſed, die ſequenti aduerſarii vrbem violenter intrantes, plauſtra eorum, ſpoliis onerarent, &c.* Neque tamen *Hunni*, facta irruptione, vrbem diripuere: ſuperuenientes quippe *Aetius* patricius, *Merouæus* item, *Francorum*, & *Theodoricus*, *Gothorum* reges, eos fugarunt, & ab Aurelianis recedere, relictis ſpoliis, adegerunt. GREGOR. Turon. Lib. II. c. 7. & HIST. S. ANIANI. Eapropter, SIDONIVS Lib. VIII. ep. 16. de obſidione Aurelianenſi, hunc in modum: *Exegeras mihi, vt promitterem tibi* ATTILAE *bellum, ſtilo me poſteris intimaturum, quo videlicet Aurelianenſis vrbis obſidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cælitus ſacerdotis vaticinatio, continebatur.* Oppugnationis Aureliani, haud meminit JORNANDES, qui ante aduentum ATTILAE, demolitum fuiſſe, memoriæ prodidit.

*p*) Prius *Valentinianus* Imp., exercitum Romanum, duce Aetio, proficiſci iuſſit: quam ATTILA, ſuperato Rheno, in Gallias irruperat. Is enim, in omnem ATTILAE actionem intentus, cognito, legationis, quam anno CCCCL. ad Oſtrogothos exmiſerat, fuco, *Theodoricum*, Gothorum, *Gundaricum*, Burgundionum, *Sangibanum*, Alanorum, & *Merouæum*, Francorum Reges, in ſocietatem belli adſciuit, eiusque ſummam *Aetio* dedit. JORNANDES de Rebus Get. cap. XXXVI. FRECVLPHVS Chron. T. II. Lib. V. c. XIV.

*q*) THEODOSIVM II. intelligit, qui, cum VALENTINIANO III. ad annum vſque CCCCL. imperauit, & ſub Gallicana *Hunnorum* expeditione, obiit. JORNANDES de Regn. Succeſſ. p. m. 126. CVSPINIANVS in Cæſaribus, in Theodoſio II.

*r*) Dux

*Theodosio* iuniore Romanum Imperium tenebat, Etium patricium, virum vtique *r*) rebus bellicis apprime eruditum *s*.) cum magno suo exercitus, adparatu, direxit in Gallias *t*), vt Bledæ ATTILAEque, & *u*) gentium, quas secum duxerant, tumultibus & anfractibus contrairet.

*r*) Dux fuit, vti SIGONIVS, Lib. XIII. p. 315. scribit, ea ætate, & manu, & consilio, promtissimus, atque in barbarorum bellis exercitatissimus. quem eapropter, BEDA de Sex ætat. mundi. p. m. 114. *terrorem Attilæ* nominat. Erat enim hac ætate Aetius, *solus ex principibus*, *famosissimo Attilæ, formidabilis.* MARIAN. SCOTVS. Lib. II. æt. VI. ad an. 455.

*s*) Exercitus, consilio *Aetii*, ATTILAE obiectus, ex Romanis, Vest-Gothis, Alanis, Francis, Burgundionibus, aliisque Celtarum, & Germanorum nationibus, collectus fuit. In adparando quippe bello, *tanta fuit Patricii Aetii prudentia: vt vndique bellatoribus congregatis, aduersus ferocem, & infinitam multitudinem, non impar occurreret. His enim adfuere auxiliares Franci, Sarmatæ, Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones, quondam milites Romani, tunc vero, iam in numero auxiliariorum exquisiti, aliæque nonnullæ Celticæ, vel Germanicæ nationes.* JORNAND. de Reb. Get. cap. XXXVI. p. 105. 106. FRECVLPHVS, Chron. T. II. Lib. V. c. 14. p. m. 154.

*t*) Impegit hic IVVENCVS noster, ignarus Bledam, ante susceptam in Galliam expeditionem, Theodosio XVIII. & Alboino Coss. adeoque anno CCCCXLIV. necatum fuisse. PROSPER Aquitan. Coll. *Canisii* p. 147. vid. infra ad cap. XI.

*u*) Exercitus ATTILAE, ex incondita Hunnorum, Scytharum, Germanorum, & Sarmatarum multitudine, conflatus fuit. Et *Hunnorum* quidem, qui tot præliis exhausti erant, haud magna fuit multitudo. Longe maior auxiliarium copiarum numerus. Ex Scythis quippe: Ostrogothi, ducibus *Valamiro*, *Theodomiro*, & *Vindemiro*; Gepidæ item, duce *Ardarico*, & Sarmatæ, Gelones, Neuri, Alani, Bastarnæ, ceterique Scytharum bellicosissimi populi, in castra ATTILAE confluxerant. Ex Germanis vero: Quadi, Marcomanni, Rugi, Heruli, Turcilingi, Burgundiones, Thuringi, Bructeri, Saxones item, & qui in Germania remanserant, Franci. Enumerat eos, qui his rebus interfuit, SIDONIVS, in Panegyr. Carm. VIII. p. 95.

*- - - Subito cum rupta tumultu*
*Barbaries tota in te transfuderat arctos*
*Gallia pugnacem Rugum, comitante Gelono*
*Gepida trux sequitur. Scerum Burgundio cogit,*
*Chunnus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thuringus,*
*Bructerus, vluosa, quem, vel Nicer alluit vnda*
*Prorumpit Francus - - - -*

In *Sarmatarum* numero, *Jazyges Metanastæ* intelligendi sunt, quos STRABO Lib. VII. & MARCELLINVS Lib. XVII. euidenter *Sarmatas* nominant. Diuersi ab iis fuere *Sarmatæ*, a JORNANDE inter subsidia Romanorum relati. quorum nomine, *Burgundiones* forte, qui e *Sarmatia*, in *Galliam* emigrauerant, intelligit.

## CAPVT VI.

ET quoniam sermo incidit de VALENTINIANO III. inserendum est memoriæ, notitiæque posterorum, qui & *a*) quis fuerit Valen-

*a*) Valentinianus III. filius fuit Constantii, Romanorum Patricii, & Theodosii Magni, ex Placidia filia nepos. Ea enim, anno CCCXVIII. post mortem Athaulfi regis Gothorum, Constantio comiti, Romanorumque Patricio nupserat. quem Honorius Imp.

Valentinianus. hic fuit filius CONSTANTII Imperatoris, huius nominis tertii, *b*) & Galliæ Placidæ, filiæ maioris Theodosii, sororis Honorii & Arcadii, patris minoris Theodosii. Hic Valentianus ex *c*) vxore *Licinia Eudoxia*, genuit duas filias, quarum maior natu *d*), *Honoria* nomine, Thrasimundi, Regis Vandalorum fuit sortita connubium; Junioris vero natu *e*) *Placidiæ* nomine, virginis clarissimæ, Veronæ corpus in Ecclesia *S. Stephani* conditum requiescit.

Imp. sublato Constantino tyranno, anno CCCCXX. collegam imperii legerat. OROSIVS Lib. VII. c. 41. SOZOMENVS Lib. VII. c. 13. seq.

*b*) PLACIDIA, quam *Placida*, rectius scribitur, sicuti & noster paullo inferius. Fuit ea Theodosii M. filia, atque *Arcadii*, *Honorii*que Impp. soror, & *Athaulfi* Regis Gothorum, qui Gallias tenebant, vxor. ISIDORVS Chron. Goth. ad an. 448. quam propterea CALANVS cum NICEPHORO, Gallam Placidam vocat. Ea, interfecto a Valia *Athaulfo*, rege Vestgothorum, Honorio reddita, & *Constantino Patricio* matrimonio iuncta, *Valentinianum* III. Imp. peperit. JORNANDES, de Reg. Success. p. m. 124. NICEPHOR. Hist. Eccl. Lib. XIV. c. 6.

*c*) EVDOXIAM alii, matris nomine, adpellant. Fuit enim *Valentiniani* III. vxor & *Theodosii* II. ex *Eudoxia*, filia. EVAGRIVS Lib. I. c. 21. ZONARAS Tom. III. p. 91. edit. Franc. an. 1587. IORNANDES de Regn. Success. p. m. 125.

*d*) Natu maior, VALENTINIANI III. filia, non *Honoria*, sed *Eudoxia*, quæ Hunerico, regi Vandalorum nupserat, adpellabatur. *Honoria* enim soror fuit *Valentiniani*. III. PRISCVS Rheor in Excerpt. Legat p. 64. quæ ATTILAM, libidine inflammata, ad ineundum secum connubium, in *Italiam* inuitauerat. IORNANDES de Regn. Success. p. m. 125. SIGONIVS, de Occ. Imp. Lib. XII. ad an. 434. p. 295. conf. ad Cap. XXII. not. c. Ceterum, Eudoxiam, & cum sorore Placidia, Gensericus Rex Vandalarum, expugnata Roma, in Africam abduxit, eamque filio Hunerico in matrimonium dedit. ISIDORVS in Chronico Wandalorum p. m. 227. 228. IORNANDES de Regn. success. p. m. 127. NICEPHORVS Hist. Eccles. Lib. XIV. Cap. XI.

*e*) Placidia natu minor Valentiniani III. filia, quæ, cum Eudoxia sorore, a Genserico rege Vandalorum, in Africam abducta fuit, remissa Constantinopolim, Olybrio Patricio, postea vero Romanorum imperatori nupsit. PROCOPIVS Lib III. Bell. Vand. ISIDORVS Chronic. Wandalorum p. m. 227. NICEPHORVS l. c.

## CAPVT VII.

ETIVS *a*) ergo Patricius, vir, vt antea diximus, strenuus *b*) ter

*a*) Aetium IORNANDES, PROSPER Aquitanicus, FRECVLPHVS, FREDEGARIVS, aliique plures exprimunt. Aetium scribit SIDONIVS. Aethium vero AVCTOR. Hist. S. Aniani. Patricius ille fuit Romanorum, qui ea tempestate Galliis præerat. FRECVLPHVS, Chron. Tom. II. Lib. v. c. 14. quem IORNANDES de Reb. Get. Cap. XXXVI. tantæ prudentiæ virum fuisse indicat: vti etiam, ei, hac tempestate *innitebatur respub. Hesperiæ plagæ.* Natus ille est in *Mysia*, in Dorastana regione, qui, initio, ob insignem rei bellicæ peritiam, ab *Honorio* Imp. in locum *Constantii*, copiis præfectus, post hac vero, quod cum Alanis, Vandalis, ac Sueuis, haud conflixerat, dignitate priuatus, ad *Hunnos* transiit, ATTILAE & RVGILAE, vt SIGEBERTVS putat, ob insignes animi dotes, cum primis carus; a quo is, rerum Italicarum statum, didicit. Mortuo *Honorio*, interuentu *Hunnorum*, Valentiniano reconciliatus, & Romam reuersus, dignitati pristinæ restituitur. PROSP. Aquit. T. I. p. 143. HERM. CONTR. ad an. 432. OLAHVS in ATTILA cap. V. Maximi Patricii fraude, post multa præclare edita facinora, peremtus. JORNANDES de Regn. Success. p. m. 127. *b*) Pri.

*b*) ter Conſul, & qui, quidquid bellorum erat, ſolus nouerat, collecto Romanorum exercitu, *c*) *Theodoricum* regem *d*) Gotthorum - - - qui Hunnis, habitis ex præcedentibus diſſidiis, & *e*) innumeris conflictibus offenſi, aduerſus eos vlturi ſuas, ſuorumque graues iniurias, Etio, de facili *f*) conſenſere, ſibi adſumſit, certaminis, aut profecto ingentis *g*) futuri belli collegam. Cuius belli conſortio, & *h*) Wallamir & Theodomir, quondam *i*) Tria-

*b*) Primum Anno C. 432. cum Valerio, deinde Anno 437. cum Fl. Sigenulte, inde An. 446. cum Q. Aurelio Symacho. vid. FAST. CONSVLAR.

*c*) Theodoricus JORNANDI, Theudoridus ISIDORO, Theodorus FRECVLPHO; AVCTORI vero Chron. Alexand. Allaricus, erronee tamen dicitur.

*d*) Gothorum puta occidentalium rex, quos JORNANDES & RICOBALDVS Ferarienſis, Veſegothos; CHRONICON Reg. Wiſigot, & SIGEBERTVS Wiſigothos; ISIDORVS autem, FRECVLPHVS, SIGONIVS, ceterique plures, Gothos ſimpliciter vocant. Facta illi, ex Scythia emigratione, indultu *Valentis* Imp. in Thraciam primum, inde per Illyricum & Pannoniam, in *Italiam*, & hinc, duce *Athaulpho*, in Gallias effuſi, regnum Gothicum, quod in Hiſpania floruerat, condidere. JORNANDES de Reb. Get. Cap. XXV. ſeq. ISIDORVS Chron. Goth. ad an. 416. ſeq.

*e*) HVNNORVM, aduerſus Gothos, diuerſa prælia, recenſita, vide, ad Cap. III. ſequ.

*f*) Notanda hic eſt, in concitanda, inter Gothos Romanoſque, diſſenſione, ſollicita ATTILÆ induſtria. Is enim *legatos in Italiam, ad Valentinianum principem miſit, ſerens Gothorum Romanorumque diſcordiam: vt, quos prælio non poterat concutere, odiis internis elideret, adſerens ſe reipub. eius amicitias in nullo violare, ſed contra Theodoricum Veſegothorum regem ſibi eſſe certamen, vnde eum excipi libenter optaret. Pari etiam modo, ad regem Veſegothorum Theodoricum erigit ſcriptum, hortatus, vt a Romanorum ſocietate diſcederet, recoleretque prælia, quæ paullo ante, contra eum fuerant concitata, ſub nimia feritate.* JORNANDES de Reb. Get. Cap. XXXVI. OTTO FRISING. Lib. IV. Cap. 26. His itaque, prudentia Valentiniani, artibus ATTILÆ detectis, vltro citroque Gothi, in ſocietatem armorum abiere.

*g*) Tres maiorum gentium principes, belli collegæ, Aetio auxilio fuere. *Theodorici* Gothorum, & *Sangibani* Alanorum Regis, JORNANDES de Reb. Get. Cap. XXXVI. XXXVII. meminit, iſtumque conceptæ in vrbe Aurelianenſi perfidiæ accuſat. His, *Meroueum*, Francorum Regem, GREGOR. TVRON. Lib. II. Cap. 7. AIMON. Lib. I. Cap. 6. SIGEBERTVS item ad an. 453. & reliqui adiiciunt. THÚRÓTZIVS Chron. P. I. Cap. 15. *decem occidentales reges* in auxiliis Aetii, aduerſus Hunnos, numeratos fuiſſe, ex vetuſtis Hungarorum annalibus refert. qui, quemnam, *Soldani* nomine, Galliæ principem, intelligat, cum omnes tres, regionem Galliarum tenuerant, diuinari nequit.

*h*) Non *Vallamir*, & *Theodemir*, verum *Thoriſmundus*, & *Theodoricus*, in caſtris *Veſegothorum*, aduerſus ATTILAM, militabant. JORNANDES de Reb. Get. cap. XXXVI. Valamir namque, & Theodomir, reges fuere Oſtrogothorum, Hunnorum poteſtati ſubiecti. JORNAND. l. c. cap. XLVIII. Per errorem igitur IVVENCVS, reges Oſtrogothorum, cum principibus Veſegothis, confudiſſe, ex cap. XX. p. m. 105. cognoſcitur.

*i*) Nullus vnquam huius nominis rex, vel apud Veſegothos, vel apud Oſtrogothos imperauit, veluti ex IORNANDE & ISIDORI Chronico conſtat. Triarius namque, Gothus, cuius filius Theodericus, regnantibus in Pannonia Oſtrogothis, apud Marcianum imperatorem florebat, neque regia dignitate ornatus, neque Theodorico Veſtrogothorum regi propingua cognatione coniunctus fuit; quippe quod, ex alia, quam Amala ſtirpe regia, procreatus. IORNANDES de Reb. Get. Cap. LII. p. 153. 154. Filius tamen eius Theodericus, cognomento Strabo, Rex Gothorum adpellatur. IORNANDES de Regn. Succeſs. p. 131. Crediderim, iniuria ſcribarum deceptum eſſe IVVENCVM, qui abraſis ex nomine WANDILARII regis Oſtrogothorum, primis litteris, per

*i*) Triarii regis filios, & *k*) Theodorici fratres, tum *l*) in Gotthorum regionibus imperantes, *m*) fœderatos Romanis principibus, modicis, & vt res poſtulabat, ex tempore alloquiis, adiunxere.

CAPUT

errorem, pro *Dilarii*, legerunt *Tirairi.* Fuit autem *Wandilarius*, pater, regum inter Oſtrogothos, *Vallamiri*, & *Theodomiri*, IORNAND. l. c. cap. XLVIII.

*k*) Qui in comitatu Theodorici regis, Gothorum principes numerabantur, non fratres, ſed filii, natu maiores, fuere. IORNANDES de Reb. Get. cap. XXXVI. IVVENCVS eos, immemor ſui, cap. X. filios, cap. vero XX. fratres *Theodorici* vocat.

*l*) Regiones intellige *Veſegothorum* in Gallia & Hiſpania. *conf. not.* d. Oſtrogothorum, namque, qui ex Scythia, cum Hunnis emigrauerant, ſedes, hac tempeſtate, in Pannonia & Dacia fuerant.

*m*) Elucefcit hinc, non *Oſtrogothorum*, verum *Veſegothorum* principes intelligi: quippe qui, fœdus cum Romanis, aduerſus ATTILAM inierant. Oſtrogothi contra, ATTILÆ imperio ſuberant. IORNAND. l. c.

## CAPUT VIII.

FActis igitur, inter tot & tantas, tantorum victorum exercitus, ingentibus & *a*) variis præliis, nunc victor Romanus exercitus, tunc etiam ſæpe victus, repertus eſt. Demum, cum neque victrix, aut victa pars, quorum ius iudicio noſceretur, ſignis collatis dimicatum eſt, *b*) in campis *Catalaunicis*, in qua pugna

*a*) Ante pugnam Catalaunicam, nullum, vel cum Gothis, vel cum Romanis, Attilam commiſiſſe in Gallia prælium, propterea, quod *diffidens ſuis copiis, metuebat inire conflictum*, IORNANDES de Reb. Get. cap. XXXVII. auctor eſt. FRECVLPHVS tamen. Chron. T. II. Lib. V. cap. 14. Attilam, primum ad Ligerim, cum Aetio & fœderatis, manus conſeruiſſe, indeque in campos Catalaunicos, pugnam tranſtuliſſe adſerit. Superueniens certe Aetius, cum Theodorico & Merouceo regibus, Attilam fugauit, atque ab Aurelianis, in campos Catalaunicos recedere coegit GREGOR. TVRON. Lib. II. cap. 7.

*b*) Campi *Catalaunici* vocantur, CASSIODORO in Chron. ad Marcian. A. & Adelphico Coſſ. IORNANDI de Reb. Get. cap. XXXVI. XXXVII. XLIII. DIACONO Lib. V. ISIDORO in Chronico Era CCCCLXVII. FRECVLPHO Lib. V. cap XIV. OTTONI FRISING. Lib. IV. cap. XXVI. SIGEBERT. in Chronic. ad an. CCCCLIII. OLAHO cap. IV. THVRÓTZIVS P. I. c. 15. & CALLIMACHVS, *Cathalanicos*; BONFINIVS Dec. I. Lib. IV. *Catalonicos* exprimunt. Quibusdam, campi Mauriaci audiunt: ita IORNANDES l. c. cap. XXXVI. *campos Mauricii*, FRECVLPHVS, Lib. V. cap. XIV. *campos Mauriacos*. GREGORIVS TVRONENSIS, Hiſt. Lib. II. cap. XII. *campum Mauriacum*, & *Mauriacenſem Campaniam* vocant. Vnde, *Mauriacenſis pugna*, in Legibb. Burgund. Catalaunici adpellantur, a Catalauno oppido *Belgicæ Secundæ*, de quo NOTIT. PROVINC. & AMMIAN. MARCELLINUS lib. XV. cap. X. fol. 79. *Huic* inquit *adnexa ſecunda eſt Belgica, qua Ambiani ſunt, vrbs inter alias eminens, & Catalauni & Remi.* Fuit quidem *Catalanus campus*, Tholoſæ proximus, & *Catalacum* in montanis Aruerniæ ſitum, quod HIST. S. EGIDII M. S. indicat: pugnam tamen hanc, non in his, verum in Belgicis Catalauniæ campis commiſſam fuiſſe, auctoramentis multis oſtenditur. Juuat hanc in rem, JOAN. SAVARI Claramontenſis, notas in CAII SOLLII Apollinaris Sidonii, Aruernorum Episſcopi, Carmen VII. p. 96. 97. edit. Paris. 1609. 4. adiicere. Vbi gentium ſint, campi Catalaunici, adhuc ambigitur. Ne reſtet locus ambigio: campi *Catalaunici*, non a *Catalanis* campis, Tho-

pugna, vel quod verius, in quo bello, *centum sexaginta millia c)* pu-

Tholosæ proximis, vt quidam sentiunt; nec a *Catalaco* in montanis *Aruerniæ* sito, de quo Hist. MS. S. Egidii. Cui posteriori sententiæ, loci natura a JORNANDE descripta c. 38. mire concinit. *Erat positio loci decliui tumore, in modum collis excrescens*, & postea, *Attila suos dirigit, qui cacumen montis inuaderent.* Est autem in planitie illa *Catalacensi*, collis, in cuius apice fixa est crux, quæ vulgo, *Croix des Batailles*, vocatur. In illa planitie, vici positi dicuntur. De *Catalaco* inter ceteros, est vetustissimus, qui in panchartis, de *veteribus campis*, dicitur. Alter est *Entiliacus Catalacensis*, quem ab ATTILA nomen sumsisse, peritiores indigenæ credunt. Riuulus etiam præterlabitur, qui planitiem, in duodecim Aquitanicas leugas protensam intersecat. Riuulum, in campis *Catalaunicis* fluxisse, PAVLLVS DIACONVS L. IV. tradit, &, quod his omnibus validius est argumentum, tractus dicitur *Mauriacus*; vulgo *Prouoste* de *Mauriac*; vrbes, burgi, villulæ, in illa planitie sitæ, a Mauriaco vrbe, huic planitiei adiacente, quæ quondam fuit in montanis præcipua vrbs, HIST. S. AVSTREMONII mss. a qua *Mauriacus campus.* GREG. ARUER. *campi reliquis Mauriaci.* Quodque hoc verisimile iuuat: non sunt procul dissiti, ab Aureliacensi vrbe, quæ vulgo *Auriliac*, *de qua Odo* in *Hist. S. Geraldi Comitis.* Quæ res me impulerunt: vt cum Myrone, totius humanitatis senatore, & præside V. C. probo, & antiquitatis studioso montana conscenderem, & in disputationis campum descenderem, cum Sarraste Aureliacensi Consiliario, & Caldaqueo causidico, viris eruditis, qui in ea sententia, adeo fixi sunt, vt ab illa remouere non potuerim, his rationibus, quibus facile conuincam illos, & huius sententiæ secuteleios, non tamen sine ratione errare, atque etiam SIGEBERTVM PARADINVM, BARO A. C. 451. Hactenus SAVARVS, in conuincendis iis, qui campos Catalaunicos, in Aruernis quærunt, occupabatur. Nunc euidentibus ostendit rationibus, campos, in quibus Attila conflixerat, in Belgica esse inquirendos. Ac primum quidem, Attilam, e Pannoniis, in Belgicam venisse, vero verius, vide supra citatos auctores, Metensis vrbis euersio, & incendium GREG. TVRON. l. 11. c. 6. Treuirorum direptio AIMON. L. 1. c. 6. Tricassium obsidio S. e. 15. l. 8. ad extremum Aurelianis irruptio ibid. neque direptio, satis adstruunt. Attilam non vltra Aurelianim promouisse exercitum s. e. 12. l. 7. et. e. 15. l. 8. a cuius direptione Aurelianensis Aniani meritis, & superuentu Aetii, Theodori, Merouei, repulsus & fugatus, quomodo in montana centum, ab Aurelianensi vrbe leugis dissita profugerit. Non video, nec ratione percipi potest, Attilam se præcipitem dedisse, in hunc tractum, qui Romanarum partium erat. Præsertim cum illi & exercitui quingentorum millium traiiciendi essent, non semel Liger, Alanio, & Elauer, loca etiam confraga & inuia peragranda, priusquam ad montana perueniret. Quod, vt factu difficile, sic creditu difficillimum est. Primam belli molem, circa Ligerim fuisse tradit. IDA. & ex eo FRECVLP. l. 5. c. 14. T. 2. Attila autem a tractu Ligeris repulsus fuit. vnde Aetius, Sidonio. c. 12. l. 7. *Ligeris liberator*, ibidemque Attila *Rheni hostis* vocatur, atque ita Attila ad Belgas profugit IDAC. In Belgica quærendi sunt campi Catalaunici, sic a Catalauno, Catalaunici dicti. Est autem Catalaunum ciuitas Belgicæ secundæ NOTIT. Prouinc. AM. MARCEL. l. 15. sub finem, quo loci planities latissima est, & præliis memorabilis, AM. MARCEL. l. 27. de Iouino: & *maturato itinere, omen prope Cathalaunos inuenit, ad congrediendum promtissimum, & vallo oportune metato, suisque pro temporis copia, cibo recreatis & somno, primo auroræ exortu in aperta planitie composuit aciem* cet. De qua etiam PANEG. Flauiensium Constantino dictus, & EVTROPIVS in Aureliano, cuius longitudo & latitudo, montanis nostris non posset aptari, apte vero conuenit, his, quæ de his campis IORNANDES & ex eo DIACONVS l. 5. *centum laugas in longum tenentes, & septuaginta in latum*, quorum amplitudo camporum, Campaniæ nomen fecit, GREG. TVRON. l. 9. Hist. c. 14. & l. de Glor. Confess. c. 67. vnde & Belga, Campanensis eidem Gregorio dictus est. l. 2. de mira. c. 32. eiusdem Appendici c. 57. & a Catalauno, *Catalaunensis Campania.* Append. c. 41. AIMON. l. 4. c. 1. quoque Belgicæ II. Metropolis est ciuitas Remorum. *Rhemensis Campagnia.* GREG. ibid. & in Appendice Marcellini comitis sub finem. Indict. IV. XV. P. c.

*c*) pugnatorum siue bellantium, *d*) vtrinque cæsa sunt gladiis. Ibi & *e*) *Theodoricus* rex inter cæsos occubuit.

## CAPVT IX.

NEc ab re est inserere, cum *a*) vtrinque *b*) aruspices de belli exitu

P. c. BASILII V. quæ *Campania Mauriacensis* IDACIO, qui pugnam illam in Campania, id est, Belgica secunda, factam fuisse testatur. Si adhuc ambigitis, verba hæc Iornandis attendite, de Thorismundo Gothorum rege: *relictis Hunnis redit ad Gallias* cet. atque etiam illa Diaconi & Sigeberti, qui aiunt Attilam ad Pannonias repedasse, & vt loquitur SIGEBERTVS repatriasse. PROSPER, in Chron. *Attila Gallias ingressus, quasi iure debitam poscit vxorem, vbi graui clade inflicta, & accepta, ad propria recedit.* PARAD misere fallitur, qui Lugdunum ab Attila & Hunnis euersum, & a Maioriano A. restitutum scribit. Neque minus BARON. Anno 451. T. 6. qui Regium S. Prosperi, patriam conflagrasse hac Attilæ clade, ex Prosperi versibus colligit. Dinamius patricius in hist. S. Maximi Regiensis, vbi de Regio: *vt sicut hactenus nullos hostium incursus, longo temporum interuallo pertulit* cet. Verum ne id meritis *S. Maximi* tribuatur, qui non longe tamen ante *Vrbicum Regiensem*, ad quem *Dinamius* scribit, scias, *Regium*, ante ATTILAM incensum fuisse, atque etiam *Vasatensem* vrbem, quæ longa obsidione vallata est a *Chunis*, non tamen ab ATTILA, vt BARONIVS scribit; sed a *Ganserico* rege. GREG. Turon. L. 1. de mirac. c. 13. & ex eo, SIGEBERT. An. 453. suppresso regis nomine, de qua Hunnica clade SALVIAN. l. 4. Da veniam loquacitati, *Lector candide!* Errat hic *Chronicon Alexandrinum*, Olymp. CCCVII. p. 737. dum bellum *Hunnorum* in Gallia describendo, pugnam *Catalaunicam*, ad Danubium contigisse adserit. Ita vero illud: *E vestigio ergo, impressione in illum facta, vt ad Danubium castra posuerat, multa millia de exercitu eius ceciderunt, atque ad fidem faciendam Allaricus ipse, sagitta ictus, accepta plaga, occubuit.*

*c*) De numero cæsorum in campis *Catalaunicis*, non conueniunt scriptores. IORNANDES, de Reb. Get. Cap. XLI. CLXII. millia cæsa adnotauit, *exceptis XC. millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congressionem publicam, noctu sibi occurrentes, mutuis concidere vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus.* FRECVLPHVS, l. c. *CLXV.* millia cæsorum ex vtraque parte refert exceptis XV. *millibus Francorum & Gepidarum, qui mutuis vulneribus conciderunt.* DIACONVS L. V. SIGEBERTVS, ad an. 453. & cum eo THVRÓTZIVS vniuersim CLXXX. vtrinque interfectorum millia numerat; CHRONICON ALEXAND. Olymp. CCCVII. p. 736. numero indefinito, χιλιάδας πολλὰς millia multa exprimit.

*d*) IORNANDES l. c. *ab vtrisque partibus CLXII. millia cæsa referuntur.* PROSPER Aquitan. Collect. Canisi p. 161. *Pugna facta in Galliis inter Aetium & Attilam, regem Hunnorum cum vtriusque populi cæde.* FRECVLPHVS l. c. *CLXV. millia ab vtrisque partibus cæsa referuntur.* HERM. Contract. ad an. 500. *grandi vndique cæde pugnantes.*

*e*) Inter densissima cæsorum cadauera, *Theodoricum* occubuisse, IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLI. testis est, quem inter cæsorum millia pariter referunt, FRECVLPHVS l. c. SIGEBERTVS l. c. Occubuit vero, sagitta ictus, CHRON. Alexandr. l. c. dum *hac illacque ad exhortationem suorum discurrisset.* OTTO FRISING. Lib. IV. cap. 26. f. 94.

*a*) Non vtrinque, de belli exitu, per aruspices consultatum fuit: *Romani* enim eotum, quin *Vesegothi* etiam, atque *Franci*, superstitionem ethnicam eiurauerant. De solo refert Attila. IORNANDES in Reb. Get. cap. XXXVII. *Igitur Attila, statuit per haruspices futura inquirere.* Primum tamen ex eremita infaustum belli exitum, cognitum fuisse THÚRÓTZIVS, Chron. P. 1. cap. 15. auctor est.

*b*) Varia fuisse apud ethnicos diuinationum genera, CASPAR PEVCERVS, *Comment. de Præcipuis generibus diuinat.* Cap. 1. seq. ostendit. Earum insigniora fuere, augurum & aruspicum portenta. Aruspices, seu Haruspices, a victimis in ara inspectis, vel ab harugа, seu hostia dicti, ex victima, ante mactationem, & post eam, ex extis, flamma,

exitu consulti dixissent, finem belli huius futurum, magno exercituum viro, gladiis interemto; *c*) vterque exercitus de suo principe timuit. Romanorum autem exercitus Etium interimi suspicabatur, Gothi autem Theodericum, *d*) Hunni vero Attilam autumabant. Denique, cum dies bello præfixus esset, Hunni *e*) per duces pugnare decreuerunt, *f*) Attila, in castris manente, ne quid sibi fatale, ex auspicum sententia, contingeret. Qui licet in castris, tamen suorum parens consiliis atque sententiis, mansit: *g*) Etius

ma, fumo, aliisque rebus, occasione sacrificii, forte accidentibus, futura prædicebant, ac deinde, ea portenta explicabant. PLAVT. Amph. 5. 2. 2. Exta fuere duplicis ordinis, tristioris, CVRT. Lib. VII. Cap. 7. n. 8. & lætioris, IDEM l. c. n. 29 ostentum tetrum, & pestiferum colligebatur: si cor, sine quo animal nequit viuere, in parte extorum, minime reperiebatur. PLVT. Cæsar. p. 737. Cor autem, non semper in parte extorum habitum fuisse, ex APPIANI, B. C. XI. p. 501. & CAPITOL. cap. XI. constat. Qua de re, suborta est apud PLINIVM XI. 37. quæstio, *Potueritne, sine vllo viscere, hostia viuere, an ad tempus amiserit.* Sed & ex diuersa iecoris constitutione triste vel lætum omen eliciebatur. Commonstrat id VALER. MAXIMVS Lib. 1. 6. Marcelli fatum narrans: *Cum summo*, inquit, *studio, niteretur, vt Pœnorum exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret. Solemnique sacrificio voluntates Deorum exploraret: quæ prima hostia ante foculum decidit, ejus iecur sine capite inuentum est, proxima caput iecinoris duplex habuit: quibus inspectis Haruspex, triste vultu non placere sibi exta, quia prima tam tristia, secunda nimis læta apparuissent, ostendit.* Hæc tamen, quantopere Cæsar riserit, & Domitianus condemnauerit, SVETONIVS in Cæsaribus p. 132. 1047. edit. Pitisci 1714. refert. Ceterum, aruspices futura non semper per ænigmata, verum adperte etiam prænidisse PLVTARCHVS notauit. Hoc genere diuinationis ex extis, Attilam vsum fuisse, IORNANDES de Reb. Get. cap. XXXVII. & ex eo, OTTO FRISINGENS. Lib. IV. cap. 26. atque SIGONIVS Lib. XIII. ad an. 451. tradunt, quam, non a Scythis, verum, a *Romanis*, ad *Hunnos* transiisse, vel inde coniicere licet: quod hæc, ex victimarum extis diuinandi ratio, ab *Hetruscis*, ad Romanos translata fuerit. CICER. Philip. III. 8.

*c*) Non vterque exercitus de suo principe timuit. Haruspices enim, teste IORNANDE, *Hunnis infausta denuntiant: tamen, quantulum prædixere solatii, quod summus hostium ductor, de parte aduersa occumbet.* Quod autem huius tetri portenti indicium? Haruspices *more solito, nunc pecorum fibras, nunc quasdam venas, in abrasis ossibus intuentes*, exta vtrique exercitui tristia portendere, obseruarunt, IORNANDES, OTTO Frising. SIGONIVS l. c.

*d*) Hunni, cognito e numero hostium, ducem exercitus periturum, non Attilam, verum Aetium, cuius virtutem ac prudentiam maxime formidabant, casurum credebant. IORNAND. OTTO Frising. SIGONIVS l. c.

*e*) Attila, non per duces, vti IVVENCVS tradit, prælium in campis Catalaunicis commisit, verum, ipse etiam, inter viros fortissimos, in media acie stetit. Hoc autem instructa fuit vtraque acies, ordine: In exercitu Romano, dextrum cornu Theodoricus, sinistrum Aetius, mediam aciem Sangibanus obtinuit: vt, qui suspectæ fidei, turba esset fidelium sepiendus. Apud Hunnos contra, hic ordo in vsu fuit: *vt in medio, Attila, cum suis fortissimis locaretur. Cornua vero, multiplices populi, & diuersæ nationes, quas ditioni suæ subdiderat, ambiebant.* IORNANDES de Reb. Get. cap. XXXVIII. OTTO FRISING. l. c. SIGONIVS l. c.

*f*) Primo impetu Attila, non in castris, sed in acie, suos ad pugnam excitabat. *Primus ille*, inquit, apud IORNANDEM cap. XXXIX. *in hostes tela coniiciam. Si quis potuerit Attila pugnante, otium ferre, sepultus est.* Inclinante demum acie, in castra reuersus, suos ad prælium, si quod ex castris aduersus hostes faciendum esset, noua oratione cohortabatur. Vid. not. l. m.

g) Etius vero, Romanorum sortitus morem, quidquid auspicii futurum esset, per se pugnare, non per duces, decreuit. Hoc idem, & Theoderico a Gothis factum est. Commisso itaque bello, dum hic inde h) acerrime pugnaretur, Hunnorum gens, quasi i) duobus exercitibus impar, & Romanorum & Gothorum, cum k) ducem sui Attilam non haberent, quasi victa, longo cum esset fessa certamine, l) terga dabat. Quod, vbi Attilæ nunciatum est, continuo m) ex castris proripuit, nunc sudibus, nunc n) cassulis, nunc equorum sellis, omnique materia, aggerem, seu

---

g) FREDEGAR in gest. Franc. cap. 1. f. 93. coll. Freher. *Cum iniisset certamen cum Hunnis*, (Aetius) *quæ gesserit*, IDACIVS *suæ historiæ huius volumina narrat. Nam his diebus oratione vxoris suæ, ad limina beatissimorum Apostolorum Petri & Paulli, ieiuniis & vigiliis discurrentis, intercedentibus Apostolis, Aetius a periculis liberatur. Reuelatum est cuidam pauperi nuntianti vxoris Aetii orationibus fuisse saluatum. Quod cum a pauperibus proditum fuit, pauper cæcitate percutitur.*

h) *Bellum atrox multiplex, immane, pertinax, cui simile, nulla vsquam narrat antiquitas.* IORNANDES de Reb. Get. cap. XL. & DIACONVS Lib. V. adpellant. Tale fuisse, pertinax Attilæ Hunnorumque animus, & expedita Romanorum fœderatorumque pugnandi ratio, indicant. ATTILA certe, vbi perturbatum, infausto rei auspicio, exercitum, oratione confirmauerat: signo pugnæ, circa nonam diei horam dato, *vsque ad noctem, tanto ardore, tantaque pertinacia depugnauit; vt maiore dimicari non potuerit.* SIGONIVS Lib. XIII. ad an. 451. Præter labentem in campo Martio riuulum, manante e vulneribus sanguine auctum, & in cruorem conuersum torrentem fluxisse, IORNANDES adserit. Tanta enim multitudo cæsa est: vt amplius, centum & nonaginta hominum millia, vtrinque perierint. Vid. not. c. ad cap. VIII.

i) Diuisis Hunnorum copiis, impar videbarur esse Attila. Tertia namque exercitus pars, ad diripiendos Hispaniæ fines emissa, a prælio abfuit, auditaque clade suorum, metu Attilæ percita, nunquam ad castra Hunnorum reuertit. THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XV. OLAHVS in Attila cap. V. VIII.

k) Ductu Attilæ, & aciem instructam, & prælium factum fuisse, IORNANDES cap. XXXVIII. tradit, atque cap. XXXIX. orationem Attilæ ad milites refert. conf. not. e)

l) Repugnat id, generosæ regis magnanimi indoli, quem IORNANDES cap. XL. cum leone venabulis presso, comparat. Inique itaque, MARIANVS Scotus Lib. II. æt. VI. ad an. 452. & HERMANVS Contractus ad an. 450. Attilam in acie victum, in superiorem Galliam fugisse, & OTTO Frising. Lib. IV. cap. 26. in fugam versum, victum se prodidisse tradunt. Gothorum namque impetu pressus, vbi iam nox impendens, dirimebat prælium, exercitum singulari prouidentia, in castra retulit. IORNANDES l. c. FRECVLPHVS Chron. T. II. Lib. V. cap. 14. SIGONIVS Lib. XIII. ad an. 451.

m) Hunnorum acie inclinante, ATTILA non ex castris se prorupit, verum, ex acie in castra, semet cum exercitu, retulit. Vid. not. l) atque hic die sequenti, veluti IORNANDES scribit, *strepens armis, tubis canebat, incussionemque minabatur, velut leo venabulis pressus, speluncæ aditus obambulans, nec audet insurgere, nec desinit fremitibus vicina terrere. Sic bellicosissimus rex, victores suos turbabat inclusus.* Habebat autem castra, plaustris obuallata, quæ quamuis fragile munimentum, tamen opportunum fuit vitæ subsidium. IORNANDES. DIACONVS. FRECVLPHVS. SIGONIVS l. c.

n) IORNANDES de Reb. Get. cap. XL. & SIGONIVS de occid. imp. Lib. XIII. *sellas equorum.* DIACONVS Lib. V. sellas equitatorias, CALLIMACHVS in Attila *strata equorum.* ANT. BONFIN. Dec. I. Lib. 4. *clitellas iumentorum.* NIC. OLAHVS in Attila cap. VIII. *equorum ephippia & alia impedimenta adpellant.* Cassum SOLINO Polyh. cap. 65. fragmentum signi-

ſeu *o*) pyram conſtrui e veſtigio iuſſit, & fecit, propriis manibus ipſe opus iuuans. Tunc *p*) aurea veſte amictus, ſtructum aggerem conſcendit, conſpectusque ab omnibus, & ſuis terga cedentibus, educto e vagina gladio *q*), voce magna clamans ait: Quid de vobis video, commilitones mei, quibus hic vincentibus Romanorum orbem polliceor. Mecum pugnare noluiſtis, ſed *r*) nouis ducibus. Ecce adſum! Me duce pugnate, nihil eſt, quod me duce pugnantes vos terreat. Dii vos, & me pauent, victores eſtis. Retroferte vultus hoſtibus; mihi vero terga oſtendite. Quisquis vultus hoſtibus viſendos præbere ſciet, is hoſtium victor profecto eſt. Tum Hunni, verecundia ducti, animatique ducis ſui viſu, *s*) ad bella reuerſi ſunt.

CAPVT

---

ſignificat. *Lychnis gemma aut palearum caſſa, aut chartarum filla, ad ſe rapit.* Hinc itaque CALANVS vocem *caſſulis* diminutiuam traxit, quam PITISCVS in Lexico, Ant. Rom. voce *Caſſulæ*, de ſtragulis aliisque impedimentis explicat.

*o*) IORNANDES de Reb. Get. cap. XL. *Fertur autem deſperatis in rebus, prædictum regem, adhuc & in ſupremo magnanimem, equinis ſellis conſtruxiſſe pyram, ſeſeque, ſi aduerſarii irrumperent, flammis iniicere voluiſſe: ne, aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in poteſtatem hoſtium, tantorum hoſtium, gentium dominus, perueniret.* In more id apud ſapientes Indorum poſitum fuiſſe, vti ignibus ingeſti, vitam in rogo finiant, POMPONIVS Mela de ſitu orbis tradit; quod Attilam, non tam ſapientum exemplo permotum, quam, *ne aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in poteſtatem hoſtium, tantarum gentium dominus perueniret*, feciſſe cenſendum eſt. IORNANDES, DIACONVS, SIGONIVS, CALLIMACHVS & OLAHVS in Attila.

*p*) IVVENCO repugnat PRISCVS Rhetor in Excerp. Legat. p. 127. *Frugalis*, inquiens *admodum illius* (Attilæ) *veſtis, nihil, quo ab aliorum veſtibus dignoſci poſſit, habebat, niſi quod erat pura, & impermixta.* Veſte ſplendida vſum fuiſſe CALLIMACHVS eſt auctor: putabat enim, id *ad maieſtatem pertinere.* Scilicet indumenta eius fuerant, lintea munda, vel pelles murium ſilueſtrium conſarcinatæ, quibus Hunni. teſte AMMIANO MARCELLINO Lib. XXXI. operiebantur. Ea CALLIMACHVS, pelles Scytharum hirſutas, & VALESIVS ad Marcell. l. c. ex HELMOLD. Chron. Sclau. Lib. II. pelliculas odoratas explicat. Ceterum, aurea veſte vſum fuiſſe, inde colligit CALANVS: quod CHRONICON Hung. P. I. cap. XIII. omnem adparatum regium ex auro conſtitiſſe autumet, cuius PRISCVS Rhetor Excerpt. de Legatione, & IORNANDES de Reb. Get. cap. XLIX. mentionem faciunt.

*q*) Noua, poſt cladem oratione, Attila, animos militum eorum confirmauit: quando Thuriſmundus, vlturus necem parentis, impetum in caſtra Hunnorum, renouato prælio, facere voluit. OLAHVS in Attila cap. VIII. Ceterum *ſermonem horridum & minacem, ac propter barbaram pronunciationem, auribus grauem*, CALLIMACHVS in Attila obſeruat.

*r*) PRISCVS Rhetor. Excerpt. Legat. p. 123. Attila *dicebat exercituum duces ſuos eſſe ſeruos; qui quidem Attilæ, non tamen imperatoribus Romanis, erant honore & dignitate pares.*

*s*) Hunni, Attilæ oratione confirmati, non in caſtris, verum in acie, alacriter in hoſtem inuehuntur: neque enim, redeuntibus in caſtra Hunnis, concurſum eſt amplius, neque Attila in caſtris ab hoſtibus oppugnatus. IORNANDES de Reb. Get. cap. XLI. DIACONVS Lib. V. SIGONIVS Lib. XIII. ad an. 451.



*a*) De

## CAPVT X.

TAntum autem res bellica processerat, vt victi, victorum partibus fungi, *a*) nulloque casu corrumpi viderentur: quamquam Hunnos remeantes, satis redintegrare bellum potuisse, quidam non *b*) leues historici adtestantur. Fuerat autem animus Attilæ, cum aggerem conscendit, hoc, quod suis districtius iusserat, vt si quid inemendabile suis contigisset, ignem aggeri immitterent, quo ille, cum omni adparatu regio, quem, secum detulerat, *c*) cremaretur, ne vnquam tantus vir in hostium potestatem perueniret. Etius ergo Patritius, cum auxilio Gothis venisset, Attilam in summo aggeris conspiciens, animum eiusdem Attilæ, *d*) vt reor, ratus tenuit, ne male Romanorum Rei-

*a*) De victoria Catalaunica, in duas abeunt Historiographi sententias. Sunt, qui eam, Romanis Gothisque adscribunt. Ita PROSPER AQVITANICVS p. 161. in collect. Canisii. *Attila fugatur in Gallias superiores.* TIRO PROSPER collect. Canisii p. 173. *Attila graui clade inflicta, & accepta, ad propria recedit.* Cum iis Annales Francorum, & præterea, MARIANVS SCOTVS Lib. II. æt. 6. ad an. 452. SIGEBERT GEMBLAC ad an. 453. aliique plures idem sentiunt. Superatum non tamen fugatum fuisse Attilam, DIACONVS Lib. V. refert: *In quo prælio, quamuis neuter cessisset exercitus: constat tamen Attilam fuisse superatum.* THVRÓTZIVS contra, Chron. P. I. Cap. XV. Attilam superiorem ex prælio rediisse, reliqui autem scriptores Aetianos, cognita Theodorici morte, primos se fugæ commisisse adfirmant. Quidquid in hac sententiarum diuersitate adfirmetur: vtrinque profecto, veluti OLAHVS in Attila Cap. VIII. obseruauit, *æquo Marte pugnatum est*, imo pugna hæc, *extremo vtriusque populi periculo, cæde ac internecione contigit.* Eapropter IORNANDES de Reb. Get. Cap. XL. & qui eum imitatur SIGONIVS Lib. XIII. ad an. 451. p. 320. *Postera*, inquit, *die luce orta, quum cadaueribus plenos campos conspicerent, nec audere Hunnos erumpere, suam arbitrantur* (Aetiani) *esse victoriam.* Attila certe, vbi nox diremerat prælium, in castra redux, non vt victus, turpem fugam meditabatur, verum, vt victor, bellum, resumtis viribus, prosequuturus, classicum canebat. IORNANDES l. c. DIACONVS l. c. Nequaquam igitur Attila, veluti PROSPER AQVITANICVS tradit, *in Gallias superiores fugatur, neque Hunnorum phalanges* ita fuere protritæ, *vt quibus profugi, habitent in terris, huc vsque sit incognitum*; id quod AIMONIVS de gestis Franc. L. 1. c. 6. reliquit.

*b*) Colligitur id ex IORNANDE & DIACONO l. c. qui tradunt: Attilam in castra e prælio reducem, *strepentem armis, tubis cecinisse, incussionemque minatum fuisse, veluti leo venabulis pressus.* Idem SIGONIVS ex IORNANDE repetit. FRECVLPHVS autem Chron. T. II. L. V. c. 14. eo fini, Hunnos in castra rediisse adserit, vti *noctis præsidio vires resumerent.* Recte igitur SIGEBERTVS Attilam in castris, *spem resumsisse*, memoriæ prodidit: nam & hostem, intra septa castrorum conclusus, crebris ictibus reiecit, & metum Aetianis inusitata magnanimitate incussit. IORNANDES. SIGONIVS.

*c*) Caussam, cur Attila, in extremo rerum Hunnicarum discrimine, igni comburi voluerit, ad *Caput IX.* not. o) exposuimus. Elucet hinc excelsus eius animus, *qui, ne aliquis eius vulnere lætaretur, aut in potestatem hostium perueniret*, flammis exuri peroptauit. IORNANDES, DIACONVS, THVROTZIVS, CALLIMACHVS, OLAHVS, SIGONIVS.

*d*) Locus CALANI iniuria temporis mutilatus, & corruptus, hoc modo restitui, emendarique potest: *Etius ergo Patritius, cum auxilio Gothis venisset*, ATTILAM *in summo aggeris conspiciens, Hunnorumque gentem pene victam esse comperiens, animum eiusdem* ATTILÆ, *vt reor, admiratus, timuit; ne male reip. fieret, si* ATTILA *sic victus, occumberet.*

e) Con-

Reipubliaæ fieret, ſi Attila ſic victus occumberet. Signum itaque receptui dedit, atque inde *e*) a bello ceſſatum. Tunc compertum eſt primum apud Gothorum exercitum, *f*) Theodoricum in bello extinctum. Cumque de regno eſſet inter Walamir & Theodomir, *g*) Theodorici filios non minima contentio, ſuadente Etio Patricio, a bello diſceſſum eſt. *h*) Timuit enim Etius, ne victo Attila, Gothi, qui ſibi ſuperiores erant, *i*) inſæuirent, & ſolito more Romanis Principibus rebelles, exiſterent. *k*) Huius ergo in dies pace & fœdere habitis, inter Eium Patricium, Gothos, Bledam & Attilam, in Pannonias Attila cum *l*) Bleda *m*) reuertitur.

CAPVT

*e*) Concluſum in caſtris commeatuque priuatum ATTILAM, obſidione fatigare decreuit Aetius: magnanimitate tamen regis percitus, & *crebris* Hunnorum *ictibus* reiectus, ab incœpto deſtitit. IORNAND. de Reb. Get. Cap. XL.

*f*) Inter turmas militum diſcurrentem Theodoricum, equo delapſum, pedibusque ſuorum conculcatum, vitam, matura ſenectute concluſiſſe, memoriæ prodidit IORNANDES l. c. Nihil de mortis genere ISIDORVS Chron. Got. Aera CCCCLXVII. reliquit: ſuperatum tamen in campis Catalaunicis occubuiſſe tradidit; id, quod DIACONVS, FRECVLPHVS, SIGEBERTVS, aliique rerum Gothicarum & Francicarum ſcriptores adfirmant. Iaculo ictum, in prælio cecidiſſe CHRON. ALEXANDR. Olymp. CCCVII. incerta relatione tradidit. Vtramque ſententiam, OLAHVS in Attila Cap. VII. hunc in modum explicat: *Theodoricus rex, Thraſimundi pater, dum equo circumuectus, ſuos ad pugnam hortatur: deiectus per quempiam Hunnorum in terram, a pugnantibns conculcatur. Sunt, qui dicant, cuiusdam audacis Oſtrogothi telo confixum, exhalaſſe animum.*

*g*) Emendandus hic eſt Calanus: *Cumque de regno eſſet, inter Thorismund, & Theodoric, Theodorici filios, non minima contentio.* Wallamir namque & Theodomir, reges fuere hac tempeſtate Oſtrogothorum, conf. Cap. VII. not. *i*) *k*) Thorismund vero & Theudoric, filii Theodorici regis Veſtrogothorum ISIDORVS Chron. Goth. Aera CCCCXC. Tametſi vero Thorismundus, ſepulto patre, rex, in campis Catalaunicis proclamatus fuerat: principio tamen imperii, non minus fratrum, quam optimatûm diſſenſiones experiri, neceſſum habuit. IORNAND. de Reb. Get. Cap. XLI.

*h*) Quod Aetius, concluſum caſtris Attilam adgredi noluerit, non tam Gothorum vires, quam Hunnorum, ſpe renouata erectum animum, & inſignem Attilæ in extremo periculo magnanimitatem timuiſſe, ex verbis IORNANDIS colligere licet: quippe qui, Aetium, Attilæ in defenſione caſtrorum magnanimitatem, admiratum fuiſſe ſcribit.

*i*) Emendetur, *in ſe ſæuirent.*

*k*) Locus eſt corruptus, quem ego hunc in modum emendandum putauerim: *Huius ergo prudentia, de pace & fœdere, inter Etium Patricium, Gothos, Bledam & Attilam habitis conſiliis, Attila cum Bleda, in Pannonias reuertitur.*

*l*) Bledam ante prælium Catalaunicum interiiſſe, neque bello Gallico interfuiſſe, ad CAPVT XI. certis indiciis notatur.

*m*) Quidnam Attila poſt prælium Catalaunicum ſuſceperit, diffident inter ſe, qui de rebus eius geſtis, nonnulla ſcripſere. Sunt, qui, e campo Catalaunico reiectum, in Galliam ſuperiorem confugiſſe autumant. Ita PROSPER AQVITANICVS, TIRO PROSPER, HERMANNVS CONTRACTVS, MARIANVS SCOTVS. Alii, eum, metu ingenti liberatum, vaſtata Gallia, in Pannoniam, vt comminutas ſtrage copias, ſupplemento & auxiliis inſtauraret, reuertiſſe exiſtimant. Hoc modo ſcribit CHRONICON HVNGARICVM THVRÓTZII, CALLIMACHVS & OLÀHVS. Et iſti quidem Attilam, peracto, poſt cladem Catalaunicam, in

in honorem *Martis* ſacrificio, in Tungros mouiſſe, indeque Trecas veniſſe, & Lupum Epiſcopum, vſque ad Rhenum ſecum duxiſſe, auctores ſunt. Trecis, Tholoſam, expeditionem ab eo ſuſceptam fuiſſe, CHRONICON HVNGARICVM adfirmat, quod tamen OLÁHVS in dubium vocat, atque Rhemos, iſthinc profectum fuiſſe, deletisque cum *S. Nicaſio*, ciuibus, ad Rhenum reuertiſſe, contendit: dum interea *Gyula*, dux Hunnorum, Coloniam Agrippinam diripit, atque diuam VRSVLAM, cum duodecim mille virginibus interficit, cuius cædem nonnulli, ad alterum bellum Gallicum reiiciunt. Calamitatem hanc Galliæ, ſcriptores rerum Francicarum, ante pugnam Catalaunicam enarrant, cum quibus SIGONIVS etiam, noſterque IVVENCVS ſentiunt. conf. ad Cap. V. not. k. ſeq. Alii Attilam regem, reparatis legionibus, Galliam repetiiſſe, commemorant. In hac ſententia eſt SIGEBERTVS GEMBLAC ad an. 453. *Attila reſumta ſpe, rex Ætii diſceſſu, repatriauit, mature rediturus ſuppleto exercitu.* Ceterum, admodum a vero iſtos aberrare oſtendit ANTON. BONFINIVS Dec. I. Lib. V. neque enim, vel honor, vel commodum, regem, ad eas oras reuocare potuit, quas, incenſas vaſtatasque reliquerat. Nihilominus tamen IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIII. Attilam e bello Italico redeuntem, in Galliam iterum Narbonenſem, contra Viſigothos caſtra mouiſſe, refert, qua de re in ſequentibus. Nobis in tanta hiſtoriographorum diſſenſione, SIGONII ex Iornandis Cap. XLII. ſententia placet: *Quod vbi Attila audiuit, dolum parari putans, ſeſe per aliquot dies intra caſtra continuit: at vero, poſtquam exploratam rem habuit, lætitia ſumma perfuſus, bene de ſe ſperare inſtituit, ac Romanum diſſolutum iam cernens exercitum, ſecurus e caſtris exceſſit, ac ducto ſecum, vſque ad Rhenum Lupo Tricaſſino Epiſcopo, atque cum honore remiſſo, Rhenum traiecit, atque per Germaniam in Scythiam retro incolumis abiit.* Ante vero, quam in Pannoniam redierat; Normannos quoque, cum Friſiis, Cimbris, Pruthenis, Lithuanis, ceterisque in ſeptentrione populis, ATTILAM per legatos deuiciſſe, atque indictis *Iſenacum* Thuringiæ comitiis, omnium gentium legatos, auditos fuiſſe, CHRONICON HVNGARICVM, cum OLÁHO, & BONFINIO tradit. Redux in Pannoniam, curam, partim adminiſtrandæ reipublicæ, partim obſeruandorum regni limitum, in ſe ſuſcepit, atque exploratores, in quatuor extremis imperii partibus, tamquam in ſpecula collocauit, *Coloniæ*, inquam, *Agrippinæ*, in Lithuania, apud Tanaim, & Jadræ in Dalmatia. THVRÓTZIVS Chron. P. I. c. 17. BONFINIVS Dec. I. Lib. V. Anne vero redux e Galliis quinquennium, in otio & quiete, veluti ANNALES Hungarorum adnotant, tranſegerit, dubitauerim. Id profecto, cum rebus præclare geſtis ab Attila, eiusque obitu, minus conuenit: anno namque CCCCLI. *Marciano*, & *Adelphio* Coſs. Galliam vaſtauit, anno ſequente *Aſporatio*, & *Herculano* Coſſ. Aquileiam obſedit. Quomodo igitur ante expeditionem Italicam, quinquennium in Pannonia quieſcere potuit?

## CAPVT XI.

*a*) MOdico vero temporis poſt hoc ſpacio interiecto, Attila *b*) ſolus

*a*) Cædem Bledæ minus recte, CALANVS noſter, poſt prælium Catalaunicum narrat. Eam, anno CCCCXLIV. accidiſſe, omnes propemodum Chronographi tradunt. PROSPER AQVIT. in Collect. Caniſii T. 1. p. 147. *Theodoſio XVIII. & Albvino Coſs. Attila rex Hunnorum, Bledam fratrem & conſortem ſuum peremit, eiusque populos ſibi parere iuſſit.* Eum ſequuntur TIRO PROSPER in collect. Caniſii p. 172. HERMANNVS Contractus ad an. cit. SIGONIVS Lib. XII. ad an. cit. Solus COMES MARCELLINVS Chron. in Biblioth. Patrum T. VIII. f. 1952. edit. Paris. 1689. eam, in annum ſequentem CCCCXLV. reiicit, cuius calculum, etiam MARIANVS SCOTVS Lib. II. æt. 6. ad an. cit. retinuit; BEDA vero, in Hiſt. Eccleſ. Angl. Lib. I. c. 13. ad an. XXII. imperii Theodoſiani, qui eſt CCCCXXX. errore forte ſcribarum retulit. Reliqui, vti SIGEBERTVS, VRSPERGENSIS & ALBERTVS STADENSIS internecionem Bledæ, ad an. CCCCXLIX. adnotant. Omnes itaque communi conſenſu, necem Bledæ, ante cladem Catalaunicam contigiſſe adfirmant, quibus CALLIMACHVS etiam in Attila, & ANTON. BONFINIVS Dec. I. Lib. III. adſentiuntur. Soli Annales Hungarorum apud THVRÓTZIVM Chron. P. I. cap. 17. poſt cladem Catalaunicam interfectum tradunt, quos OLAHVS in Attila Cap. XII. & CALANVS noſter ſequuti ſunt.

*b*) Di-

*b*) ſolus cupiens imperare, *c*) Bledam fratrem dolo interemit: vt quidam tradidere, veneno; alii percuſſoribus immiſſis, qui eum continuo interimerent. Sed, licet de ſpecie mortis in hiſtoriographis diſſenſio ſit, de nece, inſidiis facta, nulla diſcrepantia eſt. Regnum igitur Hunnorum, interemto fratre, Attila *d*) ſolus obtinuit.

CAPUT

*b*) *Diuerſas alii fraternæ mortis cauſſas referunt, aut, quod mitioris ingenii vir, formidoloſas expeditiones inhiberet, aut, quia cum eo ſæpe contenderet, & liberius argueret, quod Gepidarum & Oſtrogothorum reges, in ſocietatem adſcitos, pro ſubditis ille tractaret, aut, quia ſe cum Scythis immitius ageret.* ANTON. BONFIN. Dec. I. Lib. III. Annales Hungarorum propterea, manu fraterna interfectum perhibent: quod imperium Hungaricum ſolus, excluſo fratre, occupare voluerit. Cuius rei indicium fuiſſe, THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. 17. & OLAHVS in Attila Cap. XII. adferunt: quod arcem, quam Attila prope Sicambriam ædificari, &, e ſuo nomine Attilam vocari iuſſerat, ſpreta voluntate fratris, Budam adpellauerit. Ceterum, quæcunque demum internecionis fraternæ cauſſa, ſin ea euinci poteſt, adferatur: incerta eſt. Procliue tamen eſt ex IORNANDE, & aliis colligere, Attilam regni cupiditate flagrantem, Bledam, vti ſubiugatis eius populis, ſolus imperaret, ex inſidiis interfeciſſe.

*c*) Quonam mortis genere Bleda interierit, & anne ab Attila interfectus fuerit, nec ne, PRISCUS Rhetor haud prodidit, IORNANDES tamen de Reb. Get. Cap. XXXV. Bledam, Attilæ fratris fraudibus peremtum ſcribit, quem TIRO PROSPER in collect. Caniſi p. 172. VRSPERGENSIS ad an. 449. ALBERT Stadenſis ad an. 449. ſequuntur. Ex inſidiis occiſum COMES MARCELLINVS l. c. tradit. Cui BEDA & OLAHVS adſentiuntur. Sunt, qui veneno vel a percuſſoribus interemtum, apud CALLIMACHVM autumant. PROSPER nihilominus AQVITANICVS, cum HERMANNO Contracto, MARIANO SCOTO & SIGEBERTO, ab Attila quidem peremtum refert, at mortis genus non indicat. Prudenter proinde CALLIMACHVS in Attila, inter tot varias hiſtoriographorum ſententias, Bledam omnino ante expeditionem Thracicam interiiſſe, adfirmat, & quia mors acciderat ſubita, vulgo dictum fuiſſe, *a fratre veneno necatum, vt aut ſocium regni, aut æmulum ſubmoueret.*

*d*) Hæc ex IORNANDE de Reb Get. Cap. XXXV. *Bleda fratre fraudibus peremto, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, vniuerſum ſibi populum ſubiugauit* Huic ſuffragantur PROSPER Aquitanicus in collect. Caniſii T. 1. p. 147. TIRO PROSPER, ibid. p. 172. HERMANNVS CONTRACT. ad an. 444. MARIANVS SCOTVS Lib. 11. æt. 6. an. 445. SIGEBETVS Gemblacens. ad an. 449. SIGONIVS, Lib. XII. ad an. 444.

## CAPVT XII.

POtitus igitur ſolus Hunnorum regno, reliquarûmque finitimarum gentium, *a*) quas antea cum fratre domuerat, *b*) Dacorum, *c*) Pan-

*a*) Attila, cum fratre Bleda, ampliſſimos, Scythiæ, Daciæ, & Pannoniæ, populos ſubegit, atque imperium orientale perdomuit. CHRONIC. ALEXAND. Olymp. CCCV. Ind. X. SIGEBERTVS Gemblac. ad an. 447. Vt igitur eſſet, qui ſuo nomine, tam vaſto imperio præeſſet: *Budam fratrem toti illi regioni, quæ a Tibiſco, vsque ad Tanaim amnem, ad ſeptentrionem protenditur, præfecit.* OLÀHVS in Attila Cap. III.

*b*) Daci, Iſtro, Tibiſco, & Boriſthene fluminibus concluſi, genuina Getarum ſoboles, IVSTIN. Lib. XXXII. Cap. III. & idem cum Getis populus, PLIN. Lib. IV. cap. 12. a Gothis, genere Germanico prognatis, cum quibus eos IORNANDES in Reb. Get.

*c*) Pannoniorum, *d*) Nigorum, *e*) Curalorum, *f*) Arorum, *g*) Turcilingorum, *h*) Germanorumque, ac pene totius *i*) orien-

Get. Cap. V. sequ. confundit, probe discernendus, imperante rege Roua, sub Hunnorum venerunt potestatem. Iam enim, eotum, Hunni, vt tradit PRISCVS Excerpt. Legat. sedes in Dacia Ripensi, & regione Jazygum Metanastarum posuerant.

*c*) Quando Pannonii, inter Danubium, Sauum, & montem Cetium, Hunnorum subiecti fuerint imperio, ambigitur. Nisi geminam Pannoniæ occupationem statueris: latentibus, in rebus Hunnorum, dubiis, nullo modo explicaberis. Hunni profecto, Gothis permixti, Pannoniam parte quadam, circiter annum CCCCXV. vel CCCC. Arcadio & Honorio imperantibus, potestati suæ subiecerant. Eam enim, imperante Gratiano, cum Gothi, Hunni & Alani, Daciam Thraciamque iam possederant, in ditione Romanorum fuisse, ex DIACONI Historia Miscella Lib. XII. in Gratiano elucet. Sententiæ nostræ suffragatur etiam FRANC. FORIS OTROKOTSIVS Orig. Hung. P. I. cap. 3. §. 8. seq. geminam tamen Pannoniæ occupationem inficiatur. Vnius peræque occupationis Annales Hungarorum meminere, quam illi ad an. CCCCI. SIGONIVS autem ad an. CCCCXI. refert. Quocunque demum anno, Pannonia, parte quadam, ab Hunnis fuerat occupata: profecto, circiter annum CCCCXXVIII. rursus est deperdita. Hac etenim tempestate, Hunni, accepta a Burgundionibus clade, amissoque, in prælio rege Octare, facile, armis Romanorum Gothorumque, vt SIGEBERTVS ad an. 428. tradit, de Pannonia depelli potuerunt. Eapropter sub initium regiminis Attilæ, quod, mortuo demum Roua & Octare, subsequebatur, Hunnorum domicilium, non in Pannonia, verum in Dacia, & Iazygum Metanastarum regione, a PRISCO RHETORE in Excerpt. Legat. describitur. Recuperatam ab Hunnis Pannoniam, tum demum existimâuerim: cum vastato oriente, Thraciam Moesiamque inuaserant. conf. ad Cap. v. n. f)

*d*) Pro Niconiorum, *Nigorum* seu *Nicorum*, contracte scribit CALANVS. *Niconia* seu Niconium, vrbs est, Ponti ad Istri ostia. STEPHANVS in Diction. Hist. Geograph. *Niconiam* hoc tractu, STRABO quoque Lib. VII. ad Tyram locat fluuium. *Niconium* vero PTOLEMÆVS in Moesia inferiori. Niconiam itaque, ad Istrum, ambientes Scythiæ populi, Niconii dicebantur, quos CALANVS noster, contracte, Nicorum, in casu genitiuo exprimit.

*e*) Curalli vel Coralli, gentes barbaræ, ad Istrum & Pontum, in Sarmatia Europea. Horum meminere OVIDIVS Pont. Lib. IV. Ep. II. v. 37. FLACCVS Argonaut. Lib. VII. v. 89. STRABO item & APPIANVS. conf. ABRAHAM ORTELIVS in Thesauro Geographico, voce Coralli.

*f*) Pro Arorum, Aroterum legendum censuerim. Hoc nomine, *Aroteres* procul dubio Scythas, CALANVS intelligit, qui circa Dionysopolim, Thraciæ vrbem, ad Euxinum agebant, de quibus HERODOTVS & PLINIVS. Erant & *Aorsi* Scythiæ quoque, circa Tanaim, incolæ. PTOLEMÆVS Geogr. Lib. III. Tab. VIII. STRABO item & PLINIVS. *Aoti* item Thraciæ versus Istrum populi. PLINIVS.

*g*) Turcilingos, inter populos Germaniæ PAVLLVS VARNEFRIDVS de Gest. Longob. Lib. I. cap. 1. tefert. *Gothi siquidem Vandalique, Rugi, Heruli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces, & barbaræ nationes, e Germania prodierunt*, quos ORTELIVS propterea, quod in Scythia commorabantur, ex JORNANDE, & Hist. MISCELLA, Scythiæ gentes adpellat. Eos, Sciris & Herulis, sub rege Odoacro immixtos JORNAND. de Reb. Get. cap. XLVI. recenset. Thuringos vocant THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. 14. & ANTON. BONFINIVS Dec. I. Lib. IV. SIDONIVM nisi fallor & CASSIODORVM sequutus, qui Thuringorum, inter subiectas Atrilæ gentes, meminere. Tungros seu Turlingos, DIACONVS Lib. V. nominat.

*h*) Germanos, qui Attilæ subiecti parebant, SIDONIVS Paneg. Carm. VIII. p. 95. enumerat. Fuere vero præter Gothos & Gepidas, Quadi, Marcomanni, Rugi, Heruli, Turcilingi, seu Bructeri, Burgundiones, Thuringi, Saxones, & qui in Germania remanserant, Franci. conf. DIACONVS.

*i*) orientis fultus auxilio, *k*) potentissimus *l*) intrauit Italiam: & vt narrat *m*) Priscus historicus, vt eam sibi cum Romano imperio *n*) subiugaret. Erat autem Attila rex, vt narrat *o*) Iordanis, &

---

*i*) Eadem tempestate, Hunni imperium orientale, in Asia inuaserant: quum ii, in Europa, Daciam, Thraciam & Moesiam adfligebant. Obseruat id S. HIERONYMVS T. I. Epist. in Epitaphio Fabiolæ. *Ecce, inquiens, subito discurrentibus nuntiis, oriens totus intremuit, ab vltima Mæotide, erupisse Hunnorum examina.* Horum progressus in oriente, describit PHILOSTORGIVS Lib. II. §. 8. *Hunni autem orientales, traiecto amne Tanai, in orientis prouincias effusi, per maiorem Armeniam, in regionem, quæ Melitene dicitur, irruerunt. Exinde Euphratensem adgressi, ad Coelesyriam vsque penetrarunt, & percussa Cilicia, incredibilem hominum cædem perpetrarunt.*

*k*) Attilam, interfecto fratre, non minus potentem, quam insolentem factum fuisse, ex JORNANDE de Reb. Get Cap. XXXV. constat. *Is enim vniuersum sibi populum subiugauit, aliarumque gentium, quas tunc in ditione tenebat, numerositate collecta, primas mundi gentes, Romanos Vesegothasque subdere peroptabat, cuius exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur.* Insolentiam eius, BEDA Hist. Eccles. Lib. I. Cap. 13. describit. *Quamuis Bleda Attilæ fratris sui sit interemtus insidiis, Attila tamen ipse adeo intolerabilis reipub. remansit hostis: vt totam pene Europam, excisis inuasisq; ciuitatibus, atque castellis corroderet.*

*l*) Hunnos, Italiam, duce Attila, repetitis vicibus, ante & post cladem Catalaunicam intrauisse, FRANCISCVS FORIS OTROKOCSI Orig. Hung. P. I. Cap. IV. §. 18. ostendit. Bellum nihilominus, quod, Attila, adparatu magno, aduersus Italos susceperat, in annum CCCCLI. incidisse, ex COMITE MARCELLINO elucet. Ita enim ille: *Aquileia ab Attila deletur Ind. V. Spunatio & Herculino Coss.* vel, vt alii legunt, Asporatio & Herculano Coss. qui, anno CCCCLII, vrbi Romanæ præfuerant. Ceterum, PRISCVS Rhetor in *Excerpt. Legat.* p. 64. expeditionem hanc, paucissimis verbis exposuit: *Attila, vastata Italia, ad sua se retulit.*

*m*) Priscus Rhetor & Sophista C. Pol., imperante Theodosio iuniore vixit, admissusque in partem curarum imperii, cum legatis imperatoris, apud Attilam, in regione Jazygum Metanastarum fuit. Is, a HENRICO VALESIO in Notis ad Priscum p. 210., merito, *scriptor valde bonus & vtilis* dicitur, quem, BARTHIVS quoque Aduers. Lib. XI. c. 32. hoc nomine commendat. Quando enim Attilam regem, & vidit, & cum eo epulatus est, *Excerpt. Legat.* p. 125. seq. non potuit non omnium optime, cum ingenium & mores, tum vero corporis habitum eius describere. Prostant eius excerpta legationis ad Attilam. Reliqua, quæ, *de bello aduersus Attilam* conscripta fuere, non sine insigni reipub. litterariæ intertrimento, inter deperdita connumerantur. JOAN. ALBERT. FABRICIVS Biblioth. Græcæ Vol. VI. Lib. V. c. 5. n. 4.

*n*) Caussa susceptæ in Italiam expeditionis, eadem fuit, quæ in Gallia ad Cap. V. n. h) obseruatur. Scilicet: vt *Honoriam cum ingentibus diuitiis*, & parte imperii, *in vxorem acciperet.* PRISCVS Rhetor in Excerptis Legat. p. 62. 63.

*o*) Jordanis nomine, JORNANDEM Gothum, CALANVS intelligit. BARTHIVS Lib. LVI. c. 15. Fuit is, regibus Gothicis in Italia, a secretis primum, posthac, imperante Justiniano Seculo VI. episcopus Gothicus, Rauennæ. Scripsit *de Rebus Gothicis & de Regnorum successione*, quæ prostant in *Bibliotheca Patrum*, & in Collect. Script. Gothicorum VVLCANII, HVGONIS GROTII, & inter MVRATORII Scriptores rerum Italicarum. Ceterum, fabulas eum narrare, cumprimis de Hunnis, BEAT. RHENANVS Rer. Germ. Lib. I. & CLVVER. Introd. Geograph. Lib. III. c. 2. obseruant. Minime igitur credibilia esse, ea, quæ de Hunnis conscripsit, propterea, *quod a homine ea gente oriundo, qui minime poterat, Hunnorum rebus fauere, profecta sunt*, BARTHIVS Adu. Lib. LVI. c. 15. existimat, cui vt nostrum adiiciamus calculum, conceptum auctoris, in Hunnos Attilamque odium, certis indiciis suadent.

& præfatus Priſcus, hiſtorici, *p*) ſuperbus inceſſu, huc & illuc circumferens *q*) oculos, ita in omnibus ſuis arrogans, vt eius iactantiæ ſuperbia, ex *r*) corporis geſtibus quibuscunque, etiam incognitis facillime cognoſceretur. Bellorum ſiquidem amator erat, ſed conſilio & temperantia circumſpectus, ingenio ſagaciſſimus, propitius, & exorabilis his, quos ſemel in fidem recepiſſet. Sin autem fidem irritam aliquis ei feciſſet, numquam ei parcere volens: deteſtabatur enim vt immanes belluas, qui vel patriam,

---

*p*) Ambitionis & iracundiæ documentum eſt, ſuperbus inceſſus. BARTHIVS Lib. XLVIII. cap. 3. Hinc EMANVEL PALÆOLOGVS Cap. LXX. iracundorum celſitudinem hoc modo deſcribit: *Superbos & iracundos mores, quales cadunt in homines iniurioſos, equorumque more calcibus petentes, & inſolentes inceſſus, & aliorum contemtiones, & inflexas vbique ceruices, & quos delicatos vocant greſſus, ab egregiis & probis moribus alienos ducit.* Ceterum, ſuperbus Attilæ inceſſus, teſte PRISCO, cum grauitate fuit coniunctus, qualis *inceſſus ad maieſtatem compoſitus*, a IOANNE BARCLAIO *Icone Animorum* cap. VIII. in viris *Hungariæ* nobilibus, laudatur.

*q*) Motum oculorum in ATTILA, cum quadam grauitate fuiſſe coniunctum, id, quod eſt maieſtatis documentum, ex PRISCO elucet.

*r*) Nos, ex moribus actionibusque ATTILÆ, quando veram eius imaginem, haud licet contueri, natiuam tanti principis indolem, præmiſſis certis animi indiciis, elicimus. PRISCVS RHETOR, qui Attilam, in regia conſpicatus eſt, *conſtantem vultus grauitatem*, cum *ambitione, ſeueritate*, & *iracundia* coniunctam, in eo obſeruat, & præterea *humanitatem*, cum quadam *comitate* & *affabilitate*, in eo admiratur. *Excerpt. Legat.* p. 119. 129. 120. 95. 96. Hæc vero certa ſunt complexionis cholerico ſanguineæ, qua hodienum, gens Hungarorum potiſſimum gaudet, documenta. Vid. LEÜTMANN. Noſce te ipſum. p. 70. GVNDLINGIVS Diſcurs von dem heutigen Zuſtand der Europæiſchen Staaten Cap. XIII. §. 18. Talem JORNANDES de Reb. Get. Cap. XXXV. deſcribit. *Erat namque ſuperbus inceſſu, huc atque illuc circumferens oculos, vt elati potentia, ipſo quoque motu corporis adpareret. Bellorum quidem amator, ſed ipſe manu temperans, conſilio validiſſimus, ſupplicantibus exorabilis, propitius in fide ſemel receptis.* Eam animi indolem, BONFINIVS quoque, Dec. I. Lib. III. in Attila adnotauit: *Quamuis nimia ſeueritate atrox, ac dirus videretur: benignius tamen externos admiſit, & non modo ſuos, verum etiam alienos, præ nimia liberalitate ſibi conciliauit. Quanto formidoloſior hoſtibus, tanto ſuis carior erat.* CALLIMACHVS ſane, ipſi tractabile, miteque ingenium fuiſſe ſcribit, & AVENTINVS Lib. II. Annal. Boicorum f. 165. auctor eſt, complura ſe vidiſſe de virtutibus Attilæ carmina, patrio ſermone, more maiorum conſcripta, & quidem in bibliotheca B. H. Merani, de Rebus ab Attila geſtis, reperiſſe opus, heroico verſu, & latina lingua, non inelleganter factum, ex quo duos iſtos verſiculos deſcripſit:

*Foedera ſupplicibus donat, ſternitque rebelles;*
*Vltra millenos, fertur dominarier annos.*

Inique igitur, Gothici Romanique ſcriptores, Attilam non ſuperbum ſolum, ſed & ſæuam adpellant beſtiam. Ita ERYCIVS PVTEANVS Hiſt. Inſubr. Lib. I. 1. edit Helmſtad. p. 9. ad Attilam, dum bella in Italia geſta recenſuiſſet: *Quo ruis immaniſſima bellua? ad crudelitatis famam hæc iam ſatis.* Ceterum, ea ſingula, quæ iurati nominis Hunnici hoſtes, de vitiis, horridoque Attilæ ac Hunnorum animo, confinxerant, concepto Gothorum Romanorumque odio, cum BARTHIO Aduers. Lib. LVI. c. 15. & RVDOLPHO ROHTIO in Attila §. 18. tribuendum putauerim. Multa, profecto, animi bona, CALLIMACHVS in Attila obſeruauit: erat enim *prudens, grauis, temporibus calidiſſime parens, peritus belli, religioni ſuæ cumprimis addictus, frugalis præterea, laborioſus, & otio luxuique infenſiſſimus.* Sed de his alibi in PRISCO RHETORE.

*s*) Habi-

patriam, vel ſe ſuperantem, luſione quadam decipere ſatagebant. *s*) Corpore fuit breuis, *t*) ſtatura tamen prope iuſta, *u*) lato pectore, *w*) capite grandi, *x*) oculis minutis, *y*) longisque acutisque auribus, *z*) hirſutis & hiſpidis crinibus, vt fere ab omnibus *aa*) caninæ dicerentur: rara bb) barba, ſed more ſuo

*s*) Habitum corporis Attilæ, CALANVS, ex JORNANDE de Reb. Get. Cap. XXXV. verbis quodammodo immutatis delineauit. Ita vero ille: *Forma breuis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barba, canis aſperſus, ſimo naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna reſtituens.* Eum, iiſdem fere verbis, VRSPERGENSIS Chron. ad an. 377. CALLIMACHVS in Attila, BONFINIVS Dec. I. Lib. 3. & OLAHVS Cap. 3. depingunt. Fragmentum hoc CALANI, quo habitus corporis Attilæ deſcribitur, BARTHIVS Lib. LVI. Cap. XV. emendauit, & verba, vt *ab omnibus fere caninæ dicerentur*, non de crinibus, verum de labiis pendentibus, explicuit. Ita vero ille: *Erat autem Attila rex ſuperbus inceſſu, huc & illuc circumferens oculos, ita in omnibus ſuis arrogans, vt eius iactantiæ ſuperbia, ex corporis geſtibus, quibuscunque, etiam incognitis facile cognoſceretur. Corpore fuit breuis, ſtatura tamen prope iuſta, lato pectore, capite grandi, oculis minutis, longisque & acutis auribus, hirſutis & hiſpidis crinibus, rara barba, ſed more ſuo demiſſa, canis quidem aſperſus, ſimius naſo, colore ſubrufus, moribus ferus, audacia pronus, & veræ originis ſuæ barbaræ, ſignum vel lineamenta demonſtrans, ore paruo, latis tamen labiis, vt fere ab omnibus, caninæ dicerentur, vno dentium, qui foris eminebat, plus iuſto faciem dehoneſtante.*

*t*) IORNANDES, Attilam *forma breuem*; CALLIMACHVS, *ſtatura corporis infra mediocrem*; OLÀHVS vero cum CALANO, *ſtatura media fuiſſe* ſcribit. Hæc vero Hungaris eſt potiſſimum propria, eaque ad perficiendam rem bellicam, aptiſſima. LEÜTMANNVS Noſce te ipſum. §. 32. 38. ſeq.

*u*) Non minus pectus, quam humeri lati, robur corporis inſigne, cum fortitudine ſignificant.

w) Ita JORNANDES, CALLIMACHVS, & BONFINIVS, de capite Attilæ. Illud tamen ceteris corporis membris proportionatum fuiſſe, OLÀHVS in Attila Cap. 3. obſeruauit.

*x*) Orbes oculorum, in Attila, ad Sauromatarum ſpeciem paruos fuiſſe, CALLIMACHVS auctor eſt. Minutiores quidem oculi, teſte LEVTMANO l. c. exceſſum in vitiis denotant; adſpectus nihilominus grauioris, qualis in Attila deprehenditur, moderatam animi indolem teſtantur.

*y*) Acutas aures, acre iudicium, quale in Attila fuerat, deſignare, BARTHIVS Aduers. Lib. XI. C. VII. ex CALPVRNII Eccloq. 1. obſeruat.

*z*) Crines promiſſi laxique, ſignum ſunt mollitiei. BARTHIVS Lib. XXIV. C. XXV. hirſuti contra & hiſpidi, animi duri, & inexpugnabilis.

*aa*) Vocem hanc, BARTHIVS, ad labia Attilæ reiicit. Caninas namque buccas, Martialis Lib. X. epigr. 5. in rogatoribus notat, & ADAMANTIVS SOPHISTA Phyſiognomic. Lib. II. Cap. 17. labia pendentia, canina adpellat.

*bb*) Barbæ, apud plures gentes, magnam fuiſſe venerationem & religionem, BARTHIVS Lib. LI. Cap. 6. indicat. Apud Gothos & Francos veteres, cum in fœdera arctiora, & durabiliora conuenire volebant, veluti pignore ſacro interueniente, barbam alter alteri tangebat. ANONYM. Hiſt. Franc. Lib. III. ex Idatio. AIMOIN. de Geſt. Francorum Lib. I. C. 20. Apud orientales quoque populos, in tanto barba fuit pretio: vt pro pretioſiſſimo pignore, eam oppignorauerint. BARTHIVS l. c. Inter Hunnos, barbam pariter, in magno honore poſitam fuiſſe, vel inde colligere licet: quod, dum reliqui Hunni, teſte AMMIANO, imberbes fuerant, ſolus Attila, eam alere conſueuerat. Ad cultum proinde regium, eam pertinuiſſe, haud leuibus auctoramentis inductus, exiſtimo.

ſuo demiſſa, canis quidem adſperſus, *cc*) ſimius naſo, *dd*) colore ſubrufus, *ee*) moribus ferus, *ff*) audacia pronus, & vere originis ſuæ barbaræ *gg*) ſigna vel lineamenta demonſtrans; *hh*) ore

*cc*) IORNANDES habet, *ſimus naſo*, ſeu depreſſa nare. Ita legit BARTHIVS quoque, in fragmentis Calani l. c. Eſt vero naſus ſimus plerumque, magni animi documentum. Hinc MARTIALIS 6. epigr. 39. *Sima nare, turgidis labris.*

*dd*) Forte *ſubfuſcus*, IORNANDES namque habet, *teter colore*; BONFINIVS *colore ſubniger*; OLAHVS *fuſca facie*. Colorem hunc, qui genti Hungaricæ, propemodum natiuus eſt, *agreſte* Attilæ *originis genus* indicauiſſe, minus recte CALANVS adnotauit. Ceterum BARTHIVS, in emendatione CALANI l. c. *colore ſubrufus* ſeruauit.

*ee*) Repugnat CALANO, PRISCVS RHETOR, qui in Attila, vultus grauitatem conſtantem, & comitate ciuilitateque temperatam, cumprimis commendat. Ita vero ille in Excerpt. Legat. p. 119. *Attila*, inquiens, *egreſſus habitatione, grauis vultu, omnium oculis quaquauerſus in ſe conuerſis, incedens, cum Oneſegio ſedit præ ædibus.* Et alibi p. 96. *Attila comis & blandus viſus eſſet.* item p. 132. *Per totum conuiuii tempus, nos blandis ſermonibus adpellans.* Hæc vero, non feros, ſed cultos Attilæ mores ſubindicant, de quibus in PRISCO prolixius.

*ff*) Magnanimum, quam audacem, rectius dixeris. VIRG. Aen. 6. v. 647. *magnanimos heroes* OVID. Triſt. 3. 5. v. 33. *magnanimos leones*, CIC. off. I. 19. *viros fortes & magnanimos adpellant.* Audacia vero, interdum in malam partem accipitur. CIC. de Inuent. I. 3. *Cum ad gubernacula reip. temerarii atque audaces homines acceſſerant.* & Cat. 2. 5. *in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior.* Magnanimum fuiſſe Attilam, non minus ex PRISCO, quam ex JORNANDE elucet. Ita vero iſte: *Qui, quamuis huius eſſet naturæ, vt ſemper magna conſideret.* Teſtatus id eſt, cum vultus geſtuumque grauitate, tum vero inceſſu quoque compoſito. Vnde apud Romanos, Gothosque, teſte CALLIMACHO, ſuperbiſſimi animi contraxerat infamiam.

*gg*) Mores Hunnorum feros, cultumque Hunno Scythicum, AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XXXI. deſcribit. Certe Romani, eos, non pro hominibus, ſed pro monſtris & centauris habuerunt, eo, quod equis prope affixi, muneribus conſuetis, teſte AMMIANO fungebantur. Hinc CLAVDIANVS Lib. I. in Rufin.

*Eſt genus extremas Scythiæ vergentis in oras*
*Trans gelidum Tanain, quo, non deformius vllum.*
*Arctos alit, triſtes habitus, obſcoenaque viſu,*
*Corpora, mens dura, nunquam ceſſura labori.*

Ex iſtorum aliorumque traditione, IORNANDES, nominis Hunnici hoſtis acerrimus, hunc in modum, habitum corporis, faciemque Hunnorum, in Reb. Get. Cap. XXIV. delineat: Hunni, *quos bello, forſitan minime ſuperabant, vultus ſui terrore nimium, pauorem ingerentes, terribilitate fugabant: eo quod erat eis, ſpecies pauenda nigredine, ſed velut quædam, ſi dici fas eſt, deformis offa, non facies, habensque puncta, quam lumina. Quorum animi fiduciam, toruus prodit adſpectus, qui etiam in pignora ſua, prima die nata deſæuiunt. Nam maribus ferro genas ſecant, vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur ſubire tolerantiam. Hinc imberbes ſeneſcunt, & ſine venuſtate ephebi ſunt: quia facies ferro ſulcata, tempeſtiuam pilorum gratiam, per cicatrices abſumit. Exigui quidem forma, ſed arguti, motibus expediti, & ad equitandum promtiſſimi. Scapulis latis, & ad arcus ſagittasque parati, firmis ceruicibus, & in ſuperbia ſemper erecti. Hi vero ſub hominum figura, viuunt belluina ſæuitia.* Iisdem verbis Hunnorum ſpeciem, SIGEBERTVS GEMBLACENSIS Chron. de Reg. Hunnorum, Collect. Piſtor. T. I. f. 694. ad an. 1726. & VRSPERGENSIS Chron. ad an. 377. p. m. 98. deſcribunt. Quam OTTO FRISING. de geſtis Frid. I. Imp. Lib. I. c. 31. Hungaris quoque, iure ſuo attribuit. *Hungari*, inquit, *facie tetri, profundis occulis, ſtatura humiles, moribus & lingua barbari, & feroces.*

*hh*) Os

*hh*) ore paruo, *ii*) latis tamen labiis, *kk*) vno dentium, qui foris eminebat, plus iusto *ll*) faciem dehonestante quantillum.

CAPVT

*hh*) Os paruum, ad venustum corporis habitum, referunt nonnulli. Verba hæc, depromsit CALANVS, ex ADAMANTIO Sophista Physiognom. Lib. II. c. 17. vbi paruum os in feminis commendatur.

*ii*) BARTHIVS Animadu. Lib. LVI. c. 15. locum hunc ita emendauit: *latis tamen labiis, vt fere ab omnibus, caninæ dicerentur.* Hæc vero ex ADAMANT. SOPHIST. Physiog. Lib. II. c. 17. Calanum emaculauisse, idem existimat; meminit enim, & *oris parui*, & *caninorum labiorum.* Ceterum *Canis*, obseruante BARTHIO Lib. XLI. cap. 9. opprobrium est hominis sanguinarii. Hinc etiam APVLEIVS Lib. VIII. *per animos canum*, iracundiam bestiæ indicat. Hæc vero de Attila, quem PRISCVS, *blandum* & *humanum* vocat, accipi nequeunt.

*kk*) Ita, BARTHIVS quoque, in fragmentis CALANI legit. Tacent ea de re, IORNANDES, aliique rerum Hunnicarum scriptores.

*ll*) Attila, ex singulari corporis vultusque, quam descripsimus symmetria, non deformatus, veluti CALANVS autumat, verum forma grauis & venusta, cum maiestate quadam deprehenditur. Iniurii proinde sunt in tantum principem, qui eum, facie prodigiosa, tamquam immanem quandam confingunt belluam. Fuit omnino, Attila, teste BONFINIO, *forma egregia*, & præterea, *vultu grauis*, proptereaque hostibus terribilis. Eapropter PAVLLVS JOVIVS, Illust. vir. Elog. Lib. I. Attilæ imaginem, *terribilem & immanem Hunnorum sæuitiam spirantem* descripsit. Talis profecto, in nummo triumphali adparet, quem MARTINVS SCHOEDELIVS in Notit. Hung. P. I. ad §. 238. ex cimelio LVCKIANO, & RVDOLPHO ROHT. in Attila ex musæo Bosiano, depromsere. Eam nos quoque, Exercitat. de Vet. Litt. Hunno-Scyth. Sect. III. Tab. IV. exhibuimus. Icon hæc Attilæ anaglyphice sculpta, figura circulari, Argentinæ, in vertice portæ, lapidi incisa, teste SCHOEDELIO conspicitur. Anne vero, imago Attilæ in nummis, & quæ, inter heroas Hungariæ, in Mausolæo regum fol. 27. alibique pingitur, genuinam eius faciem, habitumque corporis repræsentet, aliis disquirendum relinquimus.

## CAPVT XIII.

HIc, vt idem historicus refert, Bleda fratre interemto, Dacos, Sarmatas & Pannonios, multis praeliis *a*) superauit, collectoque, suarum, & earum, quas vicerat, gentium, grandi & immenso adparatu, processit *b*) in Scythiam, *c*) re-

*a*) Ante mortem Bledæ, Dacos, Sarmatas, & Pannonios superatos fuisse, ex PAVLLO DIACONO constat. Ita enim ille Hist. Miscell. Lib. XV: *Rex Hunnorum Attila, quum cum fratre Bleba* (Bleda) *regnum intra Pannoniam Daciamque gereret: Germanum suum, regnique consortem interemit.* Sarmatæ autem ante, deuictis Alanis, Gothis, Gepidis & Burgundionibus, quam, vel Daci, vel Pannones, in potestatem Hunnorum peruenere.

*b*) Verba hæc, C. BARTHIVS Adu. Lib. LXIX. cap. XII. f. 954. ex IVVENCO adducit: *Processit in Scythiam*, cetera. Scythiam intellige Europæam Istro adiacentem, de qua HERODOTVS Lib. IV. Ceterum Scythiam quoque, ante mortem Bledæ, armis Hunnorum subactam fuisse, ex PRISCO Rhetore in Excerpt. Legat. euidenter elucet. *Pace cum Romanis facta*, (nempe circa annum 428.) *Attilas & Bleda, ad subigendas gentes Scythicas profecti sunt, & contra Sorosgos, bellum, communibus opibus, & viribus mouerunt.*

*c*) regemque Scytharum ſibi tributarium reddidit. *d*) Apud quem inuenit gladium Martis, qui fingitur *e*) DEVS fuiſſe bellorum, eo quod truculenter bellator *f*) Scythas perdomuit, & apud eos regnaſſe perhibetur. Cuius gladii munere gratulatus, vt erat magnanimus, quaſi ſibi totius orbis *g*) offerretur imperium, Mar-

---

*c*) Scythas intelligit CALANVS Europæos, Iſtri accolas, *Amaldzuros*, inquam, *Ithamaros*, *Tancaſſios*, *Boiſcos*, ceterosque Iſtri accolas, quos Attila, mortuo Roua, cum Bleda fratre, bello adgreſſus, Hunnorum ſubeſſe imperio coegit. PRISCVS RHETOR in Excerptis Legat. p. 80.

*d*) C. BARTHIVS Aduers. Lib. LXIX. cap. XII. f. 954. *Bellicoſiſſimi quondam Thracum regis gladium* fuiſſe, obſeruauit. Martis ille fuit ſimulacrum, quod, teſte HERODOTO Lib. IV. c. 76. 77. vni & ſoli Marti ſolebant erigere. *Sub hoc*, inquit ille, *aggeſtu*, *acinaces ferreus*, *qui ſingulis*, *cui vetuſtus eſt*, *ſtatuitur*, *idque eſt Martis ſimulacrum*, *cui annuas hoſtias offerunt*. Cum HERODOTO, conſentit CLEMENS ALEXANDRINVS, Admonit. ad Pagan. p. m. 29. 42. 43. Deperditum tandem lapſu temporis, & multis ſeculis haud viſum fuiſſe, ex eadem PRISCI narratione conſtat. *Neque parua*, inquit, *illi* (Attilæ) *potentiæ acceſſio contigit*, *ex eo*, *quod Martis enſis erat detectus. Hic tanquam ſacer*, *& DEO bellorum præſidi dedicatus*, *a Scytharum regibus*, *olim colebatur*, *& multis antea ſeculis non viſus*, *bouis miniſterio fuerat*, *tunc temporis erutus.* BARTHIVS vero, vſque ad tempora Attilæ, apud Thracos conſeruatum fuiſſe opinatur. Tali autem occaſione repertum fuiſſe, in Scythia, JORNANDES de Reb. Get. Cap. XXXV. ex PRISCO RHETORE refert: *Quum paſtor quidam gregis*, *vnam buculam conſpiceret claudicantem*, *nec cauſſam tanti vulneris inueniret: ſollicitus veſtigia cruoris inſequitur*, *tandemque venit ad gladium*, *quem*, *depaſcens herbas bucula*, *incaute calcauerat*, *effoſſumque protinus ad Attilam defert.* Enſem hunc ſacrum, ab Hunnis ad Abares, & ab his, ad Hungaros transmiſſum, & vtrinque cultum fuiſſe, ex priſca eorum religione elucet. Chaganus enim rex Abarum, fidem Romanis ſtipulaturus, per enſem, ritu Abarico, iuſiurandum præſtitit. *Enſe educto*, *& in altum ſublato*, *ſibi & Abarorum genti*, *dira eſt imprecatus*: *ſi quid mali comminiſceretur Romanis.* MENANDER in Excerpt. p. 128. Haud ſecus Hungari, qui, quoties expeditionem, populo indicebant: toties, circumlato per caſtra enſe, cruore adſperſo, *vox populi vox DEI*, conclamabant. THVRÓTZ. Chron. Part. I. cap. 10. Eum, interuallo temporis, vt SCHAFNABVRG de Reb. Germ. ad an. 1071. Collect. Piſt. T. I. f. 348. edit. 1726. adnotauit: *Regina Vngarorum*, *mater Salamonis regis*, *duci Baioariorum Ottoni*, *dono dederat*, *cum*, *eo ſuggerente atque annitente*, *rex*, *filium eius in regnum paternum reſtituiſſet. Cumque eum Dux Otto*, *filio Dedi Marchionis*, *Dedi iuniori*, *in argumentum pignusque*, *indiuiduæ dilectionis*, *ad tempus præſtitiſſet*, *illo*, *vt prædictum eſt*, *peremto*, *regi & per regem Lupoldo huic duci de Merſpurg*, *caſu obuenerat*, quo etiam ruentem de equo, transfoſſum fuiſſe ſcribit.

*e*) Inter Deos, & idola veterum Scytharum, quæ HERODOTVS in Melpom. Lib. IV. c. 59. deſcribit, potiſſimum, Mars colebatur. Hinc etiam, nulli, præterquam Marti, ſimulacra, aras & delubra putabant exſtruenda. Conf. FRANCISC. FORIS OTROKOCSI, Orig. Hung. P. I. cap. 1. §. 25. 26.

*f*) Scythiæ nomine, CALANVS Thraciam intelligit. Huc enim Mars, arte Vulcani, a Veneris amplexibus ſolutus, teſte HOMERO Lib. Θ Odyſſæ conceſſit.

*Hicque*, *vbi ſunt illis duriſſima vincla ſoluta*,
*Diſcedunt ſubito. Thracas mox ille petiuit*
*Ipſa Venus Cyprum petit*, *alma nata Dione.*

Eapropter Mars, vt LYCOPHRONIS enarrator ait, Deus fuit Thracum, a quibus ille, eximie colebatur. NAT. COMES Myth. Lib. II. cap. 7.

*g*) PRISCVS in Excerpt. Legat. p. 123. *Neque parua illi potentiæ acceſſio contigit ex eo*; *quod Martis enſis erat detectus.* Et IORNANDES de Reb. Get. cap. XXXV. *Quo ille munere*

Martis gladium *h*) præ se, quocunque iter arripuisset, ferens. Aquilonis iam magna parte domita, vt *i*) Romanos opprimeret, ad partes Italiæ, festinus conscendit. Cumque *k*) Thracias, a Pannoniis veniens, & omne *l*) Illyricum depopulatus esset, *m*) Aquilegiam,

*nere gratulatus, vt erat magnanimus, arbitrabatur se, totius mundi principem constitutum, & per Martis gladium, potestatem sibi concessam esse bellorum.* Cur autem Attila, ex detecto ense Martis, hunc animum sumserit, Olàhvs in Attila Cap. III. hunc in modum tradit: *Dum quadam nocte, per quietem vidisset, se a Marte armari: postero die, quidam ex gregariis militibus, detulit ad eum ensem, in campo patenti repertum.* Huic accedit, obseruante Barthio Aduers. Lib. LXIX. Cap. XII. f. 954. *veterum regum religio, qui paternas hastas & gladios, velut sanctorum vice, seruabant.*

*h*) Tacent ea de re, Priscvs, Iornandes, Hungarorumque Annales. Ceterum, gladium cruore adspersum, quotiescunque, expeditio bellica, indicebatur populo, per castra Hunnorum, fuisse circumlatum, Thvrózivs Chron. P. I. cap. x. refert, quod nunc diximus.

*i*) Hæc fuit Attilæ, expeditionem in Italiam molientis, intentio: vti, cum Honoria, sorore Valentiniani imp., partem imperii occidentalis occuparet. Exponit rem hanc Priscvs Rhetor in Excerpt. Legat. p. 64. *Sed Attilas, antequam in eam expeditionem ingrederetur, rursus legatos in Italiam misit, qui Honoriam poscerent. Etenim secum matrimonium pepigisse, cuius rei, vt fidem faceret: annulum ab ea ad se missum, per legatos, quibus tradiderat, exhiberi mandauit. Itaque, imperii parte sibi Valentinianum cedere, æquum censebat, quam pater Honoriæ reliquisset, sed, hac illam frater, quæ eius erat auaritia, priuarat.*

*k*) Attila, bellum quidem Marciano imperatori minabatur, propterea, quod promissum a Theodosio II. tributum, cum consuetis muneribus, sibi negaretur: non prius tamen illud Thraciæ, & imperio orientali, quam, dum vastata Italia, in Pannoniam reuerterat, denuntiauit.

*l*) Expeditione Italica, Hunnos, Illyricum quoque, subuersis vrbibus, deuastauisse, non minus ex eorum profectione, quam, ex oppugnatione Aquileiæ, euidenter constat. Præterquam enim, quod Callimachus atque Bonfinius, Attilam, prius in Illyricum, quam in Italiam penetrauisse, diserte adfirmant: pronum etiam est colligere, si non vniuersum exercitum, saltim delectam Hunnorum manum, ab oppugnatione Aquileiæ, ad deuastandum Illyricum emissam fuisse. Illatam ab Hunnis Illyrico calamitatem, prolixe describit, Anton Bonfinivs Dec. II. Lib. III. vbi etiam complures ab Hunnis expugnatas Illyrici vrbes, enumerat, *Tragurium*, inquam, *Scardonam*, *Belgradum*, *Sicum*, *Coronam*, *Salonas*, *Iadram* aliaque Dalmatiæ oppida. Ex Illyrico in Japydiam & Istriam, & hinc, in Carnos, ad Aquileiam penetrasse Attilam, Idem contendit.

*m*) Aquileia, antiqua Romanorum colonia, cuius originem, Livivs Lib. XL. cap. 34 describit: *Aquileia, colonia latina, eodem anno, in agro Gallorum est deducta*, & Strabo. Lib. V. p. 148. *Opus Romanorum est Aquileia, munitum, aduersus supra illam habitantes barbaros.* Aucta coloniis nouis, post aliquot annos, teste Livio, Lib. XLIII. cap. 17. celeberrimum fuit emporium. Herodian. Lib VIII. Cap. II. Præfat. Nouell. XXIX. & Avson. de claris vrbibus. Nomen, Jvlianvs orat. II. de Gestis Constantii, ab *aquilæ* augurio, quum conderetur, impositum dixit. Isaacvs Vossivs ad Melam, ab *aquarum copia*, quasi *Aquilegiam*. Portum enim habuit in Natisonis ostio, LX. stadiis ab vrbe distantem. Mela Lib. II. cap. 4. cuius fluuii Jornandes quoque, de Reb. Get. Cap. XLII. meminit. Vrbs fuit ampla, & sede Patriarchæ clara, de quo Pavl. Warnefridi Lib. II. Cap. X. hunc in modum: *Aquileiensi quoque ciuitati, eiusque populis, beatus Paulus Patriarcha praerat.*

 *n*) Vene-

legiam, quæ *n*) Venetiarum *o*) Metropolis eſt, ſitam *p*) in littore maris Adriatici, ſibi rebellem neque obſequentem inuenit: vbi & vt eam in deditionem acciperet, *q*) caſtra metatus eſt.

CAPVT

*n*) Venetia regio eſt Italiæ, quam Veneti, antiquus Italiæ populus, inhabitabant, LIVIVS Lib. XXXIX. cap. 22. PLIN. Lib. II. cap. 72. Jacuit ea, a Pado, vſque ad Hiſtriam protracta, cuius limitem, CLVVERIVS in Italia antiqua, in Tilauentio Carnorum fluuio, quærit.

*o*) Aquileia, teſte STRABONE Lib. V. *extra Venetorum fines ſita eſt.* Hinc PLINIVS Lib. III. c. 18. poſt narrata, Tilauentum, Alſam, Natiſonem fluuium, & Aquileiam coloniam, *Carnorum hæc*, inquit, *regio cunctaque Iapydum.* Carni etenim, Alpina gens, vel partem hanc oræ vlteriorem, Venetis eripuerunt, vel a victoribus Romanis, in eam deducti fuerunt regionem. CELLARIVS geogr. ant. Lib. II. c. 9. p. 694.

*p*) Aquileia a portu, quem in Natiſonis oſtio habebat, LX. ſtadiis ſeiuncta iacuit, STRABO Lib. V. MELA Lib. II. c. 4.

*q*) Modus caſtra metandi, apud Hunnos peculiaris fuit, longeque a conſuetudine Romana diuerſus. Romani namque caſtra, vallo ex aggere & ſudibus congeſto, & pedes tres vel quatuor alto, muniebant, valloque, foſſam plerumque nouem pedes altam, & duodecim latam, prætendebant. LIPSIVS de antiqua Romanorum militia. Hunni contra ſtatiua ſua, quæ propter celerem expeditionem, haud diuturna eſſe poterant, plauſtrorum ordinibus ſepiebant, id, quod ex caſtris Catalaunicis, apud JORNANDEM & FRECVLPHVM, luculenter elucet. conf. ad cap. x. not. m) Communiendis igitur caſtris, Attilam *decem millia falcatorum curruum* habuiſſe, THVRÓTZIVS Chronic. Hung. P. I. Cap. XIII. tradit.

## CAPVT XIV.

ERat autem, & ibi, & in finitimis ciuitatibus Romanorum *a*) præſidium, ab Valentiniano & Theodoſio transmiſſum, quo *b*) ab ingreſſu Italiæ, quantis fieri potuerit, Attila, viribus arceretur. Attila tamen, ſæpe & ſæpius Aquilegienſes, & ciuitates finiti-

*a*) Non a Theodoſio, iam enim, teſte PAVLLO DIACONO, de geſtis Romanorum Lib. XV. p. m. 371. anno CCCCXLIX. viuere deſierat, verum a Marciano, qui ei in imperio ſucceſſerat, auxiliares copiæ ſubmitti poterant. Nullam tamen ſubmiſſi ex oriente auxilii, mentionem facit PROCOPIVS, Gothos, ducibus Alarico & Anthalamo, ad ſolita Italiæ munimenta, a Valentiniano imperatore euocatos fuiſſe tradens. Hoc itaque modo Valentinianus, prouti SIGONIVS Lib. XIII. p. 325. obſeruat, concuſſos trepidatione Italiæ fines, communiuit. *Alpes Julias, per quas, e Pannonia, in Italiam tranſitus, nouo præſidio communiuit, Aquileiam, quæ prima erat, ſuperatis Alpibus, occurſura, rurſus militibus, turribus, commeatibusque firmauit, neque ceteras, per quas, ad Padum amnem rectus eſt aditus, rebus neceſſariis communire neglexit. Aetium autem, ad vrbis Romæ defenſionem, & ad omnem arripiendam, aduerſus Attilam occaſionem, citra Romam paratum, cum validiſſimo adeſſe exercitu iuſſit, atque ipſe ſe in vrbe continuit.*

*b*) Quo itinere, Attila Italiam inuaſerit, triplex eſt Hiſtoriographorum ſententia. CALLIMACHVS cum OLÁHO contendit, Attilam, ſuperatis, Norici, Rhætiæque aſperis montibus, cum iam Italiam, exiguo ſeiunctam interuallo, vidiſſet: aditu interclusum, in Illyricum primum, & inde, iuxta mare Adriaticum, per Carnos, in Foro Julium irrupiſſe. ANTONIVS BONFINIVS Dec. I. Lib. VI. contra ea, ne a tergo a Græcis vrgeretur, redituque, ſi quid aduerſi pedem referre cogeret, intercluderetur: ex Pannonia, in Illyricum primum, & inde, ad mare Adriaticum penetraſſe perhibet. Iter bre-

finitimas, c) per suos legatos alloquutus, ne sibi Romam adgredi intendenti, molesti essent: nihil profecit, cum eis fidem & immunitatem polliceretur: &, si prospera sibi, DEO propitio gradienti contingerent, d) eas ciuitates facturas, quæ ipsa Roma fecisset. e) Taruisium tamen, auctore f) Helinando Antistite, & Araico Tempesta: item g) Verona, h) Diaterico tradente, Attilæ partibus se dederunt. Tum i) Altinum ciuitas, k) Op-

breuissimum, per fauces Alpium Iuliarum seu Pannoniarum, amnemque Sontium, SIGONIVS describit: iis enim superatis, facilis est, ad Aquileiam in Carnis transitus. Hoc vero, perficiendæ destinationi iter est, vti rectissimum, ita commodissimum, per quod, non minus Galli, quam Romani, expugnatis Iapydorum oppidis, in Pannoniam penetrauere. SCHÖNLEBENVS in Carniolia Antiqua Cap. IV. §. 1. Ita vero illud, ANTONINVS in Itinerario p. 128. seq. edit. Amstel. 1735. delineauit.

| | |
|---|---|
| *Aquileja ciuitas* | *M. P. XXXI.* |
| *Fluuio frigido* | *M. P. XXXVI.* |
| *Longatica mansio* | *M. P. XXII.* |
| *Hemona ciuitas* | *M. P. XXIII.* |
| *Adrante Mansio* | *M. P. XXV.* |
| *Celeia ciuitas* | *M. P. XXIV.* |
| *Ragondone* | *M. P. XVIII.* |
| *Patauione ciuitas* | *M. P. XVIII.* |

Ceterum, proficiscente, per fauces Alpium, excercitu Attilæ, copiarum pars altera, in Noricum & Rhætiam, altera in Illyricum, non minus prædæ & populationis caussa, quam, vt vires Romanorum diuiderentur, irrupit, in Carnis demum, protrito Romanorum præsidio, reliquo corpori adserta.

c) Ira percitum, ciues Aquileiæ adloquutum fuisse Attilam, cum SIGONIO crediderim: quod copiis suis resistere, susceptæque in Italiam expeditioni, moram iniicere ausi fuerint; cumprimis, quod præda opima, quam sperauerat, primo impetu potiri nequiuerat. Vrbem eapropter acriter vrgere, & quam expugnare nequiuerat, diuturna obsidione premere cœpit.

d) Emendandus hic est CALANVS: *ea se ciuitati facturum, quæ ipsa Roma fecisset.* Scilicet: Romanorum, in expugnandis vrbibus, quæ armis suis obsistebant, consuetudinem respicit. Vrbes enim deuictas, dirutis mœniis turribusque, solo æquabant, cæsisque partim, partim in seruitutem redactis ciuibus, principes populi, cum spoliis in triumpho, Romam ducere solebant; id quod, ex subuersione Hierosolymæ elucet, apud IOSEPHVM de Bell. Iud. VII. 18. EGESIP. Exscid. Hierosol. V. CEDREN. p. 179.

e) Taruisium, oppidum in ditione Venetorum, ad Sile fluuium. Meminere eius, PROCOPIVS Lib. II. B. Gotth. Cap. XXIX. & PAVLLVS DIACONVS Lib. IV. cap. III. alii.

f) CALLIMACHVS in Attila, *Helmundo* Antistite legit. Quin & *Araici* nomen, *Artuici* legi oportere, Illustris PIVS NICOLAVS GARELLIVS monet, in eruditissima, quam præmittimus, de *Iuuenco*, epistola: vbi, quinam hic fuerit TEMPESTA, doctissime edisseritur. quorsum lectores eo dimittimus lubentius, quo magis nostra interest, momenta auctoris singula, illustrari quam luculentissime.

g) Verona, antiqua vrbs Italiæ, Brixiensium, teste CATVLLO Veronensi Carm. LXVII. colonia, quam Rhætorum & Euganorum simul fuisse, PLINIVS Lib. III. cap. XIX. tradit.

h) Pro *Diaterico* cap. XVI. *Dietherico* scribit, quem CALLIMACHVS Diamericum vocat.

i) Altinum in regione Venetorum, ad fluuium Silis positum. PLINIVS Lib. XII. cap. XVIII. quod STRABO Lib. V. p. 148. in palude locat.

*k*) Oppitergium, ſed & *l*) Cenetenſe pulcherrimum oppidum, puoniam *m*) Tarniſenſibus quandodue infeſtæ fuerant, iubente Attilæ, & quia partibus eius non fauerant, dirutæ ſunt *n*) Vincentia, itemqne *o*) Patauium, *p*) manentibus adhuc ad Aquilegiam caſtris, vbi & *q*) Vtinum oppidum, mira imaginatione conſtruxit.

CAPVT

*k*) Oppitergium, vno p. PLINIVS Lib. III. cap. XIX. exprimit, iiludque, coloniam Venetorum fuiſſe ſcribit, idque, inter Taruiſium & Forumiulii locat, PAVL. DIACONVS Lib. IV. cap. XLVII.

*l*) Ceneta, teſte FORTVNATO Lib. IV. *de vita S. Martini*, Venetorum eſt oppidum, & municipium antiquum. *m*) lege *Taruiſenſibus*.

*n*) PLINIO & TACITO, Vicetia, PTOLEMAEO Vicenta, ſeu Vicentia, DIACONO Vincentia dicitur. Municipium fuit, inter oppida Venetorum, a PLINIO connumeratum.

*o*) Patauium Antenoris, in opulentiſſimis Venetorum oppidis, POMPONIVS Mela Lib. II. cap. IV. numerat, STRABO Lib. V. p. 147. prope paludes locat, omniumque eius regionis vrbium, præſtantiſſimam vocat.

*p*) Alii, non niſi expugnata Aquileia, vrbes has, imperium Hunnorum ſuſcepiſſe, autumant. Ita PAVLLVS DIACONVS Lib. XV. p. m. 386. OTTO FRISINGENSIS Lib. VI. cap. XXVII. f. 95. SIGONIVS Lib. XIII. p. 427. Quo ordine, & quo tempore, eæ, in poteſtatem Attilæ peruenerint, curatiſſime CALLIMACHVS & OLÁHVS in Attila adnotauere. Scilicet, ne ſub obſidione Aquileiæ, miles otio torpeat, aut facta ſeditione ſoluatur: Taruiſium, ac Veronam, ceteraque vacua præſidiis oppida, expugnata fuere. Reliqua a IVVENCO euumerata, capta demum vrbe, in Hunnorum ditionem peruenere. Multo plures, hoc tempore occupatas vrbes, ANT. BONFINIVS Dec. I. Lib. VI. recenſet, quæ, a nobis, ſuo loco adducentur. conf. cap. XVI. n. 1.

*q*) Montem adpellat OTTO FRISINGENSIS Lib. IV. cap. XXVII. f. 95. teſtis huius rei oculatus. *Tanta*, inquit ille, *in obſidione huius vrbis, & mora & multitudo fuit, vt miræ magnitudinis montem, Vtinum dictum, quem ipſe vidi, in modum aggeris, ab exercitu comportatum, incolæ vſque hodie adfirment. Alii tamen, a Iulio Cæſare, eundem montem factum tradunt.* Othonem ſequitur SIGONIVS Lib. XIII. p. 326. Oppidum ab Attila erectum fuiſſe putant: CALLIMACHVS atque OLAHVS in Attila. Proſtat omnino hodienum, *Vtinum ſeu Vdine* oppidum, in regione Foroiulii, probe munitum, & Patriarchæ Aquileienſis domicilio clarum: at vero ab agro Aquileienſi, vno alteroue lapide diſſitum. Quod forſitan, recedente Attila, ex ruinis Aquileiæ poſtea enatum, congeſti ab Hunnis, proximi montis Vtinæ, nomen retinuit. Hungarica profecto origine prognatum eſſe videtur. *Vt* enim, Hungaris, viam, *Vton* cum ſuffixa particula, in via, ſignificat. Veriſimile eſt, eo fini collem Vtinum excitatum fuiſſe, partim, vt memoriam Attilæ, ſi Aquileia, potiri non potuiſſet, apud poſteros iuxta vitam ſuſtineat, partim, vt demigrantibus in Italiam, remigrantibusque Hunnis, collis in itinere, hermæ loco fiat. Errant igitur, qui apud PALLADIVM Rer. Forojul Lib. X. *Vdinum*, ab Huldin, duce Hunnorum, conditum fuiſſe arbitrantur. SGHÖNLEBEN. ad an. 405.

## DAPVT XV.

*a*) CUmque diu ciuitatem Aquilegiam obſediſſet, aut eam capere non poſſet, his, qui intra erant, fortiſſime reſiſten-

*a*) Nullius ciuitatis obſidio, vſque adeo priſcorum ſcriptorum ſilentio inuoluta eſt, atque Aquileiæ. Neque enim, per quos duces defenſa, neque, quibus caſibus, &

ſtentibus, exercitus milites, omnisque gens murmurare coeperant, vt tandem fatigatus ab obſidione recederet. Attila autem, cum *b*) murmura militum, vulgique ſenſiſſet, & anxius deliberare cœpiſſet, firmaretne in dies caſtra, an tolleret, cum paucis ex militibus electis adequitans, vna dierum muros ciuitatis Aquilegiæ circumirent, conſpexit *c*) ciconias, aues, quæ in altis vrbis turribus nidificauerant *d*) ex more naturæ, exportantes pullos ſuos de nidis earum, foris ciuitatem ad loca *e*) campeſtria, & in arboribus nidos contra morem exſtruere. Quod videns Attila,

---

& quamdiu oppugnata ſit, SIGONIVS, etiam apud locupletem ſcriptorem, inuenire potuit. IORNANDES de Reb. Get. cap. XLII. vrbem diu obſeſſam fuiſſe ſcribit, quod ſpatium, PAVLLVS DIACONVS *Continuat. Eutropii* Lib. XV. interuallo triennii dimenſus eſt, quem deinde omnes, qui de rebus Attilæ ſcripſere, potiſſimum vero Annales Hungarorum, ſequuti ſunt. Hoc ille vnde acceperit, cognoſci nequit. Certe, M. AVRELII CASSIODORI, & MARCELLINI COMITIS in *Chronic.* atque IORNANDIS in Reb. Get. cap. XL. XLI. teſtimoniis, ſatis liquet, Attilam, anno CCCCLI. Marciano & Clodio Adelpho Coſſ. Ind. IV. in Gallia, cum Aetio concertauiſſe, anno autem CCCCLII. Fl. Aſporatio L. Herculano Coſſ. Aquileiam euertiſſe. Colligere hinc licet, non triennium, ſed aliquot menſes, Aquileiam ab Hunnis obſeſſam fuiſſe. Neque enim rex, gloriæ cupidus, tantam moram perferre, neque miles prædæ inhians, tantum otium tolerare potuiſſet. Recte igitur tempus oppugnationis, ex congeſto colle Vtino, OTTO FRISINGENSIS l. c. colligit. *Tanta autem in obſidione huius vrbis, & mora & multitudo fuit: vt miræ magnitudinis montem Vtinum dictum, quem ipſe vidi, in modum aggeris, ab exercitu comportatum, incolæ vtique hodie adfirment.* Id vero, non triennii, verum propemodum trium menſium, interuallum expoſcit.

*b*) Hæc ex IORNANDE: ſubortum fuiſſe in caſtris Hunnorum murmur, ex inopia commeatus, & continua militum defatigatione, ex THVRÓTZIO, BONFINIO, & OLÁHO pronum eſt colligere.

*c*) IORNANDES, aues candidas nominat, crediderim, ab albis pennis, quas, nigris immixtas habent. Eapropter Græcis πελαργὶ, albis nigriſque pennis diſtinctæ aues, dicuntur. Hinc OVIDIVS Met. VI. v. 96.

*candida pennis*
*Ipſa ſibi plaudit crepitante ciconia roſtro.*

*d*) Ciconia auis, teſte PVBLIO MIMO & PHÆDRO fab. XXVI. auis peregrina, in altiſſimis turrium ædiumque tectis, nidos ponit, quos PETRONIVS cap. LV. ex Publio Mimo, factos in cacabo, explicante BARTHIO Aduers. Lib. LIV. Cap. XXII. f. 2561. ad luxuriam hominum adplicat.

*Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita*
*Pietati cultrix, gracilipes crotaliſtria,*
*Auis exul hyemis titulus tepidi temporis*
*Nequitiæ nidum in cacabo fecit tuo.*

Attila, quorſum, DIACONVS in Continuat. Eutrop. Lib. XV. reſpicit: *cernite.* inquit (Attila) *in ædificiorum faſtigiis nidificare ſolitas, quæ ciconiæ vocantur.*

*e*) Ciconia, quam PVBLIVS pietatis cultricem vocat, non ſolum erga parentes gratitudinem, verum etiam erga pullos, inſignem teſtatur amorem. Nunquam profecto deſerit pater, filium, aut filius patrem, ſed mutuas gerunt curas. BOCHARTVS in HIEROZOICO. P.II.lib.II.cap. XXIX. FRANTZIVS Hiſt. Animal. P.II.Cap. VIII.§. 4. Ciconias Aquileienſes, IORNANDES de Reb. Get. cap. XLII. pullos *per rura forinſecus* comportaſſe,

tila, cum eſſet *f*) ſagaciſſimus, & augurandi peritiſſimus, diu ſubſtitit, rem, quæ gerebatur, ſolerti perquiſitione conſiderans, demum ad ſuos coequitantes ſermonem direxit: Ecce ſignum ruituræ vrbis. Aues ſiquidem, quarum natura eſt, ſummis in vrbium mœnibus nidificare, vi quadam naturæ futurorum *g*) præſcias reſpicere, caſuras arces, periculo imminente, deſerere. Confeſtim inuadenda vrbs eſt. Inſtat enim exitium; nec expugnatio differenda eſt, ne fatalis hora pertranſeat. Quo dicto reuerſus ad caſtra, recitatisque his, quæ viderat, cunctos, omine fauſto inuitauit ad prælium. Tunc igitur, omni telorum *h*) armamentorumque genere, ad expugnationem vrbis concurſum eſt; *i*) nec

---

THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XVIII. ad *arundinetum ipſi ciuitati propinquum detuliſſe*, BONFINIVS atem Dec. I. Lib. VI *per pagorum culmina nidos inſtauraſſe*, auctores ſunt.

*f*) Singularis, in coniectandis rerum euentibus, prudentia, multis documentis, in Attila obſeruatur. Nitebatur ea nihilominus, pro ratione ſuperſtitionis Hunnicæ, non minus *haruſpicinis*, quibus Attila, ante prælium Catalaunenſe vſus eſt, IORNANDES de Reb. Get. cap. XXXVII. conf. ad cap. IX. not. *a*,) quam *auguriis*, *auſpiciis*, & ceteris *ominibus*, ac *prodigiis*. Auguria, ab auium obſeruatione, Romani vocabant, eaque, ex inuolatu auium, cantu oſcinum, & tripudiis ſoliſtimis captabant, vt breuiter, CICERO *Fam.* VI. 6. complexus eſt. DIONYSIVS vero HALICARNASSEVS XI. augurii nomine, omnis diuinationis ſpecies, qua ipſi vtuntur periti, comprehendit, tam eius, quæ in ſignis cœleſtibus & ſublimibus, quam eius, quæ in terreſtribus verſatur.

*g*) IORNANDES: *Reſpicite aues, rerum futurarum prouidas.* OTTO FRISINGENSIS. *Hæ inquam aues futuræ cladis præſagæ.* DIACONVS, *Aſpicite*, inquit, *ad ſuos, iam aues futurorum præſcias, perituram relinquere ciuitatem.* THVRÓTZIVS: *Aſpicite auem, futurorum præſciam.* Ciconiæ, temporum quidem viciſſitudines cognoſcunt, *Ierem.* VIII. 7. impendentem tamen calamitatem haud præuident. Quando igitur nidum, quem ſemel occupauerant, teſte WOLFGANGO FRANTZIO Hiſt. *Animalium* P. II. cap. VIII. nonniſi coacte relinquunt: vel ventorum aſperitate, vel pugnantium clamore, & tumultu, e nidis excitæ, pullos in loca campeſtria extulere. Quæ res, ab Attila conſpecta, in omen, ſagacitate principis, conuerſa fuit.

*h*) IORNANDES. *Qui machinis conſtructis, omnibusque tormentorum generibus adhibitis, nec mora inuadunt ciuitatem.* Iiſdem fere verbis, OTTO FRISINGENSIS. Ita & DIACONVS, *ſtatimque, adhibitis machinis tormentisque, hortatur ſuos. Acriter expugnat vrbem.* Elucet hinc modus expugnandi vrbes & caſtella, Hunnis vſitatus. BONFINIVS, in oppugnatione Aquileiæ, obſeruat, Attilam obſeſſis vrbibus, *arte* primum & *aſtutia* vſum fuiſſe, deinde, quæcunque expugnationi neceſſaria fuerant, *turres ligneas* erexiſſe, muniuiſſeque *pluteis*, & coacta ad *complendam foſſam materia*, *mœnia*, *admotis machinis tentauiſſe*, neque unquam, *ſine magna ſuorum cæde rediiſſe.* Vbi autem neque vi, neque adactis vndique *cuniculis*, neque quauis arte, vrbem capi poſſe viderat: *fame*, obſeſſos expugnare contendebat. Modum, vrbes expugnandi, a Romanis, in quorum caſtris, Hunni militabant, accepit Attila, qui in acie quidem, Aſiatico more, *telis*, *haſtis*, *gladiis*, & *falcatis currubus* præliabatur; veluti ex pugna Catalaunica conſtat: in expugnatione tamen vrbium, *turres*, *pluteos*, *arietes* & *catapultas*, exemplo Romanorum adhibuit. vid. LIPSIVS de Militia Romana. Artem expugnatæ Aquileiæ, prorſus ſingularem, ſed quæ expugnandis vrbibus, haud conuenit, THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XVIII. hunc in modum tradit. *Cumque rex Attila, eo die, ſe nihil profeciſſe potuiſſe conſpexit: die altera, aliud genus periculi, in ipſam ciuitatem excogitauit. Præcepit enim, vt omnis ſuæ expeditionis innumera multitudo, ſellas, de quatuor duntaxat equitibus,*

*i*) nec diu protracta pugna est: vrbs enim continuo capta est, quam Hunni inuadentes, omnia, quæ reperta, diripuere, ferro flammisque cuncta subiecere; non ætati, non *k*) sexui parcentes, eamque ita deleuere, vt vix hodie insignia, vel vrbis *l*) vestigia videantur. Cæsa, eo conflictu traduntur, cuiuscunque etiam ætatis, circiter *m*) triginta septem millia capitum, iuxta traditionem *n*) Prisci Historici, qui eam in litteras retulit.

CAPVT

*tibus, vnam afferrent, & illas iuxta muros, obsessæ ciuitatis proiicerent. Fit igitur ingens congeries, cui tandem ipse rex ignem supponi mandauit. Quibus ardentibus, ciuitatis eiusdem murus, ex ignis vehementia in ea parte debilitatus, & præcipiti ruinæ datus fuisse, dicitur. Quibus visis, rex ipse, rursus cooptato ad bellum innumerabili populo, miseram, & pauitantem ciuitatem adgreditur.*

*i*) Ita IORNANDES: *nec mora, inuadunt ciuitatem, spoliant, diuidunt, vastantque crudeliter.* Hoc modo, DIACONVS etiam: *Statimque adhibitis machinis - - acriter expugnat vrbem, ac sine mora capit, diripiuntur opes, captiuantur vel trucidantur ciues.* THVRÓTZIVS vero in *Chronico* l. c. biduum, in prælio, sub moenibus Aquileiæ, extractum fuisse scribit. Primo ille die, vrbem, ab Hunnis comminus impetitam, altero, debilitatis igne moenibus, per insultum expugnatam fuisse, scribit. Primus omnium Attila, murum, teste BONFINIO, conscendit, militesque suo exemplo, in occupandis turribus confirmauit; id quod, insigne est ducis fortissimi documentum.

*k*) Annales Hungarorum, feminas, execrandæ voluptati seruatas fuisse, adfirmant, quarum, pudicissima Dina vel Dugna, videns, non alia via, præterquam morte, impollutum seruari posse corpus, e summis ædibus, in subiectum Natisonium seu Natissam fluuium, præcipitem se dedit. DIACONVS l. c. cap. XV. THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XVIII. CALLIMACHVS in *Attila*, BONFINIVS Dec. I. Lib. VI. OLÁHVS in *Attila* Cap. XIV.

*l*) IORNANDES de Reb. Get. cap. XLII. *Vastantque crudeliter ita, vt vix eius vestigia, vt appareant, reliquerint.* DIACONVS l. c. *Reliquum direptionis, igni supposito, flamma consumsit.* OTTO FRISINGENSIS Lib. IV. cap. XXVII. *Captamque funditus, vt vix vestigia maneant, deleuit.* FRECVLPHVS Chron. T. II. L. V. cap. CLV. *quam captam ita penitus deleuit: vt vestigia eius ruinæ vix appareant.* Istos, sequuti Annales Hunnorum, funditus dirutam, & solo æquatam vrbem, vti ceteris metus incuteretur, reliquere.

*m*) CALLIMACHVS in Attila, XXXVII. millia cæsorum vtriusque sexus, cum CALANO numerat. BONFINIVS, sub moenibus, X. Aquileiensium millia cecidisse, expugnataque vrbe, omnes ad vnum cæsos fuisse, auctor est. Reliqui, rem gestam alias tradunt. Dicunt Aquileienses, fame laborantes, dispositis per moenia armatis statuis, quæ custodum ordinem mentirentur, ex vrbe, clam, in insulam Gradum confugisse, Hunnosque, ex ciconiis, quæ statuis insederant, cognouisse, se esse illusos, & vrbem desertam. Id vero, merito in dubium vocat, BONFINIVS l. c.

*n*) Oppugnatio Aquileiæ, quam CALANVS ex Prisco refert, conformis est traditioni IORNANDIS in Reb. Get. cap. XLII. Vterque igitur, Priscum de rebus gestis Attilæ, consuluit.

## CAPVT XVI.

INde digressus Attila *a*,) Veronam iter arripuit, vbi & aliquibus diebus perstitit, a Diețherico, qui eam vrbem, sibi tradiderat,

*a*) Sub obsidione Aquileiæ, Veronam cum Taruisio captam fuisse, ad Cap. XIV. not. (e) obseruatum est. Hunni igitur, resumto, expugnata Aquileia, animo, *per reli-*

rat, honorifice ſuſceptus, cui & *b*) Mantua confeſtim paruit: Exinde autem progrediens, *c*) Cremonam, *d*) Placentiam, *e*) Pergamum, *f*) Mediolanum, quæ & Liguriæ metropolis eſt, pari ſorte protriuit, atque diripuit. *g*) Ticinium quoque, ac ceteras Italiæ vrbes, quæ ſui deditionem non fecerant, funditus diruit. Denique *h*) Tuſciam ingreſſus, quacunque iter fecerat, caſtella & vrbes, pari ſorte *i*) deleuit.

CAPVT

*reliquas Venetum ciuitates bachantur.* IORNANDES de Reb. Get. cap. XLII. & HERM. CONTRACT. ad an. 451. adgreſſique Italiam, omnes pene eius ciuitates, aut diruunt, aut diripiunt, aut incendunt. SIGEB. GEMBLAC. ad an. 454. Deleta namque Aquileia, vrbium Italiæ potiri, haud magni admodum negotii fuit. SIGONIVS de Occident. Imp. Lib. XIII. ad an. 452.

*b*) Mantua Italiæ, ad Mincium fluuium iacuit, cuius famam, vel ſolus VIRGILIVS clariſſimam fecit. Deſcribit ille originem eius, AENEID. Lib. X. 198. ſeq.

*c*) Cremona ad Padum, infra Adduæ confluentem ſita, opibus & mercatu fuit celebris. TACITVS Hiſt. III. cap. XIX. XXXII.

*d*) Placentia, antiqua Romanorum colonia, metu belli Punici, & cum Cremona condita. POLYBIVS Lib. III. Cap. XL.

*e*) Bergomum PLINIO & PTOLEMÆO, Pergamum PAVLLO DIACONO, dicitur. Oppidum eſt Cenomanorum in Italia. hodie Venetorum ditionis, non confundendum cum Pergamo Thraciæ. vid ORTELIVS *Theſauro* Geographico, voce Bergomum & Pergamum.

*f*) Mediolanum Liguriæ, metropolim & vrbem regiam adpellat, IORNANDES de Reb. Get. cap. XLII. Ea, per deditionem Hunnis tradita, ciues rogauiſſe Attilam, vti Mediolani regiam ſtatuat, BONFINIVS Dec. I. Lib. VI. adnotat.

*g*) Ticinium oppidum Italiæ ad Padum, a Gallis, teſte PLINIO conditum, ſub Cæſaribus clarum fuit. TACIT. Annal III. Cap. V. Æuo medio Papia, vel Pabia dicebatur. PAVLLVS WARNEFRID. Lib. II. Longob. cap. XV. vnde Pauiæ nomen enatum eſt.

*h*) Tuſcia hodie Toſcana, a Tuſcis accepto nomine, Romanis *Etruria*, Græcis, a Tyrrheno rege, *Tyrrhenia* dicebatur. Protracta fuit a Macro fluuio, Liguriæ fine, ad Tiberim. CELLARIVS *Geograph. antiqu.* Lib. II. cap. X. p. 710.

*i*) IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLII. pene totam Italiam deletam fuiſſe refert. Confirmat SIGEBERTVS GEMBLAGENSIS ad an. 454. *Attila, Italiam adgreſſus, omnes pene eius ciuitates, aut diruit, aut diripuit, aut incendit.* Calamitatem hanc Italiæ, prolixe deſcribit, SIGONIVS de Occid. Imp. Lib. XIII. ad an. 452. *Maritimis his oppidis expugnatis, non recto curſu, ſicut opinio fuerat, ad Padum proceſſit, vt Romam, quod in ſermone iactabat, appeteret, credo, quod Aetium armatum ibi obuium extimuerit; verum, ad dextram conuerſus, ſeſe intra Padum continuit, atque vni prædationi, ac vaſtationi, vt videbatur, vrbium deditus, mediterranea Venetiæ oppida, Taruiſium, Vicetiam, Veronam, Mantuam, Cremonam, Brixiam, Bergomumque petiuit, & capta, ac pariter militari populatione exhauſta ſubuertit. Transmiſſo inde Addua, Liguriam ingreſſus, eandem vrbibus eius intulit labem, Laudi, Como, Nouariæ, Vercellis, Eporoediæ, Taurino, Mediolano ac Ticino, quarum omnium populi formidine conſternati, relictis oppidis, ad montes ferme, & loca ſitus difficultate munita, confugerant. Inde,* vt addit DIACONVS, *ineunte iam, vt opinor, hieme, Padum ſine impedimento traiecit, atque occurrentes Aemiliæ vrbes, Placentiam, Parmam, Regiumque, ſubinde adortus, nullum item in eas exemplum hoſtilis feritatis amiſit. Iam omnia, quæ intra Apenninum, & Alpes erant, fuga, populatione, cæde, ſeruitute, incendio, & deſperatione repleta erant, nullaque mali facies aberat, nefaria per omnes ordines, ſexus & ætates barbarorum auaritia, crudelitate, ac licentia peruagante, cum vir, illa tempeſtate vnicus, ac bello princeps, Aetius, opportunum auxilium, reliquæ iam iam perituræ Italiæ, attulit. Is maximum iam pridem exercitum, ex Romanis, barbariſque contractum, habebat, ita, vt ex*

*æquo,*

## CAPVT XVII.

CVm vero *a*) Romam festinus accederet, vt eam caperet, *b*) sui milites, quibus rerum cura præcipua fuerat, a proposito reuocarunt: non Romanæ vrbis interitu, quam oderant, eius potentiæ stomachati; sed *c*) Alarici, quondam regis Gothorum proponentes exemplum, qui capta & depopulata vrbe ipsa, pauco tempore superuixit. Cuius exemplo audito, perterritus Attila, quasi vrbem Romanam ingredienti diripientique fatale quoddam esset exitium, spoliata & *d*) vastata omni Tuscia, & *e*) Marchia, ac flammis tradita, retrocessit.

CAPVT

---

*æquo, cum Attila iusto confligere prælio posset. qui copias, iam præda graues, ac fame, morbis, atque algore afflictas, & domum repetere cupientes, trahebat. Itaque, cum iam alter annus procederet, quo Opilio Vincomalusque, consulatum gesserunt, cernens illum, recta per Aemiliam, incitato Romam versus impetu, contendentem, superiora Alarici tempora, quibus adhuc, nihil fuerat tristius, auersatus, ad prouinciæ fines occurrit, summo prælio, si opus esset, decertare paratus, atque Aemilienses campos, non minus, quam Catalaunicos, clade Hunnica insignes, posteris proditurum confisus. Attila interim, relicto Regio, Mutinam victoriam, insolentemque exercitum, VII. Kal. Februarias duxit. Expectabant ciues nostri, suspensis ac trepidantibus animis, vltimum in horas, ipsorum vrbis excidium, atque omni humano deplorate auxilio, imminentem pestem auertere, supplicibus solis ad Deum fusis precibus, contendebant, eum repente, quasi cælo auditi, præter opinionem omnium, voti sui compotes sunt effecti. Siquidem Attila, vt Tricassibus, in Gallia, virtute Episcopi S. Lupi pepercit, sic Mutinam in Italia, meritis S. Geminiani, intactam præteriit, neque hostili vllo detrimento affecit. Itaque, Ecclesia Mutinensis, merito hodie quoque, festum accepti huius a sancto suo antistite beneficii, die VII. Kal. Februarias, solemni pompa concelebrat, præclaro pietatis ac relligionis exemplo, iam pridem a maioribus instituto.*

*a*) Attila, subuersis, Italiæ cis & trans Padanæ, vrbibus, Mutina aliquantulum progressus, pedem præter omnium expectationem, retulit, atque exercitum, ad Padum reduxit, Aetio acriter in tergis instante, atque extremum agmen, cædibus ac terrore premente: SIGONIVS de Occid. *Imp.* Lib. XIII. *ad an.* 452. Vbi iam, traiecto ea parte Pado, qua in ipsum Mincius influit, castra trans flumen reduxerat: animum ad occupandam Romam, teste IORNANDE de Reb. Get. cap. XLII. adiecit.

*b*) Hunnorum proceres, non tam amore vrbis permoti, quam diuturnæ expeditionis pertæsi, Attilam ab oppugnatione Romæ, auocant. SIGONIVS l. c.

*c*) Alaricus rex Gothorum, postquam Romam diripuisset: foedo naufragio, in freto Siculo fractus, paucos dies superuixit. IORNANDES de Reb. Get. cap. XXX. ISIDORVS Chron. Got. Era. 449. THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XX.

*d*) Vltra Mutinam, haud progressum fuisse, cum exercitu Attilam, ex IORNANDE & SIGONIO constat. THVRÓTZIVS tamen Chron. P. I. cap. XIX. auctor est, maximam partem Hunnorum, duce Zowardo, in Apuliam penetrauisse, vniuersamque regionem, cum Campania & Lucania, quam ille terram laboris, & Calabriam adpellat, igni ferroque depopulatos fuisse. Tusciam hodie Toscanam, olim Etruriam adpellatam fuisse, ad cap. XVI. not. (h) obseruatum est.

*e*) Marchiæ nomine, agrum Taruisinum seu Taruisium in ditione Venetum, cuius meminit CASSIODORVS Lib. X. Variarum Lect. Calanus intelligit. Hanc enim regionem, Marcam Trauisanam vocari, ORTELIVS Thes. Geograph. voce Euganæi notat.

## CAPVT XVIII.

CUm autem adhuc arderet vrbem, Romanam, ſibi ſubiicere, eamque finali exitio tradere, hæſitaret tamen tunc, rediret ne, an a concepto deſiſteret: ecce *a*) Leo, Romanorum Papa, *b*) imperante tunc principe, Martiano, cum nobili ſenatorum *c*) vrbis comitatu *d*) ad Attilam venit in agro Mantuano, vbi Mincius fluuius, qui de Penaco lacu egreditur, *e*) intra Padum, quo in loco Attila caſtra metatus erat. Cuius aduentu audito Attila, paucis ſociatus, paullulum proceſſit. Leo autem Papa, viſo Attila, de equo deſcendit. Cui *f*) occurrit Attila, & eum gra-

*a*) Leo I. cognomento Magnus, ſummus Romanorum Pontifex, ea gaudebat, cum eloquentia, tum auctoritate etiam: vt non ſolum Attilam, Hunnorum, verum Genſericum etiam, Vandalorum, reges, a depopulatione Romæ auerterit. VRSPERGENSIS Chron. ad an. 453.

*b*) In oriente Marcianus, in occidente Valentinianus III. cuius iuſſu Leo Pontifex, ad Attilam venerat, imperium, ſumma cum poteſtate tenebant.

*c*) De comitatu Leonis Pontificis, nihil IORNANDES adnotavit. SIGONIVS l. c. *honeſtum ei comitatum adiungit.* Præſto enim fuit, teſte SABELLICO, alteruter Conſulum, cum parte ſenatus Romani. Dubitauerim itaque, defuncturum legationis munere Pontificem maximum, ſacris ornatum veſtimentis, & venerando ſacerdotum cinctum collegio, ad modum religioſæ obambulationis, cum labaris & reliquo adparatu ſacro, Attilæ occurriſſe. Id vero THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XXI. fide tamen incerta, hoc modo refert: *Tandem Leo Papa, cum Cleri multitudine, multoque adparatu eccleſiaſtico, diuinis illum præcedentibus vexillis, ad Attilam venit*, quem ſequutus BONFINIVS Dec. I. Lib. VII. & OLÁHVS in Attila Cap. XV. venerandum ſacerdotum collegium, ſacris indutum veſtimentis adiungit.

*d*) Iuſſu Valentiniani imp., veniſſe ad Attilam, Leonem Pontificem, SIGONIVS de Occid. Imp. Lib. XIII. ad. an. 452. HERMANNVS item CONTRACT. ad an. 451. & MARIANVS SCOTVS Lib. II. æt. 6. ad an. 453. tradunt. A populo Romano exoratum fuiſſe, THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XXI. cum OLÁHO cap. XV. auctor eſt. Vtriusque, Valentiniani, inquam, Imp. & Senatus, Populique Romani precibus, permotum, legationem ad Attilam ſuſcepiſſe, ANTON. BONFINIVS. Dec. I. Lib. VII. adfirmat. IORNANDES, contra, de Reb. Get. cap. XLII. *Leo*, inquit, *Papa per ſe ad eum accedit.* Neque aliter DIACONVS l. c. cap. XV. *Nam per ſe vir ſanctiſſimus Leo Papa, ad eum acceſſit.* Et FRANCISCVS PHILELPHVS Epiſtolar. Volum. II. Lib. XVIII. qui XXXIIII. fol. CCXXIV. *Hunni*, inquit, *rege & duce Attila, in Italiam, manu prædatoria deſcenderunt, Leone, viro illo ſanctiſſimo, & vrbis Romanæ Pontifice. Is, audita eruptione hoſtis, tam formidabilis, tam horrendi, tam truculenti, nullo retardatus metu, quin fretus diuina ope, bonaque ſpei plenus, Attilæ ipſi, in ordine & ornatu pontificiali occurrit ad Padum, cum iam eſſet in tranſitu.*

*e*) IORNANDES de Reb. Get. cap. XLII. *Nam Leo Papa per ſe ad eum accedit, in Acrouento Mamboleio*, vel, vti ORTELIVS in *Theſauro* Geogr. voce *Acrouentum*, ex Lectione Forneri oſeruat: *in agro Venetum Ambuleio, vbi Mincius amnis, commeantium frequentatione tranſitur.* Eo loco, vbi Mincius amnis, e lacu Panaco, in Padum delabitur, Leonem Attilæ occurriſſe, BONFINIVS adnotat. Cum enim tot regnorum victor, Mutinam vsque progreſſus, ambigere coepit, Romamne adgredi, an in Pannoniam redire debeat: exercitum, inſtante in tergis Aetio, ad Padum, qua parte in ipſum Mincius influit, reduxit. SIGONIVS de Occid. Imp. Lib. XIII. ad an. 453.

*f*) Nihil hac de re IORNANDES, vel SIGONIVS, ceterique Attilæ rerum ſcriptores. Solus THVRÓTZIVS cum OLÁHO, Attilam, Leoni obuiam proceſſiſſe, incerto argumento com-

gratanter excepit. Cumque allocutus eum esset Leo Papa, *g*) post multos sermones habitos, quidquid voluit, *h*) impetrauit. Fertur autem, inter alia *i*) Leonem Papam dixisse: Rogo, Attila, vt facta nobiscum pace, Italiam exeas; in ipsam de cetero nullatenus reuersurus. Quod se facturum rex, proprio ore spopondit. Soluto colloquio, Leo Papa cum suis, Romam reuersus est; & Attila iuxta sponsionem, quam fecerat, omni furore deposito, retrocedens cum suis, *k*) Danubium pertransiuit.

CAPVT

---

commemorat: id enim, elato regis animo, prorsus aduersum fuisse videtur. Honorifice nihilominus, venerandum antistitem excepisse, & liberaliter, quæ petierat, expromere iussisse, recte, ex IORNANDE colligit SIGONIVS l. c. Ita enim ille: *Qui mox, deposito exercitus furore, & rediens, qua venerat, id est, vltra Danubium, promissa pace, discessit.* Fuit profecto Attila, perhumanus, & supplicibus exorabilis, cuius ingenium mite & tractabile, prolixe ad Cap. XII. not. *r*) descriptum est. Hinc etiam FRANCISCVS PHILELPHVS Epist. Volum. II. l. c. *Quod Attilas cum audisset: non substitit modo, sed, aduenientem Pontificem reuerenter excepit, eumque dicentem perhumaniter audiit, & quod petierat, perbenigne concessit.*

*g*) SIGONIVS l. c. *Quibus tum verbis Pontifex, non solum optimus, sed etiam disertissimus, caussam Italiæ, vrbis atque ecclesiæ Romanæ orauerit, ac quemadmodum regis barbari pectus, dicendo versarit, nemo prodidit antiquorum, neque ad ea ex ingenio confingenda, nobis veritatem sectantibus, suppetit animus: cum hactenus nihil, nisi ex vetustis sumtum auctoribus, attulerimus.* Lepide igitur, pro more suo, ANTON. BONFINIVS Dec. I. Lib. VII. qui elinguibus Hunnorum Hungarorumque ducibus, subinde disertissimas confingit orationes, grauissimis refertum auctoramentis, Leonis Pontificis, ad Attilam sermonem, verbis prolixis recitat.

*h*) Pacem vrbi & vniuersæ Italiæ, oratione grauissima, impetrauit ab Attila, antistes optimus. IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLII. SIGEBERTVS Gembl. ad an. 454. HERMANVS Contractus ad an. 451. MARIANVS SCOTVS Lib. II. æt. 6. ad an. 453. annuum pollicitus tributum, SIGONIVS Lib. XIII. ad an. 453. OLAHVS in Attila Cap. XV. & præterea cum portione regalium opum, Honoriæ, Valentiniani imp. sororis connubium, quod nisi tempore iusto præstitum fuerit: rex multo grauiorem, vniuersæ Italiæ interminabatur calamitatem. IORNANDES l. c.

*i*) FRANCISCVS PHILELPHVS l. c. *Petierat autem aliud nihil, præter id vnum, ne Padum traiiceret. Considerauerat enim Pontifex sapientissimus, sibi atque Italiæ satis fore, si ab homine, sæuitia efferato, atque prædæ auido extorqueret: ne interius Christianos populos discerperet. Iam enim post incredibilem hominum, omne genus cædium, Aquileiam vrbem nobilem ac vetustam, solo æquarat, & vniuersam ferme Venetiam diripuerat ac vastarat.*

*k*) IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLII. Qui mox deposito exercitus furore, & rediens, qua venerat, id est, vltra Danubium, promissa pace discessit. Scilicet, in Scythiam, in qua sedes Attilæ, apud Tissiam amnem, teste PRISCO RHETORE de Legat. p. 106. posita fuit. Ante vero Rauennam, solutis castris diuertisse, ac archipræsulem, Ariana fœdatum improbitate, in captiuitatem traxisse, THVRÓTZIVS l. c. tacentibus reliquis scriptoribus, auctor est. Caussa reditus in Pannoniam, non tam auctoritas, & persuasoria Romanorum antistitis oratio, quam, quod Hunnorum exercitus, *fame, peste, morbo, cædibusque insuper ab Aetio attritus* fuerat, a IORNANDE & HERMANO Contracto ad an. 451. in collect. Canisii p. 463. adfertur. Neque vero, quo irruperat in Italiam, eodem domum reuerterat itinere. Noricum versus, castra mouit: ne per loca ruinis strata, agrosque, recenti adhuc igne fumantes, atque ab omni genere alimentorum inopes, exercitum præda onustum reduceret. SIGONIVS l. c.

CAPVT

## CAPVT XIX.

IN litteras autem a plerisque historicis *a*) relatum est, cum Attila a suis argueretur: quod vni sacerdoti inermi, tam potentissimus obedisset, cuncta quoque, quæ petiuerat, indulsisset; Attilam dixisse hunc sermonem: Vidi ad latus sacerdotis illius *b*) stantem virum miræ magnitudinis in veste candida, euaginato gladio, mihi mortem minitantem, nisi continuo, quæ peteret ipse, fecissem: vnde territus, feci. Igitur, Attilam, *c*) admirati milites vidisse, quem cum præsto essent ipsi, non viderant, numen recte arbitrati, fuisse, quo territus Attila, qui numquam antea terreri potuerat, obsequens pontifici fuisset, factum eius laudauere: quippe *d*) cælesti infusione, præuisum.

CAPVT

*a*) PRISCVS Rhetor. de Legat. p. 64. verbis paucissimis, res gestas Attilæ in Italia refert. *Attilas, vastata Italia ad sua se retulit.* Nihil itaque de adstante, Leoni Pontifici, genio, vel ipse, vel IORNANDES retulit. SIGONIVS de occid. Imp. Lib. XIII. ad an. 453. rem hanc mirabilem, maiorum traditione auditam fuisse, adnotat. Eam profecto, nulli alii magis, quam Hungarorum referunt annales. THVRÓTZIVS inquam Chron. P. I. Cap. XXI. ANTON. BONFINIVS Dec. I. Lib. VII. RANZANVS Ind. V. CALLIMACHVS in Attila, OLAHVS in Attila Cap. XV. cuius tamen INCHOFERVS in Annalibus Ecclesiast. ad an. 1451. seq. nullam, quod mirum est, mentionem facit.

*b*) SIGONIVS, vnius tantum habitu sacerdotali, a tergo adstantis, & forma augusta, atque canicie venerabili præditi, principis Apostolorum genii, meminit, quem THVRÓTZIVS veneranda canitie, aspectu seuerum, & manu frementem, dentibusque stridentem; CALLIMACHVS contra, forma iuuenili & humana specie augustum depingit. Duos, BONFINIVS cum RANZANO, numerat, & alterum quidem Petri, alterum autem Paulli, diuorum Apostolorum genium fuisse, scribit. Vtrumque RANZANVS cum OLAHO, supra caput Leonis volantem, SIGONIVS vero cum reliquis, antistiti a tergo adstantem, conspectum fuisse referunt. Qua in re, leuis inter historiographos controuersia, obseruatur.

*c*) Hac occasione, vulgo inter Hunnos sermo percrebuit: Attilæ ferociam, a duabus tandem feris fuisse perdomitam, Lupo in Gallia, & Leone in Italia, cum Lupum, Tricassinum episcopum, & pontificem significare vellent Leonem, SIGONIVS. OLAHVS l. c.

*d*) Vetustam, de Iaddi summi pontificis occursu, quo ille, inflammatum ira, M. Alexandrum placauit, prælectisque Danielis vaticiniis, genti Iudaicæ conciliauit, Ebræorum traditionem, pia Historiographorum meditatione, ad interuentum Leonis M. adplicatum fuisse existimauerim. Ea de re, legi poterunt: IOSEPHVS Antiquit. Lib. II. Cap. VIII. EVSEBIVS in Chron. Augustus TORNIELLVS in Annalibus sacris & profanis, ad A. M. 3721. n. I. f. 241. 242. Ceterum, rem, de adstante Leoni Pontifici genio, in dubium vocat, piisque commentis accenset. Rudolphus ROTH in Attila, §. 44.

## CAPVT XX.

REuersus ergo de Italiæ iam fusæ, iam laceratæ, iam ad vltimum deductæ, partibus, Attila, *a*) in Pannoniam venit, & in-

*a*) IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIII. *Reuersus itaque Attila in sedes suas*, quas PRISCVS RHETOR Excerpt. de Legat. p. 106. in regione Iazygum Metanastarum, SIGONIVS vero Lib

ingenti coacto exercitu, *b*) Alanos bello adgreditur. *c*) Alani autem tunc erant *d*) ſub imperio Theodomir Oſtrogothorum Regis, filii Triarii regis, Fratris autem Walamer, qui *e*) cum Theodorico eorum fratre, qui in bello, de quo ſupra mentio habita eſt, pugnante Etio Patritio, cum Gothis, quorum auxilio ab Romanis principibus miſſus fuerat contra Attilam, pugnans interemtus fuerat, pace in dies - vt Etius auctor fuerat, Gothorum regnum poſt multas varietates obtinuerat, ab interiori Scythia egreſſus, Alanorum Prouinciam occupauerat. Hic Theodomir, genuit *f*) Theodoricum Magnum, cognomine Walamer, qui poſt Ravennæ ſedens, totam vſurpans poſſidebat Italiam *g*)

CAPVT

---

Lib. XIII. p. 130. in Scythia exſtitiſſe ſcribunt. Annales contra Hungarorum, regiam Attilæ, communi nomine in Pannonia, & quidem Sicambriæ quærunt. Qua de re alibi in Priſco.

*b*) Reuerſus ex Italia in Scythiam Attila, Martiano, orientis imperatori, bellum denuntiat: propterea, quod, promiſſum ſibi a Theodoſio tributum, minime ſoluebatur. PRISCVS Rhetor Legat. p. 64. IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIII. ſed & nouam in Aſiam & Africam expeditionem, animo ſuo agitaſſe eum, THVRÓTZIVS Chron. P. I. Cap. XXII. cum BONFINIO Dec. I. Lib. VII. & OLAHO in Attila Cap. XVI. auctor eſt. Mox, immutato conſilio, in Alanos, Ligeris accolas, ſi IORNANDI fides habenda eſt, arma conuertit. Relationem tamen hanc IORNANDIS in dubium vocant, BONFINIVS, CALLIMACHVS, OLAHVS.

*c*) Haud confundendi, cum Albanis Aſiæ populis: a PLINIO & PTOLEMÆO in Sarmatia Europæa, iuxta Tanaim fluuium locantur. Eorum pars altera, aduenientibus Hunnis in Europam emigrauit, atque iuxta Ligerim, cum Sangibano rege conſedit. IORNANDES de Reb. Get. Cap. XXXVII. XLIII. altera, iugo Hunnorum in Sarmatia ſubiecta, auctore Alberto Vtjukio KOIALOWITSIO, in Hiſt. Lithuan. Dantiſci 1650. 4. in Lituanorum gentem tranſiit.

*d*) Error Calani de Theodomiro, quem, cum Thoriſmundo rege Veſtrogothorum confundit, ſupra ad Cap. VII. not. *i*) *k*) Cap. X. not. *g*) obſeruatus eſt. Neque vero Alani, vel Thoriſmundi, vel Theodomiri & Valamiri, poteſtati ſuberant. Sangibanum enim iis imperauiſſe, eumque nullius imperio ſubiectum fuiſſe, ex IORNANDE de Reb. Get. Cap. XXXVII. elucefcit. Thoriſmundus igitur, rex Veſtrogothorum, Alanis ſociis in auxilium veniſſe dicitur: vti fraudem Attilæ, artibus bellicis ſubuerteret. IORNANDES l. c. Cap. XLII.

*e*) Theodoricus, Thoriſmundi regis Veſtrogothorum frater, perperam, cum Theodorico patre, qui in prælio Catalaunico occubuit, a Calano confunditur. Vid. IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIV.

*f*) Theodoricus M. ſeu Dietericus Veronenſis, rex Oſtrogothorum, qui e Pannonia in Italiam cum Oſtrogothis emigrauit, filius fuit, omnino, Theodomiri regis Oſtrogothorum, quem tamen CALANVS, Alanis imperauiſſe, cum Thoriſmundo permiſcet, IORNANDES de Reb. Get.

*g*) Totum iſtud Caput ſaucium eſt, cui ex IORNANDE de Reb. Get. Cap. XLIII. & SIGONIO Lib. XIII. p. 330. hoc modo medebimur: Reuerſus ergo de Italiæ prorſus contuſæ & laceratæ, *atque etiam* ad vltimum *exitium* deductæ partibus, Attila in Pannoniam venit, & ingenti coacto exercitu, Alanos bello adgreditur. Alani autem tunc erant ſub imperio Theodomir regis Oſtrogothorum, filii Triarii regis, fratris autem *Valamer*, qui cum Theodorico, eorum fratre, qui in bello, de quo ſupra mentio habita eſt, pugnante Etio Patricio, cum Gothis, quorum auxilio, a Romanis principibus miſſus contra

## CAPVT XXI.

REx igitur *a*) Theodomir, collecto vndique Gothorum exercitu, aduersus Attilam perrexit in prœlium. Inter quos varia fuere certamina & bella grauissima, in quibus nunc Attila inferior, nunc Theodomir, (vt se ostentant bellorum euentus) fuisse dicitur, vt scribit horum *b*) Iornandes historicus. Demum vt idem refert, in campis Catalaunicis vltimum factum est bellum, vbi paullo ante Etius Attilam, & fratrem eius Bledam, superauerat. In quo prælio, tanta *c*) multitudo exercitus Hunnorum occubuit, vt vix pauci cum Attila euadere potuissent. Theodomir vero Gothorum rex, victoriam assecutus, Hunnorum graui persecutione exercitum depopulans, de finibus Alanorum eiecit. Sic ergo, vt dicit *d*) Iordanis, Attila rex, multarum gentium dominus, vt antea orbi terrarum terror, inuisus, dum proditoris famam, qua aspersus fuerat, quærit abiicere, (nam in prædictis campis, ob quondam Etio Patricio & exercitu Romanorum & Gothorum fuerat superatus) gemina tum est passus confusionis opprobrium. Nam inde recessit inglorius in Pannonias.

CAPVT

tra Attilam pugnans interemtus fuerat, *pacate in dies multos*, vt Etius auctor fuerat, Gothorum regnum, post multas varietates, obtinuerat. Igitur ab interiori Scythia & Pannonia, in qua tunc Hunni, cum diuersis subditis nationibus insidebant, egressus Attila, Alanorum prouinciam occupauerat.

*a*) Thorismundum scribit Iornandes de Reb. Get. Cap. XLIII.

*b*) Solus Iornandes de Reb. Get. Cap. XLIII. alterum, aduersus Alanos susceptum in Gallia bellum Attilæ recenset. Sigonivs Lib. XIII. ad an. 453. p. 331. quod merito in dubio relinquunt, Bonfinivs Dec. I. Lib. VII. Callimachvs in Attila, Olahvs in Attila, Cap. XVI. eo, quod non solum Chronicon Hungarorum apud Thuróczium, verum reliqui etiam rerum Hungaricarum scriptores, tantam cladem, tantumque dedecus, illatum Attilæ, reticeant.

*c*) Nihil de clade Iornandes: dum alterum in campis Catalaunicis commissum prælium recenset. Ita vero ille: *Sed Thorismundus rex Vesegothorum, fraudem Attilæ, non impari subtilitate persentiens, ad Alanos tota subtilitate prius aduenit, ibique superuenientis iam Attilæ motibus, præparatus occurrit, consertoque prælio, pene simili eum tenore, vt prius in Catalaunicis a spe remouit victoriæ, fugatumque a partibus suis, sine triumpho remittens, in sedes proprias, fugere compulit.* de Reb. Get. Cap. XLIII.

*d*) Iornandes l. c. *Sic Attila famosus, & multarum victoriarum dominus, dum quærit famam perditoris abiicere, &, quod prius a Vesegothis pertulerat, abolere, geminatam sustinuit, ingloriusque recessit.*

CAPVT

## CAPVT XXII.

ITaque reuerſus Attila rex, modico poſtea tempore viuens, tali morbo defecit, *a*) vt apud Priſcum *b*) Eutropiumque, & plures hiſtoricos in litteras relatum inuenio. *c*) Poſt innumeras ſiquidem vxores, quas ex more habere licuerat, *d*) formoſiſſimam admodum nobilem iuuenem, *e*) Hildico nomine vxorem

*a*) Nihil de morte Attilæ apud PRISCVM in ſcriptis, quæ hodie exſtant. Ex EVAGRII tamen Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap. XVII. colligitur, Priſcum in libris deperditis, huius rei mentionem quandam feciſſe. Ita vero ille: *Iisdem temporibus bellum illud, multorum ſermone celebratum, ab Attila, Scytharum rege, excitatum eſt. Quod quidem Priſcus Rhetor accurate ſimul ac diſerte conſcripſit, ſingulari elegantia nobis exponens, quomodo ille, aduerſus orientalis & occidentalis imperii partes, expeditionem ſuſceperit, quotque & quantas vrbes captas, ſub ditionem ſuam redegerit, quibus denique rebus geſtis ex hac luce migrauerit.* Idem eluceſcit, ex IORNANDE de Rebus Get. Cap. XLIX. p. 142. *Attila, vt Priſcus hiſtoricus refert, extinctionis ſuæ tempore, Ildico nomine ſibi in matrimonium ſocians.*

*b*) Eutropius Sophiſta Italus, vt eum vocat SVIDAS, voce Eutropius f. 912. ed. Cantabr. 1725. probe ab Eutropio presbytero, de quo GENNADIVS, in illuſtrium virorum Catalogo, diſcernendus, Breuiarium rerum Romanarum ab V. C. vſque ad Flauium Valentem Auguſtum, cui & opus ſuum dicauit, ſtilo parum concinno, produxit. Compendio Eutropii, PAVLLVS DIACONVS, monitu Adilbergæ, Deſiderii Longobardorum regis filiæ, ſua inferſit, vt liquet, ex vndecim primis Hiſtoriæ miſcellæ libris. Gerh. Ioan. VOSSIVS de Hiſtoricis Græcis. Ioh. Albert FABRICIVS Biblioth. Lat. Lib. III. cap. 9. §. 6. 7. Ea igitur, quæ de rebus Attilæ, in Additamentis Eutropii leguntur, DIACONO debentur.

*c*) Attilam, more gentis, complures habuiſſe vxores, IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIX. refert, quas nonnulli, e filiarum etiam numero, lectas fuiſſe, ex PRISCI Legat. p. 100. incerta opinione colligunt. Hinc vero, non tam thygateromiam, ſeu nuptias filiarum, quam polygamiam, quæ apud pleraſque gentes in vſu fuerat, ingenioſiſſime elicit, Attilamque, pro inſigni in gentem Hungaricam amore, a tam enormi & execrando flagitio, doctiſſime vindicat, illuſtris PIVS NICOLAVS GARELLIVS, Archiater Cæſareus & Auguſtæ Biblioth. Vindob. Præfectus, in eruditiſſima, quam ad me, nuper admodum, de IVVENCO dedit, epiſtola. Quæ, vti CALANO præmitteretur, non minus, incredibile in promouendis ſtudiis Hungaricis, illuſtris viri ſtudium, quam ſingulare, de Iuuenco, rebusque Hunnorum, argumentum, iure quaſi ſuo imperauit. Ceterum, anne nuptiæ agnatorum cognatorumque, ſi quas, lege Hunnica permiſſas fuiſſe, euinci poteſt, iuri naturæ conueniant, apud PRISCVM, loco ſuo, examinabitur. Eas, profecto, iure naturæ minime prohiberi nonnulli cenſent. conf. Chriſt. THOMASIVS Iurisprud. diuina Lib. III. Cap. II. §. 203. 221. Sed hac de re alibi in Priſco. His itaque, quas ante expeditionem Gallicam & Italicam, domi ſuæ aluit, vxoribus, Honoriam quoque, Valentiniani III. imp. ſororem accenſeri voluit, eo potiſſimum fine: vti cum ea opes ingentes, & imperium Romanum accipiat. PRISCVS RHETOR de Legat. p. 62. 63. Ea dum Valentiniani III. auaritia negatur: non ſolum imperium occidentale inuadit, PRISCVS l. c. TIRO PROSPER, apud Caniſium, T. I. p. 173. verum grauiora etiam, redux ex Italia, Romanis minatur, IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLII.

*d*) IORNANDES, & ex eo Paullus DIACONVS, *valde decoram* notat, vnde IVVENCVS, *omnium formoſiſſimam* fuiſſe colligit, forte propter formam corporis candidam, qualis ſub cælo Germanico, puellis contingit, qua, aduſtas ſolis ardore feminas Hunnicas, facile, ſponſa Attilæ, ſuperaſſe cenſebatur.

*e*) IORNANDI ex Priſco, *Ildico* dicitur. Eo nomine, & ANTON. BONF. Rer. Hung. Dec. I. Lib. VII. eam adpellat. *Hildiconem* vocant, CALLIMACHVS in Attila, & SIGONIVS de Occid.

rem ſuperinduxerat. In cuius nuptiis, *f*) cum in ipſius amorem exardeſceret, maxima gentium aulicarum exterarumque *g*) lætitia fuit. Ipſe ergo conuiuio diſſolutus, cum & interdiu ludis plurimum intendiſſet, aliisque variis luxuriarum generibus, quæ hominum mentes oblectant; dum nocte adueniente, cubiculum, in quo puella virgo nobilis Hildico ſe poſuerat, ſolus intraſſet *h*) vino

---

cid. Imp. Lib. XIII. p. 332. *Hyldegundam*, AVENTINVS de Reb. Boiorum Lib. II. f. 237. edit. Baſil. 1580. Annales Hungarorum apud THVRÓTZIVM Chron. P. I. cap. 22. & OLAHVS in Attila cap. XVI. *Mykoltham*; RITIVS vero de Rebus Hungariæ Lib. II. f. 234. MILZOTHAM nominant, quam PAVLLVS DIACONVS in Continuat. Eutropii Lib. XV. p. 386. edit. Amſtel. 1625. in 12. *indicto nomine* exprimit, & CHRONICON Alexandrinum Olymp. CCCVII. p. 737. *pellicem Hunnam* vocat. Eam, regis Bactrianorum fuiſſe filiam, neſcio, vnde acceptum tradidere Annales Hung. apud THVRÓTZIVM, quos etiam ſequuntur, ANTON. BONFINIVS, OLAHVS, RITIVS. Rectius certe AVENTINVS l. c. eam, Herrici reguli Francorum filiam nominat. Eius crediderim Errici, cuius pater Sigebertus, in demigratione Francorum, regulus, cum vndecim proceribus, electus fuerat, AVENTINVS Lib. II. p. 238.

*f*) IORNANDES, non amore, ſed *magna hilaritate*, *reſolutum* fuiſſe Attilam, reliquit. Nulla profecto, vel veneris, vel intemperantiæ indicia, die hoc, in Attila obſeruantur: quidquid de vtroque, Annales Hungarorum, referant crimine. Hunc enim in modum THVRÓTZIVS Chron. P. I. cap. XXII. *Mulier*, inquit, *illa ad latus ipſius iacens, de ſomno euigilans, dum in dominum ſuum amplexibus vti voluiſſet: corpus exanime, rigidum pariter & infrigidatum tangendo, perſenſit.* Et BONFINIVS Dec. I. Lib. VII. *Comparatis pro regis dignitate nuptiis, per omnem intemperantiæ licentiam, in coniugali conuiuio ſibi indulſit, Baccho ac Venere, corpus ita ea nocte confecit: vt inter dormiendum, ſupino corpore, profluuio ſanguinis, e naribus, continuo ſuffocatus interierit.* Vtrumque repugnat integerrimis, grauiſſimisque Attilæ moribus, quos PRISCVS Rhetor. Excerpt. Legat. p. 129. potiſſimum in conuiuio admiratur.

*g*) Quo ritu nuptiæ Hunnorum peractæ fuerint, nihil hac de re adnotatum reperimus. Quando autem Hunni, omnia a re diuina occipiebant: veriſimile eſt, Haruſpices quoque, cumprimis in nuptiis regiis, exta victimarum inſpexiſſe, ex iisque, de felici & infelici matrimonio, prædictiones accepiſſe; id, quod, apud Hunnos, in omni re ardua, frequentatum fuiſſe, ex IORNANDE colligitur. Superſtitionis huius, haud exilia, hodienum ſuperſunt, in gente Hungarica, veſtigia. Die enim connubio Sacra, apud rudiores, non minus ſponſa, ritu ſuperſtitioſo, aduerſus quasuis incantationes magicas præmunitur: verum, diuerſa etiam, ex rebus actionibusque diuerſis, de futura matrimonii conditione, omnia capiuntur. Haruſpicinam, conuiuium, & iſtud, ludi Circenſes, excepere. Conuiuia Attilæ, pro more gentis, opipare inſtruebantur. Nihil enim, quod vel ad luxum, vel ad magnificentiam pertinere videtur, prætermittebatur. Fercula, aureis argenteisque vaſis, diuerſis vicibus, triclinio inferebantur, concertantesque inter ſe poculis conuiuæ, ad ſeram vſque noctem, luxurioſius epulabantur. Sublatis epulis, victoriæ primum, virtutesque Hunnorum bellicæ, lætis carminibus, ab incentoribus recitabantur. Poſt cantus & carmina, Hiſtriones & Mimi prodibant. qui, vel arguta & ingenioſa, vel abſurda & prodigioſa dictione, perfuſos lætitia conuiuas, in riſum & cachinnos prouocabant. PRISCVS. Excerp. de legat. p. 126. 127. 128. 129. Nihil hic, quod mirere de choreis, nihil de compotationibus, & intemperantia. Ceterum, ludi Circenſes, vel ante cænam peragebantur, vel, in diem ſequentem, ſin exiguum temporis ſpatium ſupererat, transmittebantur. Præcipua eorum genera fuerunt: *Curſus*, *pugna equeſtris*, *haſtiludium*, & *ſagittatio in hyppodromo*. quorum priora duo, cum Romanis communia, vid. ROSINVS Antiquit. Rom. Lib. V. cap. XI. poſteriora, Scythis potiſſimum propria fuere. Currebant autem equis, *vſque ad pernicitatem leues*, MARCELLINVS Lib. XXXI. c. 2. colludebantque, partim *circumequitando*, partim *excurrendo*, & *opportune receden-*

*h*) vino repletus & cibis, laſſitudine, quantam numquam antea contraxerat, diſſolutus ſomno, vt & ſic preſſis naturaliter euenit, ingrauatus ſe ſuper cubiculum ſupinus, vt erat, iniecit, & ore aperto graui ſomno oppreſſus accubuit. Repente igitur laborante onerolitate naturæ, exundans eius ſanguis de naribus, qui ſæpe ſolitus erat effluere, in os iacentis defluens copioſius, non ſui iam compote corpore, obſtruſo vitali ſpiritu, iacentem regem ſupinum e veſtigio præfocauit. Igitur, taliter *i*) ſuffocatus,

---

*cedendo.* Zosimvs Lib. IV. p. m. 747. Subinde, pugna equeſtris inſtituebatur, qua, vel fugientes, ab inſectatoribus, recta effuſo curſu, vel inſectatores, a fugientibus, ex aduerſo, maximo impetu oppugnabantur. Hac arte pugnandi exercitati, cum hoſte quoque, pro ſua conſuetudine dimicabant. Agathias Lib. V. Cum pugna equeſtri, *haſtiludium* & *ſagittatio*, quibus Hunni cumprimis excellebant, coniungebatur. Erant ſane, Hunni, optimi in equo ſagittarii, qui inter equitandum, etiam peririſſime iaculabantur. Procopivs Lib. II. Gothic. conf. Prodromvs Hungariæ Lib. II. Sect. I. Cap. I. §. 17. ſequ. Veſtigium vetuſti huius ritus, hodienum, inter Hungaros, in nuptiis obſeruare eſt. Aduentante enim ſponſo, delecta equitum turma, adpenſo victoriæ præmio, in ſpatioſum effunditur campum, diuiſaque in duas ſponſi ſponſæque factiones, velociſſima, pro conſuetudine gentis, pernicitate, edito curſus indicio, ſcopum verſus prouehitur. Qui primus, abſoluto curriculo, metam contingit, victor, reportato præmio, pronunciatur. quæ res, haud leuem, ſponſo, gloriam conciliat: quodſi factio eius, quæ ſumma contentione, cum factione ſponſæ, de laude præmioque concertare ſolet, victoriam reportauerit.

*h*) Non tam vino, ciboque grauatus; erat namque frugalis, Priscvs Rhetor. Excer. Legat. p. 129. quam effuſa lætitia, teſte Iornande defatigatus, laſſata ſomno membra, in thalamum coniecit. Recte proinde Franciscvs Foris Otrokócsi Orig. Hung. P. I. cap. 4. §. 19. incerta ea eſſe cenſet, quæ, de temulentia temperantiſſimi principis, inuidia Chronographorum tradita ſunt.

*i*) Auctor, Iornandem Scriptorem, ſane Hunnis iniquum ſequitur. Ita vero ille in Reb. Get. Cap. XLIX. de morte Attilæ *eiusque in nuptiis magna hilaritate reſolutus, vino ſomnoque grauatus, reſupinus iacebat, redundansque ſanguis, qui ei ſolite de naribus effluebat, dum conſuetis meatibus impeditur, itinere ferali faucibus illapſus eum extinxit.* Eadem Pavllvs Diaconvs Continuat. Eutropii Lib. XV. recenſet. *ob cuius nuptias, profuſa conuiuia, exercens, dum, tantum vini, quantum nunquam antea, inſimul bibiſſet, cum ſupinus quieſceret, eruptione ſanguinis, qui ei de naribus ſolitus erat effluere, ſuffocatus & extinctus eſt.* Ex Iornande, Gotthicæ, hoc eſt, dubiæ fidei ſcriptore, ſua depromſere Chronographi Hungarorum, qui mortem Attilæ, communi ſententia, turpiſſimo temulentiæ vitio, adſcribunt. Tantum vero abeſt, vt princeps temperantiſſimus, in quo frugalitatis virtus, cumprimis eminebat, intemperantiæ & ebrietatis argui poſſit: vt potius crimen hoc, a cœna regia conuiuiisque prorſus exulauerit; id, quod, ex Prisco ad notam f.) commonſtratum eſt. Prognatam igitur e liuore Iornandis, de morte Attilæ ſententiam, prorſus reiicimus, ſed, ne Marcellini quidem Comitis Illyricani relationem, adprobamus. Refert ille in Chronic. Indict. VII. Attilam iuſſu Aetii a muliere cultro confoſſum. *Attila rex Hunnorum, Aetii hortatu, noctu, Prouinciæ mulieris manu cultroque, confoditur.* Quod, quia dubium eſſe auctori videtur, *Sanguinis reiectione necatum*, ex aliorum traditione adiicit. At vero, quodſi mulier, proterua temeritate, tantum principem enecare auſa fuiſſet: non ferro, palam, ſed veneno, clam, impiam deſtinationem, perfeciſſet, quod Franc. Foris Otrokócsi. Orig. Hung. P. I. Cap. IV. §. 19. callidiſſime coniecit. *Puellam*, nihilominus, *de nece Attilæ ſuſpectam*, primo impetu fuiſſe, auctor Chronici Alexandrini, Olymp. CCCVII. p. 737. edit. Monach. 1624. in 8. notauit. Reiecto ira-

tus, in bellis gloriosissimus, & potentissimus Hunnorum rex Attila, diuersarum gentium, victor occubuit. *k*) cui ebria impudentia, pudendum finem dedit.

CAPVT

itaque turpissimo, quod per temulentiam, acceleratum censent nonnulli, mortis genere *hæmorragia narium*, quam somno sepultus princeps, minime senserat, extinctum fuisse Attilam, facile IORNANDI concesserimus. Laborabat enim Attila sœpius, reiectione cruoris, cumprimis vero, vbi sanguis, motu vel adfectu vehementiore, in profluuium concitatus fuerat; id, quod IORNANDES, atque ex traditione eius, Paullus DIACONVS & CALANVS obseruauere. Nobiscum sentit CHRONICON ALEXANDRINVM, nullam temulentiæ caussam adducens: *Attila sanguine, ex naribus prorumpente extinctus est, noctuque cum pellice Hunna, quæ puella de nece suspecta fuit, dormiens, in tabernaculum delatus est.* Et MARCELLINVS comes, ex mente aliorum: *Quidam, sanguinis reiectione eum necatum, perhibent: Quoniam vero, subito rebus humanis*, teste Paullo Diacono. Hist. Miscellæ. Lib. XV. *excessit*: SIGEBERTVS Gemblacensis ad an. 455. *apoplexia* extinctum reliquit. Ceterum, *iusto DEI iudicio*, mortem Attilæ accidisse, vltro OTTONI Frisingensi, Chronic. Lib. IV. Cap. XXVIII. f. 96. largimur: *vt qui, semper humanum sanguinem sitiuerat; proprio quoque sanguine, suffocatus interiret.* Quod dum, euidentibus probari potest testimoniis, nescio, quam ob rem, OTROKÓCSIVS l. c. ex funebri quadam cantilena, expunctum velit: *örömének elsô napján meg fuladott vala*, id est: die primo sui genialis gaudii suffocatus fuit.

*k*) Verba sunt IORNANDIS l. c. *Ita, glorioso per bella regi, temulentia, pudendum exitum dedit.* Vindicatam ex PRISCO a temulentiæ crimine, subitam Attilæ mortem vide not. h. i.

## CAPVT XXIII.

PUella autem, quæ timens valde, *a*) ab vna parte cubiculi latebat, exspectans regis imperium, dum diu sustinuisset, neque a rege sensim ad oblectamentum aliquod vocaretur: verecunda tamen ad cubiculi partem, qua se rex iniecerat, pedetentim accessit, & vt vidit eum mortuum iacere ore operto, & a decursu e naribus sanguine, ingemuit, mouens tamen & quatiens persæpe, si vel grauiter obdormiscens, excitari potuisset. Sed quid? frustra tentabatur, immobile iam & exanimatum corpus, perpetuoque somno traditum, excitari non poterat. *b*) Sequenti sane die, elapsa tamen magna diei parte, ministri regis admirati, quod

*a*) Dissentiunt a PRISCO, quem IORNANDES & CALANVS sequuntur, Annales Hungarorum. Iis enim, absque omni veterum auctoritate, adnotatum est, sponsam in thalamo regis cubauisse, Attilamque, confecto Baccho ac Venere corpore, mortem turpissimam opetiuisse. vid. THVRÓTZIVS Chron. P. I. Cap. XXII. BONFINIVS Dec. I. Lib. VII. Hæc vero ex CHRONICO Alexandrino depromta esse videntur: *Attila, sanguine ex naribus prorumpente, extinctus est, noctuque, cum pellice Hunna, quæ puella de nece eius suspecta fuit, dormiens, in tabernaculum delatus est.* Olymp. CCCVII. p. m. 737. Nihil horum apud IORNANDEM: neque enim rex, post diutinam corporis defatigationem, aliud, quam quietem nocturnam quæsiuit.

*b*) Hæc, cum relatione IORNANDIS conueniunt. *Sequenti vero*, ait ille, *luce, quum magna pars diei fuisset exemta, ministri regii, triste aliquid suspicantes, post clamores maximos, fores*

quod non aperiretur cubiculum, validis ad vltimum clamoribus vociferare cœperunt, & cum neque vlla vox aut ſonus ederetur, vehementius admirati, oſtiis infractis intrauere cubiculum, & eleuata cortina, viderunt regem Attilam ſupinum ore aperto iacentem, inundatione ſanguinis, qui de naribus effluens, os eius intrauerat interemtum: *c*) Puellam quoque iuxta cubiculum ſedentem, demiſſo vultu, ſub velamine lacrymantem. Tunc miniſtri, vocatis omnibus proceribus, & exercitus *d*) principibus, oſtenderunt eis, Attilæ, ſine vulnere, decurſu ſanguinis præfocati corpus. Illi ergo, vt eſt mos Hunnorum, *e*) crinium parte truncata,

*fores effringunt.* de Reb. Get. Cap. XLIX. Cum Iornande, SIGONIVS de Occid. Imp. Lib. XIII. ad an. 454. p. 332. aliique Chronographi ſentiunt. Annales contra Hungarorum, ea nocte, qua extinctus eſt, experrectam mulierem, fatum regis, elato luctu, promulgauiſſe, & cubicularios, ſuccenſis lucernis, exſangue corpus reperiiſſe, memoriæ prodidere. THVRÓTZIVS Chron. P. 1. cap. XXII. BONFINIVS Dec. I. Lib. VII. OLAHVS in Attila Cap. XVI. Hæc vero, ex CHRONICO Alexandrino profluxere: ea namque nocte, qua extinctus eſt, in *tabernaculum delatum* fuiſſe, ibidem connotatum legitur.

*c*) Hunc in modum IORNANDES quoque l. c.: *inueniuntque Attilæ ſine vulnere necem, ſanguinis effuſione peractam, puellamque demiſſo vultu, ſub velamine lacrymantem.* Mos hic feminarum, mortuos in gente Hunnica lugendi, cum conſuetudine conuenit. Perſica, quod, e luctu deflentis Alexandri M. mortem Siſygambis, apud CVRTIVM Lib. X. Cap. V. p. 784. edit. Lugd. 1724. ſi qua ei antiquitatis auctoritas, concedenda eſt, luculenter eſt cognoſcere. *Abſciſſa ergo veſte, qua induta erat, lugubrem ſumſit, laceratisque crinibus, humi corpus abiecit. Adſidebat ei altera ex neptibus, nuper amiſſum Hephæſtionem, cui nupſerat lugens. Ad vltimum, dolori ſuccumbit, obvolutoque capite, accidentes genibus ſuis, neptem nepotemque auerſata, cibo pariter abſtinuit & luce.* En viuam luctus Hungarici imaginem! qua hodienum, in illuſtribus Hungarorum feminis, conſpicere eſt. Lugent eæ mortuos, obuoluto capite, amariſſime, indutæque veſte ſqualida, luce ciboque abſtinent pariter, neque, niſi tranſacto anno, priſtinam induunt faciem. Veſtis iis eſt, ſtola flammeumque cannabeum. Vtraque ſqualida, & natiuo induta colore: neque enim matronæ pullatæ, veſtem mundant, neque conſuetum induunt ornatum, vti recordatæ ſqualoris, tanto acerbius lugeant.

*d*) Præter Attilæ filios, Hunnorumque principes, præſto erant, Theodemir, Walemir, Vuidemir, Oſtrogothorum; Thoriſmundus item, Gepidarum reguli. Vt reliquos, diuerſarum gentium, quæ Hunnis ſuberant, quæue in eorum caſtris militabant, dynaſtas prætercam.

*e*) Morem reges lugendi mortuos, a Scythis, ad Hunnos tranſiiſſe crediderim: Expreſſit eum HERODOTVS Lib. IV. f. 244. ed. Lugd. 1716. f. *Quod (cadauer regium) qui excipiunt, eadem agunt, quæ regii Scythæ: aurem decidunt, crinem circumtondent, brachia circumcidunt, frontem naſumque conſauciant, ſiniſtram manum ſagittis traiiciunt.* Comas in luctu radere, apud Perſas pariter, in more fuit poſitum. Qua de re CVRTIVS Lib. X. Cap. V. p. 783. BRISSONIVS de regno Perſico Lib. III. In ſacris quoque litteris, eius moris veſtigia proſtant. Iobi I. 20. Eſaiæ XV. 5. confer luctum ob mortem Germanici, in SVETON. Calig. V. 3. p. 519. Communis hic eſt mos Barbarorum. In graui enim luctu, viri, barbam ponebant. Hæc eſt cauſſa, cur Priamus, in illa calamitatum & malorum Illiade, faciem cute tenus raſam habuiſſe, legitur. Sed & feminæ, præter naturæ legem, capita radebant. Hinc EVRIP. Alceſtid. n. 426. *Iubeo communem eſſe luctum huius mulieris, cæſarie raſa, & nigra veſte.* Et ACCIVS Amphit. ap. Non XI. 850.

cata, faciem regis *f*) profundis repleuere vulneribus, & se lanceolis *g*) & phlebetomiis concidentes, vulnera, quæ regio cadaueri intulerant, *h*) repleuerunt, vt prœliator & tantus rex, non femineis lachrymis, sed virili sanguine lugeretur.

CAPVT

---

*Sed, quænam hæc est*
*Mulier, funesta veste, tonsu lugubri.*

Vid. MEVRS de Fun. C. XLVI. KIRCHMAN. de Fun. Rom. XI. 13. 14. Hunni, quandoquidem teste MARCELLINO Lib. XXXI. c. 2. imberbes fuerant, neque alii, præterquam reges & proceres, barbam nutriebant, vid. ad Cap. XII. bb. cæsariem, in communi luctu rasisse, saltem comas vellere solitos fuisse, existimauerim. Id enim, obseruante BARTHIO Animaduers. Lib. XXI. c. XI. f. 1042. haud leue fuit luctus indicium, quod, & MARTIALIS Lib. V. Epigr. 39. notauit.

*Pietasque pulsans, pariter, & comam vellere,*
*Deflere non te vernulæ pudet mortem.*

Hunni, profecto, perinde, ac Hungari, caput barbamque, more Scythico demebant; id, quod e ritu Scythicismi impio, ad quem Hungari, sub Andrea I. prolapsi sunt, THVRÓTZ. Chron. P. II. Cap. XXXIX, quemue, regnante Ladislao IV, a Cumanis acceperant, Comes de REVA. Cent. III. f. 18. liquido elucet. Comas igitur barbasque prolixas, non prius, quam vbi ad Christum conuersi sunt, ad exemplum Europæorum, promittebant. Resecabantur eæ, more Scythico, neque, nisi ad significandam luctus funebris acerbitatem, promittebantur. BONFIN. Dec. II. Lib. IV. Quæ res, adeo in consuetudinem, lapsu temporis abiit: vt etiam SIGISMVNDVS, ad promerendam Vngarorum gratiam, barbam in deliciis nutriuerit, & gestauerit. BONFINIVS Dec. III. Lib. III. f. m. 292. Ceterum, coma capitis, semper, inter Hunnorum feminas, in honore fuit. Eam itaque, a feminis, in communi dolore, non tam rasam, quam effusam existimauerim: crinium enim solutio, haud exilis est, adnotante BARTHIO Lib. XLVI. cap. XV. luctus significatio.

*f*) Nihil de inflictis faciei regiæ vulneribus, apud IORNANDEM ceterosque Chronographos occurrit. Idcirco, crediderim, regio cadaueri, addit CALANVS vulnera: ne inter arma natus educatusque, & in armis versatus princeps, sine vulnere occubuisse, a suis iudicaretur.

*g*) Hunni grauiorem tristitiam significaturi, *informes facies, canis turpauere vulneribus: vt prœliator eximius, non femineis lamentationibus & lacrymis, sed sanguine lugeretur virili.* IORNAND. de Reb. Get. Cap. XLIX. Ritum hunc lugendi mortuos, vetustum fuisse, in Asia, ex LEVITIC. XIX. 28. liquido constat: *Neque cæsuram, pro vllo mortuo inditote carni vestræ, & inscriptionem stigmatis, ne imponite vobis*, quem, inter Scythas etiam, vsu receptum fuisse, ex HERODOTO, nota e. expositum est. Adhibebatur vero, non solum in lucta funebri, verum, in concilianda etiam idolorum clementia. Hoc igitur modo, prouocaturi, opem idolorum, Baalitæ, *incidebant se, ritu suo, cultris & lanceolis.* 1. Reg. XVIII. 28. Fuerant vero cadauerosæ facies, apud Hunnos, non minus luctus & ærumnarum species, id, quod BARTHIVS Aduersar. Lib. XXIII. Cap. XV. f. 1141. ex TERENT. Act. III. Scen. IV. de aliis etiam gentibus obseruat; verum, signum etiam virtutis bellicæ. Qua de caussa ii, genas infantum, ab ipsis nascendi primitiis, ferro sulcabant. AMMIAN. Marcellin. Lib. XXXI. c. 2.

*h*) Mancus est hoc loco IVVENCVS, hunc in modum, ex Iornande supplendus: *vulnera, quæ regio cadaueri intulerant, sanguine repleuerunt: scilicet, vt prœliator eximius non femineis lamentationibus & lacrymis, sed sanguine lugeretur virili.* IORNANDES de Rebus Get. Cap. XLIX.

CAPVT

## CAPVT XXIV.

STatim ergo in mediis *a*) campis, pretioſa *b*) tetendere tentoria, & pallia, auro texta gemmataque, in medio campo, ſtatuerunt. In quibus cadauer regis, *c*) more regio indutum, *d*) in-

---

*a*) Non in Sicambriæ campis, veluti annales Hungarorum, incerta referunt traditione; verum in regione Iazygum Metanaſtarum, in qua regia Hunnorum, a PRISCO de Legat. p. 106. deſcribitur, & mortuum & ſepultum Attilam, certum eſt. Hoc enim ille loco, ſedem regni poſuerat, quam in Pannoniam, vbi hodie Buda iacet, translatam fuiſſe, nullius compertum eſt auctoritate. Etiamſi vero Buda, iuſſu Attilæ regis, id, quod CHRONICON Hungarorum notauit, condita fuerit: inhabitatam tamen ab eo, vel propterea negauerim, quod, vrbem fraterno adpellatam nomine, inuiſam habuerit. Cum Hungarorum Chronographis, AVENTINVS Annalibus Boior. Lib. II. f. 167. ſentit, *Cantatur*, inquiens, *apud nos antiquis carminibus, Sicambriæ, quam nos Ophen, Vgri Budam vocare ſolent, Attilam habitauiſſe & opetiiſſe*: quod tamen, dum in dubio relictum eſſe videtur, recte nonnulli, Attilam, intermiſſa Budæ mentione, in ſedibus ſuis, extinctum, connotauere. TYRO Proſper Chron. in Lect. Caniſii T. I. p. 173. HERMANNVS Contractus ad an. 452.

*b*) Videre hinc eſt funeris magnificentiam, quam Hunni, in efferendis regum cadaueribus, ſeu Scytharum ritu, ſeu aliarum gentium exemplo, adhibebant. Neque enim ſplendor, quem Scythæ, in regum vſurpauere funere, vel Græcorum magnificentiæ, quam Alexander, in Hephæſtionis ſepultura, Babylone expreſſit. PLVTARCH. in Alex. XXXVII. f. 332. edit. Pariſ. 1558. vel Romanorum faſtui, qui ex Neronis funere, apud SVETONIVM Ner. Cap. L. n. 1. elucet, vllo modo cedere poteſt. Præterquam enim, quod cadauer regium, ad Gerrhos vſque, ampliſſimo, inter adminiſtrorum militumque cohortes, efferebatur funere: pretioſis etiam indumentis, & præterea, aurea argenteaque contegebatur ſuppellectile. HERODOT. Lib. IV. f. 243. ſequ. Scytharum ritu, Hunni quoque, auratas gemmataſque ſtragulas, *in mediis campis, & intra tentoria ſericea.* IORNAND. de *Reb. Get.* Cap. XLIX. p. 144. regio Attilæ cadaueri, ſubſternere haud dubitarunt, ſiue, vt regis magnificentia indicaretur, ſiue, vt diuini, tanto heroi, honores exhiberentur. Hoc namque modo, gentes, defunctorum corpora, qua deos honorabant. LACTANTIVS II. 4. iiſque immortalitatis ſemen ineſſe, tacite innuebant. quam rationem, cur plerique mortales, ſtudioſi ſepeliendorum corporum fuerint, SCALIGER, vir ſummi ingenii, ſummæque doctrinæ. *Poet. Libr. III. cap.* 20. ad ſignauit. Hinc vero colligi poteſt, Hunnos, Scytharum ritu, curam magnifice ſepeliendorum corporum adhibuiſſe: tametſi plerique mortales, leuem ſepulturam, magnificæ, anteferre conſueuerint. Sic Cyrus apud XENOPHONTEM, Pædia III. ſufficere ait, ſi terra, tegantur mortui. Et LVCIANVS, plurimis locis, ſollicitam cadauerum curam, ironiis irridet, ſarcaſmis lacerat, rationibus & argumentis confodit, ſicut & SENECA. Epiſt. XCII. & STOBÆVS XXXIIX. Serm. hæc omnia, quæ inuſitato ſumtu, in funere adparantur, luculenta contemnunt grauitate.

*c*) Mos hic, e priſco Scytharum ritu profluxit, qui exentratum, habituque regio ornatum corpus regium, ritu ſolemni efferebant. HERODOT. Lib. IV. f. 244. Mirum, quod in funere Attilæ nulla, vel exentrationis, vel condimenti fiat mentio. Quando enim Scythæ, diſſecto, ritu Ægyptiaco, cadauere, interanea eximebant eiiciebantque, reliquum vero corpus iam quodammodo depuratum, abiectis, quæ maxime feculenta ſunt, condimentis curabant, atque *ſilere contuſo, & thymiamate, apiique ſemine & aniſi, infurciebant.* HERODOT. l. c. non poſſum non in eam induci ſententiam; quin, idem moribus quoque Hunnorum vſitatum fuiſſe, adfirmem. Depuratum hoc modo ablutumque cadauer, veſte ferali amiciebatur. quam ego, non Græcorum Romanorumque conſuetudine, *albam*, de qua HOMERVS Illiad. XVIII. v. 353. & SVETON. in Neron. cap. 2. n. 1. verum, *rubram & puniceam* fuiſſe, arbitror. Hæc namque militaris eſſe cenſetur, quali

*d*) inaurato feretro pofitum *e*) extulerunt. Mox igitur nobiliffimi milites, *f*) in modum Circenfium, feretrum ambientes, hos funereos

---

& Spartani, defunctos indui volebant. vid. ÆLIANVS Var. Hift. Lib. VI. c. 6. Ceterum, feralem regum veftem, auro intertextam, effe oportuit, cum adfignificandam regii funeris magnificentiam, tum, ad immortalitatem, quam Scytharum fapientes, defunctorum tribuebunt animis, indigitandam. Quæ confuetudo, inter Romanos non fuit innfitata, quod ex SVETONII l. c. & HIERONYMO in vita Paullæ, elucet; quin, ab Hunnis, ad Hungaros etiam translatum fuiffe, ex ferali Caroli I. amictu, apud THVRÓTZIVM Chron. P. II. cap. XCIX. luculenter patet. Hunc vero, ille, feralis in corpore regio amictus imaginem, fiftit: *Tandem die fequenti, ob præceptum dictæ dominæ reginæ, Archi-Epifcopis, Epifcopis, Prælatis, Baronibus, Prasbyteris, Fratribus, Clericis omnibus, fimul conuenientibus, & lachrymabiliter proceffiue pergentibus, ad dictum caftrum deuenitur. Vbi pretiofiffimum caput eius, iuxta decentiam regni fui, honoris corona aurea, corpusque ipfius fplendidiffimum, tunica fcarletina, ac etiam caligis falutaribus gemmis pretiofiffimis contextis, & defuper calcaria aurea, pulcherrimis pedibus fua excellentiæ annectendo induentes.*

*d*) Feretrum, cui defuncti Scytharum reges imponebantur, erat *plauftrum.* Huic enim impofitum cadauer regium, ad Gerrhos ferebatur. Eius loco, quod in Gerrhis adhibitum fuerat, hunc in modum depingit, HERODOTVS Lib. IV. f. 244. *Quem, poftquam in locutis pofuerunt fuper torum, mucronibus, hinc atque hinc defixis, defuper ligna extendunt, ac deinde palliis contegunt.*

*e*) Non Scythico, fed Romano ritu, elatus fuiffe videtur Attila. Apud Scythas namque, depuratum, plauftroque impofitum regum cadauer, ad diuerfas, quibus imperitabant, ferebatur gentes, non fine infigni optimatum, qui funus comitabantur, frequentia. quod per diuerfas circumlatum regiones, in Gerrhis, qui extremam Scythiæ partem inhabitabant, in regum deponebatur fepulchris. HERODOT. Libr. IV. f. 244. Alii contra ea Scythæ, quum deceffernt, a proximis in plauftro collocati, per amicorum circumferebantur tuguria. qui defunctorum excipientes cadauera, transactis quadraginta diebus, terræ mandabant. RHODIGINVS Lect. Ant. Lib. XVII. cap. 21. At vero Attila, e regia, in campum, ritu Romano, in lectica, pretiofis ftragulis ftrata, a viris fummis elatus, in eum primum locum deferebatur, in quo, & caftra facere, & publicas inftituere confueuerat confultationes: vti res eius præclare geftæ, funebri carmine, a lectiffimis equitum, laudarentur. IORNANDES de Reb. Get. cap. XLIX. Pompam funebrem, qua Attila rex efferebatur, *fpectaculum admirandum & folenniter exhibitum*, adpellat. Comitabantur namque funus, præter Hunnorum proceres, fortiffimi fubiectarum gentium reguli, cum delecto, e diuerfis populis equitatu, præeuntibus, qui næniam canebant, fiticinibus. In pompa funebri, ferebantur maieftatis regiæ infignia, fpolia hoftium, & fimilia. Sequebantur filii, propinqui, aliique Hunnorum heroes, & aulæ adminiftri, habitu lugentium, hoc eft: ornamentis pofitis, capillo rafo, confciffo vultu, in vefte pulla, fiue atra.

*f*) Talem decurfionem LIPSIVS in Tacit. Annal. II. n. 29. explicat. Ludorum namque Circenfium, qui a circo Tarquiniano nomen acceperunt, fex potiffimum fuerant genera: curfus, lucta feu certamen gymnicum, ludus Troiæ, venatio, pugna equeftris & pedeftris, & denique naumachia. Præcipue tamen Circenfium adpellatio, hypodromiis id eft equorum curfibus, adhæfit. ROSINVS Antiquit. Lib. V. Cap. II. quales PAVSANIAS, in Azanis filii Arcadis, & IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIX. in Attilæ exequiis, adhibitos fuiffe, notauerunt. *De tota*, inquit ifte, *gente Hunnorum electiffimi equites, in eo loco, quo erat pofitus in modum Circenfium curfibus ambientes, facta eius cantu funereo, tali ordine, referebant*: nifi decurfionis nomine, *agona*, certamen cruentum, quale in monimento Maufoli, quod diis manibus ab Artemifia regina dicatum fuerat, AVL. GELLIVS Noct. Att. Lib. X. cap. 18. commemorat, intelligi velis. Scythæ namque, non minus, quam Hunni, in honorem demortui, fiue placandis defuncti manibus, fiue alia de cauffa, lectiffimos quosque miniftrorum contrucidare folebant. HERODOT. Lib. IV. f. 244. IORNAND. de Reb. Get. Cap. XLIX. pag. 145. 146.

g) Voce

neros verſus *g*) decantabant: Præcipuus Hunnorum rex Attila, *h*) patre

---

*g*) Voce tibiisque cantare, apud Hunnos Hungarosque, in laude fuit poſitum. Pueri namque & puellæ, inde ab infantia, hymnos & Pœanes, præſcriptis cantare numeris, diſcebant; & non minus viri, in caſtris, aulis principum, vitaque ruſtica, quam feminæ, virginesque in lanificiis, diuerſa occinere carmina conſueuerant. Ita apud PRISCVM de Legat. p. 128. in conuiuio Attilæ, *aduenienre veſpere, ſublatis epulis, duo viri Scythæ, coram Attila prodierunt, & verſus a ſe factos, quibus eius victorias & bellicas virtutes canebant, recitarunt.* Quinimo, puellæ etiam Scythicæ, redeunti ab expeditione, Attilæ regi, in vico quopiam, tamquam Syrenes Scythicæ, *obuiam prodibant, ſub linteis tenuibus & candidis, & dum iter pergerent, odas & cantilenas Scythicas canebant.* PRISCVS. l. c. p. 107. Quæ conſuetudo, non domi ſolum, verum in caſtris etiam, a militibus ſedulo obſeruabatur. Hinc ſeptem Hungarorum duces, teſte THVRÓTZIO Chron. Part. 2. Cap. 9. *de ſe ipſis cantilenas fecerunt, inter ſe decantari, ob plauſum ſecularem, & diuulgationem ſui nominis.* Mos hic diuerſa occinendi carmina, in gentem tranſiit Hungarorum, apud quos, noſtra etiam ætate, plerumque, non inter plebeios ſolum, verum, inter quosdam etiam viros illuſtres, bellique duces clariſſimos, res fortiſſimorum virorum præclare geſtæ, vetuſta conſuetudine, partim voce, partim tibia decantari ſolent. quod, & GALEOTVS MARTIVS, in aula MATTHIÆ Coruini obſeruauit. *Semper enim*, inquit ille, *in eius conuiuio diſputatur, aut ſermo, de re honeſta, aut iucunda habetur, aut carmen cantatur. Sunt enim ibi muſici & cytharœdi, qui fortium geſta, in lingua patria, ad menſam in lyra decantant.* & Cap. XXXI. *Semper enim in eius domo, aut oratur, aut ſtudetur, aut carmen cantatur ad lyram*; & AVGERIVS MVSBEQVIVS Epiſt. III. inter plebeiæ conditionis homines, militesque notauit. *Occurrebat*, inquit, *modo horridus aliquis, a finibus Hungaricis, cum ſuis gregalibus, miles, qui flebili in chelyde, mœſtum quiddam, triſtis ipſe vlulabat verius, quam cantabat.* Pronuntiabantur autem hæ cantiones, voce magis, quam chelyde, vel tibia, a phonaſcis & hilarodis, cum quibus choraulæ interdum concinebant: tametſi vtrumque inſtrumenti genus, genti Scythicæ familiare fuiſſe, ex gente Slauorum cognoſcere eſt. quorum legati, dum ad Hunnos Abares, ex Scythia, in Pannoniam, imperante Mauritio, contenderunt; chelydis, ſeu cytharæ dulcedine, moleſtiam longinquioris itineris leuabant. LANDVLPHVS Miſcel. Lib. XVII. Cap. 24. Inter inſtrumenta muſica, *tibia* fuit apud Hunnos clariſſima, qua, choraules, cum in caſtris, tum in conuiuiis, occinere ſolebat. Namque adfirmante Pratina, apud ATHENÆVM, Deipnoſoph, Lib. XIV. Cap. 2. f. 617.

*Tibia commeſſationum adminiſtra eſt,*
*Spectaculis commoda, quibus pugnant*
*Ardentibus animis pugiles,*
*Et vt quaſi temulenti apud ſe non ſint,*
*In conflictibus bellicorum agminum duces.*

Huic, decurſu temporis, *chelis*, loco illuſtri adiecta eſt, ſicuti inter agreſtes, *tibia vtriculariorum*, horriſonis ſtridens modulis. Cantabatur inter Hunnos Hungarosque, cum domi, in conuiuiis, nuptiis, natalitiis, funeribus, & inter diuerſas gentis occupationes; tum foris etiam, in caſtris, & in acie. Vnde demum diuerſa enata ſunt cantilenarum genera: *modi*, inquam, *& cantica*, inter pocula, GALEOTVS MARTIVS l. c. *hymenæus* & *nomion*, hoc eſt, carmen amatorium, in nuptiis, *catabaucaleſes* in natalitiis, *quæſtus & lamenta*, in funeribus. IORNAND. de Reb. Get. cap. XLIX. *bucolica* item aliaque carminum genera, quæ ATHENÆVS Deipnoſoph. Lib. XIV. cap. 3. f. 618. 619. enumerat, inter diuerſas occupationes. Militibus proprium fuit, *pæan* in caſtris, quo illi, ducum, heroum, militumque laudes, virtutes bellicas, & victorias recitabant, PRISCVS & THVRÓTZIVS l. c. *claſſicum* in acie, & *ouatio* in triumphis. cuius imaginem, in Hunnicis Syrenibus, ex PRISCO oſtendimus. Vt *odas hymnos*que, qui in Deorum laudes concipiebantur, hac vice prætercam. Neque vero, ſolius tantummodo voluptatis, delectationis, & vel proliciendi, vel ſedandi doloris cauſſa, cantiones occinebantur: verum, res etiam, Hunnorum virtute, domi forisque præclare geſtæ, iis comprehendebantur.

*h*) patre genitus Madlucho, fortiſſimarum gentium, *i*) fortiſſimus Dominus, qui, inaudita ante ſe *k*) potentia, ſolus *l*) Scy-

---

Tales ſunt verſus illi, in Attilæ conuiuio recitati, quibus victoriæ virtutesque Hunnorum, audiente Prisco Rhetore, enumerabantur; & ſeptem ducum cantilenæ, quibus res Hungarorum fortiter geſtæ, in poſteritatem transmittebantur. Thvrótzivs Chron. Part. II. cap. 9. Earum concentus, inexplicabilem, in audientum animis, concitabat commotionem. *Alii namque*, teſte Prisco, *verſibus delectabantur*, *aliis bellorum recordatio*, *animos exſuſcitabat*, *aliis manabant lachrymæ*, *quorum ætas affecta*, *reddiderat corpus effœtum & imbecillum.* Vtinam earum rudera quædam, ad noſtram transmiſſa fuiſſent ætatem; quo, & deperditæ Scytharum muſicæ, modos cognoſcere, & mancam hiulcamque rerum Hunnicarum notitiam, ex iis ſupplere liceret. Hunni namque & Hungari, vſque ad Geyzæ tempora, res bello paceque geſtas, ad modum hiſtoricum, *concelebrabant carminibus antiquis*, *quod vnum apud illos memoria & annalium genus erat.* Werbötz. Op. Trip. Iuris. Præfat. Schoedelivs Notit. Hung. Prooem. p. 6. ſequ. Quæ in exſequiis Attilæ regis, cantu funereo, partim voce, partim tibia, recitata erant carmina, non modo quæſtu & lamentis, verum laudum etiam & virtutum victoriarumque Attilæ enumeratione, abſoluebantur. Laudem namque mortuo dicere, non minus apud Hunnos, quam apud Græcos Romanosque, in more fuit poſitum. quam, in caſtris, delecti ex Hunnorum equitatu, milites, heroicis concipiebant verſibus, Iornandes l. c. Qui laudes defuncti ad funera canebant, *ſiticines* Gellivs Lib. XX. Cap. II. Kirchman. de Funerib. Rom. 11. & lingua Hungarica, *énekeſek*, hoc eſt, cantores ſeu modulatores, dicebantur. *Apud ſitos* namque *canere ſoliti erant*, *hoc eſt*, *vita functos*, *& ſepultos.* quo ſenſu, Livivs Lib. I. Cap. 2. ſitum, de ſepulto dixit, & Cic. de Leg. II. 22. *Hic eſt ille ſitus*, *Vere. Nam ſiti dicuntur ii*, *qui conditi ſunt.* Hinc vero eluceſcit, conceptam in laudem mortuorum næniam etiam ſepultis cadaueribus, partim ante ſepulcrum, partim in viſceratione, de qua capite ſequenti, a ſiticine, cantatam fuiſſe, reliquis, qui funus efferebant, cognatis, voce mœſta plangentibus, & laudes demortui, verbis inter ſingultus interruptis, recenſentibus.

*h*) Diuerſa patris Attilæ nomina, quibus is, cum a Græcis, tum a Latinis ſcriptoribus cognominatus eſt, ad Cap. III. n. d. expoſuimus.

*i*) Domini adpellationem, Octauius Cæſar, vt maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Svetonivs in Octau. Cap. LXII. p. 276. edit. Pitiſci. Tertvllian. Apol. Cap. XXXIV. ne ciues, pro feruis habere, adeoque tyrannus videretur. Qua de cauſſa, Tiberius quoque, ſe ita adpellari vetuit, Tacit. Annal. 11. 87. & Alexander Seuerus, Lampridio teſte, eius vita Cap. IV. Primus ex Romanis imperatoribus, Caligula vſurpauit hoc nominis, Avrel. Victor de Cæſar. Cap. III. f. 13. qui in epiſtolis ſuis, vt Svetonivs eius vita Cap. XIII. obſeruat, præſcribere ſolitus fuit: *Dominus Deus noſter.* Poſtea vero ita inualuit, vt Dominum & Imperatorem ſeu Principem dici, idem eſſet propemodum, id, quod ex Plinii Epiſtolarum ad Traianum Lib. X. paſſim elucet. Quo ſenſu, Hunni etiam Attilam, quia pro arbitratu ſuo inſolenter longe lateque imperitabat, Dominum, hoc eſt, principem ſeu imperatorem fortiſſimum ac potentiſſimum adpellabant, ſicuti hodie Hungari, imperantem principem, *Ur*, Galli *Sire*, hoc eſt, Domine, compellare ſolent. Quæ adpellatio, Attilæ Hunnorum regi, iuſto adſcripta eſt titulo. Fuit namque, omnium poſt hominum memoriam principum, & potentiſſimus, & fortiſſimus.

*k*) Perpauca in orbe terrarum ſita imperia, iſthoc, quod Attila, longe lateque per Aſiam & Europam protenderat, ampliora vnquam fuiſſe exiſtimo. Illud equidem Græcorum dominationem vix exceſſit, diffuſum tamen per Europam, Aſiam & Africam, Romanorum principatum, cum prouinciis, potentatu ſuo abſorpſit, & præterea, per vtramque Scythiam, Sarmatiam, & Germaniam porrectum fuit. Eius fines, ex Thvrótzii Chron. Part. I. Cap. XVII. quodammodo cognoſcuntur: *Speculatores ad cunctas ſibi neceſſarias partes*, *prout ſuis expediebat rebus*, *ordinaſſe dicitur. Quorum vna ſtatio*, *Colonia in Germania*, *altera in Lithuania*, *tertia iuxta fluuium Tanain*, *& quarta in Iadria Dalmatia*

*l*) Scythica & Germanica regna poſſedit, nec non vtraque *m*) Romanæ vrbis imperia, calcatis ciuitatibus, terruit, & poſt, ne reliqua ſubderentur, placatus ſummi Romanorum antiſtitis, *n*) precibus, annuum vectigal accepit. Dum hæc omnia, prouentu felicitatis gerit, non vulnere hoſtium, *o*) non fraude ſuorum, ſed gente incolumi, inter gaudia lætus, *p*) ſine ſenſu doloris occubuit. Quis ergo hunc dicat exitum, quem nullus æſtimat vendicandum?

CAPVT

---

*matiæ ciuitate, conſtitutæ erant.* Hinc vero eſt colligere, quænam Attilæ Hunnorumque, regnante Attila, fuerit potentia. Quingenta ille, in aciem educebat millia, IORNANDES de Reb. Get. Cap. XXXV., vel vti AVCTOR Hiſt. Miſcel. exiſtimat, ſeptingenta, conf. ad Cap. V. n. d, ſub cuius ſignis, potentiſſimi, Oſtrogothorum, Gepidarum, Alanorum, Marcomannorum, aliarumque gentium, militabant reguli, reliquis, qui Hunnorum caſtra ſubſequi nolebant, pendendo vectigali, obnoxiis redditis.

*l*) Regna *Scythica* intellige, quæ partim per *Aſiam*, vſque ad Serres prolata iacebant, partim in *Europa*, per *Scythiam Sarmatiam*que *Europæam*, *Daciam* item, & *Iazygum Metanaſtarum* regionem, vſque ad Cuſum & Viſtulam protracta, in occidentem diuergebant. Diſcedimus hic ab eorum ſententia, qui Scythiam, Daciæ limitibus, & Patiſci ripis terminant, atque Iazygum regionem, a Scythiæ complexu excludunt. vid. CELLARIVS Geogr. Ant. Tom. I. Lib. 2. cap. 6. p. 395. edit. 1231. Germanorum contra ea ditio, a Viſtula & Cuſo amnibus, ab oriente, in occaſum, vltra Rhenum exibat, & ampliſſimos, Quadorum, Marcomannorum, Sueuorum, Boiorum, Alemannorum, Thurcilingorum, Herulorum, ceteroſque Germaniæ populos, nomine ſuo continebat. vid. CELLARIVS Geogr. Ant. Tom. I. Lib. II. Cap. III. p. 358. 412. ed. 1731. In quorum numerum, Oſtrogothi etiam, Gepidæ, Baſtarnæ, aliique, qui Hunnorum caſtra ſequebantur, Germaniæ populi, referri debent.

*m*) Hinc iam, quodnam ſit, Hunnorum imperii, territorium, videre eſt. *Principale*, a palude Mæotide, vſque ad Cuſum Viſtulamque amnes, per *Scythiam*, *Sarmatiam Europæam*, prolatum fuit, in eoque, Attilæ regia, haud longe a Patiſco remota ſtetit. quod demum, ſuperato Danubio, per vtramque *Pannoniam* protractum, ad Norici & Italiæ fines diuergere cœpit. Principali, *acceſſorium*, multo amplius fuiſſe videtur. Namque per vtramque *Aſiaticam* atque *Europæam Scythiam*, prorogatum, & *Germaniæ*, *Cherſoneſi Cimbricæ*, *Galliæ*, *Italiæ*, *Illyrici*, *Mœſiæ*, *Thraciæ*, *Græciæ*, *Aſiæque Romanæ* acceſſione auctum, vtrumque Romanæ vrbis *imperium*, *orientale* inquam atque *occidentale*, vectigalis nomine, ambitu ſuo comprehendiſſe, ex diverſis rerum Attilæ ſcriptoribus, euidenter elucet. Qua de re alibi copioſius.

*n*) Recte itaque ad Cap. XVIII. & XIX. obſeruatum eſt, Attilam, non tam cœleſtium geniorum adparitione, quam diſertiſſima ſummi Pontificis oratione permotum, vrbi populoque Romanæ pepercisse. Lege, quæ hac de re, ad Cap. cit. copioſe commentati ſumus.

*o*) Fraudis omnis ſuſpicionem ab Attilæ obitu ad Cap. XXII. n. 1, prorſus remouimus. Tametſi enim Attila, teſte BEDA, Hiſt. Eccl. Lib. I. cap. 13. pro arbitratu ſuo, inſolenter cum Hunnis, tum ceteris populis dominabatur. qua de re ad Cap. XII. n. K. amorem tamen ſui, timore & reuerentia temperatum, cum inſigni, ſuſpiciendæ maieſtatis opinione, incredibili quadam vi, animis omnium impreſſerat. Erat namque Attila, vti vultu grauis, ita ſupplicibus benignus. conf. ad Cap. XII. n. r. ſequ.

*p*) Scilicet, quia mors inſperata, quæ vigilantem ſuperare nequiuerat, dormientem, ſeu hæmorragia narium, ſeu apoplexia, ſicuti ad Cap. XII. n. 1, expoſitum eſt, oppreſſerat. Hoc namque caſu, omnis ſenſus & motus, interne ac externe ceſſat.

## CAPVT XXV.

CОnfeſtim igitur *a*) in noctis ipſo crepuſculo, corpus, honore, quo decuit, *b*) ſepeliuerunt. Denique menſis adpoſitis

*a*) Nihil de ſepulturæ tempore, vel apud IORNANDEM, vel apud Hungarorum chronographos. Funera Hunnorum ignobilia, eorumque, qui in prælio occubuere, poſtridie obitus, efferri fuiſſe ſolita, ex gentis Hunnicæ ducum, qui in acie occiderant, ſepultura, apud THVRÓTZIVM Chron. Part. I. Cap. 11. 12. hodiernaque Hungarorum conſuetudine, quodammodo comprobari poteſt. Quod autem a priſco Scytharum more, qui defunctos die quadrageſimo efferebant, ſeceſſerint, incerta ſedes & continuæ in caſtris expeditiones, huius rei cauſſa fuere. Procerum tamen ducumque cadauera, partim propter adparandi funeris magnificentiam, partim propter luctum acerbiorem, longiore interiecto temporis interuallo, contumulabantur, quod, ex Scytharum ſepeliendi ritu, apud HERODOTVM Lib. IV. ſ. 245. colligitur. Apud eos namque, homines priuati, quadraginta diebus circumaguntur, dein humantur. Quidni principes, ceterique loco illuſtri nati viri? Anne vero, cum Græcis, ante ſolis ortum, vel cum Romanis, interdiu ſepeliebantur, incertum eſt. Attilam tamen, IORNANDES de Reb. Get. cap. XLIX. *nocturno tempore*, vel, ſicuti CALANVS, in *noctis crepuſculo*, propterea ſepultum refert; vti ignotus tanti regis tumulus redderetur, & curioſa hominum induſtria ab inquirendo eius loculo auocaretur, IORNANDES l. c.

*b*) Vti priſcus inter Hunnos ſepeliendi ritus, debito exponatur ordine: videndum eſt primum ſepulcrum eiusque altitudo, locus & modus ſepeliendi, deinde munera, quæ cum demortuo in tumulum inferebantur, ornamenta item cuſtodesque ſepulcri. Sepulcra in Scythis Hunnisque ſacra fuiſſe, ex HERODOTI Lib. IV. ſ. 244. & IORNANDIS de Reb. Get. cap. XLIX, elucet, quæ, quocunque demum modo violaſſe, ſummum fuiſſe ſcelus, indicio ſunt pleraque. Et profecto, nulla fere tam efferata gens fuerat, quæ non habendam ſepulcrorum rationem ſenſerit: ſin quosdam barbaros exceperis populos, qui demortuos, in iisque etiam reges, vel in mare, vel in ſterquilinia, neglectis loculis, reiiciebant. RHODIGINVS: Lect. Antiqu. Lib. XVII. cap. XIX. Alta vero ſpatioſaque fuiſſe, indicant munera, in reliqua loculi parte cum rege contumulata. Quorum altitudinem PLATO Leg. 12. quinque virorum, totidemque dierum labore dimetitur. Vetat namque altius exſtrui ſepulcrum, quam viri quinque, diebus totidem excitare poſſint. Quibus reges Scytharum inferri ſolebant, tumuli, in Gerrhis extremam regionis oram inhabitantibus, ſtruebantur; forſitan, quia locus ad cetera inutilis, & ad id tantum commodus, viuentibus nil prorſus inferebat emolumenti. *Nullum* enim PLATO l. c. *in loco fœcundo, & agro ad cultum parato, fieri ſtruiue ſepulcrum iubet: ne a mortuis, terræ matris fœcunditas præpediatur.* Ceterum, quoniam reges heroesque, quarundam gentium conſuetudine, vel in vertice, vel ad radices montis, conditores autem vrbium, in ciuitatis meditullio, obſeruante RHODIGINO, l. c. Cap. XIX. ſequ. ſepeliebantur: Regum Scythiæ, in montibus apud Gerrhos, Attilæ contra ea, ceterorumque Hunnici populi principum ſepulcra, in centro Hunniæ, iuxta viam, Romanorum ritu, inquirenda exiſtimauerim; neque tam in Pannonia, veluti THVRÓTZIVS Chron. Part. I. cap. 11. 22. exiſtimat, quam in Iazygum Metanaſtarum regione, in qua, & Hunnorum regiam ſtetiſſe, & Attilam mortuum eſſe, ex IORNANDE, ſuo loco oſtendimus. Dubitauerim vero, in regum ducumque monumentum, quod THVRÓTZIVS l. c. in Keweháza conſtructum adfirmat, Attilam illatum fuiſſe; quandoquidem Hunnorum proceres, recondito, clam, nocturno tempore, cadauere, contrucidatisque veſpillonibus, ignotum, teſte IORNANDE, volebant eſſe Attilæ tumulum. Quod ſi tamen curioſitati quidpiam, dandum eſſet: Attilæ ſepulcrum, in agro *Iáſz Birinyienſi*, in quo, FRANC. FORIS OTROKOCSI Orig. Hung. P. 1. C. IV. 4. Hunnorum regiam ſtetiſſe condocet, inueſtigandum, exiſtimauerim. Sed dum in re incerta, nihil definiri poteſt: videndum potius, quonam modo regum ſepeliebantur cadauera. Non Romanorum cremabantur more, ſed inhumabantur, cum quibus, Scythæ Hunnique, ſeruos, equos, aureaque vtenſilia, aliaque demortuorum manibus

tis mixtum dolori gaudium faciunt. Nam epulas *c*) diuersi adpara-

---

nibus consecrata munera, inferebant. Qua de re, hunc in modum, HERODOTVS l. c. In *reliqua loculi spatiositate, aliquam eius pallacam strangulatam sepeliunt, & pincernam, & cocum & equisonem, & ministrum, & internuncium, nec non equos, & aliarum rerum omnium primitias, quin etiam phialas aureas, nam argentum, aut æs, in vsu non habent.* Seruorum animantiumque in Attilæ sepulcro, IORNANDES non meminit: *Arma tamen, hostium cædibus adquisita, phaleras vario gemmarum fulgore pretiosas, & diuersi generis insignia, quibus colitur aulicum decus*, addita enumerat. Munera hæc sunt, mortuorum manibus sacra, quorum meminit VIRGIL. Aen. III. 66.

*Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,*
*Sanguinis & sacri pateras.*

Loculum Attilæ sumtuosum fuisse, ex IORNANDE est cognoscere. *Primum* namque *auro, secundo argento, tertio ferri rigore communitus erat.* Qua re significabatur, hæc omnia potentissimo regi conuenisse; id quod loco suo exponetur. Cui, in sepulcro super toro collocato, defixisque ex vtroque latere mucronibus, Scythæ, obseruante HERODOTO, *humum certatim atque auide iniiciebant, cupientes tumulum quam maximum efficere.* Quam, in sepeliendis demortuis, construendisque sepulcris, Hungarorum alacritatem, ingenti cum admiratione, plus vice simplici, hodienum conspeximus. Illato namque in tumulum cadauere, vltimum demortuo contestaturi amorem familiares, humum certatim auideque loculo ingerunt, tumulumque quam maximum, congesta terra efficiunt, cognatis ceterisque amicis, qui contumulatum defleant, confertim adstantibus, ceterisque, qui funus comitantur, funebrem occinentibus næniam. Constructus hoc modo, illato cadauere, tumulus, suis ornabatur monimentis. Scythæ namque, strangulatos quinquaginta equites, qui super exentrata, paleaque impleta, equorum cadauera, in ambitu sepulchri regii, transactis stipitibus locabant: siue, vt deos manes placarent, siue, vt conceptam post mortem dominationis spem indicarent. Lubet ea, ex HERODOTI l. c., vti priscus gentis mos ostendatur, adducere. *E famulis reliquis aptissimos sumunt. Sunt autem hi ingenui Scythæ, illi enim seruiunt, quos ipse rex iusserit. Nam pecunia emtos seruos non habent. Horum ministrorum quinquaginta quum strangulauerunt, ac totidem præstantissimos equos, aluo eorum exempta & expurgata, paleis implent ac consuunt: & vbi dimidium fornicis super duo ligna tali modo defixerint, multa illa tum oblonga ligna crassa, per equos ad ceruicem vsque, quum traiecerunt, adtollunt eos supra fornices, quorum priores fornices sustinent armos equorum, posteriores vero, iuxta femora suscipiunt ventres, vtrisque cruribus superne dependentibus. Equos autem infrenant, eorumque habenas anteriora extendunt, & mox ad palos alligant: dehinc super eorum singulos statuunt, singulos quinquaginta iuuenum strangulatorum, hunc in modum. Vnicuique eorum, rectum stipitem, præter spinam, ad ceruicem vsque transfigunt: quod inferius extat aliquid stipitis, id infigunt foramini ligni alterius, quo equus traiectus est. His equitibus sepulchro circumpositis, abeunt. Hunc in modum reges sepeliunt.* Hunni contra ea, a prisco desciscentes more, solas super congestum terræ tumulum, columnas sepulcrales cipposque, erigebant, his crediderim de caussis; vti demortuorum, ceteris eminentius fastigium indicaretur, & insculpto cum elogio contumulatorum nomine, sempiternum, memoriæ caussa, poneretur monumentum, THVRÓTZIVS Chron. P. I. Cap. 11. 12. Ita enim ex sepulcris facta sunt monumenta, quæ Ægyptii, tanquam sempiternas defunctorum domos, insigni magnificentia construebant. RHODIGINVS Lib. XVII. Cap. 20, Græci autem & Romani, quinimo, Scythæ etiam Hunnique, fornicibus substruebant. Hinc plebs Romana, vastata vrbe incendio a Nerone, *ad monumentorum bustorumque diuersorium compulsa fuit.* SVETON. in Neron. Cap. XXXVII.

*c*) Sepulcrales Hunnorum epulæ, Romanis *Silicernium*, LIPSIVS ex Nonio & Festo ad Taciti Annal. Lib. VI. not. 19; Hunnis, *Strava* dicitur. IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIX. *Postquam talibus lamentis est deflectus: strauam super tumulum eius, quam adpellant ipsi, ingenti commessatione concelebrant.* Quam vocem, rectius LAZIVS in der Chorographischen Beschreibung Hung. Cap. de Hunnis, ad linguam Sarmaticam, quam SCHŐEDELIVS Notit. Hung. P. I. §. 180. seq. ad Scytho Hunnicam referendam esse autumat. Tametsi enim

paratus, & generis adfluentiſſimas parauerunt. Cuius cœnæ *d*) fer-

---

Hunnorum idiomate, ſtrauam dici, IORNANDES obſeruauit: ex Sarmatico tamen, in Hunnicum ſermonem, prouti complures dictiones alias, deriuatam fuiſſe, pronum eſt colligere; quum vox ipſa, natiua ſua origine, *conſumtionem*, *commeſſationem*, indigitet. Quo nomine, recte WORMIVS in Monumentis Dacicis Lib. I. Cap. VI. p. 36. *conuiuium in honorem defuncti celebratum* intelligi, adſerit, quod ſuper demortui *tumulum*, teſte IORNANDE inſtituebatur, eique constructa ex hoſtium exuuiis moles, adiungebatur; id, quod LACTANTIVS ad Statii Lib. XII. Thebaidos, ex barbararum gentium conſuetudine notauit. Ita enim ille, ad vocem aceruos: *Aceruus exuuiarum hoſtilium moles. Exuuiis enim hoſtium exſtruebatur regibus mortuis pyra: quem ritum ſepulturæ, hodie quoque, barbari ſeruare dicuntur, quem*, ſtrabas *dicunt*, *lingua ſua.* Lactantii obſeruationem, IORNANDES l. c. illuſtrat: *Addunt* inquiens, *ad conuiuium exequiale: arma hoſtium cædibus acquiſita, phaleras vario gemmarum fulgore precioſas, & diuerſi generis inſignia, quibus colitur aulicum decus.* quæ, vbi in modum pyræ ſtructa fuere: cum corpore regio contumulabantur. Priſcus hic eſt in exequiis commeſſandi ritus, inter Romanos, perinde, atque inter Scythas vſitatus. Illi namque funus exſequiati, cum plauſu, ad ſepulcrum, ſilicernium conficiebant, pranſique dum diſcederent, alii aliis, Vale dicebant. VARRO ap. Nonium I. 224. KIRCHMAN. de Rom. Funer. 4. Hi, ante exequias, *epulum*, *cadauer comitantibus præbebant*, *tam propinquis*, *quam ceteris.* HERODOT. Lib. IV. f. 245. quorum nonnulli mortuos, inter epulas, honoris cauſſa, deuorauiſſe perhibentur. RHODIGINVS Lect. Antiq. Lib. XVII. Cap. XIX. Traducta ad poſteros, Scytharum Hunnorumque cœna funebris, hodienum, inter Hungaros, more antiquo inſtituitur. Illato namque in tumulum cadauere, propinqui & familiares, in defuncti ædes conuocantur, liberaliterque, adpoſitis dapibus, pro demortui conditione habentur, interdum ad luxum etiam, cumprimis in illuſtrium familiarum exequiis. Qualibus epulis, ſœpenumero, inter Hungaros, non ſine iucunda venerandæ antiquitatis recordatione, intereſſe licuit. Vbi, cum Hunnis ad tumulum Attilæ, commeſſari nos crediderаmus. Ita enim funereo hoc epulo, tamquam per imaginem, priſcam Hunnorum ſilicernii conſuetudinem, repræſentare nobis poteramus. Scilicet: diſpoſitis ad exequiale triclinium amicis, ſecluſiſque a virorum conſortio feminis, altum fit, quale nocte profunda eſſe ſolet, poſt conteſtatam doloris ſignificationem, inter funebres conuiuas, ſilentium. Mœret quilibet, tacitusque communem, mente recolligit, & vultu indicat triſtitiam. Quorum alii, manantes ex oculis abſtergunt lacrumas, ſingultus ſedant inter epulas alii. Tum, propinato, verbis conceptis, poculo conſolatorio, demortui manibus vino verbisque parentatur, & ſolennes, partim pro æterna animæ quiete, partim pro beata corporis reparatione, comprecationes DEI, inter ſingultus & ſuſpiria effunduntur. His dictis, vbi iam collapſi mœrore artus, mero incaluerunt: pedetentim lugentium erigitur animus, & inſperatum miſcetur dolori gaudium. Tametſi vero, ſicut TIBVLLVS III. 7. 2. ait:

*Difficile eſt triſti fingere mente iocum*;

obliti tamen, inter commeſſandum, luctus mœrorisque, funebres conuiuæ, modo in locos liberales, facetiis vrbanisque ſermonibus, prorumpunt; modo res ſerias, easque magni ponderis, in medium proferunt; modo doloris & triſtitiæ recordati, in amaras colliqueſcunt lacrymas. Namque vinum *Horat.* Lib. I. ep. 5. teſte,

*Sollicitus animis onus eximit*,

quo dum luctus, tamquam dulci hilaritatis ſeminario diluitur:

*Tunc veniunt riſus*

*Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.* OVID. de Arte am. Lib. I.

Dum ita vino epulisque, ad ſeram vſque noctem, ſatis ſuperque parentatum eſt: DEO amicisque, exequiales conuiuæ, bene precati, domum reuertunt. Si ditior fuerit, & non conſanguinitate modo, ſed clientelis etiam valens, cui iuſta perſoluta ſunt, pluribus ſæpe tricliniis diſcumbitur, at ducenti ſubinde epulatores, numerantur. Meminimus paucos ante annos, emortuali iſtiusmodi conuiuio, boves duodecim, vitulos complures,

*d*) fercula, primo in *e*) vasis aureis; secundo in argenteis, tertio in *f*) æreis, quarto in ferreis delata sunt. *g*) Significare autem ex

plures, porcorum & altilium immanem numerum, vini præterea, dolia aliquot consumta fuisse. Neque enim heri tantum & digniores quique in conuiuium adhibentur, sed vilissima etiam ministeria, vti sunt agazones, rhedarii, & cetera famulorum turba, demensum accipiunt suum, quasi ideo venerint, vti alieno dolore gulæ perlitarent. Ista silicerniorum apud Hungaros ratio est, ne Romanis quidem ignorata, sed nostris profecto hominibus, suo quodam iure a prima gentis origine propria, quod in NOTITIA Hung. in Comitatu Neograd. Memb. II. Politic. §. 2. expositum est. Hoc ritu fortissimi Hungarorum heroes, Stephanus Bathorius, & Paulus Kinisius, cæsis in campo kenyer mező hostibus, olim parentauerant, quem ANTON. BONFIN. Dec. IV. Lib. 17. verbis exprimit prolixis, hunc in modum: *Super cadauera strata mensæ. quippe quæ vsque adeo frequentia densaque iacebant, vt per vniuersum campum, quoquo versus, in stadia pene sedecim, in cadauer prosilire potuisses. Appositis ergo dapibus accubuere milites. refecta satis superque corpora; & animi lætitia, vinoque plus æquo exhilarati; captiui, qui prospecta dudum victoria hostilia castra populari cæperant, ibi quoque opulentissime discubuere: cœna non sine militari cantu transacta in composito extemporalique carmine ducum procerumque laudes concinuere; mox incalescente Bacho, militarem pyrrichiam saltarunt. Cum adhuc armati Martiales choreas agerent, elatis in numerum clamoribus, cuncta complebant, item cum in publicæ hilaritatis monumentum, quotusquisque miles gestu motuque corporis aliquid ageret, quo risum a ceteris exigeret: Paulus saltare iussus, in media corona, ita subsiliit, medium sublimemque cæsum hostem humo porrectum, dentibus sine ullo manuum adminiculo, plane corripuit, mox in orbem, admirantibus potius, quam ridentibus spectatoribus, numerose saltauit, choream, se & Herculeo quoque viro dignam, edidit. Ea nox præ lætitia gestiente, insomnis acta.*

*d*) Pro ferculis, *coöpercula*, apud IORNANDEM l. c. vnde CALANVS sua accepit, SAVARO not. in Sidonii. ep. XII. Lib. 3. p. 209. legit, sine caussa tamen. Fercula namque proprie, τρόπαια sunt, quæ feretra TERTVLLIANVS dixit, seu gestamina ex ligno, quo pompa, apud Romanos deferri solebat. Ita SVETONIVS in Cæsare Cap. XXXII. *Inter pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum, veni, vidi, vici.* CIC. Offic. I. 13. *Cauendum est ne tarditatibus vtamur in ingressu mollioribus, vt similes pomparum ferculis videantur.* ASCON. in Cic. p. 85. *Ferculis, signa ante triumphantem vehi, per pompam.* Et SENEC. Herc. Oetæo v. 110.

*Nec pompæ veniet nobile ferculum.*

Perperam igitur CALANVS noster, vocem fercula, ad cœnam refert funebrem. Non enim cœnam, sed loculum Attilæ, IORNANDES, hoc loco respicit: *Noctuque secreto cadauer est terra reconditum. Cuius fercula primum auro, secundo argento, tertio ferri rigore communiunt.* Quo sensu, D. AMBROS. ep. 34. *tabulas porphyricas pretiosissimas, quibus vestiebatur operculum, quo regales exuuiæ clauduntur*, accipit.

*e*) Verba hæc, non tam de vasis, quibus diuersa esculentorum genera, triclinio adponebantur, quam de loculo & feretro Attilæ accipienda esse, IORNANDIS lectio monet. Ceterum, aurum & argentum cælatum, quod prisca ætate, teste ATHENÆO Lib. VII. f. 230. rarum fuerat, PRISCVS de Legat. p. 127. in Attilæ tricliniis admiratur. *Ceteris quidem barbaris & nobis, cœna omni eduliorum genere referta & instructa, præparata erat, & in discis argenteis reposita; Attilæ in quadra lignea, & nihil præter carnes. Conuiuis aurea & argentea pocula, quibus bibebant, suppeditabantur. Attilæ poculum erat ligneum.*

*f*) Triplicis metalli, auri inquam, argenti & ferri, IORNANDES meminit. Superfluum itaque est, *in æreis*: nisi verba hæc ad vasa tricliniorum referre volueris. Quoniam enim aurum & argentum, hac ætate fuit rarum: in poculis æneis qui bibebant, doctissimi credebantur. ATHENÆVS. Lib. VI. f. 230. sequ.

*g*) Quidnam, diuerso metalli genere, Hunni indicabant, exponit IORNANDES: *Significantes tali argumento, potentissimo regi omnia conuenisse: ferrum, quo gentes edomuit, aurum & argentum, quod ornatum reipublicæ vtriusque acceperit.* Scilicet: *aurum*, rubiginis atque cor-

ex hoc Hunnorum Principes voluerunt, hæc omnia regi potentiſſimo conuenire. Denique armillas, & *h*) armorum diuerſa genera, *i*) equos *k*) faleras diuerſosque *l*) ornatus in medium *m*) pro-

corruptionis expers, non ſolum eſt metallum pulcherrimum, verum mortalibus etiam cariſſimum, quod, *Ioue prognatum*, SAPHO dixit, & RHODIGINVS Lib. VII. f. 271. ſoli ſacrum fuiſſe, obſeruauit. Eius itaque imagine, Hunni, in Attila, *maieſtatem* cum *ſapientia*, *gloriam*, *magnanimitatem*, *potentiam*, *victorias*, *diuinosque*, quos manibus regiis attribuebant, *honores*, indigitaſſe videntur. Auri namque nomine, SOCRATES in Platonis Phædro, *ſapientiam*, PROCLVS Diadochus, *imperturbatum mentis ſtatum* intelligit. RHODIGINVS Lib. VII. cap. 24. XIII. Cap. 21. Quod Lacædemonii, propterea Delphico dicauerant Apollini. ATHENÆVS. Lib. VII. f. 283. vti *maieſtatem* in eo *diuinam diuinumque* indicarent *cultum*; Romani vero, in torques, armillas, phialas, phaleras, monilia, coronas, aliaque dona militaria transfuſum, militibus præmii nomine donauerant, SVETON. in Octau. Cap. XXV. TACIT. Annal. XI. 9. 4. vti victoribus, reportatæ de hoſte *victoriæ*, perpetua eſſent *documenta*. *Argento*, contra ea, quod Lunæ ſacrum, *prudentia militaris*, & *inſignis rei bellicæ peritia*, ſignificabatur. Etenim viri ſapientes, argentum ſymbolice, *ſcientiam rerum a Deo conditarum*, ſignare tradunt. quomodo ORPHEVS, homines qui *rationis puritate* viuunt, *argenteos* nuncupauit. RHODIGINVS. l. c. FERRI autem nomine, quod Marti dicatum, iis tantum, qui militari obſtringebantur iure iurando, portare licuit, PITISCVS ad Sueton. Octau. Cap. XXXII. not. 7. *inuſitatum* Attilæ *robur*, *armorumque*, quibus Aſiam & Europam perdomuerat, *ſtudium* oſtendebatur. Illud namque fortiſſimos frangit populos, *principemque tuetur*. SENEC. Octau. v. 456. Ceteroquin, quoniam ſpiritus diuinus apud DANIELEM II. 32. ſequ. in coloſſo Nebuchadenezaris, auro, Babyloniorum gloriam, argento, Perſarum maieſtatem, ære, Græcorum potentatum, ferro, Romanorum robur expreſſit: nihil dubitamus adfirmare, Hunnos, ſymbolis iſtis indigitare voluiſſe, Attilam, non Romanorum ſolum imperii, verum reliquorum etiam, quæ ante eos, florebant regnorum, gloriam, maieſtatem, potentatum, roburque, ſi non ſuperauiſſe, ſaltim æquauiſſe. RANZANVS Ind. V.

*h*) *Arma hoſtium cædibus acquiſita*, apud IORNANDEM & SIGONIVM nominantur, ſcilicet: gladii, conti, haſtæ, ſcuta, clypei, parmæ, galeæ, caſſides, pilæ, loricæ, arcus, iaculæ, aliaque armorum genera, quibus partim Romani, partim ceteri populi dimicare ſolabant. Hunni namque cominus ferro, & laqueis; eminus, haſtis, ſagitta, ſine galea ſine lorica, ſine ſcuto, confligebant. quod ex MARCELLINO, in Prod. Hung. Lib. II. Sect. I. Cap. I. §. 19. obſeruatum eſt.

*i*) Equorum, inter dona manibus Attilæ deſtinata, nullam mentionem facit IORNANDES. Scytharum nihilominus ritu, equos cum regibus inhumatos fuiſſe, HERODOTVS Lib. IV. f. 244. tradit.

*k*) Phaleras ſcribunt CIC. Verr III. 80. Liuius XXII. 52. aliique, non faleras. SVIDÆ *ſunt frontis ornamenta*, *ſcutula*, *id quo frons equorum ornatur*. SERVIO ad Virg. Æneid. VII. 278. *monilia*, ſeu *prælpendentia a collo equorum ornamenta*. quæ tamen GELLIVS V. 5. a monilibus diſtinguit: *Inducebat equitatum frenis ephippiis*, *monilibus*, *phaleris præfulgentem*.

*l*) *Diuerſi generis inſignia*, *quibus colitur aulicum decus* IORNANDES nuncupat. Quod PRICVS de Legat. p. 127. hunc in modum exprimit: *Conuiuis aurea & argentea pocula*, *quibus bibebant ſuppeditabantur Attilæ poculum erat ligneum. Frugalis admodum illius veſtis*, *nihil quo ab aliorum veſtibus dignoſci poſſet habebat*; *niſi quod pura & inpermixta. Neque eius enſis erat*, *aliqua illuſtri elegantia conſpicuus*, *neque calceorum barbarorum ligamina*, *neque eius equi fræna*, *vt reliquorum*, *Scytharum*, *auro aut lapidibus*, *& aliis huiusmodi pretioſis gemmis erant ornata.* Hinc vero eſt cognoſcere, quisnam, Attilæ Scytharumque ornatus fuerit. Tametſi enim MARCELLINVS tradat, Hunnos, dum ex Scythia demigrauiſſent; *linteis*, vel *pellibus* & *obſoleti coloris tunica* conueſtitos fuiſſe: ditati tamen, per tot tantasque victorias Romanorum aliorumque gentium ſpoliis, vſque ad luxum, decurſu temporis, & amictu, armisque & phaleris, cimeliisque, comti fuere. Præterquam enim, quod

*m*) producentes, *n*) noctem totam crapulis, ebrietatibus, ac dissolutionibus expenderunt.

CAPVT

quod vestes, arma, frena, ephippia phaleræque, auro, argento, gemmis, & lapidibus pretiosis, refulserant, armillæ etiam, annuli, torques, phialæ, monilia, aurum item & argentum cælatum, Romanorum exemplo, passim inter Hunnorum proceres, in vsu erat. Quæ singula, quæ & quantæ Hunnorum opes sint, quæue cum Attila contumulatæ fuerint, euidenter indicant. Ceterum, hæc omnia, aliaque, quæ enumerauimus, dona fuisse demortui manibus sacra, quæ ad officium, quod mortuis debetur, pertinere existimabantur, alibi indicauimus. Duplicis ea apud Scythas sunt ordinis: exuuiæ, inquam, diuersæ, & homines. *Postquam enim mortuum, in loculo posuerunt: in reliqua loculi spaciositate, aliquam eius pellacum strangulatam sepeliunt, & eum, qui vina miscebat, & cocum, & equi agasonem, & ministrum, & qui erat a nunciis, nec non equos, & aliarum rerum omnium primitias, quin etiam phialas aureas.* HERODOTVS Lib. IV. f. 244. Quorum consuetudinem imitati Hunni, Attilæ loculo, *addunt arma hostium cædibus acquisita, phaleras vario gemmarum fulgore pretiosas, & diuersi generis insignia, quibus colitur aulicum decus. Et, vt tot & tantis diuitiis, humana curiositas arceretur; operi deputatos detestabili mercede trucidarunt.* IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIX. Hoc itaque modo Hunni regum manibus iusta perficiebant, iisque, non hostium solum exuuiis, verum humano etiam sanguine litabant. BONFINIVS. Dec. I. Lib. VII. fol. m. 23. sicuti Æneas apud VIRGILIVM Æneid. Lib. X. v. 518. sequ. Pallantis memoriæ, captiuum immolauerat sanguinem.

*Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,*
*Viuentes rapit, inferias quas immolet imbris,*
*Captiuoque regi profundat sanguine flammas.*

Cognoscitur hinc, sepulturam, speciem cultus fuisse diuini, quem Scythæ, transacto anno repetebant, virosque ex administris quinquaginta, cum equis totidem, ad tumulum regis demortui, denuo litabant, HEROD. l. c. conf. n. c. Ceterum, destinata inferis dona, spolia fuere Hunnorum hostibus detracta. Romani namque, milites, torquibus aureis vel argenteis, armillis, coronis, phaleris, atque monilibus donauere. PLIN. XXXVIII. 2. TACIT. Annal. XI. 9. 4. GELLIVS V. 6. quæ singula, sicut & alia virorum feminarumque ornamenta, in prædam Attilæ cessere, eorumque pars maxima, cum armis hostium, eidem, cum Attila, sepulcro iniecta est.

*m*) Antequam hostium exuuiæ, ceteraque cimelia, in tumulum inferebantur: Hunnorum consuetudine, in aceruum congesta, in modum pyræ struebantur. Qualem aceruum, LACTANTIVS l. c. Strabam, lingua barbarorum adpellat, eumque, STATIVS Thebaid. Lib. XII. venuste describit.

*Sic bellicus ager.*
*Curribus & clypeis Graiorumque omnibus armis,*
*Sternitur. Hostes super ipse vt victor aceruos,*
*Pacifera lauro, crimen vittisque decorus,*
*Accubat.*

*n*) Nocturnam in exsequiis commessandi consuetudinem, perducti ad Christum Hungari, in laudes DEI, & piam mortalitatis recordationem conuerterunt. Abluto namque, & sepulcrali amictu ornato cadauere, coacti in ædes demortui hymnistæ, carmen funestum, quod Christianorum pietate, in recordationem mortis transfusum est, noctu & interdiu, voce modulantur lugubri, cognatis vicinisque, qui impositum funereo pegmati corpus, circumstant, inter singultus & suspiria, collacrymantibus. Ne vero præficines, luctu cantuue continuo, prorsus contabescant: identidem, designator funeris, adpositis triclinio dapibus, plenis prælibat vinum cantharis. Tum vero,

*Pars epulis onerant mensas & plena reponunt,*
*Pocula Pancheis adolescunt ignibus aræ.*

## CAPVT XXVI.

EA nocte, qua Attila mortuus eſt, vt dicunt *a*) Iordanis & Priſcus, hiſtorici, Martianus Imperator, dum in Conſtantinopolitana degens ciuitate, Romanum gubernaret Imperium, *b*) in ſomniis vidit arcum Attilæ fractum. Vnde, (quod mirum dictu eſt) *c*) mane, dum ſurrexiſſet, ab aulicis, incerto auctore, cognouit: Attilam rebus humanis exemptum: quo poſt multos dies clarius probato, *d*) vota, omnium conſenſu, DEO reddita ſunt.

---

VIRGIL. Georgic. Lib. IV. v. 378. ſubinde, ne, cantu & ſingultibus defeſſi modulatores, prorſus, in triſti noctis ſilentio obmuteſcant: vel pericope quædam, ex codice ſacro, aliisque libellis moralibus, lectitatur; vel de rebus ſeriis diſſeritur; vel ænigmatibus concertatur. Hæc in ciuium funeribus. Alia eſt in illuſtrium virorum feminarumque exequiis ratio. quod in Comitatu Neogradienſi l. c. obſeruauimus.

*a*) IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIX. *De quo id acceſſit mirabile, vt Martiano principi orientis, de tam feroci hoſte ſollicito, in ſomniis diuinitus adſiſtens, arcum Attilæ in eadem nocte fractum oſtenderet, quaſi quod gens ipſa, eo telo multa præſumat. Hoc Priſcus hiſtoricus vera ſe dicit adteſtatione probare.* Ex Priſco & Iornande, rem hanc depromſere, PAVLLVS DIACONVS Lib. XV. SIGEBERTVS in Chron. ad an. 455. OTTO Friſing. Lib. IV. Cap. XXVIII. THVRÓTZIVS Chron. P. I. Cap. XXII. BONFINIVS Dec. I. Lib. VII. aliique plures.

*b*) Plura obitus Attilæ præſagia recenſentur, apud CALLIMACHVM, & OLAHVM in Attila Cap. XVI. *Plurima mortem eius prodigia præſignauere. Nuptiali eius die, equus, quo in præliis, & optimo & ſibi fidiſſimo vtebatur, nullo ſigno præcedentis morbi apparente, ſubito eſt mortuus. Mycoltha etiam ſponſa, ingreſſura cubiculum, tam fortiter pedem dextrum limini impegit: vt ex dolore nimio, aliquamdiu deſidere fuerit coacta, auditaque eſt adnotante Callimacho, eius vox dicentis, ſi tempus eſt veniam. Cometes ante eius mortem, viginti circiter noctibus, ad ortum ſolis vernum viſus. Ad hoc traditur, quædam mulier fanatica, equo inuecta, Attilæ redeunti ex Italia, in Pannoniam, ſub traiectum Lyci amnis, inter Rhetos & Vindelicos defluentis, ter frementi voce acclamauiſſe: Retro Attila*: Hæc vero vana, atque ex ethnicorum ſuperſtitione profecta, videntur eſſe præſagia, qualia SVETONIVS in Cæſaribus, paſſim, pro more ſuperſtitioſæ gentis Romanæ, connotauit. Eadem eſt, & præſagientium ſomniorum, quæ a diuinis probe diſtingui debent, ratio. Ea enim, quum ſint euentuum picturæ: multa ſunt in hoc genere, magis ſcite de euentis coniecta, quam vere ſignificata, multa ancipicia, incerta, dubia, pleraque, prorſus falſa & deteſtanda. PEVCERVS Comment. de Præcipuis generibus Diuinat. Cap. X. Hinc OVIDIVS

*Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,*
*Et pauidas mentes, vana timere iubent.*

Si qua PRISCO Rhetori, ex quo Iornandes ſua accepit, fides habenda eſt: ſomnium Martiani de obitu Attilæ, præſagiens magis, quam diuinum fuiſſe colligitur. Eo enim, non minus mors, quam clades Attilæ, per coniecturam ſignificatur: niſi rationibus certis educere velis, mortem Attilæ, iuſſu Numinis, fuiſſe, non per imaginem ſolum prædictam, verum in regia etiam, primo diluculo, a cœleſti genio pronunciatam. quod tamen, Græcorum commentis, quæ Byzantinis ſcriptoribus cumprimis ſunt familiaria, quodammodo adfingenda eſſe exiſtimauerim. Nihil itaque moramur PAVLLVM DIACONVM, qui Lib. XV. *Dominum, in ſomniis Marciano apparuiſſe, eique fractum Attilæ arcum, oſtendiſſe*, incerta tradit relatione.

*c*) Nihil hac de re apud IORNANDEM. Quodſi tamen rumor quiſpiam, de morte Attilæ, primo diluculo, Conſtantinopoli percrebuit: ex ſomnio ille Marciani imp. per incertam præſagientium coniecturam, promanauit.

*d*) IORNANDES de Reb. Get. Cap. XLIX. *Nam in tantum magnis imperiis, Attila, terribilis habitus eſt: vt eius mortem, in locum muneris, ſuperna regnantibus iudicarent.*

*e*) De

ſunt. Vixit autem Attila *e*) annos LVI. vt plerique hiſtoricorum,

*e*) De ætate Attilæ, haud leuis inter Chronographos lis intercedit. Annales Hungarorum, eum, annos centum & viginti quatuor vixiſſe, quatuor autem & quadraginta, rebus Hunnorum præfuiſſe, perhibent. Ita Thvrótzivs Chron. P. 1. Cap. 22. Bonfinivs Dec. I. Lib. VII. Sabellicvs contra ea, cum Callimacho & Calano, non niſi ad *ſextum ſupra quinquageſimum annum*, vitam eius protrahit. quam ſententiam Bvcholtzervs etiam, aliique ſequuntur. Litem hanc componere, reiectaque Sabellici ſententia, veritatem annalium, quodammodo adſtruere contendit, Olahvs in Attila, Cap. XVI. At vero, quum incertum & dubium, ſupputationis poſuerit fundamentum: non poteſt non, quam inde eduxit, annorum ſeries, diſſoluto nexu concidere. Nos, difficultati huic, ex Hunnorum Attilæque geſtis, quodammodo occurremus, eaque, ex quibus, vera Attilæ annos ſupputandi ratio colligitur, præmittemus. De primo Hunnorum ex Scythia Aſiatica exitu, nihil ſupereſt dubietatis. Accidit ille, Gratiano, Valente, & Valentiniano II. imperantibus. Iornandes, de Regn. Succeſſione in Grat. p. m. 118. adeoque, *non ante annum* 373, vti hoc Schönlebenvs Annal. Carniol. P. III. ad an. 374. ſequ. colligit. quod, & Sethvs Calvisivs in Chronolog. ad an. 374. ex Ammiano Marcellino concludit: quidquid tandem, de Hunnorum, ante Valentem imperatorem, in Pannonia inferiore ſedibus, Inchoffervs Apparat. f. 5. ſentiat. Præerat hoc tempore, rebus Hunnicis, Balamirvs, & poſt eum, Mvndzvccvs, pater Attilæ. Iornandes de Reb. Get. Cap. XXIV. XXXV. quos, Octarem & Rovam fratres, excepiſſe, adeoque quatuor hos principes, *annos* 55, regno Hunnorum in Europa præfuiſſe, certum eſt. Attila namque, *ante annum* 429. Hunnorum imperium, nondum tenebat. quod ex Prisco Rhetore de Legat. p. 80. 81. luculenter demonſtratur. *Romanis vero*, inquit ille, *conſilium de mittendis ad Hunnos legatis capientibus, Plinthas & Dionyſius, hic ex Thracia, ille ex Scythia oriundus, ambo exercituum duces, & qui conſulatus dignitatem apud Romanos geſſerant, hanc legationem obire voluerunt.* Quod ſi itaque Plinthas & Dionyſius, ſuſceptam ad Hunnos legationem, poſt peractum conſulatus munus obiere: *ante annum* 429, id muneris ſuſcipere haud poterant. Plinthas namque A. C. 419. Dionyſius 429, conſulatus dignitate ornati, claruerunt. vid. Petavii Ration. Temp. T. III. p. 501. 502. ed. Venet. 1733. 8. Atqui, his ad Hunnos, vti munus legationis obeant, contendentibus, Attila, Rouæ mortuo, teſte Prisco l. c. adeoque an. 429. vel 430, in regno Hunnico ſucceſſerat. quod etiam ex bello Burgundico, anno 428, obſeruante Sigonio, geſto, euidenter cognoſcitur. Eotum namque, occiſo Suphtare rege, ſolus Rouas, vſque ad annum 429. vel 430. imperauit, mortuoque, Attila, Priscvs de Legat. p. 81. cum Bleda fratre, Iornandes de Reb. Get. Cap. XXXV. ſucceſſit. conf. ad Cap. V. n. a. b. Cognito, imperii Attiliani principio, videndum iam, quonam ille anno fatis functus eſt. Nihil moramur, vel Hungarorum annales, qui Attilæ obitum, ad an. 445. referunt; vel Græcorum Latinorumque Chronographos, quorum nonnulli, vt Nicephor. Hiſt. Eccleſ. Lib. XIV. f. 954. ed. Francof. eum, in prælio Catalaunico; alii, vt Hermannvs Contract, anno 452; alii, vt Sigeb. Gemblacensis, ceterique, anno 455. mortuum fuiſſe perhibent. Optime, Attilæ rebus præclare geſtis, horum congruit ſententia, qui eum, *anno a ſalute mundi* 454, deceſſiſſe tradunt. Ita, Comes Marcellinvs Chron. ad Ætii & Studii conſulatum, hoc eſt ad an. 454, & Sigonivs de Occid. Imp. Lib. XIII. ad an. cit. Namque annò 450. & 451, Germaniam atque Galliam, anno 452, Aquileiam & Italiam, inuaſerat. conf. ad Cap. XV. not. a. Hinc iam pronum eſt colligere, Attilam, qui *anno* 429. *imperare cœpit*, & *anno* 454. deceſſit, non *quatuor & quadraginta*, vti Hungarorum Hiſtorici adnotarunt, verum *quinque & viginti* annos, in populo Hunnico regnauiſſe. Quod ſi vero Attila, nonniſi annos quinque & viginti, ſicuti euidenter demonſtratum eſt, rebus Hunnorum præfuit: quis credet tantum heroëm, maieſtatem ſuam, vſque ad *annum ætatis nonageſimum nonum*, occultare potuiſſe, relictumque a Mundzucco patre regnum, Octari atque Rouæ patruis, ceſſurum fuiſſe. Quod, quia poſt mortem patris, accipere nequiuerat: *vicenario* inferiorem eum fuiſſe, & dum ad clauum imperii ſedere occeperat, *annum quadrageſimum* ſuperauiſſe, exiſtimauerim. Comprobat id, apud Priscvm de Legat. p. 131.

rum, in litteras retulerunt. Ea *f*) die, qua Iulius Cæſar, qui primus Romanorum ſingulare arripuit imperium, natus eſt, & ea *g*) nocte, fluxu ſanguinis interemtus, qua menſis die, idem Cæſar, in ſenatu, acceptis vulneribus, confoſſus interiit.

---

131. non ſolum Oerbarſius Attilæ *patruus*, quem adultus iam, *patris loco*, ducebat, verum filii etiam annis florentes, quorum ætas integra, in patre, ſi non *ſextum*, ſupra *quinquageſimum*, certe annum *ſeptuageſimum* indicaſſe videtur. Nihil iam de Attilæ robore, viribus, corpore vegeto, vſuque veneris, proferam, quæ ſingula, anno ſupra *centeſimum quarto* & *vigeſimo*, vix ac ne vix quidem conueniunt: quocunque demum modo ea, OLAHVS in Attila Cap. XVI. ROHT. in Attila 5. 48. regum ſeptentrionalium exemplis adſtruere, vitamque Attilæ, incerta ſupputatione, ad annum centeſimum quartum & vigeſimum, prorogare adlaborent. Neque vero ſententiæ noſtræ obſtat, Attilam, teſte PRISCO, *canis adſperſum fuiſſe*. Feſtinata etenim hæc ſenectutis inſignia, ſæpenumero in iuuenes incidiſſe, Numæ, Traiani, aliorumque hiſtoriæ teſtantur. His de cauſſis, res eſt clariſſima, Attilam, annos *quinque* & *viginti*, *quinquagenario* tamen *maiorem*, *at*, *octogenario inferiorem*, imperauiſſe, atque adeo, non in Aſiatica, verum in Europæa Scythia, ſeu Dacia, in Engadi, regnante inter Hunnos, Mundzucco patre, natum fuiſſe, & ingraueſcente quidem, non tamen præcipitata ætate, obiiſſe. Ceterum, qui ætatem Attilæ, ſex & quinquaginta annis metiuntur, Julii Cæſaris inducti exemplo, id faciunt. quem anno hoc periiſſe, SVETON. in Cæſ. cap. 87. reliquit. Quod ſi euinci poſſet: Attilam, ſicuti Cæſarem, anno occidiſſe climacterico, nullum ſupereſſet dubium; annus enim *ſextus* & *quinquageſimus*, inter *climactericos* eſt, qui vitæ mortalium periculoſi eſſe produntur. Hunc namque octo hebdomades conficiunt, & ſeptem octies multiplicata, componunt. CIC. de Repub. VI. PITISCVS ad SVET. Cæſ. Cap. 88. n. 1.

*f*) Iulius Cæſar natus fuit a. d. IV. Idus Quintiles, hoc eſt d. 12. menſis Iulii, auctore MACROB. Sat. 1. 12. C. Mario VI. & L. Valerio Flacco Coſs. ſiue, anno ab. V. C. 653. v. PIGH. Ann. Rom. III. p. 200. Incertum vero eſt, Attilam, eodem die in lucem editum fuiſſe, quod OLAHVS l. c. ex aliorum refert traditione: quum ne annus quidem natiuitatis eius, tanto minus dies, deficientibus Hunnorum faſtis, cognitus eſſe poſſit.

*g*) Idibus Martiis, Iulium Cæſarem, a coniuratis, tribus & viginti plagis confoſſum, in curia occidiſſe, SVETONIVS in Cæſar. Cap. 80. ſequ. reliquit. Quo die, quoniam Annae Perennæ feſtum erat, in quo Romani, largioribus poculis indulgebant, & pro cyathorum numero, annos mutuos ſibi precabantur: PITISCVS in Suet. Cæſ. Cap. 80. n. 37. facile rerum Hunnicarum ſcriptores, dum Attilam cum Iulio Cæſare comparare contenderant, eumque poſt cœnam nuptialem extinctum obſeruarant, in eam, læti funeſtique ſimul temporis ſimilitudine, inducti ſunt opinionem: vti Attilam, non ſolum eodem die, quo Cæſarem, & natum & mortuum fuiſſe, verum, producta ad annum ſextum & quinquageſimum, ætate firmata, pari etiam mortis genere interiiſſe, adfirmare nulli dubitauerint. Hæc itaque eſt cauſſa, quare CALANVS, Attilam anno ætatis ſexto & quinquageſimo obiiſſe, ceteri vero, ex vulnere, vel in prælio, vti NICEPHORVS, vel in thalamo, ſicuti MARCELLINVS, occubuiſſe exiſtiment: quoniam Iulius Cæſar, hac quoque ætate, tribus & viginti plagis enecatus, periit. SVETON. in Cæſ. cap. 87: quamuis P. MANVTIVS non hoc, ſed ſeptimo & quinquageſimo ætatis anno, eum periiſſe, contendat. Hæc de Attila.

# F I N I S.

SYLLA-

# SYLLABVS VARIARVM LECTIONVM

ex Cod. MS. Rebdörffensi, ed. Veneta & Canisii, in vitam ATTILÆ

## IVVENCI COELII CALANI DALMATÆ.

MS Rebd. Manuscriptum Rebdörffense.
Ven. Codex Venetus.
Can. Canisiana editio.
p. pagina.
l. linea.

### TITVLVS.

*p.* 89. *l.* 1. *Iuuenci* cet. MS REBD. Attilæ vita per Iuuencum Celium Calanum Dalmatam edita. VEN. Historia de Attila Hunnorum rege incipit feliciter. CAN.

### CAP. I.

*p.* 89. *l.* 5. *Hunni* MS REBD. Hunnique te Auares. VEN.
ibid. *Hungari.* MS REBD. Vngari. CAN.
*p.* 90. *l.* 2. *Chronographorum.* MS REBD. Cosmographorum. VEN.
*l.* 3. *Alexandro* MS REBD. Alexandro Philippi. VEN.
*ibid. artissimos.* MS REBD. arctissimos. VEN.
*p.* 91. *l.* 2. *inhabitant Hunni.* MS REBD. Inhabitant primo Hunni. VEN. CAN.
*l.* 5. *quod sic.* MS REBD. quod & sic inditum. VEN. CAN.

### CAP. II.

*p.* 92. *l.* 2. *His reges.* MS REBD. Horum reges. VEN. CAN.
*l.* 3. *Mandluchus.* MS REBD. CAN. Madluchus VEN.

### CAP. III.

*p.* 93. *l.* 3. *Madulchus* MS REBD. Madluchus. VEN. CAN.
*p.* 94. *l.* 3. *Attilam.* MS REBD. CAN. & Attilam. VEN.
*l.* 4. *cum regno, in portione.* MS REBD. CAN. cum regni portione. VEN.
*p.* 95. *l.* 3. *adoptionis iure filios* quandoque imperatorum Romanorum more constituit. MS REBD. adoptionis filios principum quandoque Romanorum more constituit. VEN. adoptionis iure filios, quandoque principum Romanorum more constituit. CAN.

### CAP. IV.

*p.* 95. *l.* 1. *Post Subthar* rex. MS REBD. Post quæ Subthar rex. VEN. CAN.
*p.* 96. *l.* 2. *omnemque* MS REBD. eamque. VEN. CAN.
*ibid. rapinis* MS REBD. CAN. rapinis & cædibus. VEN.
*p.* 96. *l.* 5. *& subsequenter.* MS REBD. CAN. subsequenter. VEN.
*p.* 97. *l.* 2. 3. *periculis.* MS REBD. exitiorum periculis. VEN. CAN.
*l.* 6. *efferata rabie absumeret.* MS REBD. effrenata rabie ductus absumeret. VEN. CAN.
*l.* 10. *Deo adiutore.* MS REBD. CAN. DEO adiuuante. VEN.
*ibid. absumserit.* MS. Quæ desunt, supplenda sunt ex VEN. & CAN. ed. Capta circiter tria millia fuerunt, reliqui salutem fuga quæsiuerunt. Inter cæsos, & ipse Subthar tribus confossus vulneribus repertus est. vbi VEN. Cod. pro confossus confessus habet.

### CAP. V.

*p.* 100. *l.* 1. *nunc vna, deinde altera.* MS REBD. CAN. scilicet expeditione. nunc vnam deinde alteram. VEN.
*p.* 101. *l.* 3. *Aurelianum.* MS REBD. CAN. Aureliacarium. VEN.
*p.* 103. *l.* 4. *secum duxerant.* MS REBD. CAN. secum duxerat. VEN.

### CAP. VI.

*p.* 103. *l.* 1. *inserendum est.* MS REBD. CAN. inserendum esse. VEN.
*p.* 104. *l.* 1. *huius nominis.* MS REBD. VEN. huius nomine. CAN.
*l.* 2. *Galliæ Placidæ.* MS REBD. CAN. Galliæ Placidiæ. VEN.
*l.* 3. *Arcadii* MS REBD. VEN. Archadii. CAN.
*l.* 4. *Eudoxia* MS REBD. CAN. Eudosia. VEN.
*l.* 4. *Thrasimundi.* MS REBD. CAN. Thrasemundi. VEN.

### CAP. VII.

*l.* 1. *Etius ergo.* MS REBD. Etius igitur. VEN. Ecius igitur. CAN.
*p.* 105. *l.* 1. *solus nouerat.* MS REBD. solus præcipue nouerat. VEN. CAN.
*l.* 3. *Gothorum.* Deest regum, alter, qui cum Etio, aduersus Attilam, bellum gessit in Galliis. Eum IORNANDES de Reb. Get. Cap. 36. Sangibanum, GREGOR. Turon. Lib. II. Cap. 7. aliique rerum Francicarum scriptores, Meroueum adpellant. Hoc itaque modo, locus hic supplendus est: Sangibanum Alanorum, & Meroueum Francorum principes.

*ibid. ex praecedentibus.* MS Rebd. & praecedentibus. Ven. ex praecedenibus. Can.

*l.* 4. *conflictibus.* MS Rebd. Ven. conflictib. Can.

*l.* 5. *sibi adsumsit.* Deest nomen ducis bellici.

*l.* 7. *Walamir.* MS Rebd. Walamer. Ven. Walamar. Can.

*p.* 106. *l.* 1. *Theodorici.* MS Rebd. Can. Theodonti. Ven.

*ibid. tum in Gothorum regionibus.* MS Rebd. tunc etiam in Gothorum regionibus. Ven. tunc & in Gothorum regionibus. Can.

CAP. VIII.

*l.* 1. *victorum.* MS Rebd. Can. virorum. Ven.

*l.* 3. *tunc etiam.* MS Rebd. Can. nunc etiam. Ven.

*p.* 108. *c.* 2. *occubuit.* MS Rebd. Ven. accubuit. Can.

CAP. IX.

*p.* 109. *l.* 1. *magno exercituum viro, gladiis interemto.* MS. Rebd. Can. magno ex exercitium viro gladiis interempturo. Ven.

*l.* 3. 4. *suspicabatur.* MS Rebd. Can. suspicabantur. Ven.

*p.* 110. *l.* 3. *factum est.* MS Rebd. suasum est. Ven. Can.

*l.* 4. *dum hic inde.* MS Rebd. dum hinc inde. Ven. Can.

*l.* 8. *ex castris proripuit.* Scilicet, se.

*l.* 9. *Sellis.* MS Rebd. Can. sellulis. Ven.

*p.* 111. *l.* 3. *conspectusque ab omnibus, & suis terga cedentibus.* MS Rebd. Can. conspectusque à suis terga cedentibus. Ven.

*l.* 7. *nouis ducibus.* MS Rebd. vobis ducibus. Ven. nobis ducibus. Can.

*ibid. me duce pugnate, nihil est, quod me duce pugnantes vos terreat.* MS Rebd. Can. me duce pugnante, nihil est, quod me duce pugnante, vos terreat. Ven.

*l.* 8. 9. *victores estis.* MS Rebd. victores estis, solum velitis, immo & si non vultis, victores estis. Ven. Can.

*l.* 9. *terga ostendite.* MS Rebd. terga vestra ostendite. Ven. Can.

*l.* 10. *quisquis vultus hostibus visendos praebere sciet.* MS Rebd. Quisquis vultus hostibus viscendos præbere sciet. Ven. Quisquis vultus hostibus visendis præbere sciet. Can.

*l.* 11. *Tum Hunni* MS Rebd. tunc Hunni Ven. Can.

CAP. X.

*p.* 112. *l.* 2. *nulloque casu, corrumpi viderentur.* MS Rebd. nullo quoque casu viderentur. Ven. nulloque casu viderentur. Can.

*l.* 6. *contigisset.* MS Rebd. Can. accidisset. Ven.

*l.* 10. *in summo aggeris conspiciens.* MS Rebd. supple ex ed. Ven. & Can. Hunnorum gentem pene victam esse comperiens.

*l.* 11. *ratus tenuit.* MS Rebd. Ven. Can. lege, admiratus timuit. conf. ad Cap. X. not. d.

*p.* 113. *l.* 4. *inter Walamir & Theodomir Theodorici filios.* MS Rebd. inter Vualamer & Theodomir fratres, Theodoricique filios. Ven. Can.

*l.* 6. *discessum est.* MS Rebd. supple ex Ven. & Can. & in dies cum Attila pacificatum.

*l.* 7. *qui sibi superiores erant.* MS Rebd. Can. qui & ibi superiores erant. Ven.

*l.* 9. *Huius ergo in dies, pace & fœdere habitis.* MS Rebd. Can. Huiusmodi ergo indies pace ac fœde habitis. Ven.

CAP. XI.

*p.* 114. *l.* 1. *post hoc spacio interiecto.* MS Rebd. Can. post hæc spatio interiecto. Ven.

*p.* 115. *l.* 2. 3. *quo eum continuo interimerent.* MS Rebd. supple: eo quod quædam recusauerat, quæ Attila fieri absolute mandauerat. Ven. eo quod recusauerit. Can.

*l.* 3. *in historiographis.* MS Rebd. Can. inter historiographos. Ven.

CAP. XII.

*p.* 115. *l.* 1. *reliquarumque finitimarum gentium.* MS Rebd. Ven. reliquarum finitimarumque gentium. Can.

*p.* 116. *l.* 1. *Nigorum.* MS Rebd. Can. Rugorum. Ven. Nos not. d. ad Cap. XII. Niconiorum, legimus.

*ibid. Curalorum.* MS Rebd. Can. Curulorum Ven.

*ibid. Arorum.* MS Rebd. Ven. Can. Nos Aroterum legendum censuimus. not. f. ad Cap. XII.

*p.* 116. *l.* 3. *quibuscunque etiam incognitis facillime cognosceretur.* MS Rebd. Can. quibusque etiam incognitis facillime noscetur. Ven.

*l.* 117. *l.* 4. *hispidis crinibus.* MS Rebd. Can. crinibus, omisit. Ven.

*l.* 5. *caninæ dicerentur.* Vocem hanc, non de crinibus, verum de labiis pendentibus, explicuit Barthius conf. not. 5. ad Cap. cit.

*p.* 118. *l.* 1. *simius naso.* MS Rebd. simus naso. Can. Iornand.

*l.* 2. *moribus ferus.* MS Rebd. Can. moribus ferreus. Ven.

*l.* 3. *lineamenta.* MS Rebd. Can illiniamenta. Ven. & αὐτόγραφον. MS Rebd.

*p.* 119.

*p.* 119. *l.* 1. *latis tamen labiis.* MS Rebd. Can. latis cum labiis. Ven.

CAP. XIII.

*p.* 119. *l.* 1. *idem historicus.* MS Rebd. idem Priscus historicus. Ven. Can.

*l.* 3. *collectoque.* MS Rebd. Ven. collocatoque. Can.

*l.* 4. *immenso adparatu.* MS Rebd. innumero exercitu apparatu. Ven. innumero apparatu. Can.

*p.* 121. *l.* 2. *magna parte domita.* MS Rebd. Can. magna parte perdomita. Ven.

*l.* 3. *ad partes Italiæ festinus conscendit.* MS. Rebd. Ven. vel partes Italiæ festinus conscendit. Can.

*p.* 122. *l.* 1. *situm in littore maris.* MS Rebd. Can. situm in lingua maris. Ven.

*l.* 3. *& vt eam.* MS Rebd. Can. vt eam. Ven.

CAP. XIV.

*p.* 122. *l.* 2. *Valentiniano & Theodosio.* MS Rebd. Valentiniano Theodosioque. Ven. Can.

*l.* 3. *quantis fieri potuerit.* MS Rebd. quantis fieri poterat. Ven. quantis fieri potuit. Can.

*p.* 123. *per suos legatos alloquutus.* MS Rebd. allocutus Ven. alloquitur Can.

*l.* 4. *eas ciuitates facturas.* MS Rebd. Ven. Can. emendandus est locus: eas ciuitates futuras. vel, ea se ciuitati facturum. conf. not. d. ad Cap. XIV.

*ibid.* *quæ ipsa Roma fecisset.* MS Rebd. quæ ipsa Roma subisset. Ven. quæ ipsa Roma fuisset. Can.

*l.* 5. *Helinando Antistite & Araico tempesta.* MS Rebd. Can. Heluiando antistite & Atturco tempesta. Ven.

*l.* 6. *item Verona.* MS Rebd. Can. deest in ed. Ven.

*p.* 124. *l.* 1. *Oppitergium, sed & Cenetense.* MS Rebd. Can. Opitergiumque & Cenetense Ven.

*l.* 4. *ad Aquilegiam.* MS Rebd. apud. Aquilegiam. Ven. Can.

CAP. XV.

*p.* 124. *l.* 1. *ciuitatem Aquilegiam.* MS Rebd. Can. ciuitatem Aquilegiam ciuitatem. Ven.

*p.* 125. *l.* 3. *deliberare cœpisset.* MS Rebd. Can. cœpisse. Ven.

*l.* 4. *an tolleret.* MS Rebd. Can. vel tolleret. Ven.

*l.* 6. *circumirent.* MS Rebd. circuiret. Ven. circuirent. Can.

*ibid.* *in altis vrbis turribus.* MS Rebd. Ven. in altias vrbis turribus. Can.

*p.* 126. *l.* 6. *respicere casuras arces.* MS Rebd. Can. respicite casuras fine arces. Ven.

*l.* 7. *instat enim exitium.* MS Rebd. Can. eius exitium. Ven.

*ibid.* *nec expugnatio differenda est.* MS Rebd. Can. nec expugnando differenda est. Ven.

*l.* 9. *recitatisque his.* MS Rebd. Can. recitatis his. Ven.

*ibid.* *omine fausto.* MS Rebd. Can. hoie fausto. Ven.

*p.* 127. *l.* 2. *Hunni inuadentes.* MS Rebd. Can. humi inuadentes. Ven.

*ibid.* *omnia quæ reperta.* MS Rebd. Can. omnia quæ repererunt. Ven.

*l.* 3. *flammisque cuncta subiecere.* MS Rebd. Can. flammis subiecere. Ven.

*l.* 5. *cæsa eo conflictu.* MS Rebd. Can. conflictu. Ven.

*ibid.* *cuiuscunque etiam ætatis.* MS Rebd. vtriusque sexus cuiusque etiam ætatis. Ven. cuiusque etiam ætatis. Can.

CAP. XVI.

*p.* 128. *l.* 3. *Pergamum.* MS Rebd. Can. Bergamum. Ven.

*l.* 6. *denique Tusciam.* MS Rebd. Can. deinde Thusciam. Ven.

CAP. XVII.

*p.* 129. *l.* 3. 4. *eius potentia stomachati.* MS. Rebd. Can. cuius potentia stomachati. Ven.

*l.* 5. *depopulata vrbe.* MS Rebd. Can. spoliata vrbe. Ven.

*l.* 7. *quasi vrbem Romanam ingredienti.* MS. Rebd. Can. quasi sibi vrbem Romanam ingridienti. Ven.

CAP. XVIII.

*p.* 131. *l.* 5. *Quod se facturum, rex.* MS Rebd. Can. quod rex se facturum. Ven.

CAP. XIX.

*p.* 132. *l.* 1. *in litteras.* MS Rebd. Can. in litteris. Ven.

*l.* 7. *admirati milites vidisse,* MS Rebd. Can. admirati milites. Ven.

*l.* 8. *præsto essent.* MS Rebd. Ven. præsto esse. Can.

*l.* 11. *prauisum.* MS Rebd. Can. prouisum. Ven.

CAP. XX.

*p.* 133. *l.* 2. *sub imperio.* MS Rebd. Can. sub dominio. Ven.

*l.* 3. *fratris autem Walamer.* MS Rebd. Ven. fratris: at Walamer. Can.

*l.* 3. *Theodorico eorum fratre.* MS Rebd. Can. Theodorico fratre. Ven.

*l.* 7. *pace in dies.* MS Rebd. Can. Ven. Hiatum hunc, ad Cap. cit. n. 9. hoc modo expleuimus: pacate in dies multos.

*l.* 10. *Walamer.* MS REBD. CAN. Vuallames. VEN.

*ibid. qui post Ravennæ.* MS REBD. CAN. qui postmodum Rauennæ. VEN.

CAP. XXI.

*p.* 34. *l.* 7. *vbi paullo ante Etius.* MS REBD. vbi paulo ante, prius, Etius patricius. VEN. vbi paulo ante Etius patricius. CAN.

*l.* 10. *Hunnorum graui persecutione exercitum depopulans.* MS REBD. Hunnos graui persecutione exercitum depopulans. VEN. Hunnorum graui persecutione depopulans. CAN.

*l.* 13. *vt antea orbi terrarum terror inuisus.* MS REBD. CAN. & ante orbi terrarum terror immensus. VEN.

*l.* 14. *quærit abiicere.* MS REBD. VEN. quærit obiicere. CAN.

*l.* 15. *ob quondam Etio.* MS REBD. ab quodam Etio. VEN. ab quondam Etio. CAN.

*l.* 17. *in Pannonias.* MS REBD. & CAN. referunt ad verba præcedentia: nam inde recessit in Pannonias. VENET. edit. ad. sequentia. In Pannonias itaque reuersus.

CAP. XXII.

*p.* 135. *l.* 2. *tali morbo.* MS REBD. tali morte. VEN. CAN.

*p.* 136. *l.* 2. *gentium aulicarum.* MS REBD. CAN. gentium militarium. VEN.

*l.* 6. *intrasset.* MS REBD. intrauisset. VEN. CAN.

*p.* 137. *l.* 1. *lassitudine, quantam nunquam antea contraxerat.* MS REBD. lassitudine & ebrietate, quantam nunquam antea contraxerat. VEN. lassitudine & ebrietate, quantum nunquam ante contraxerat. CAN.

*l.* 2. *vt & sic pressis.* MS REBD. CAN. & vt sic pressis. VEN.

*l.* 3. *super cubiculum.* forte, super cubile.

*l.* 4. *oppressus accubuit.* MS REBD. depressus accubuit. VEN. CAN.

*l.* 6. *copiosius.* MS REBD. CAN. corpus suis. VEN.

*l.* 6. 7. *non sui iam compote corpore, obstruso vitali spiritu.* MS REBD. CAN. non sui iam corporis obstruxo vitali spiritu. VEN.

*p.* 138. *l.* 1. *Hunnorum.* MS REBD. CAN. Humorum. VEN.

CAP. XXIII.

*p.* 138. *l.* 6. *decursu è naribus sanguine.* MS REBD. CAN. decurso è naribus sanguine. VEN.

*l.* 6. *quatiens persæpe.* MS REBD. CAN. quatiens persæpe eum. VEN.

*p.* 138. *l.* 8. *frustra tentabatur.* MS REBD. CAN. temptabatur. VEN.

*ibid. exanimatum corpus.* MS REBD. CAN. examinatum. VEN.

*p.* 139. *l.* 1. *adperiretur cubiculum.* MS REBD. CAN. periculum. VEN.

*l.* 2. *vociferari.* MS REBD. CAN. vociferare. VEN.

*ibid. sonus redderetur.* MS REBD. somnus redderetur. VEN. CAN.

*l.* 3. *ostiis infractis.* MS REBD. ostiis effractis. CAN. hostiis effractis. VEN.

*l.* 5. *de naribus effluens.* MS REBD. CAN. de naribus eius affluens. VEN.

*p.* 140. *l.* 1. *lanceolis.* MS REBD. lanteolis. VEN. CAN.

*l.* 2. *phlebetomiis.* MS REBD. phlebotomiis. CAN. flobothomiis. VEN.

*l.* 3. *repleuerunt.* MS REBD. CAN. sanguine repleuerunt. VEN.

*l.* 4. *femineis.* MS REBD. fæmineis. CAN. feminiis. VEN.

CAP. XXIV.

*p.* 141. *l.* 3. *campo statuerunt.* MS REBD. CAN. strauerunt. VEN.

*p.* 142. *l.* 1. *milites.* MS. REBD. CAN. milites eorum. VEN.

*p.* 143. *l.* 1. *hos funereos versus.* MS REBD. CAN. hos funere versus. VENET.

*p.* 145. *l.* 3. *antistitis precibus.* MS REBD. precibus, deest in ed. VEN. & CAN.

*l.* 8. *nullus æstimat.* MS REBD. CAN. nullus existimat. VEN.

CAP. XXV.

*p.* 146. *l.* 2. *denique mensis adpositis.* MS REBD. CAN. deinde mensis appositis. VEN.

*p.* 149. *l.* 1. *in argenteis.* MS REBD. CAN. in argentiis. VEN.

*p.* 150. *l.* 2. *denique armillas.* MS REBD. CAN. deinde armillas. VEN.

*l.* 3. *faleras.* MS REBD. CAN. VEN. Phalcrasi. MS REBD.

*p.* 151. *l.* 1. *noctem totam.* MS REBD. VEN. noctam totam. CAN.

CAP. XXVI.

*p.* 152. *l.* 2. 3. *in Constantinopolitana.* MS REBD. CAN. Constantinopolitana. VEN.

*l.* 7. *clarius probato.* MS REBD. CAN. clarius prolato. VEN.

*p.* 153. *l.* 1. *vixit annos.* MS REBD. CAN. annis. VEN.

*p.* 154. *l.* 1. *Iulius Cæsar.* MS REBD. CAN. Caius Iulius Cæsar. VEN.

*l.* 4. *confossus interiit.* MS REBD. CAN. confessis interiit. VEN.

HIERONYMI LASKY,
Palatini Siradienſis,

# HISTORIA ARCANA

Legationis,
Nomine JOHANNIS Regis,
Ad
SOLYMANNVM TVRCARVM IMPERATOREM
ſuſceptæ,
*nunc primum, ex manu exarato codice, in lucem edita.*

ADPARATVS AD HISTORIAM HVNGARIAE,
DECADIS I. MONVMENTVM IV.

*EXCELLENTISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE COMITI, DOMINO,*

# JOHANNI PÁLFFY ab ERDÖD,

PERPETVO IN VöRöSKö, BAJMóCZ, SZ. GYöRGY &, BAZIN, IVDICI CVRIAE REGIAE, COMITATVS POSONIENSIS SVPREMO ac PERPETVO COMITI; ARCISQVE REGIAE NOMINIS EIVSDEM, SVPREMO ac HAEREDITARIO CAPITANEO;

*SACRATISSIMI PRINCIPIS,*

A C

DOMINI DOMINI,

# CAROLI SEXTI,

DEI GRATIA, ELECTI ROMANORVM IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI, ac GERMANIAE, HISPANIARVM, HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE, CROATIAE, SCLAVONIAEQVE &c. &c. REGIS, ARCHIDVCIS AVSTRIAE, &c. &c.

ACTVALI INTIMO, & CONSILII LOCVMTENENTIALIS REGII CONSILIARIO, GENERALI CAMPI MARSCHALLO, VNIVS REGIMINIS CATAPHRACTORVM COLONELLO, PARTIVM CASSOVIENSIVM, PER SVPERIOREM HVNGARIAM, GENERALI, TABVLAE SEPTEM VIRALIS ASSESSORI,

&

EXERCITVS CAESAREI, PER HVNGARIAM GENERALI COMMENDANTI,

FELICITATEM!





Abis id, TVAE, atque maiorum TVORVM, EXCELLENTISSIME COMES! virtuti, quod, dum res patriæ, eruderare pergo, Illuſtri TVO, & toto celebrato orbe, Nomini, honeſtæ deſtinationis partem hanc, inſcribere ſuſtineam. Siue enim TE ipſum, HEROS fortiſſime! contueor; ſiue memoria Auos recolo TVOS, ea ſunt VESTRA, cum omnium, tum ſingulorum, de HVNGARIA, & ſago, & toga, patrata merita, quibus, cum dignitate expromendis, vix vlla orationis copia, ſuffectura videatur. Nam eſt hoc, genti TVAE, partim a natura inſitum, partim, conciliatum ab educatione; vt Regibus fidem, nulla vnquam contemeratam labe, integram patriæ caritatem, per retroacta hæc ſecula, infinitis documentis adfirmauiſſe, in hærediis VESTRIS cenſeatis.

Longus ſim oportet, ſi, belli tot fulmina, tot columina HVNGARIAE, quæ INCLVTA DOMVS TVA, nunc defenſandis, ac reparandis in melius, nunc ſuſtentandis fortiter, rebus PANNONIAE, ſuffecit adhuc, neque ceſſat, porro ſufficere, velim commemorare. Quod, tametſi ita habet; haud tamen, ingrati notam animi, facile euitarim, niſi decora TVA, quando, pro eo, ac merentur, celebrari a me nequeunt, qua ſe dat occaſio, poſteritati, æquiſſimis laudibus, commendarem.

Feci id equidem, HEROS MAGNANIME! per commentaria mea, ſæpius, & profeſſa opera; nunc autem, eo facio

cio

cio promptius; quo magis, & CAESARIS, REGISque indulgentissimi, & HVNGARIAE totius interest; vti, auita illa virtus, quæ TE, summis belli ducibus, pridem æquiparauit, non superet tantum diutissime; sed bene etiam vertat, Christianæ Reipublicæ, capiatque, ex præsenti temporum habitu, auctoramenta, rei, si locus & occasio poscat, viriliter non minus, quam feliciter administrandæ.

Atque hinc profluxere, EXCELLENTISSIME DOMINE! consilii huius mei rationes; vt, ARCANAM hanc, LASKYANAE, ad Solymannum, LEGATIONIS, HISTORIAM, TIBI nuncuparem: quippe quæ, post accisas, apud MOHACSVM, vires HVNGARIAE, cruentas illas tempestates coegit, inque patriam effudit nostram: in quibus propulsandis, disiiciendisque, cum primis emicuit, Progenitorum TVORVM, dextera fides, fortitudo mirifica, & iuuandæ patriæ, ardor diuinissimus.

Accipe proinde, EXCELLENTISSIME COMES! hoc tantillum, meæ, de summis TVIS virtutibus, existimationis, & obseruantiæ monumentum, procliui animo, TIBIque, velim persuade, in toto eo scriptionis genere, cui, SACRATISSIMIS AVSPICIIS, adhuc insudo, id me, cum cura elaborare, ne lateat posteros, quantus, & bello fueris, ætate nostra, & pace. Diu, & ex animi sententia vale, ac viue! Ita precatur,

EXCELLENTIAE TVAE,

ILLVSTRISSIME COMES!


Cliens obsequentissimus

MATTHIAS BEL.



# Lectori,

## Rerum Hungaricarum studioso, Salutem!



ARCANAM, *Laskianæ*, ad *Solymannum*, legationis, HISTORIAM, edenti in lucem, animo primum sederat, notis eam exornare locupletioribus; vti, & his lectu esset expeditior, quibus eius tempestatis calamitates, haud satis sunt cognitæ; sed, cum ea diligentia, facile in offensam verti potuisset, a rerum ignaris, & suo ingenio metientibus, labores alienos; refricandus item sæpius fuisset dolor, perditæ, nefariis consiliis, HVNGARIAE; migrandam censui, vtilem alioquin futuram destinationem, vt iam satis putem, si de HIERONYMO LASKIO partim, partim de legationis suæ tragœdia, breuiter edoceam lectorem.

II. Fuit HIERONYMVS, *a*) gente Polonus; dignitate Palatinus Siradiensis; ingenio, in rebus administrandis, nulli ciuium suorum, ætate illa, secundus: eo infelix, quod maximo, & reipublicæ Christianæ, & suo ipsius malo, rebus IOHANNIS de ZAPOLYA, semet implicuit. Atque, ingenii quidem laudem, nemo, quod sciam, scriptorum, *Laskyo* detraxit, tribuerunt contra plerique omnes. SLEIDANVS *b*) certe, alienissimus ab adsentationis labe, auctor, *excellentis ingenii virum*, nihil dubitauit vocare. Satis quidem ad encomium! Liberalius tamen multo, PAVLLVS JOVIVS, *c*) quando, *virum, inter Sarmatas, ab illustri nobilitate, eruditæque virtutis nomine, clarissimum adpellat*; & paullo post: *excelso solertique ingenio, grauissimarum rerum consilia, agitare, atque terminare solitum*, scribit. Vtrique scriptorum, ISTVANFFYVS *d*) noster consentanee: HIERONYMVS LASCVS, inquit, *Siradiensis Palatinus, vir, & bello bonus, & consilio, ac rebus agendis, prudentia ac experientia singulari.*

III. Hæ illi virtutes, cum regum ac principum gratiam, tum doctorum beneuolentiam obseruantiamque, conciliarunt. Supergrederer præfationis, quam breuem esse oportet, modum, si vellem singula expromere, quæ in vtroque hoc laudis genere *e*) succurrunt. Illud, silendum haud est, vsum fuisse, perquam familiariter, ERASMO, quod ex epistolis eius addidimus. quam quidem inter eos coniunctionem, non eruditio tantum, quæ insignis erat in LASKIO, sed etiam Christianæ studium religionis, contemperauit. Neque enim dubitauit ROTERODAMVS, librum suum, *De Modo adorandi DEVM*, nostro huic HIEROSLAO, dedicare; *f*) biennio fere ante, quam se fluctibus *Zápolitanis* permisisset.

)( IV. Fuit

*a*) ERASMVS, passim in Epistolis, HIEROSLAVM, quomodo forte Poloni *Hieronymum* vocant, adpellat.

*b*) Ad annum MDXXIX. Lib. VI. p. m. 174.

*c*) Historiar. Lib. XXVIII. p. 274. edit. Basil. ann. 1568. oct.

*d*) Histor. Lib. X. initio, p. 151, 23. Vtimur, edit. Coloniensi, An. 1622. fol. Adde WOLFFGANGVM BETHLENIVM Lib. I. p. 48.

*e*) Adeat, si volet, eruditus Lector, *Bibliothecam* Bremensem passim; vbi multa de HIERONYMO, memorabilia leget.

*f*) Prodiit liber idem, seorsim primum. Iam, in splendidissima Opp. ERASMI editione Batauа illa, exstat, Tomo V. p. 1099.

IV. Fuit *Laskio*, germanus IOHANNES, multarum & ipſe laudum adoleſcens, ideoque, admiſſus in ſummorum virorum familiaritatem. ERASMVS: *iuuenem, citra arrogantiam eruditum, citra ſupercilium magnum & felicem, moribus præterea, adeo candidis, amicis, iucundis*, vocat, *g*) *vt per eius amabilem conſuetudinem, pene repubuerit, alioquin iam morborum, laborum, & obtrectatorum tædio, marceſcens.* Ergo, tria tunc, ſumma ingenia, e *Laskiis*, Poloniam illuſtrabant. In his, præcipuo loco, IOHANNES ſenior, Archiepiſcopus Gnesnenſis fuit; vir, non doctrina minus, quam pietate inſignis; cuius laudes prolixe memorat ERASMVS, in ea epiſtola *h*), qua ei ſacrum nuncupauit editum curis ſuis, S. AMBROSIVM. Et hic quidem patruus fuit, HIEROSLAI & IOHANNIS iunioris; de quo ingenue illic ROTERODAMVS: *Iuuenis* inquit, *ſenem ſic exprimit, vt in eo velut renatus videri queas. Is Tui ſimulacrum, quoties mihi depingebat oratione, toties agnoſcebam, in narrante, imaginis expreſſæ antitypon. Adeo, dum patruum depingit, ſeipſum depingebat imprudens. Hunc mihi conuictorem, pauculos licet menſes, contigiſſe, non in extrema parte felicitatis pono. Vtinam mihi liceret, per adulationis inuidiam, prædicare, DEI dotes, quas in illo, & amaui, & veneratus ſum. Illud non poſſum non fateri, ſenex, iuuenis conuictu, factus ſum melior, ac ſobrietatem, temperantiam, verecundiam, linguæ moderationem, modeſtiam, pudicitiam, integritatem, quam iuuenis a ſene diſcere debuerat, a iuuene, ſenex didici. O gentem, pietati natam!* Ita, de *Iohanne* ſuo *Eraſmus*. qui vtinam ætate hac noſtra, ruente ſenſim in deterius, plures in iuuenibus æmulos nanciſceretur. Ceteroquin, *Johannes* quidem cœlibatui vitam addixit; HIERONYMVS, vxore ducta, *operam dabat, ne pereat humanum genus*; vti habet ERASMVS, *i*) eadem illa epiſtola, qua *Matrimonium Chriſtianum*, fœtum ſuum, ad noſtrum hunc comitabatur. Et reliquit ſane filium ALBERTVM, herum poſtea *Kesmarkiny*, quod alibi *k*) meminimus.

V. Sed, non eſt inſtituti noſtri, ſiue in laudes *Laskiorum* diffundi, ſiue in eorum gente enarranda, ſcrupuloſius elaborare; quum id, partim ab auctoribus *Bibliothecæ Bremenſis*, præſtitum ſit paſſim; partim confidamus fore, vt amiciſſimus nobis, FRIDERICVS JACOBVS BEYSCHLAG, inſigne eruditorum Sueuiæ decus, pro ſingulari, qua pollet, doctrina, adcurationeque, vitam HIERONYMI, conſcribat. in quam ſpem, ante hæc duo luſtra nos vocare viſus eſt, *l*) quando, ſuas, in eadem hac re, obſeruationes, liberali manu & animo, mecum communicauit: quod palam gratique prædicamus. Nunc ad propoſitum.

VI. Quod legationem, cuius ephemerides exhibemus, ſuo potius, quam IOHANNIS conſilio, obierit *Lasky*; BETHLENIVS *m*) auctor eſt. Abhor-

*g*) Epiſtolarum Lib. XVIII. p. 576. ad *Leonhardum Caſſimbrotium*. quam ei laudem, & in ſequente Epiſtola, ad Hieroslaum fratrem exarata, circumponit: & paſſim. vtor edit. Epiſtolar. Baſilienſi An. MDXL. fol.

*h*) Lib. Epiſtolar. XXVIII. p. 1128. quam lege omnino.

*i*) Lib. XXI. p. 812. fine.

*k*) PRODROMO Operis, p. 92. 93. vbi erronee, *Leonhardum*, adpellaui. Vnicus is e Polonis eſt, quem MAXIMILIANO II. commendante, Status & Ordines, publicis in comitiis, ſanctione perſcripta, ciuitate Hungarica donauerunt, anni MDLXXV. Art. XVIII. quem adi.

*l*) Scripta eſt epiſtola, HALAE Sueuorum, Anno MDCCXXVI. Cal. Julii.

*m*) Hiſtoriar. Lib. I. p. 48. ſeq.

horruiſſe enim, a periculoſiſſima ea deſtinatione, ait, dum penitus in ſententiam ſuam pertraheretur ab HIERONYMO. Huc inductus, nihil dubitauit, illud VIRGILII, ferociter vſurpare:

*Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo!*

Tametſi, *n*) ne TARNOVIVS quidem, cuius hoſpitio fruebatur exſul JOHANNES, partes ſuas, in perſuadendo, deſiderari paſſus ſit. BETHLENIVS, feliciter iter confeciſſe *Laskium* ſcribit; de quo tamen ipſe queritur apud *Solymannum*, *o*) quod latrociniis habuerit infeſtum, ac propemodum exitiabile. Nemo vero non bonus, lapſui huic virtutis *Laskianæ*, aut indoluit, aut peſſima quæque ominatus eſt. ERASMVS *p*) certe: HIEROSLAI, inquit, *fortitudinem obiurgarem, niſi iam ſerum eſſet.* Atque *q*) iterum: HIEROSLAO a LASCO, *precor, vt felix ſit ſua fortitudo, cui tamen nonnihil metuo, ne in neruum.* Fortitudinem, adpellat, quam temeritatem, dicere voluit. Ac inerat ſane, multum inconſultæ deſtinationis, ac præcipitis vitii, tantis auſibus. quod euentus, vndiquaque triſtes, condocuere poſtea.

VII. Ipſa legationis capita, quia fuſe expromta ſunt, in *Arcana* eius *Hiſtoria* hac, nihil opus eſt recognoſcere. Id ſatis adparet, dediſſe, bimeſtri eo labore, virilis, atque imperteriti animi, conſtantiæ, libertatis, & ſubactæ prudentiæ, documenta, *Laskium*; vt dolendum ſit, contentionem hanc eius, haud æquiore loco cauſſaque, in commune collocatam fuiſſe. Atque, habebunt ſane, exemplar in *Hieronymo*, quod contueantur legati, quibus agendum erit cum barbaris, rerum ſucceſſu ferocientibus: quemadmodum ſuperbia eorum, ſine offenſa retundi; exſatiari, ſine impenſa auiditas; crudelitas emolliri; eludi minæ; ingeri periculorum metus; ac non durities tantum expugnari; ſed fauor etiam conciliari queat, gentis impotentiſſimæ. quæ ſingula, tanta induſtria, tamque adcurate perfecit *Siradienſis*, vt dubium fecerit, iudicione magis, ac propoſiti tenacitate, in toto eo negotio profecerit, an fatorum? in re, omnium iniquiſſima, permiſſu, æquo ac iuſto.

VIII. Auxit, *Laskianæ* huius legationis, difficultatem, vti ſatis adparet, cum SOLYMANNI faſtus, tum iniqua JOHANNIS, qua tunc erat, fortuna. Acceſſit, purpuratorum aſperitas, & ſimulatio, fere vltra gentis indolem, ad illaqueandum legatum, comparata. Atque in his quidem, princeps fuit IBRAHIM BASSA, tyranni Achates *r*) fidiſſimus: quippe qui, & gratia apud eum valuit, & auctoritate. Homo, quod videre eſt, blandus is quidem, & tractandis cum cura rebus, apprime idoneus; ſed, qui ſciuerit, nunc, per verborum ambages circumducere, nunc, quaſi in ſinum admittere, iterumque iniecta formidine, territare LASKYVM. quibus rebus, honori in primis SOLY-



*n*) Lege conſultationis momenta, apud ISTVANFFYVM, Lib. X. p. 150. ſeq. & apud JOVIVM Lib. XXVIII. p. 274. ſeq.

*o*) Hiſtoriæ huius Arcanæ, p. 184.

*p*) Epiſtolarum Lib. XIX. p. 654. ad *Johannem a Laſco*, Præpoſitum Gneſnenſem, Hieronymi germanum.

*q*) Ibidem, p. 655. ad *Antonium Medicum.* Scripta eſt epiſtola vtraque, Anno M. DXXVII. adoleſcente iam Decembri, adeoque, poſt abitum *Laskii*, ad Turcos. Quid prouerbiali locutione, *in neruum*, velit ERASMVS, vide eius Chiliada, p. m. 206.

*r*) Eleganter, IBRAHIMI, ortus, educationem, honorum item, & fortunarum acceſſiones, deſcripſit IOVIVS, Lib. XXXIII. p. 584, ſequ. fœdum item exitum, Libro eod. p. 608. ſequ. quæ non legiſſe, eſt peccauiſſe in hiſtoriam.

SOLYMANNI consultum volebat. quem, quia modo ferocius, lenius postea, mox cum grauitate quadam, ac barbarico supercilio, tuebatur, multum HIERONYMO facessiuit negotii, dum & his cardinibus emotus Turca, penitus admitteret legatum. Austerius, MVSTAFFAE, purpuratorum alteri, ingenium fuit, siue insitum a natura, siue, ad instruendam scenam hanc, adscitum consulto. Neque enim se conuitiis abstinuit, quibus in *Laskium* inueheretur: credo, cum adfinitate *Solymanni* fretus, tum inductus, paupere & inglorio, legationis *Hieronymi*, habitu: quodque videret, in obsequio suo fortunam Turcos habere. Vtrique, nihil prius, nihil antiquius fuit, quam tributarium facere, cum Hungaria, JOHANNEM. quod quidem, quanta oris libertate, & propositi constantia, amolitus sit LASKYVS, quaque industria, barbarorum sibi animos conciliarit, lectores ex procliui iudicabunt. Certe, in euincendis duobus his purpuratis; nam AYAS quidem BASSA, nullis machinis, vir placidior, quam ferocior, indiguit; nihil fecit residui HIERONYMVS, quod a prudente, & adtento ad rem legato, solertiæ potuit exspectari.

IX. Hac ergo, cum, in administrandis rebus sollicitudine, tum in lucrandis barbaris, prudentia, inclinauit *Solymannum*, ad partes JOHANNIS, omni postea ope, ac studio propugnandas: egregrie, ab *Aloysio Gritto*, sicuti liquet ex arcana historia, adiutus. Vniuersim de legatione hac: *Consilium*, inquit JOVIVS *s*), *vt vsu adparuit*, JOHANNI *maxime salutare*, *atque honestissimum*, *si expulsi atque exsulantis conditionem respiceres*; *sed in caussa Christiana*, *non obscure nefarium*; *postquam priuati commodi nomine*, *respublica in longe maximum atque horribile discrimen adduceretur.* Scilicet, tanti, & JOHANNI constitit, & LASKIO, cum Hungariam in exitium præcipitare, tum se ipsos perdere. De *Johanne* res est palam; *Polonus* autem, in quam se induerit fortunam, infra adtrectabimus.

X. Infelici hac legatione, ex animi sententia, defunctus LASKIVS, alterius subire labores, eo putauit honestius, quod ad Regem Christianissimum, in Gallias, destinabatur. De ea, MARTIN du BELLAY. *t*) eius ætatis, saltem auctor suppar, ad annum MDXXXI, ista retulit: *Ce temps pendant arriverent deux Ambassadeurs vers le Roy, l' un par le Roy* JEAN *de Hongrie, qui fut le Seigneur* HIEROSME *de* LASCO, *principal homme de sa Cour* - - - - *Celuy de Hongrie demandoit alliances de mariage, & secours d' argent, pour subvenir aux necessitez de son Royaume, qui par les guerres passees avoit esté grandement destruit, & les places desmolies.* reliqua. quæ Latine sic reddimus: *sub idem tempus, duo ad regem legati aduenere: quorum alter, a* JOHANNE *Rege Hungariæ*, HIERONYMVS *a* LASKO *fuit, aulæ suæ vir præcipuus* - - - - *Et hic quidem ex Hungaria, fœdera poscebat matrimonii, & pecuniarum suppetias, ad succurrendum regni sui necessitatibus, quod, bellis superioribus, atrocem in modum desolatum fuerit, castra item solo æquata.* Non vacat, de legatione hac plura cumulare.

XI. Ad eam veniamus, quam auspiciis iterum JOHANNIS, ad Comitia Ratisbonensia, anno MDXXXII. sed conatu irrito, suscepit. Eius memoriam,

*s*) Libro XXVIII. p. 275. vbi, & GRITTI characterem legas. p. 281.

*t*) Livre IV. des Memoires, edit. Parisiensis, An. MDLXXII. fol. p. 97. 98. Indice, laudato supra BAYSCHLAGIO. Prodiit liber idem, interprete latino *Hugone Surao*, Francof. An. 1574. Vide SECKENDORFF. Loco mox cit. Sect. III. §. 5. Additionis I. initio, p. 14. b.

moriam, VITVS LVDOVICVS a SECKENDORFF *u*) prodidit, cuius verba, nostra fecisse, haud piget. *Aderant, ait, legati, a* JOHANNE *Vayvoda, siue Rege Hungariae*, Hieronymus a Lasko, *&* Nicolaus a Minkwitz, *Solymanni etiam, Turcarum Imperatoris litteris instructi, quibus profitebatur, se eosdem amicos & inimicos v) habiturum esse, quos* JOHANNES *haberet. Nihilominus, in auxilia, pro* FERDINANDO, *consenserunt Euangelici. Landgrauius quidem, eidem Nicolao Minkwitzio, & aliis, ex nobilitate, negotium dederat, vt aliquem equitum numerum conscriberent, &* JOHANNI *in Hungariam adducerent, rogauitque Electorem, die VI. Julii, vt transitum illis praeberet; praetexens, melius esse, vt suppetiis istis iuuaretur* JOHANNES, *quam destitutus ab aliis, ad Turcarum societatem compelleretur; sed Elector transitum denegauit.* Atque, hic quidem legationis eius fuit successus.

XII. Haec foris, pro JOHANNE gerebat LASKYVS, dum, maturescentibus domi fatis, propemodum in perniciem traheretur. Non fert instituti ratio, conuersiones, summi viri, & harum caussas omnes, excussisse: prolixe eas dedere, eius aetatis scriptores, atque in his, PAVLLVS JOVIVS potissimum. ex quo, sua pleraque, NICOLAVS ISTVANFFYVS noster, hausit, recognouit post eum, WOLFFGANGVS BETHLENIVS. Nimirum, *x*) vocatus a JOHANNE rege, in suspicionem *z*) caedis *Emerici Cibaci*, Budam arcessitur, inopinatoque capitur. Ambigo, verene satis JOVIVS, captum Budae *Lascum*, sub tormentis, *Gritti* consiliorum rationes, explicare fuisse coactum, *y*) scribat.

XIII. Aliter, & prorsus ex ingenio JOHANNIS, eam captiuitatem, BETHLENIVS *z*) memorat. *Expeditis*, inquit, *ad captiuum, tribus de sanctiore consilio, viris, eius aegrum animum consolari iussit, declarareque: Regem maxime inuitum, tam seuere in eum animaduertere; fateri, eius dexteritate, regnum & patriam se recepisse, ideoque, eximium sibi praestitum officium, nulla temporis iniuria, obliuioni tradendum; sed potius omni gratitudinis genere esse referendum. Tantae seueritatis culpam, tribuendam esse tempori potius, quam sibi, cuius a) ingenium, prout ab omni saeuitia & crudelitate, etiam in eos, qui poenas meruissent, exercenda, alienissimum semper fuisse; ita, vel in primis, ab ingrati animi crimine, in optime de se meritos, nunquam non abhorruisse; vel ipsimet* Laskyo *esse perspectissimum. Persuasum itaque sibi habeat, rationes regni, in vnius caede, summe periclitantis, non vero offensam aliquam, debuisse auocare aliquantisper regis animum, ab insita ipsi clementia: certa tamen spe se ipsum erigat; breui, sarciendi istius incommodi, voluntatisque regis erga se propensissimae, adfuturam parem facultatem, magno cum suarum, tum fortunarum, tum dignitatum, incremento, credat.* Ita BETHLENIVS. Sunt tamen, qui poenas daturum fuisse aiant, vel conscientiae tantum, perpetratae, a *Gritto*, necis caussa, nisi JOHANNIS TARNOVII, & *Matthaei Tarlonis*, quorum beneficiis subleuatum se in

)( )(

*v*) Comment. H. L. Lib. III. Sect. IV. §. IX. additionis III. fine, p. 28.

*x*) Erronee in textu legitur: *habituros*. Legesis ISTVANFFYVM, Lib. XII. p. 201. 6. Ignarum eius fuisse, JOVIVS pronunciat, Lib. XXXIII. 72. 537. qui legendus est omnino: quippe qui, foedum GRITTI exitum, scita oratione descripsit.

*y*) Eiusdem Libri extremo.

*z*) Inibi, p. 74.

*a*) Eleganter id, & ex vero, expressit JOVIVS, Lib. XXXIX. p. 233. & BRVTVS, apud BETHLENIVM, p. 102.

in Polonia, rex nondum dememinerat, præſentiſſimis precibus, tempeſtiue in libertatem fuiſſet vindicatus. In quorum demum comitatu, tutus ſane, non fugiens, vti vult Jovivs; ſed inglorius, tametſi, liberalibus donis *b*) excultus a Johanne, in Poloniam rediit.

XIV. Vt in patria requieuit aliquantiſper, recrudeſcente, iniuriarum, quas ſibi intuliſſe rebatur *Zápolitanum*, dolore, apologiam *c*) pro ſe, aduerſus Johannem, validiſſimis quidem refertam rationibus; ſed acerbiſſime tamen conceptam, ſcripſit, eamque, ad ingratum regem, & tot laborum, ſui cauſſa, feliciter exantlatorum, turpiter immemorem, dimiſit. Sed &, præter Sigismvndvm Polonum, Galliæ Rex Franciscvs, qui *Hieronymum* paullo ante, in torquatorum ordinem cooptauerat, eius, apud Johannem, cauſſam egit, exprobratoque, ingrati, aduerſus ſummum virum, animi vitio, monuit ſerio, vti *Laskium*, editis publice tabulis, inſontem pronunciaret, inuſtamque famæ notam, abſtergeret. Atque id quidem haud grauate Johannes præſtitit. Hieronymi tamen exulceratum animum, ſanare haud potuit; quin impulit etiam, vt in contrarias Ferdinandi partes, deſtinato conſilio, tranſiret, non vna difficultate res Johannis, apud Turcam, poſtea intricaturus; ſuo tamen, quam regis vtriuſque, periculo maiore. Iſta nimirum, præmia fuere, *Laskianarum* legationum. quæ, quia vergebant in reipublicæ Chriſtianæ exitium, non poterant non, auctori ipſi perniciabilia fieri; iuxta illud: *Malum conſilium, conſultori peſſimum. d*)

XV. Quem ſe poſtea, in partibus Ferdinandi, præſtiterit, quamque ei fidem adprobarit ſuam, quia ad *Arcanam* hanc *Hiſtoriam*, nihil adtinet, ſuperſedemus recenſere. Illud nequimus ſilere, nouam, Ferdinandi nomine, legationem, ad *Solymannum*, obiiſſe; verum, ſucceſſu, quam fuit *Zápolitana* illa, multo iniquiore: cum non iter tantum, morbo habuerit impeditum; ſed *Solymannum* etiam, cum ob transfugii crimen, tum ob nimiam oris libertatem, expertus ſit, & ſibi, & legationi, infenſum: quamobrem, in vincula coniectus, parum aberat; quin ſupplicio adficeretur, Ruſthane, Solymanni genero, iuuene elato atque iracundo, ſententiam ferente: *dicebat enim, vltimo ſupplicio dignum, qui inſolenti orationis libertate, ſereni vultus maieſtatem offendiſſet, ludificatusque regem regum, amicitiam peteret, quum interim impudenter in Pannonia bellum gereretur*, ait Iovivs *e*) Et ita ſane fuit: *Velſius* enim, reginam viduam, cum pupillo, arcta obſidione Budæ cinctam, intempeſtiuo conſilio, oppugnabat; ſub idem iſtud tempus, cum de pace, apud tyrannum, ageret *Laskius*. Alioquin, impotentius, legationem eam, quam res poſcebat, adminiſtratam ab *Hieronymo* fuiſſe, idem Jovivs, *f*) numquam non in eius laudes effuſus, haud diffitetur. *Ferunt*, ait, *Hieronymum Laſchum, pro* Ferdinando *ſuſcepta legatione, Conſtantinopolim contendiſſe, detexiſſeque omnia Solymanno, publicatis inter Baſſas, criminoſiſſimis legibus, quibus pacem, duo reges, inter ſe confeciſſent. Tantum,*

*b*) Kesmarkinvm fuiſſe, alibi docuimus, Prodromo Operis, p. 92. fine.

*c*) Eius argumentum, lege apud Bethlenivm. p. 75.

*d*) Originem prouerbii, legeſis, in Chiliadibus Erasmi. p. m. 487. a.

*e*) Lib. XXXIX. p. 251. Iunge Istvanffyvm, Lib. XIV. p. 23, 41.

*f*) Ibid. p. 227.

*tum, vir ille, multis alioqui eximiæ virtutis ornamentis, valde conspicuus, iniuriæ dolorique dederat, quum a cæde Gritti, custodiæ traditus, vixque dimissus, Sigismundi regis precibus, a* JOHANNIS *amicitia discessit.* Hoc vero est, se ipsum, in pessimam fortunam induere.

XVI. LASKII hæc captiuitas, quemadmodum rebus FERDINANDI, damnosa; ita exitiabilis, vti adparuit postea, legato ipsi fuit. Tametsi enim, profectus in bellum Solymannus, *Laskium* in gratiam receptum, secum duxit; interuertit tamen hanc eius felicitatem, turbo inopinatus, quem *Antonii Rinconis* cædes, concitauerat. *Solymannus, noua offensus iniuria,* Laskium, *Belgrádi reliquit custoditum,* scribit JOVIVS; *g*) *cum ex speculatorum litteris,* Antonium Rinconem, *veterem apud se Byzantii legatum, remittente, cum mandatis,* Francisco *rege, e Gallia redeuntem, in Pado amne, a Cæsarianis interfectum accepisset.* Diluit tamen, obiectum FERDINANDO, crimen, *Laski*, iterumque in libertatem adsertus, ac donis etiam honestatus a tyranno, in Sarmatiam, *Ferdinando*, ob vim morbi, intimis visceribus iam tum concepti, nequidem salutato, corpore & animo æger, rediit. Nam, eam Turcarum, qui Belgradi, liberali detentum custodia, obseruabant, iniquitatem fuisse aiunt, vt nihil dubitarint, lentum ei venenum, clam propinare. Ita ISTVANFFYVS *h*) *Neque* LASCVS, inquit, *diu vitam producere potuit; quum in Poloniam patriam reuersum, letifer morbus, non sine suspicione veneni, corripuisset. quod ei a Turcis, in lacte, cuius frequenti vsu delectabatur, præbitum fuisse, fama erat.* Gemina his, si lactis potiones excipias, JOVIVS *i*) in litteras retulit: *Lascbus, diu, eo beneficio vti non potuit: regressum enim in Sarmatiam, conceptus antea vehemens oppressit morbus; ita, vt plerique ex aula Germani, factum ad inuidiam vertentes, non tabifico quidem fluentis alui vitio, quo diu laborasset; sed lentis tyranni venenis omnino, sublatum contenderent k*) : *quum vir ille, omnis virtutis, ac elegantiæ laude insignis, & longiore vita dignus, in ea reipublicæ fortuna, vel ab ipso rege lugebatur.* Hic valet illud PERSII:

*O curas hominum! o quantum in rebus inane!*

XVII. Alioquin, certum est, indoluisse, plerosque Europæ principes, maturo huic, atque iniquo, *Laskii* fato: quippe cui, ætate illa, pauci, per regum aulas, pares putarentur; siue, in explicandis consiliis prudentiam; siue, in exsequendis, constantiam, & imperterriti robur animi, æstimaueris. Quibus rebus, inuitati eruditi, non vnis laudibus, mortuum sunt prosequuti. PHILIPPVM certe MELANCHTONEM, orationem edidisse, ab homine ingenioso, de *Hieronymi* conscriptum encomiis, ex epistola

)( )( 2 sua,

*g*) Lib. XL. p. 305. Adde, SLEIDANI Commentarior. Lib. XIV. p. m. 391. ad annum MDXLI. vbi Cæsarianorum facinus illud, per POLINVM, Galliæ regem FRANCISCVM, nunciauisse *Solymanno*, legas. De POLINI, legatione hac, ad Turcam, vide JOVIVM, Lib. XLI. p. 398. sequ.

*h*) Loco, nunc citato, p. 243, 23.


*i*) Inibi, & pagina eadem.

*k*) Lege, si datur; nam nobis quidem non est ad manus liber; MANLII Collectanea Locorum Communium, p. 743. vbi memorabilis locus est, de misero morbi genere, quo *Hieronymus* exstinctus fuit: indice iterum, Cl. BEYSCHLAG.

ſua, *l*) ad fratrem, *Johannem Laski*, perſcripta, condiſcas. quam, ſi potuiſſemus indipiſci, mantiſſæ loco, *Arcanæ* huic *Hiſtoriæ*, nihil dubitauiſſemus adiicere. Sed forte, plus ſatis de LASKIO; dum conſummatiora dederit, Cl. BEYSCHLAG: a quo id, publice, ac noſtro quodam iure, & petimus, & exſpectamus auide.

XVIII. Ad manu ſcriptum codicem, quod adtinet, ex quo *Hiſtoriam* hanc, ſumma adcuratione, depromſimus; nam ne id quidem ignorare Lectorem volo; habeo eum in cimeliis, ita exaratum, vt non vno indicio prodat, calamo ipſius *Laskii*, partem maximam, conſcriptum eſſe. quem, qui volent videre, promtum me in oſtendendo habebunt; vt fides, ad poſteros ſit adprobatior ſecuriorque. Vale, Amice Lector! & conatibus noſtris faue, iisque vtere. Piſonii, An. MDCCXXXVII. XV. Cal. Apriles.

*l*) Exſtant litteræ eæ, in Tomo Epiſtolarum MELANCHTONIS, Lugduni Batauorum edito, An. MDCXLVII. pag. 321.




ACTIO



# ACTIO
# HIERONYMI LASZKY
apud Turcam,
nomine
# REGIS IOHANNIS.

Die *Vigesima secunda Decembris*, veni Constantinopolim, orator ad Turcarum Imperatorem, a Serenissimo Principe IOHANNE HVNGARIÆ REGE &c. &c. missus, A. MDXXVII. Audientia, non sine molestificatione apud Ibraimum, *a*) conciliata, & salutatione præmissa:

### *Ibraim Bassa*, ad *Laszky*.



AVdiuimus, tuum Dominum esse virum magni ingenii ac industriæ, & multis hoc verum esse indiciis, cognouimus; sed tunc obdormiuit, cum coronari debuit, quia non quæsiuit regnum a magno Domino nostro. Nam, quicunque attigerit Domini nostri manicam, per nullam potestatem mundi frangi potest. Quare Dominus tuus non cogitauit, videns ciuitatem Regalem *Budam* exustam, & Domum Regis intactam, quid hoc sibi vellet. Dominus etenim noster, eam ob rem arcem reliquit integram, quia breui ad illam redire statuerit. Debuit hoc diu fecisse Dominus tuus & non nunc, sed antequam adhuc coronam capiti suo imponeret; nunc, quia aliter non potest, pressus ab *Archiduce*, quærit gratiam, quærit pacem: vbi, si non fuisset illi cum *Ferdinando* bellum, certe nos ab illo, aliud, quam pacem expectabamus. Scimus, quia laborauit per *Radich*, apud *Czár Joan.* Tu venisti huc, vbi totius mundi certa noua semper sunt: scitur hic, quid *Archi Dux* est; scitur, quid tuus Dominus; scitur, quid alii Principes Christiani &c.

### *Laszky*, ad *Bassam*.

CErtum est, quæ dicis, *b*) quia Dominus meus singulari polleat industria, qui non se solus coronauit, sed coronauerunt eum Domini & Status Regni, eo intuitu,



*a*) Perperam PAVLLVS IOVIVS, post primum statim aduentum, SOLYMANNVM adiisse scribit LASKYVM, posteaque ad purpuratos fuisse reiectum. Longa ei, vti adparet, mora colluctationeque opus erat, dum ad solemnem audientiam admitteretur.

*b*) Sine interprete, cum *Bassis* egisse LASKYVM, Auctor est IOVIVS, idque lingua Illyrica: *quod ea lingua, omnibus fere in aula esset familiaris.* Historiarum sui temporis, Libro XXVIII. p. 276.

tuitu, vt ipſe, per induſtriam ſuam, per opes & vires ſuas, afflicto a vobis regno ſubueniret. Actumque eſt hoc per longam electionem eorum, qui ius libertatemque eligendi Reges habent; eamque ob conſuetudinem, Dominus meus ſatis habet in electione & coronatione eorum, quorum in manibus, in defectu hæredis, electio eſt priuilegiata. Ego tunc *Vngariæ* non fui, cum Imperator Turcarum illam inuaſerat, nec cum Dominus meus coronaretur; communis tamen vox eſt, quod Dominus veſter, hoc moris habet, vt domum inimicorum, modo in illa comedat, vel quieſcat, ſaluam ſemper relinquat. Dicunt alii, quia timore *Budam* reliquiſſet; alii referunt, quod ob commeatus penuriam: & ita, alia eſt apud *Vngaros* opinio, quam tu dicis. Quare, non me miſit huc Dominus meus, ad tangendam manicam Imperatoris; ſed ad ſalutandum eum, & ad dandam illi manum, vt moris eſt, & ad conficiendum cum illo talem pacem & confœderationem, quæ duraret & vera eſſet. Dominus enim meus, cum adhuc minorem conditionem egiſſet, ſemper Regibus ſuis ſuadebat, vt cum Turcarum Imperatoribus amice pacificeque viuerent; ſed aliorum tunc ſententia præualebat: vbi nunc Dominus meus Rex exiſtens, quod Dominis & prædeceſſoribus ſuis ſuadebat, ſolus eſt facere pronus & paratus, videlicet bonam amicitiam, arctam coniunctionem atque certam confœderationem. Quod autem huc noua ex omnibus partibus adferantur, non miror, quia hoc mercatores faciunt potiſſimum; ſed, quod mercatores omnia ſciant, vel ſi ſciunt, vera dicant, hoc non ſemper fit, nam timent hic vos, & adulantur, timoris cauſſa. Certum tamen eſt, maximos apud nos reges eſſe ac potentes, niſi ad inuicem nunc aliquomodo diſcordes eſſent.

### *Baſſa*, ad *Laſzky*.

ADuentum tuum aperiam magno Domino noſtro, cuius ego ſclauus ſum, dicamque tibi, quomodo de te gratus fuerit, & dicam, quod veniſti ad faciendam pacem & amicitiam.

### *Laſzky*, ad *Baſſam*.

DOminatio tua, nihil mihi reſpondeat, ſi vult eſſe grata fraternitas, per regem meum illi oblata, ad quam conficiendam ego plenum habeo mandatum mecum. Cupit enim Dominus meus, non ſolum cum Imperatore coniungi, ſed etiam tecum, qui Imperatorem gubernas.

### *Baſſa*, ad *Laſzky*.

SVbridendo, dixi, *inquit*, dixi tibi, quia ſclauus ſum Domini mei; probus autem ſclauus, nihil facit abſque ſcitu Domini ſui. Itaque, licet vt ſclaui Domini noſtri, nihil plus indigemus, quam ſalute Domini noſtri, cuius capite ſaluo, omnia nobis fideliter ſeruientibus bona ſunt: gratiſſimus tamen ego ſum certe, huius Domini tui affectionis; opus tamen eſt, vt prius dicam Domino noſtro magno, aduentum tuum, ex cuius mente elicere debebo, modo quo gratus erit de aduentu tuo hic. Dic tamen mihi, *inquit*, *Ferdinandus*, quot gentes habet; audiuimus, quia *viginti quinque mille*: eſtne hoc multum, contra tuum Dominum? qui, exiſtens *Erdélyben c*), faciebat in duplo maiorem exercitum; ſed verum eſt, quia poteſtas Domini noſtri, attriuit & minorauit vires *Vngaricas*. Certe nos credebamus *Vngaros* præcipuos viros; ſed, non inuenimus eos bonos pugnatores, qui regem ſuum, non a nobis, ſed a parua *d*) aqua liberare neglexerunt: & nos tali morte, nec infimum hominem noſtrum mori admitteremus. Et hic commendabat operam & induſtriam ſuam, tragœdiam belli replicando.

*Laſzky*

---

*c*) ERDELY, Hungaris, *Tranſiluania* dicitur, cuius *Vajvoda* fuit IOHANNES, Wladislai Poloni, regis Hung. beneficio creatus.

*d*) Paluſtrem lacunam intelligit, in qua ſuffocatus eſt LVDOVICVS II.

### *Laszky*, ad *Bassam.*

VErum est, quia FERDINANDVS, æque, vti dicis, non magnum habet exercitum; gens est minor, quam eius potentia exigit, sed gens electa. Equitum armatorum *decem millia*; equitum leuis armaturæ *quinque millia*; peditum electorum *decem millia*; inter quos, *archibusierii*, & *sclopetarii*, vsque ad *quatuor mille* sunt: omnes deinde bellicos apparatus, optime habet instructos. Bombardas maiores & minores habet 200. Pontem secum assidue ducit. Scis, quia talis exercitus, in vno die potest pugnare cum maxima potentia. Quia non omnes, qui ad prælium veniunt, simul pugnant. Profecto, si Rex *Ludouicus* habuisset istum exercitum, non pugnasset adeo infeliciter. Dominus autem meus, eam ob rem minor erat vsque huc viribus, quia diuisim exercitum tenere cogebatur. In *Slauonia* vnum magnum exercitum, ductore *Comite Christophoro* alebat, propter vestras ex *Bosna* incursiones. In *Vngaria*, quam Tissia perfluit, *Radich*, multa millia hominum, ob *Sandzakum Semendricum*, gubernabat; sed nunc opinor, dante Domino, audietis breui bona noua, quia se Dominus meus ad coniungendum cum gentibus, ex Transiluania & Polonia venientibus, ac cum *Radich*, in discessu meo contulit.

### *Bassa*, ad *Laszky.*

HIc cœpit prædicare potentiam Domini sui, & multa de illa iactitare: cui ego me opponere nolui, cumque iam tanti fecisset Dominum suum, & seipsum, dixit, tarda iam hora est, alio tempore liberius tecum agam. *Bona nox.*

### *Laszky*, ad *Bassam.*

HAbeo, *inquit*, literas, ad alios *Bassas*; at Dominus meus eas illis tradendas non iussit, absque licentia tua. Rex enim meus scit, quia tu omnia facis, omnia gubernas, & omnia potes, nec aliud dicturus sum *Bassis*, quam salutationem.

### *Bassa*, ad *Laszky.*

BEne scio, tuus Dominus, quia scripsit & aliis literas. Vade cras, & saluta eos.

## *Die XXIII. Decembris.*

VOcatus ad *Mustaffa Bassam*, veni, vbi parua reuerentia mihi facta, qui exaudita salutatione mea, simplici & non compta, dixit mihi:

### *Mustaffa Bassa*, ad *Laszky.*

TV fuisti heri apud *Ibraim Bassam*, omnia ille, quæ locutus es, nobis aliis *Bassis* apperuit; sed dic tu mihi, quæ forsitan præ pudore *Ibraim Bassæ* non dixisti, ad quid venisti huc ad Dominum nostrum? quia hic nullus oratorum adfert aliquid ad Dominum nostrum, quod nobis prius non faceret cognitum; dicas igitur mihi, *quid vult Dominus tuus?*

### *Laszky*, ad *Mustaffa Bassam.*

MIsit, *inquam*, me Dominus meus, huc ad Imperatorem visitandum, & salutandum, cupiens cum illo amicitiam, & coniunctionem arctam & perpetuam.

### *Mustaffa Bassa*, ad *Laszky.*

NIhil plus, *inquit*, tibi commissum, quam hoc est, quod dixisti, non portasti munera meo Domino?

### *Laszky*, ad *Mustaffa Bassam.*

QVando, inquam, tractabunt mecum de amicitia & fœderibus, erunt alia, quæ subinferam; sed antequam sciam, an sit talis Domini mei affectio & voluntas, grata Imperatori, nihil aliud, vel agere, vel dicere possum. Munera nulla attuli, quia mihi nulla data sunt.

## *Muſtaffa Baſſa*, ad *Laſzky.*

ERgo tu, *inquit*, veniſti quærere amicitiam ? tu non veniſti quærere amicitiam, ſed veniſti quærere gratiam, & commendare ſeruitia Domini tui, Imperatori noſtro : tarde tamen veniſti, ſique gratus apud nos eſſe voluiſſes, debuiſti venire, ante tui Regis coronationem. Dic mihi, quo auſu Dominus tuus *Budam* intrauit, locum per Imperatoris noſtri equi vngulas calcatum, Domum Regiam relictam in integritate, propter reditum Domini noſtri; quodſi non fuiſſet in dorſo noſtro hiems, quæſiuiſſemus iſtum tuum Dominum in Transſiluania, & docuiſſemus illum aliud, quam amicitiam, cum noſtro Domino tractare. Lex noſtra eſt, vbicunque caput Domini noſtri quieſcit, vbi ſemel caput equi ſui intrat, hoc iam perpetuo titulo ſpectare debet ad Dominum noſtrum. Quare, tuus Dominus leuipendit Imperatorem, cum ſua amicitia. Frater! tu veniſti, ſicuti a ſeruitore; ſi non veniſti cum tributo, non amplius loquere mecum.

## *Laſzky*, ad *Muſtaffa Baſſam.*

VEni, *inquam*, huc, credens, me gratam rem, & Imperatori, & vobis ferre, portans vobis amicitiam & coniunctionis ſtudium. Quid credis ? quod fuſo Rege *Ludouico*, & aliquibus occiſis, iam regnum *Hungariæ* nihil ſit ? Parumne huc porto, cum poſt acceptum a vobis damnum, non vindictam minor; ſed pacem & amicitiam offero? Exiſtimas, opinor, iam *Vngaros*, Valachos eſſe : faciam aliam Regis, & Regni *Vngariæ*, rationem, quam Moldauorum, qui ſerui Domini mei ſunt. Dixiſti, ſi non portem *tributum*, vt nihil plus agerem tecum: tributum non porto, & bene valeas.

## *Muſtaffa Baſſa*, ad *Laſzky.*

DIcemus, *inquit*, Domino noſtro, quæ dixiſti : poſtea poteris diſcedere : quia eo modo non admitteris ad magnum Dominum noſtrum. Sed, quare tam diu celas ? credis tu, quod nos neſciamus tui Regis neceſſitatem ? nonne *Radul* Vayuoda, omnia noſtra ſcit negotia, quæ nobis, ſicuti tributarius, perſcribit. Certumque eſt, quia tu veniſti rogare auxilium, contra FERDINANDVM, & portas tributum, aut ſecuritatem fugiendi huc Domino tuo parare : quia *Ferdinandi* maior eſt potentia, quam veſtra.

## *Laſzky*, ad *Muſtaffa Baſſam.*

DE *tributo* locutus ſum ſemel, quia Dominus meus, *e*) nec ſomniat de illo : & ita de illo ſilendum eſt. Sed, quod attinet auxilium contra FERDINANDVM, ſuo tempore dicam : quia, omnes amicitiæ, & coniunctiones, matura hominum prouidentia, contrahuntur; non ob præſentaneas tantum neceſſitates ; ſed etiam ob futuras. Securitatem autem Domino huc fugiendi, non veni parare, rogoque ne illam detis, cum non eam quæſierim; ſed parare vellem, ſi poſſem, amorem inter Dominum tuum, & meum, & quod Dominus meus, loco patris Imperatorem deinceps iam haberet.

## *Muſtaffa Baſſa*, ad *Laſzky.*

QVomodo, loco patris? Sed dic mihi, cuias es tu? non es, video, *Vngarus*. Ego dixi, *Polonus ſum*. Vbi didiciſti Italice ? *Italiæ*, reſpondi. quid ibi feciſti ? fui & in ſtudio ibi, & videndi gratia. *Baſſa* dicit : *Frater*! multa ſtuduiſti, ſed certe parum intelligis ! Tu dixiſti nunc verbum, non ſapientiæ; quia dixiſti, quod Dominus tuus, imperatorem patris loco haberet. Vide, quia bonum eſt loqui prius apud nos *Baſſas*, quia, ſi hoc Imperator audiret, neſcio quid tecum faceret ; certe non ſtares bene

*e*) Emendandus hinc eſt IOVIVS, quando, ſpopondiſſe ait LASKYVM; tributa, quæ imponeret, quotannis perſoluendo, mitte clientelæ nomen cunctis gentibus, declaraturum IOANNEM, loco cit. p. 277.

bene cum tuo capite. Nonne ſcis, quia magnus Dominus noſter, primus eſt poſt diuinam potentiam, & vti vnus ſol per cælum vagatur, ſic totius mundi Imperator, noſter Dominus eſt; & tu, exiſtens *Bani Tranſiluaniæ* curſor, auſus es vocare magnum Dominum noſtrum, patrem parui Domini tui.

## *Laſzky* ad *Muſtaffa Baſſam.*

DIu, *inquam*, feciſſem bene, ſi abiuiſſem; quia, non audiuiſſem Dominum meum ita leuipendi, nec etiam me ipſum. Eſtne hoc malum? quod *Rex Vngariæ*, qui ſcribebat Imperatori, amico & vicino dilecto, ſcriberet tanquam Patri honorando. Si vos honorem non cupitis, culpa veſtra eſt; nonne filiorum eſt? patres, quadam ſingulari obſeruantia proſequi? cum itaque apud vos hoc male ſonat, tollamus id ipſum; non ſit alter alteri, nec pater, nec filius. Ergo, propter iſtam potentiam, quam aſſeueras, ſi hoc apud Imperatorem dicerem, male ſtarem cum capite meo! credis tu forſitan, quod caput meum, capræ eſſet, vel quod Imperatoris prudentia ac humanitas, eadem, vt tua eſſet. Non miror ego, quia poteſtatem tui Domini, vi tantum prædicas; quia quilibet ita ſeruus & ſclauus facere debet. Omnis etiam apud Reges noſtros ſubditus, ſemper maiorem Domini ſui, quam alterius potentiam facit. *Galli*, præferunt vires ſuas omnibus aliis: *Hiſpani*, hoc ipſum de ſe aſſeuerant: Idem *Alemanni*: idem, *Poloni*, idem *Vngari* ſentiunt de viribus ſuis: veſtri, per ſe, multi vires ſuas faciunt, ita etiam & vos veſtras. Dominus autem meus, nihil de ſe præſumptuoſi prædicare permittit, ſciens, potentiam mundi, non in manibus eſſe veſtris, ſed ſtare illam in Diuina voluntate ac in ſuo iudicio. Quare, tu, Dominum meum *Erdélybanum*, quare me curſorem vocas? ſed verum eſt, ſicut mihi Dominus tuus (cum eius ſubditus non ſim) Imperator non eſt, ſed tuus; ita, Dominus meus, Rex mihi eſt, tibi autem non eſt. Curſorem me vocaſti, ſi ob id, quia cum paucis aduenerim. Moris eſt apud nos, vt, quando equum aliquem noſtrum, ad vſum armaturæ impedit cauda, abſcindimus illam breuiſſime; & ita equus eſt, eoque modo melius ſeruit. Sic etiam oratorem, non facit longus equitum tractus, non equi, non veſtes, non famuli; ſed confidentia de illo, Domini eius, & materia commiſſa. Male eo modo honoraſti Dominum meum Regem, potuiſti me ad hanc ignominiam non vocare.

## *Muſtaffa Baſſa*, ad *Laſzky.*

REx, *inquit*, tibi Dominus tuus ſit, ſed nobis non erit; quia non quæſiuit a nobis licentiam regnandi; tu tamen bene adueniſti: gratulor tibi, *curſorem* te vocari; quia ad Dominum noſtrum non veniunt Oratores, absque muneribus: non quod munera poſcamus; ſed, quia per munera, maioritas honoratur Domini noſtri. Certus ſis, quia, cum veniſti absque muneribus, non videbis Imperatorem, nec ei oſculaberis manum.

## *Laſzky*, ad *Muſtaffa Baſſam.*

FEſtinabam, *inquam*, huc, credens me acceptum fore, multaque damna ac diſcrimina, veniendo huc, perpeſſus ſum, ita, vt me reuertendi ſumma vrgeret neceſſitas. Cum tamen perpendebam, *Ambaſſadam* meam, non redii; ſed huc in hac incommoditate mea venire conſtitui. Expectabam a vobis honorem, expectabam munera; ſed video, vos ſolos munera quærere, quorum apud me nihil eſt, ſique aliquid fuiſſet, ademptum eſſet, cum aliis meis rebus.

## *Muſtaffa Baſſa*, ad *Laſzky.*

NOn propter munera, *inquit*, dantur dona Domino noſtro; ſed propter honorationem. Si itaque voluiſti honorem, id eſt videre Imperatorem noſtrum, & oſculari illi manum, debuiſti portare munera; ſed Dominus tuus, fecit, non ſicuti Rex, quia facto non eſt Rex.

## *Laſzky*, ad *Muſtaffam.*

MVnera non *f*) adtuli, ſed veni ad tuum Dominum Orator, non portans res, ſicuti aſini faciunt; ſed portans commiſſa fidei meæ, verba transmandata, & id genus rerum, Oratorem demonſtrantium. Vocas Dominum meum non Regem. Dixi tibi iam, quia tuus Dominus non mihi eſt Imperator, quia ego Regem meum recognoſco, & non alium; ſic etiam Rex meus, tibi Rex non eſt, ſed mihi eſt.

## *Muſtaffa*, ad *Laſzky.*

BEne, *inquit*, facit, qui Domini ſui honorem tutatur ac obſeruat. Quæ tecum egi, cras ſciet Imperator noſter, & *bona nox*! Frater! cum iſta tua amicitia, quam portas, neſcio quid habebis reſponſi, tamen non timeas, ſis boni animi, quia, *in aduerſis vir cognoſcitur.*

## *Die XXIII. Decembris.*

VOcatus ad *Ayas Baſſam*, humanam habui audientiam, qui me interrogauit, de ſtatu Regis mei, de potentia eius, & FERDINANDI, & aliis rebus extraordinariis negotii mei.

## *Ayas Baſſa*, ad *Laſzky.*

EGo, *inquit*, tecum ad magna non deſcendam, quia tarde veniſti. Erimus tamen tecum omnes tres nos Baſſæ, breui, & tunc libere omnia communicabimus. Sed, dic mihi, *Radul Vayuoda* miſeratne *Balaor*, ad Regem tuum, ſignificandum illi, quæ conſulebam ego? nam mihi, cum dicto *Vayuoda*, ſumma eſt coniunctio, & ita per medium eius, conſilium meum, Domino tuo aperire volui. Miror tamen, quod diu non adueneris, ad hanc Domini noſtri portam.

## *Laſzky*, ad *Ayas Baſſam.*

NIhil horum, *inquio*, a Domino meo percepi, multotiesque audiui & vidi, Dominum meum mirari de *Radul Vayuoda*, qui beneficium a Domino meo acceptum non ita refert, ſicuti deberet; ſed de conſilio tuo nihil intellexi. Rogat te tamen Dominus meus, vt ſis bonus ſtructor pacis, amicitiæ ac coniunctionis, cum Imperatore & Domino meo, faciendæ. Tale autem officium tuum, gratia ſua ac liberalitate, Sereniſſimus Dominus meus Rex, recompenſabit.

## *Ayas Baſſa*, ad *Laſzky.*

MIror, neglexiſſe *Vayuodam* conſilium meum; ſed dic mihi ille Domini noſtri ſclauus, qui in Oratorem ad *Ludouicum* Regem miſſus erat, ſcimus quia ſedebat in Tata, viuitne, *g*) vel in cuius manibus nunc eſt?

## *Laſzky*, ad *Ayas Baſſam.*

NEſcio, inquam, certe, quia nouus ſum *Vngariæ* homo: certum tamen eſt, ſi eſſet in manibus Domini mei, fuiſſet diu liber: quia non ſunt Oratores culpandi, cum

*f*) Ergo, minus ex vero ſcripſit IOVIVS, Hiſtoriar. Lib. XXVIII. p. 275. ſequ. Primo omnium, *inquit*, allatis muneribus, quæ elegantia potius, quam pretio placitura, grataque vxoribus futura, non abſurde exiſtimarat, purpuratorum non modo, ſed ianitorum etiam amicitiam mouerint. Ita & ISTVANFFYVS: Libro X. p. 151, 28. IOVIVM exſcripſit WOLFFGANGVS BETHLEN, Hiſt. Lib. I. p. 49.

*g*) BERHAMVS fuit, SOLYMANNI legatus, ad LVDOVICVM miſſus, ISTVANFFYVS Lib. VI, p. 90, 5. Tatam, in vincula datus, ibique, cum vniuerſo comitatu, clam interfectus. Idem, Lib. VII, p. 92, 38. Egregium, ſi ſuperis placet, facinus! Hungarico, breui poſt, cruore eluendum.

eum voluntatem & mandata Dominorum ſuorum exequuntur. Omnino, hoc ipſum, quia detentus erat, fuit Domino meo aduerſiſſimum, ſemperque factum illud vituperabat. Interrogauit poſtea, an Regia Maieſtas, habeat vxorem? interrogauit, de fratre eius *Georgio*, dixitque, corpus ſuum non eſſe inuentum, quod ipſe ex induſtria quærendum commiſerat: & quæſitis a me communioribus rebus, finem, cum *bona nocte*, fecit verbis.

Eadem die, Dominus *Ludouicus*, *h*) habuit a me literas Regias, per vnum *Turcam* transmiſſas.

Die ſequenti, qui fuit XXIV. Decembris, in aliam me domum transtuli, vbi adhibuerunt mihi cuſtodiam: ſemper vnus *Chauz* in die, alter de nocte, ante cubiculum ſedebat, neminem ad me admittendo, neque aliquem meorum exire permittendo, & omnia fere ſumptu meo emebam, ad viuendi meam, & equorum neceſſitatem.

Die XXV. Decembris, qui fuit feſtum Natalis Christi, in diuerſorio, vbi equi ſtabant, duos agazones, *Turcæ* ægre percuſſerunt, & mihi magnam cuſtodes mei ingratitudinem oſtendebant.

Die XXVI. Decembris, ibidem in eadem miſeria, huc venit ad me, *Dominus Ludouicus de Gritti*, correptis cuſtodibus; & docuit, quomodo mirarentur aduentum meum cum iſta legatione: vbi ſolabatur me, & vt non curarem, quæ fierent, rogabat. Conſtituimusque inter nos, vt literas Regias, quas illi miſeram, monſtraret Baſſæ, & quod quæreret licentiam audiendi commiſſionem Regiam, cui non apperui ſingula, ſolummodo dixi; *Dominus meus intellexit, hic te agere, & pollere hic apud Baſſas gratia: quare rogat, vt ſis mihi conſilio in iſta porta, cuius ego conſuetudinem neſcio. Tamen, maius erit officium Domino meo, monſtrando in transferendis præmiis ex Venetiis, quæ ſingulis menſibus, Chriſtianiſſimus Rex, Domino meo, vi confœderationis, ſub nomine auxilii mittit Venetias, pro quolibet menſe ſcilicet XXX. Millia coronarum dando. Hæ pecuniæ propter bellum cum* Ferdinando, *per nullam aliam viam tutiorem Vngariam conduci, quam per hanc, aut per Araguſam poſſunt; tamen, tutior mihi iſta videtur. Sed poſtquam habueris licentiam, publice huc ad me veniendi, & ſciuero, ſi hic pacem conficiam, tunc de præmiis hiſce melius conſulemus.* Retulit mihi, officium patris ſui Ducis; retulit illius Reipublicæ ſollicitudinem, quam hic habuerunt apud *Baſſas*, & medio ſui, ac oratoris hic agentis, dixitque, *Turcas*, diu *Vngariam* lapſa æſtate inuaſuros fuiſſe, niſi hoc modo, per ipſum & Oratorem *Venetorum* retinerentur; dixitque, non futuram alio modo pacem, quam per tributi conditionem: cui ego, longis verbis, impoſſibilitatem expoſui; nec me deſuper habere mandatum: quia hoc nunquam cogitaſſet Dominus meus. Rogaui demum, vt exploraret mentes hominum, & mihi ſubiiceret; ſi autem licentiam veniendi, & me viſendi non haberet, vt ſcriberet, ſcriptaque, arte aliqua transmitteret.

Die XXVII. Decembris, ibidem in conclaui habui pollicem *i*) a Domino *Ludouico*, vbi ſcribit, ſe non obtinuiſſe licentiam veniendi ad me, nec illam habiturum, niſi adhuc ſemel apud *Baſſam* fuerim, ſignificauitque, cras me apud *Baſſam* futurum, & quod certum ſit, vt ſi cum tributo non veni, quod male tractabor, nec Imperatorem videbo. Admonuit tamen, vt cum a *Baſſa* tentatus fuerim, fortis ſim in propoſito meo &c. *plura non audeo ſcribere*; ſcripſit mihi.

Die XXVIII. Decembris, qui fuit *dies Sabbathi*, vocauit me *Ibraim Baſſa*. Eſt enim conſuetudo apud Cæſaris portam, vt in ſeptimana, quatuor diebus, Imperialis teneatur audientia, *Sabbatho*, *die Dominico*, *die Lunæ*, & *die Martis*, iiſque, & non aliis diebus audientia datur Oratoribus; vocatur autem hoc audientiæ tempus, lingua illorum *Deuan*.



*h*) Grittus nimirum ſtrenuus, cruentæ ſtructor ſcenæ, quam poſtea recluſit tyrannus, vltra modum ſanguinolentus.

*i*) Schedulam intelligo, ad modum pollicis complicatam.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky*.

AFfectionem Domini tui, & mutuam fraternitatem, *inquit*, coniunctionemque grato excipio animo, & volo illi minoris eſſe loco fratris; ſed, frater fratri, amicus amico, ita debet eſſe obnoxius, vt res vtriusque, vnius ſint, eadem voluntas, vnum ſtudium ac vnum conſilium. Quare, ego talem cupiens, cum tuo Rege, habere fraternitatem, quæ certa & conſtans maneret, & quæ eſſet groſſa, non tenuis, quæ facile rumpitur, dico tibi, quia non mihi licet, nec poſſum eiusmodi inire fraternitatem, niſi prius ſciuero, omnia tui Domini negotia, & maxime, quid apud noſtrum Imperatorem poſtulet? modo quo illi ſe exhibeat? nam ego plus Domino meo, quam patri, plus, quam ſoli debeo. Nam, ſi tuus Dominus taliter ſe Domino noſtro exhibere nollet, quod illi eſſet honorificum, perpendere debebo, aliquid in veſtris viſceribus eſſe, quod tempore ſuo, contra nos repullularet, & hic mihi ignoſcere debebit tuus Dominus, ſi fraternitatem non exceperim.

## *Laſzky*, ad *Ibraim Baſſam*.

COnſiderare, *inquio*, potes, quia groſſam vult tecum Dominus meus inire coniunctionem. Nam alios *Baſſas*, vti Oratores aſſueuerunt, nec ſalutare, nec illis literas, absque tua voluntate, offerre iuſſit: Tu autem iuſſiſti, vt eos inuiſerem, vbi, cum ad *Muſtaffa Baſſam* veniſſem, indigne ab eo tractatus ſum. Sereniſſimus Dominus meus Rex, non Rex nominatus; ego *curſor* vocatus. Quid prodeſt, iſta tua humanitas, quam tu mihi exhibes? cum me ſolus honorifice excipis & audis; Regem vero meum, & me, admittis leuipendi. Si ſciuiſſem ego hoc, non iuiſſem ad illum certe. Nam ego non veni ad iurgia, nec ad contentiones, nec veni ad eum, ad quem me pridie præmiſeras; ſed veni ad te. Credo id per induſtriam abs te factum extitiſſe, aut in leuipendium Domino meo, vel certe, vt cognoſcerem, quantum benignitas tua, ab illius diſtet inhumanitate. Omnia mihi perplacent, cum tecum ago, quia video me loqui cum corde Domini ſui. Agnoſco acutiem (*acumen*) induſtriæ & virtutis tuæ. Scio, quia ſcias mores hominum, & modos, ſcias quid in mundo tractetur, quæ ſit curiarum Regum, Principumque diuerſitas, cognoſcis. Hæc tua prudentia, hæc auctoritas, & humanitas, per totas regiones noſtras, maximum nomen habet. Nunquam ego audiui, *Muſtaffa Baſſæ*, nunquam *Ayas Baſſæ* nomen: obque tales tuas præclaras dotes, Rex meus Sereniſſimus, honore & fraternitate ſua dignatur Te, & non alium quempiam. Nec miror, quia hanc coniunctionem inire nolueris, niſi certitudo, modo, quo erit Domino meo cum Imperatore tuo, tibi prius foret cognita; ſi enim aliter faceres, & ego crederem te aliquid aduerſi Domino tuo penſitare, qui te, cum illius inimico coniungeres? Veni ad te, tanquam ad cardinem, qui fores amicitiæ principum noſtrorum, regeres & gubernares, permanendo in fideli obſequio Domino tuo, & Regi meo, in ſincera & arcta fraternitate: vbi Dominus meus hoc ſuum ſtudium & conſilium, quod ſemper Regibus ſuis, *Vladiſlao*, & *Ludouico*, ſuadebat & conſulebat, nunc ſolus, cum Rex ſit, exequi cupit, videlicet, pacem, amicitiam, coniunctionem, ac confœderationem, cum Imperatore tuo. Hæcque ipſa, finire & perficere, medio tui, cupit & optat.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky*.

FRater mi! *inquit*, de magnis & diuerſis rebus tractando, oportet grata, ingratis admiſcere, ſtantibus præſertim ita rebus noſtris, & veſtris. *Muſtaffa Baſſa*, bonus vir eſt, antiquus huius Imperialis Domus ſclauus & Secretarius; quilibet tamen more ſuo agit & viuit. Cum itaque, Dominus tuus, hoc fraternitatis vinculo, me ſuum eſſe cupit, cumque, vt dicis, te huc in meam mitteret confidentiam; obſequere conſilio meo, videbis, quia rectum conſilium, & bonum me fratrem Domino tuo cognoſces. Rex tuus coronatus eſt, non ex Regio ſanguine exiſtens, neque per ſucceſſionem; ſed electus, & coronatus, per partem; habet inimicum FERDINANDVM, qui potentior illo eſt, quem alia *Vngarorum* pars, duxit in *Vngariam*. Et vt vere

dicam, si aliam iustitiam non haberet, nisi eam; *quia Sororem habet Regis* LVDOVICI, *potior eius iustitia apud* DEVM *est*, *quam tui Domini*. Nos autem Regem LVDOVICVM occidimus, sedem eius regalem occupauimus, commedimus in ea, & dormiuimus. Regnum illud nostrum est. Quia, stulte dicunt, qui asserunt, *Regis propter coronam Reges esse*. Non aurum, vel gemmæ, imperant; sed ferrum, *sablya*, qua conficitur obedientia. Itaque, semel *sablya* quæsitum, *sablya* teneri debet, vique occupatum ac potentia, non potest eripi, nisi aut alia potentia, aut tractatibus. Quare, consulo tibi, vt Domino meo, quam maximum honorem faceres: nam illud Regnum suum est, quia frustra tempus perdis. Scimus potentiam Domini tui; scimus, quomodo *Vngariam* expilauimus, quæ nulla pecuniarum auxilia ferre potest; scimus maiorem Baronum, ad FERDINANDVM, defectionem; scimus, quia tuus Dominus retrocedere coactus est, cum videret illius fortiorem exercitum. Quare, accipiat tuus Dominus, manicam Imperatoris nostri, recognoscat illum pro Domino, habebit Regnum a nobis, habebit tale auxilium, quod non FERDINANDVM solum; sed & *Ferdinandi* amicos, quando tuus Dominus voluerit, vertemus in pulueres. Montes illorum, vngulis equorum nostrorum, reducemus ad planitiem. Eo igitur modo, Domino tuo, certitudo regni facienda est, certitudo Imperatoris amicitiæ, certitudo fraternitatis nostræ; ista conditione, status Domini tui, stabiliendus est. Vide! si non fuissent *Oratores Veneti*, & filius illius Reipublicæ Ducis, (ad quem etiam, tu, scio, literas attulisti) hac elapsa æstate, gustassemus, & *Ferdinandum*, & *Dominum* tuum; quia, *non potest esse melior pro tertio*, *nisi quando duo dissident*, *commoditas*. Quid fuisset, cum ego, cum *Romania*, & cum *Janicsarorum* parte, per hanc Danubii partem iuissem contra *Ferdinandum*; & per aliam partem, socius meus *Ayas Bassa*, opposuisset se Domino tuo, ductis secum vtique *Moldauis*, & aliquot millibus *Tartarorum*, vterque nostrum, superaret *Centum Mille* virorum numerum. Tartaros, in *Poloniam*, tot mitteremus, quot sufficerent; sed nos, ad *Venetorum*, qui nostri sunt amici, postulationem, supersedimus hac æstate; non tamen dormiuimus: si erit opus, veniemus breui, inueniemus vtrumque lassum, sine opibus; facilis erit cum eis tragœdia. Quare, consulo, poscas a Domino meo Regnum, & roges, vt moram istam Domini tui boni consuleret. Dic, quia tuus Dominus, vult sub illius manica & vmbra esse: promittas tributum, summam non nomines, quia ego hanc moderabor; si facies hoc, habebis omnia quæ volueris. Nam, si huic thesauro suo, quem habet Dominus tuus confidit, *Frater! Frater! facile ex illo puteo aqua extrahitur*, *in quem non influit*, *chorda*, *quæ assidue pulsatur*, *rumpitur*.

## *Laszky*, ad *Ibraim Bassam*.

SErmonem, *inquam*, longum fecisti, & vix omnia memoriæ imprimere potui. Dixisti tamen inprimis, Regem meum non per successionem, neque ex regio stemmate; sed per partem esse coronatum. Verum dicis, nullam Dominum meum habuisse successionem, quia non e regali domo esset; sed eius talis coronatio laudabilior est, quam per hæreditatem; quoniam plerumque hæredes prauos, tyrannos atque ineptos, vidimus & audiuimus; sed Dominus meus, in defectu regiæ prolis masculæ, per longam electionem, tandem vnanimi omnium applausu, exaltatus, & coronatus est. Coronantur autem apud nos Reges, a subditis, vt corona, fidelitatem & obedientiam suam testificentur. Regnum autem *Vngariæ*, si per successionis lineam deuolui debuisset, non alii, tali iure cederet, nisi Poloniæ Regi, qui Patruus *Ludouici* erat. Tamen, Poloniæ Rex, libertatem *Vngaricam* opprimere noluit; immo misit oratores suos ad coronationem, moderni Domini mei Regis, congratulando illi. Nam, *femellæ*, *apud nos*, *k*) *sicuti & apud vos*, *non hæreditant*. Pro tanto, & apud DEVM, & apud homines, melior est nostra, quam FERDINANDI iustitia. Dixisti præterea, quia *Ferdinandum* alia pars, & potior Baronum traxit in *Hungariam*, Verum



*k*) Falsissimum est, de successione in regno, apud HVNGAROS; verum, & legi Salicæ congruum, in *Gallia*; vbi *Lilia* *non nent*. Idem fit apud TVRCAS, quibus LVNA sua, nunquam est *Serenissima*.

Verum eſt, quod ſunt aliqui, qui timent, de male geſtis, pœnam. Mox, poſt mortem *Ludouici*, ad FERDINANDVM fugerunt, qui Regem defunctum, male gubernabant, qui plus propria, quam communia amarunt, qui cum veſtro Domino, pacem facere diſuadebant. Iſti, metu ſeueritatis *Vngarica*, ſalutem ſibi apud FERDINANDVM quæſierunt. Latrones iſti, & non Barones *l*) ſunt. Eſt vnus ille claudus quondam Palatinus, cui, ob latrocinium, dignitas Palatinatus adempta erat. Eſt alter Theſaurarius, qui ob furta & fraudes, captiuus ſedebat; ſunt & alii iſtorum complures: iſti, non pars regni ſunt, ſed vnum membrum, & id apoſtematum, quod ſi non auffugiſſet, abſciſſum per plebem fuiſſet. Vos, hic etiam habetis transfugas Perſas: nonne, quilibet illorum, aut ob metum, aut ob lucrum venit; de hoc nobis nulla ratio eſt. Dixiſti etiam, quia Regem occidiſtis, *Budam* occupaſtis, quod per hoc regnum veſtrum eſſet. Si vos habere voluiſſetis *Budam*, non ita illam relinquere debuiſſetis, ſicuti reliquiſtis; ſed ita, ſicuti *Cairum*, ſicuti *Damaſcum*, ſicuti *Rhodum*; ſed, comburendo, omnia inde aufferendo, nihil ſuorum ibi relinquendo, non præſidiis muniendo, non deſtructum reædificando, repenteque recedendo; quis eſt? qui non dicat, hoc vos metu feciſſe. Per hanc talem occupationem, nihil magni factum eſt. Quia *Buda*, res eſt, quæ facile capitur; nihil eſſet omnino turpius, vt propter hoc, Reges *Hungariæ*, deberent recognoſcere Imperatorem veſtrum. Conſilium autem tuum, quod das, honorificum eſt, non meo tamen, ſed tuo Domino, cum ſuades, vt ſub manicam & vmbram Imperialem, Rex ſe meus committat. Quid hoc? propter vnam excurſionem veſtram, & aliquot in *Seremio*, caſtellorum occupationem, iam Rex *Hungariæ*, a vobis dependere deberet, iam vobis tributarius, qui inter Reges Chriſtianos, tertius loco eſt, opibus autem & viribus primus, qui antea, Imperatores veſtros, & noſtros, multoties rupit; qui Venetos Tributarios ſibi reddidit; qui Bohemiæ regnum; qui Auſtriam, & alias Prouincias, ſuæ ſubiecerat ditioni. Is nunc deberet eſſe veſter *Tributarius*? tandem, fuit quondam inter Regem MATTHIAM, & FRIDERICVM Imperatorem, contentio, resque MATTHIAE, peiorem habuere conditionem, quam nunc Domini mei habent; ſuperauerat tamen MATTHIAS breui ſingula, quid hoc eſt, cum FERDINANDI exercitum, alterius ſortis, quam noſtrum vidimus, quod conſulto retrocedebamus, arte cum illo agentes, & cupientes equos illos magnos, diuturna fatiga, homines vero aſſiduo armorum onere, emacerare atque debilitare: eamque ob rem, retro cedebamus. Actum ita ſæpius extitit apud antiquos Romanos, & apud alios rei militaris gnaros; nunc tamen audietis alia noua, & maiora audietis, dante Domino. Ego huc veni, vt ex iſta parte Veſtra, certus & mutuus inter nos eſſet amor, pax, amicitia, & confœderatio, quam habentes, integra manu, arcum in FERDINANDVM tenderemus, quia hucusque illum duobus tantum digitis traximus, habentes Veſtri, ſicuti hoſtium, maiorem, quam FERDINANDI, rationem. Volumus igitur eſſe amici, amicis Veſtris, inimici inimicis. Eſtne hoc vobis paruum a Rege Hungariæ? cum ſumus fide diuerſi, cum regnum a vobis illud, recentem videat iacturam ac offenſionem, eo modo *Vngaricam* coniunctionem aſſequi? Profecto, credidi ego hic me habiturum aliam, quàm video gratitudinem, cum pro paruitate induſtriæ meæ perpendebam, tot & tantam rem veſtram ex hac amicitia futuram; ſed vos adhibuiſtis tot mihi cuſtodes, tanquam illi, qui fugam metiretur. Non veni huc ad fugam, non veni, vt aliquid explorem. Veni, vt dixi, ea ſpe, quia gratus eſſe debuiſſem. Creditis, iam apud nos non eſſe vires; creditis, non eſſe maximos Reges? non eſſe id curæ, & apud magnos, & apud paruos, quia res Veſtræ, tam breui tempore, in immenſum creuerunt? confiditis Veſtræ potentiæ, plus quam diuinæ voluntati? recordari *Alexandri Magni* poteſtis. Romanorum poteſtate, nulla maior fuit; vbi nunc illa, quo initio creuere, eo fine interiere. *Sapiens quisque eſt, qui in maxima fortuna, minimam habet licentiam.* Dominia veſtra omnia ſunt licentia. Viuunt

*l*) Putide dictum! Inuehitur vero, in Palatinum, STEPHANVM BATHORI, atque ALEXIVM THVRZO, & reliqua patriæ columina. quorum nomina actusque, legeſis apud ISTVANFFIVM, Libro IX. p. 137. initio: collato, PAVLLI IOVII, Hiſtor. Libro XXVIII, p. 270. vbi videre poſſis, detorta, Hungarorum procerum, cognomina.

Viuunt omnes, quorum patres, fratres, & alios consanguineos, occidistis. Nouum est imperium vestrum; omnia tyrannide gubernatis. Multoties iam in *Syria*, ac *Aegypto*, rebellionem vidistis. Regna longinqua habetis, ad quæ nostris paruus labor nauigandi est. *Persa* est, qui bellum habet vobiscum; nulla tamen ex parte, maior vobis ruina imminet, quam per nostram *Hungariæ* partem, quam, si amicam vobis feceritis, nihil maritima bella timeatis: nam equites, nauibus duci non possunt; cum peditibus vero, leuis comœdia est. *Hungari* autem vobiscum amicitiam habentes, tutabuntur vos semper ab suis oris, & non soli solum; sed & Dominus meus. Si hoc gratum Imperatori esse deberet, induceret *Serenissimum Poloniæ Regem*, ad faciendam, & quærendam vobiscum pacem, qui Poloniæ Rex, omnibus aliis Regum nostrorum equitatu potentior est, quos, si amicos habueritis, nunquam hanc partem tueri debebitis. Erunt enim isti Reges, & soli amici Vestri, & alios illorum amicos, semper ita manutenebunt, & nunquam aliquid hostile molientur. Quia autem *Venetiarum* Orator, & filius Ducis, vos, ab inuadenda *Hungaria*, retraxit, fecerunt vt amici, & regno illi obnoxii. Sed mihi non placet, hæc Vestræ potentiæ confidentia, & iactantia. Dicis enim, irem & facerem &c. *Futura* namque, *male quilibet facit, si sibi certa promittit, maxime autem in rebus bellicis, quorum euentus in manibus DEI, & non pugnantium est.* Confiditis multum numero & multitudini Vestræ, quasi nesciatis, quia, cum ad certamen deuenitur non omnes illi pugnant, qui ad prælium veniunt; victoria enim, vel ruina, semper per aliquot virorum millia, inprimis pugnantium sequitur. Et sic non tantum fidatis vobismet ipsis, vt reliquos parui faciatis. Scitis, quia a nobis, omnes artes bellicæ & ingenia bombardarum ac munitionum, traxere originem. Vos, si vultis habere bonos machinarum fusores, si illarum iaculatores, a nobis, multo impendio, quæritis. Itaque, temere sibi futura pollicendo, superbe loquendo, nihil id facit aliud, quam, quod incerta spe pascis expectationem tuam. *De tributo autem iam sæpius esse silendum dixi; nam Serenissimus Dominus meus Rex, non solum, nunc inimico suo; sed & agazoni suo, citius Regno cederet, quam illud vobis redderet tributarium.* m) Quare, si non cupitis eam coniunctionem vobis esse gratam, quam attuli, faciatis mihi saluum reditum ad Dominum meum, per eam, quam veni, viam.

## *Ibraim Bassa*, ad *Laszky*.

SEdebat longo satis tempore pensitando, demum dixit: iungamus nos subselliis, vt liberius tractemus, sed absque fastu agamus. Dic mihi quæso, ob quem finem Domino tuo, *Hungaria* cedere debemus, ob quam vtilitatem, cum eo, hanc coniunctionem facere? quia cum semel Dominus noster aliquem sibi adiungit, ita eum fouet in gremio benignitatis & amicitiæ suæ, vt nec vno puluere illum labefactari admittat. Regnum, si tuo Regi dabimus, coniunctionem, si cum illo faciemus, tum erimus amici amicorum eius, tum inimicorum inimici. Nonne ad quamlibet eius requisitionem, illi subueniendum erit? subueniendum autem, nunc contra FERDINANDVM, & gentem Germanicam, Vestri orbis potiorem, quibus Imperator Vester, quibus Rex *Franciæ*, quibus *Veneti*, cum aliquid magni volunt facere, vtuntur. Perspice, quantum impendium Domino meo faciendum erit; impendium non vnius mensis, nec vnius anni. Cur hoc Dominus meus facere deberet, propter Dominum tuum, absque aliquo fructu, honoris, superioritatis, atque *tributi*: tantum hoc esse deberet propter Domini tui amicitiam? Cara est hæc amicitia, per Dominum meum non emitur. Dominus tuus, contra quem nobis suppetias laturus est? contra *Kiczel Bassam*? remote vestris est. Nos vero, quid auxilii egemus contra illum, cuius medietatem regni subiecimus: *Mesopotomia* iam tota nostra est, sedimus in *Deuris*, sede ac



m) En! quanta animi & oris libertate constantiaque, negatum sit barbaris, ab Hungaro, tributum, vt mirum sit, adscribi id LASKYO potuisse, a IOVIO, & ISTVANFFIO, atque horum sequacibus.

ac ciuitate illius regali, per dies duodecim, actumque iam diu eſſet de illis, niſi eſſent de fide noſtra. Ergo, Dominus tuus, vbi nobis ſubueniet? Igitur, propter eius amicitiam, *Hungariam* illi noſtram dare, ac tot gentibus & impendio auxiliari debemus? Dic mihi, ſi vos eſſetis, ſicut nos, in iſta potentia, in iſtis opibus, viribus & facultatibus, & noſtros Oratores, hoc, quod tu habes, quærentes haberetis, quid faceretis cum eis? ſuſpenderetis eos certe! quia recordamur, quid fecit *Ludouicus*, vni ſclauo noſtro, a tanto Domino eunti, nihil mali portanti; tulit tamen pro facto illo, talem, vt ſcis, bonus Rex, pœnam, & certe ego doleo de perſona ſua. Miror tuæ prudentiæ, quod huc adueneris, absque ſaluo conductu, cum iſta tua duritia, & cum tui Domini, tam cara amicitia, quam nobis ad vendendum exhibes. Obſequere conſilio meo, fac Domino meo honorem, nomine Regis tui, promitte *tributum*, ſtabit Dominus tuus eo melius, quam alias. Nam aliter, nec Domino tuo, nec FERDINANDO, Hungaria cedemus. Vidiſti viam, per quam nouiſſime in *Hungariam* iueramus. Verumne, quia pauca herba nunc ibi eſt? Nunc, ſi erit opus Domino meo, ibimus multo maiori apparatu, quia tunc ibamus contra vnum; nunc autem ire debebimus, contra duos Reges, faciemus ex *Buda*, Conſtantinopolim ibi, - - - - ibi agemus. *Tartarorum* omnes Czaros in *Poloniam* cum aliquibus noſtris, delegabimus; monſtrabitque Dominus noſter, talem potentiam, qualem nullus hominum vidit, nullus, nec legit nec audiuit. Sed ego nunc tecum alio ſum locutus modo, quam Turcico, *qui breuiter loquimur*, n) *& longe facimus*. Riſitque cum hæc diceret.

## *Laſzky*, ad *Ibraim Baſſam*.

LAetatus fueram, *inquio*, quia nos propinquius iungebamus ſubſelliis; credidi enim, quia ſatisfacere velles Domini mei, quam de te habet, confidentiæ, famæque tuæ, quæ apud nos maxima eſt; ſed eadem offa, quæ & prius, tibi in ore eſt: ſemper TRIBVTVM lingua volutas; honorem aſſidue Domini tui, & noſtrum perpetuum dedecus; deberemque non amplius hanc terere paleam; ſed agam, more, vt dicis, veſtro, breuiter. Quilibet paterfamilias, qui in æſtate ligna colligit, non facit hoc vnico præſentaneæ neceſſitatis reſpectu, ſed de tempore prouidet, hybernali frigori arcendo: ſeminando, non eodem momento fructus tollimus, moriuntur multi, talem laborem manuum ſuarum non deguſtantes. Eo modo tamen, quicunque viuere vult commode, neceſſe eſt, vt res ſuas curet. Dominus meus, quia nunc auxilii, amicitiæ, & confœderationis habet cum Domino tuo neceſſitatem, ob idque contemnenda eſſet talis, tanti Regis *Hungariæ*, affectio, quia in præſenti non frugi vobis eſſe videtur; quis eſſet fructus amicitiæ & confœderationis, ſi ſolum vnius temporis, ſubito per eam conſuleretur neceſſitati? certe nullus. Nam, eo modo, vna pars haberet commodum, & alia minime. Amicitiæ igitur & confœderationes, propter futura conficiuntur, eamque ob rem, literis munimentitiis, iuramentisque firmantur. Dixi prius, quia apud noſtros magnos Reges, & principes, & ab illis, vſque ad minimos, magna hæc & breui contracta potentia Veſtra, cum magno Chriſtianæ noſtræ fidei: Dominorumque noſtrorum damno, miſſa eſt. Dicerem tibi aliqua, niſi timerem, ne forſitan crederes, me velle vos, ad hanc coniunctionem, minis pellicere; vel crederes conficta commentaque eſſe, quæ ego communicauero; & ſic forſitan ſuccenſeres mihi. Ita, vt dixiſti, verum eſt, o) absque ſaluo conductu venienti, poteris mali, quantum volueris exhibere, quæ res, non eſſet ex virtute & fama tua; quia ego de bonitate humanitateque tua confiſus, huc ita veni, absque iſta ſalutis certitudine. Cum enim in *Galliis* eſſem, audiui te aliquot captiuos manumiſiſſe, qui cum ſua *Sablya*, in caput Domini tui, ac tuum, ibant, Regi ſuo *Ludouico*

n) Vtuntur omnino, *Laconico* potius, quam *Aſiatico* dicendi genere, *Turcæ*; ſed ſunt tamen eo prolixiores malefactores, quod nos, tot retro acta ſecula, condoluere.

o) Fallitur ergo, credulus auditionum, IOVIVS, quando SIGISMVNDI, Poloniæ regis, diplomate præmunitum commendatumque, Byzantinum conceſſiſſe ait, Hiſtor. Lib. XXVIII. p. 275.

*nico* assistentes, eos tu libertate non solum, sed equis, vestibus, pecuniisque, condonasti ac prouidisti, quæ res maxime apud nos insonuit; nam hoc de vobis nunquam antea auditum extitit, commendabantque omnes hanc tuam benignitatem, parastique per id tibi apud nostros maximum nomen, & singularem quandam affectionem. Confisus itaque ego tantæ probitati, generositati, ac humanitati tuæ, veni huc absque saluo conductu; non portans *Sablyam* in manibus, sed portans tibi in corde sinceram coniunctionis & amicitiæ affectionem, certoque mihi promittens, id tibi gratum esse debuisse. Audiuisti paruo ante tempore, regem *Franciæ* apud Imperatorem captiuum, nunc iam esse liberum, relictis in obsidibus duobus filiolis suis. Is nunc nihil magis laborat, quam vt filiolos suos haberet. Is etiam nunc duxit *Angliæ* regis filiam, vt hac amicitia & coniunctione fortiorem se faceret Imperatore, miserantque ambo hoc Septembre lapso, videlicet, *Franciæ* & *Angliæ* reges, oratores suos ad eundem Imperatorem, hoc modo, quia ipsi fauent sibi honorem & titulum Imperialem, rogantque eum, vt filiolos obsides daret in redemptionem. Postquam *Franciæ* rex promissa *Burgundia*, atque *Piccardia*, propter leges cedere non posset, & quod rex *Franciæ* paratus sit dare paratos tres auri milliones, redimendo promissas prouincias, & filios liberando. Quod si Imperatori parum videretur, monent, vt arbitri, rem recognoscerent, quorum duo vnius partis, & duo alterius esse deberent, regemque *Poloniæ* pro arbitro nominant, si autem illi, ceu Imperatori indignum videtur, filiis regis *Franciæ* mercari, mittat illos de liberalitate sua ac virtute Christiana, & cedetur illi tota Italia, coronabitur in verum Cæsarem. Rex autem *Franciæ*, propter talem amicitiam perpetuo se *Mediolano*, & *Neapolitano* regno abdicabit, habitisque filiolis suis, mox maiorem regno *Franciæ* præficiet, & solus sibi, nouum regnum, ex manibus *Turcarum* eripiendum quæret, hocque ipsum, per decennium, omnibus viribus suis, terra ac mari conari promittit. qui rex *Franciæ*, in illo regno portus & stationes habet mille quadringentas, vbi tot habebit vela, si ex quolibet portu vnam duxerit nauem; qui ordinarie prouentuum regni scilicet, multos habet coronarum milliones, qui deinde extraordinarie tot habet, quot a subditis postulat. Sciunt hoc amici vestri *Veneti*, quanta illius est potentia, quanta opulentia. Rex autem *Angliæ*, in eam rem, duos auri milliones quotannis promittit. Quæ res, si sortietur effectum, credo & mortuos, vt ita dicam, contra vos surrecturos; quia cum rege *Franciæ* ibunt infiniti, qui cum alio ire etiam nec cogitassent. Rex *Angliæ* idem, Imperatorem debiti duorum millionum, & sexcentum millium ducatorum, liberum facit, si eo modo filios *Franciæ* regis dimittet. *Abissini* mittunt oratorem; *Persæ* rogant, admonentque, ne caput leuare, ab hac nostra parte, tuum Dominum admittamus. Promittunt *Ægyptum*, & *Terras* marinas, illas regiones vestras, se paruo labore erepturos, si ex hac parte tuus Dominus incessetur. Sed, quid ego hæc, quæ tibi melius sunt cognita, enumero? credes forsitan, hisce minis meis, te & Dominum tuum, ad coniunctionem cum Rege meo, torquere me velle; non feci hoc, vt te, qui aliis terrori fuisti, terrerem, & hoc modo ad amicitiam nostram inducerem; sed vt videres, quia tecum, & cum Domino tuo, sincere & vere viuere constituimus, illique potius adesse & auxiliari, quam aduersari. Itaque, securis iam ad radicem est, & sicuti non nego, præsentaneam nunc nobis esse necessitatem (quia & cum tuo Domino, & Ferdinando, vno tempore pugnare, magnus esset labor) sic etiam perspicio, breuissimo tempore vos laudaturos & experturos coniunctionem nostram. Potentia vestra magna est, vt dicis, & vtut eam omnibus præponis; tamen, non ex vestra voluntate, sed ex diuina dependet. Potens erat *Darius*, contra *Alexandri* paucitatem; potens *Crœsus* contra *Cyrum*; tamen diuina voluntas alia est, quam humana præsumtio. *Darium* enim, cum innumerabili exercitu ad prælium venientem, *Alexander* Magnus, parua manu, profligauit. Allegas *Tartaros*, & multa de tua potentia iactitas; sed crede mihi, quod cum in vnam diem omnis conducitur potestas, non fit hoc consulto; sed hæc extra propositum nostrum. Dixisti insuper *Turcas*, breuia verba, sed longas manus habere, & quod extra consuetudinem tuam esset, tantum de vna re, idest *tributo*, differere. *Dixi iam multoties, vos nullum a nobis tributum habituros.* Sed, si vultis a nobis honorari, quia, vt dicis,

dicis, Dominus tuus plus honorem, quam commodum poſtulat; reddatis Domino meo, quod ſub rege *Ludouico*, vſque huc, in *Hungaria*, in *Sclauonia*, *Croatiaque* ademptum eſt; honorabit Dominus meus, Dominum tuum, ſemperque illi *maiori*, & *honorando*, ſcribet, tutorem recognoſcet, ob beneficium datum: eo modo, & non alio per nos honorabimini; *ſed de tributo non cogitetis, quia, fruſtra ex lana ſecurim cudetis.* Si autem Dominus tuus, loca ſurrepta, nobis reddet, trinum ſibi faciet commodum. *Primo*, quia obſequii, & integræ amicitiæ, habebit cum Hungaris perpetuam certitudinem. *Secundo*, quia reges *Hungariæ* illum pro ſuo maiore, & tutore recognoſcent. *Tertio*, quia talis tua liberalitas, magnum habebit nomen apud omnes Chriſtianos, qui reducent aſperitatem cordium ſuorum, pacemque forſitan facient, vobiſcum præſertim, quando ſic Dominus meus, hoc confitendo beneficium ſe interpoſuerit. Quare prudens es, polles apud iſtum Imperatorem, tanta gratia & auctoritate, vt dicaris eſſe *Imperator Imperatoris*; bene & male facti, omnis ex te manat finis. Perſpice, longe plura, quam quæ ipſe aperui, veſtro capiti minantia. Animum Regis mei excipito, affectionemque ſuam. Et mihi de multiloquio ignoſce.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky*.

FOrſan, *inquit*, miratus es, quia riſi. Riſi, *inquam*, cum repeteres e manibus noſtris ademptas regiones veſtras. Scito, nos magis aduncos vngues habere, quam falcones: vbicunque manus noſtras implicamus, non ſoluimus, niſi abſcindantur. Sed ita oportet eſſe, omnis pluuia cadens, per terram excipitur; ſic etiam nos, maxime Oratoris verba neceſſe eſt vt audiamus. Sed, vt nos longas manus, ſic vos longe videntes oculos habetis. Poſcitis loca erepta in tot regionibus. *Bellgradum*, vel *Gradum Bell* ſomniatis, mi Frater! Ego, vti quilibet noſtrum *Baſſa*, verbum minimum, malum ſit, vel bonum, Domino meo referre teneor, cum maximo timore; profecto hæc Imperatori meo dicturus ſum; tamen, tu non timeas, poſtquam tu ita in meam confidentiam aduenisti. *Bona nox!*

Die XXIX. Decembris, qui fuit dies Dominicus, venit ad me *Dominus Ludouicus de Gritti*, habita a *Baſſa* veniendi licentia, retulitque mihi omnia, modo quo cum *Baſſa* tractarim, cui idem *Baſſa* in commiſſis dedit, vt tractaret mecum *de tributo*, qui actis mecum multis rebus, dixit: *Bene facitis, quia duri in hac materia eſtis, ego cras cum* Baſſa *ero, & omnibus rationibus ab tributo reducere eum conabor.* Et ita terminauimus multas rationes, de TRIBVTI IMPOSSIBILITATE. Inprimis, amicitiam & auxilium *Gallicum*, quia eo modo perderemus, omnium ſubditorum amorem, omnium aliorum amicorum affectionem amitteremus, multaque ad allegandum propoſuimus. *Triceſima Decembris*, ibidem Conſtantinopoli.

Die XXXI. eius Menſis vltima, venit ad me *Dominus Ludouicus*, vbi dixit, ſe cum *Baſſa* non potuiſſe tractare, quia in ipſo tractationis initio, febris illum inuaſerat; tamen *Baſſa* dixit: Dicas Oratori, quia non ſum auſus, regiones per nos ademptas, referre Domino noſtro, timui enim Domini iram.

## *Anno* MDXXVIII.

PRima menſis *Januarii.* Commedit mecum *Dominus Ludouicus*, quem mox ad ſe vocauit *Ibraim Baſſa*, cum quo ſtetit vſque ad noctem, redeundoque domum, intimauit, vt bono animo eſſem, quia cras mihi bonum nouum portaturus eſſet.

Die II. menſis *Januarii.* Venit ad me *Dominus Ludouicus*, longiſſimumque *Ibraim Baſſæ*, de tributo dando, ſermonem retulit, dixitque, quia *Baſſæ*, de ſolo *Seremio p*) reſtituendo ſuaſit, & quam hoc peſſime audierit, ſummarieque dixit; a tributo eſſe reductum *Baſſam*, hoc tamen poſcente, vt annis ſingulis, Oratorem, Reges Hungariæ

*p*) Nihil, de LASKYANAE legationis hoc capite, apud IOVIVM, vel ISTVANFFYVM, legas. Laudanda, ſi ſucceſſiſſet, apud auariſſimos barbaros, contentio.

riæ mitterent, cum donis, *Decem Millium florenorum* ad Imperatorem. quod si facere vellem, tunc eo modo, pax & amicitia tractabitur, & concludetur. Auxilia dabuntur, & gentium, & munitionum. &c. Adiecitque *Bassa*, & iussit, vt bene deliberes, quia, quod semel dicitur, vel promittetur abs te, iam hoc iure & iustitia nobis debebitur. Respondi ego, quia nulla egeo deliberatione. *Nam idem est fere; dare singulis annis dona pro tempore deputato, ac de tanto valore, quantum esset, dare tributum;* quæ res, ceu tributum indigna esset Domino meo, quia puerilem metamorphosin facere. mus, cum *tributum vocaremus dona;* & sic, nequaquam me id facturum respondi. Rogaui *Dominum Ludouicum*, vt iret ad *Bassam*, & proponeret sibi Regis mei affectionem, fraternitatem iucunde oblatam, & quod hoc modo faciendo, nullam faceret gratitudinem, nec se talem exhiberet, qualem speraret Dominus meus, ac qualem apud omnes de se haberet famam. Rogaui, vt de *Seremio* vrgeret, proponenda; nunquam certam futuram amicitiam, absque *Seremii* restitutione, quia vtrinque incolæ diffidebunt, semperque hinc & inde querelæ audientur. Barones Hungariæ, quorum quilibet in *Seremio*, ob vini bonitatem possessiones habuerunt, nunquam illam commoditatem amissam dabunt obliuioni. Apud Statum spiritualem, Archi-Episcopatus Coloczensis, nunquam memoriam perdet. Turcas, nihil inde commodi perpetuo laturos, semperque plus expositturos. Non esse ibi tales arces, quarum fortitudo, vel munitio rationi esset. Nec aliquando futuram integram amicitiam, nisi ista dominia dimittat. His, & aliis verbis, rogaui, vt adhuc *Bassam* stimularet. Nam idem *Bassa* significauit mihi, quia nollet mecum colloqui, nisi comportatis prius nostris differentiis, per eundem *Dominum Ludouicum*. Itaque, ego, quia interprete carui meo, potius duxi rem per hunc bonum virum agere, quam per alium quempiam. Cui ob laborem, & eius operæ fructum, si *Seremio* potiremur, promisi vnum *Episcopatum*, & interim conditionem trium vel quatuor millium florenorum &c. & desuper dedi illi chirographum meum. Vidi enim virum pollentem in porta Cæsaris gratia & auctoritate, pollentem ingenio, virtute, opibus, patrem Ducem Venetorum habentem, qui illud dominium totum pro nostra parte regeret.

Die III. mensis *Januarii.* ibidem Constantinopoli.

Die IV. *Januarii.* qui fuit dies *Sabbathi*, & dies *Deuan*, fuit *Dominus Ludouicus*, cum *Bassa*, qui retulit; *Bassam* nolle aliquid de *Seremio* tractare, mirarique de duritia mea, & quod impossibile esset aliter pacem fieri, nisi cum donis cuiuslibet anni. Allegabat *Bassa* varia; Regem, Dominum meum, ex *Buda* pulsum, ex *Transiluania* pulsum, quodque ei adiuuando, maximum impendium faciendum sit, & quod rationabilius esset, pro illis solis hoc impendium effundere, quam pro Domino meo; allegauit, quia iam in *Seremio*, fides Turcica radicata est. Iam illorum ecclesiæ multæ erectæ, quas Dominus illorum, ad manus nostras nunquam daturus esset; quia esset fidei defensor, & *Dominus Mechæ*, vbi sedes & potestas est fidei illorum, tanquam vobis vestra *Roma*; & quod per id ipse sit *Vicarius Prophetæ*, & fidei defensor. Dixit præterea, *Drauum* fluuium distincturum dominia mutua, & per eam contiguitatem, nihil futurum iniuriarum &c. & cum isto fine venit ad me *Dominus Ludouicus*, cum quo longam deliberationem consultationemque habui, tandemque ita constitui; quod, si non restitueretur nobis *Seremium*, vt tunc pro tali amicitia & coniunctione Imperatoris, singulis quinque annis, Rex *Hungariæ*, oratorem mitteret, & valorem donorum non nominando, portaret Imperatori, dona ipsa, qualia Rex meus voluerit; & cum hac conclusione, iuit *Dominus Ludouicus*, ad eundem *Bassam*, inprimis pro *Seremio* quam maxime vrgendum.

Die V. mensis *Januarii.* qui fuit dies *Dominicus*. Bassa, cum Imperatore mansit, & *Dominus Ludouicus*, eum colloquendi commoditatem non habuit.

Die VI. *Januarii.* iuit Imperator venatum, & *Bassa* cum illo. Eodem die, stetit mecum *Dominus Ludouicus*, & retulit, noua, de victoria Regis mei allata, non esse vera, quia *Vlaci* venissent de *Semendria*, FERDINANDVM esse Strigonii nunciando. &c.

Die VII. *Januarii.* ibidem in Constantinopoli.

Die VIII. *Januarii* in Conſtantinopoli.

Die IX. *Januarii.* Imperator rediit Conſtantinopolim ex venationibus.

Die X. *Januarii.* Baſſa domum rediit, & vocauit *Dominum Ludouicum*, quem iſte modis omnibus inducebat ad *Seremii* reſtitutionem, cui tacendum de re ipſa, ſpopondit. Aperuit illi demum, quod ego paratus eſſem facere, vt quinquennio ſemper Orator Hungarus veniret cum muneribus; dixitque *Dominus Ludouicus*; Domine Baſſa! Jam ego in tantum laboraui, vt inducerem Oratorem, quod eo modo promittat de Oratore & muneribus mittendo, feci hoc cum maximo labore, itaque rogo iam me habeas excuſatum, quia conſidero, quod dictus Orator non bonam habebit de me confidentiam. Vocetis eum ad vos, & ego vtrinque comportata referam. Nam aliter cum illo tempus perdes, quia cognoſces duritiem & rationes eius, & ſi ego tibi illas dicerem, ires ſtatim in altum, quia hucusque non dixi ego oratori modo quo tu iuſſiſti, quia ſciui quod commoueretur. Nec etiam tibi dixi argumenta ſua, ne & tu commouearis, & ita vtique effeci, vt conſentiat, Oratorem mittere ſingulis quinque annis; iamque differentia inter vos eſt de tempore, & de munerum valore. Voces illum igitur & conclude cum illo, & conſule, absque bono fine illum non dimittas: vides, quia non eſt *Hungarus*, habet multorum principum gratiam, quid ille curat, ſi *Hungariam* Ferdinandus ſubiiciet, nihil certe! Itaque, cum eo fine rediit ad me, quod cras ad *Baſſam* vocari deberemus.

Die XI. *Januarii.* qui fuit dies *Sabbathi* & dies *Deuan*, vocauit *Baſſa*, Dominum *Ludouicum*, ſtetitque cum eo vſque ad noctem.

Eodem die XI. *Januarii.* Venit *Vlab Abſandzako* Semendrienſis, dicendo, quomodo fuiſſet ad occupandam arcem Mokouicz, quam cum habere non poſſet, depopulatus eſt villas, & vltra ter mille animarum abduxit. De Rege autem meo, nihil ſe potuiſſe intelligere dixit, quid faciat.

Die XII. *Januarii.* Venit ad me *Dominus Ludouicus*, & docuit, quomodo *Baſſa*, de ſuo propoſito, nec per vnguem recedat, dixitque, quia me eſſet grauibus & ſeueris verbis admoniturus, de promittendo Oratore, quotannis cum muneribus; ſed ego, vt patienter agerem, admonuit, quia plus humanis verbis efficere deberem, quam rationibus apud illum.

Eodem die, ſteti cum *Baſſa*, per aliquot horas, qui ſolitis rationibus, Regnum *Hungariæ* ſpectare ad Dominum ſuum, aſſerebat, & quod miraretur, quod ego nollem eam conditionem, mittendi, quolibet anno cum donis oratores, concludere: cum aliter non eſſet poſſibile pacem & amicitiam futuram cum Domino magno; cui ego ſolitis reſpondi ſolutionibus, & dixi, me nullo modo poſſe deſcendere ad talem, tanquam indignam coniunctionem, per quam Dominus meus reputationem ſuam, affectionem & amorem Regum, Principum & ſubditorum ſuorum, erga ſe lucidam, amitteret, ſibique ex amicis redderet inimicos. Sed dixi, ſi vultis eum a nobis honorem, reddatis *Seremium*, quo habito, mittetur orator cum muneribus ſingulis annis; tamen, eo, quo bellum nobis cum FERDINANDO eſſet, tempore, mittere dona non eſſet poſſibile.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky*.

JAm credidi, *inquit*, te *Seremii* oblitum fuiſſe; ſed video, quia bibiſti aliquando vinum *q*) illud, & ſic ſapor eius tibi dulcis eſt. Allegaſti mihi multas rationes, cur pro nobis bonum eſſet, vt vobis dictum *Seremium* redderemus. Inter alia tamen dixiſti, quia ſemper plus impendii, obſeruando loca illa, faciemus, quam caperemus commodi. Verum eſt, quia nunc quolibet trimeſtri expendimus *viginti octo argenti ſummas*, ad rationem veſtram, facit hoc, *quinquaginta ſex Millia Ducatorum*, quæ ſumma,

*q*) Fuit omnino vinum SIRMIENSE, omnium, quæ tota Hungaria gignebantur, generoſiſſimum. quo, ob incuriam barbarorum, ceſſante, TOKAYENSE inualuit.

ſumma, per annum facit *Ducentum viginti quatuor millium Ducatorum* ; & vide, nondum habuimus *aſpræ* commodum: quid hoc tamen eſt Domino meo, & ſi decies tantum exponeremus, eam ob rem non cederemus illa ? certe ego hucusque loquendi cum Domino meo non potui habuiſſe animum. Nam, etſi tantum apud illum polleam gratia, ita, quod nemo alius vnquam apud Imperatores alios tantum valuit ; opus tamen eſt mihi loqui, ſicuti cum Domino, ſicuti cum benefactore. Cras itaque intrabo domum eius, ibi ſtabo cum illo, ſique inter ambulandum per hortos, non erit talis eius materiæ mouendæ commoditas, alio die ducam illum ad venationem, & ibi aperiam, & perſuadebo, tuis omnibus rationibus; tamen, non credo ego illum hoc facturum, quia eſt defenſor & vicarius fidei noſtræ. Et quia nunc venerunt *Vlaci*, qui nunciant FERDINANDVM ad illa loca deſcendere, & ita Dominus meus cedere illa in manus Domini tui recuſabit, ne diceretur, hoc metu illius feciſſe ; faciam tamen omnem diligentiam, quod ſi obtinere non poteris, tunc iſtum Oratorem promitte quolibet anno mittendum ; ſi autem *Seremium* reddemus, non munera, ſed tributum volumus.

## *Laſzky*, ad *Ibraim Baſſam.*

POſtquam ita Dominus meus conſtituit, vt vobiſcum contraheret coniunctionem, per quam, amicis amicus, inimicis inimicus eſſe vult ; miror, quia aliquot caſtellorum, tantam rationem habeas, vt pertimeſceres deſuper cum Domino tuo diſſerere. Credis, quod ego neſciam auctoritatem tuam, quam hic habes. Omnia hæc in *Galliis* de te ſciui adhuc, quæ hic audio & video ; & certe iſtam tuam tantam gratiam, tanti facit Dominus meus, vt ſe tibi fratrem coniungat. Ego autem, ſi mihi omnes adhiberes torturas, non credam, nec dicam, quod tu non poſſes, quod fieri velles; tamen in ea fortuna tua plurimum commendo modeſtiam, virtutemque tuam, per quam nullam tui licentiam prædicas. Accipe igitur hanc materiam *Seremii*, pro ſuo labore paruam, & pro tuo Domino laudabilem, facque vt illam rehabeamus. Nam, inter amicos omnia debent eſſe communia ; ſi nobis reddetis illam, amicis beneficium facietis, qui ſemper, & cum *Seremio*, & cum reliquis multis regnis & prouinciis, ad veſtram ſe aptabunt neceſſitatem. Hoc enim habito a vobis beneficio, certo nos ſcias, nulla re alia differre, quam fide. Sed amorem, ſtudium, obſequium, amicitiam, auxilia, ſemper a nobis habebitis, ſincera ac fidelia, & non ſolum noſtra, ſed & amicorum noſtrorum. Regem *Poloniæ* cupit Dominus meus, cum Imperatore veſtro coniungi, quia equitibus omnibus aliis principibus potentior eſt, qui ſi veſter erit, nunquam ex hac parte vobis timendum erit : quare, & eius amicitiæ apud Dominum tuum facito mentionem, *Seremium*que redde, & tributum non poſce, ſed munera.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky.*

ERo, vt dixi, cum Domino meo, & de *Seremio* fideliter agam. De rege autem *Poloniæ*, bis mihi loquutus es, iam ſilui primo, ſed nunc tibi reſpondebo. Fuit hic nouiſſime Orator ſuus, inducias quærendo, quem cum audiuiſſemus, egimus cum illo de tributo. Vidique ego in vultu & oculis ipſius, quia ſi vrſiſſemus hominem, tributum promiſiſſet. Cum induciis tamen trium annorum illum remiſimus, iamque exſpirabunt breui. Rex tuus, magnifacit regem illum, quem *Tartari* ita expilant, vt miremur nos, adhuc eſſe in illo regno homines. His annis lapſis, non bellum cum illo agentes, habuit Dominus meus regni eius plus quam quinquaginta millia ducatorum commodum. Nam *Tartari* omnes captiuos, quos educunt, *Turcis* vendunt. Vbi telonium, in *Kilia* & *Capha*, his duobus annis lapſis, plus ſolito triginta millia ducatorum inuexit, vbi, ſi gentes noſtræ per *Bohdanos* irent, caperent illud regnum, & ibi cum *Tartaris* hibernarent, & æſtiuarent, illa campeſtria & deſerta loca, longioribus deprædationibus implentes. Exſpectes, *inquit*, non recordor nomina terrarum, vbi incurſiones faciendæ ſunt, clamauitque *Cybayam* ſuum, quod officium magiſtri domus ita vocatur, iuſſitque illi adferri literas in thaſſul, vbi legit Cracouiam inpri-

inprimis, poſtea legit Petrkouiam, Opatov, Radom, dixit deinde: iſtæ regiones ſunt plenæ, & ex eis mox poſt lapſas inducias trahemus ſclauos. *Tartari* nobis ſeruiunt, itaque, *r*) non ex ſe faciunt *Tartari* incurſiones, in illa dominia; ſed ex mandato noſtro, quibus rex ille tributum dabat. Attamen quandocunque illis mandauimus, ibant, de tributo nullam facientes rationem, & faciebant illi regno damna: quare ergo deberemus ſeruis noſtris *Tartaris* facere hoc damnum? quare nobis perdere hanc ſclauorum commoditatem, absque aliquo honoris & commodi fructu? Maximeque indignum pro Domino meo eſſet, coniunctionem cum rege illo facere absque tributo, cum ipſe ſeruorum noſtrorum tributarius eſſet, quos, nos eſſe vult tuus Dominus, ſi cum eo pacem habemus, & ſi cum rege Poloniæ etiam eſſet, iam nos torperemus, equi noſtri, homines noſtri, iam priuarentur militia, quia in *Hungariam*, ita amicam, non iremus. *Polonia* etiam adiuncta, vbi nobis eſſet bellandum? quia militia vſu viget, vireſque capit, non multitudine. Itaque ſimplicem amicitiam illius regis nolumus; ſed ſi tributum dare voluerit, & eſſe ſub manica Domini noſtri, habebimus eum pro amico.

## *Laſzky*, ad *Ibraim Baſſam.*

REx meus, affinitate & fœderibus coniunctus eſt regi illi *Poloniæ*, cuius regnum, vt dicis, *Tartari* aſſiduis incurſionibus expilant, mirariſque adhuc aliquid poſſe ibi gentium eſſe, aſſeriſque, per veſtros leui labore regnum illud occupari poſſe. Verum eſt, quia *Tartari* multoties faciunt excurſiones ſed illi non ſunt ſimiles viris; ſed ſicuti lupi, nam apprehendendo aliquid, fugiunt, nec nobiſcum congredi volunt. Sed ſi ita, eſſent magnanimes, vt nos, & plus honorem belli, quam vaccas quærerent, diu iam interiiſſent, actumque cum illis eſſet, ſicuti cum *Moſcis*, & cum *Pruſſis*, ad eum modum quo cum illis, egregie faceremus; fugiunt tamen. Nunc annus vnus eſt, cum eorum XXII. Millia, vſque ad vnum interiere, opera tantum aliquot Lithuaniæ Baronum, Ducis Conſtantini, & aliorum, qui regi illi Poloniæ ſeruiebant ex ſtipendio a multis annis. Nam, cum regno *Poloniæ* eſſet cum tota Almanica natione bellum, rex Poloniæ, ſtipendio *Tartaros* contra eos trahebat, & ſic veniebant, quando Rex ille iubebat. Nouiſſime etiam, cum illi cum *Moſco* eſſet bellum, vtebatur eorundem *Tartarorum* ſeruitio, & ſoluebat illis ſtipendium. Sed, cum Imperator noſter, nunc ad componendam hanc differentiam inter regem & *Moſcum* ſe interpoſuit, iamque a decennio ſemper induciæ renouantur, non habet eorundem *Tartarorum* amplius neceſſitatem, neque illis ſtipendium dat. Itaque, non tributum illud erat, ſed ſeruitii precium. Quare, quomodo erit certa amicitia inter vos, & *Hungaros*, cum Hungari Polonis, a multis annis, arctiſſima confœderatione iuncti ſunt, incerta erit talis confœderatio; quia, cum vos bellum faceretis in Poloniam, *Poloni* ducerent fratres *Hungaros*, vigore confœderationis, contra vos. Eamque ob rem, Rex meus mihi commiſit tractare hanc pacem, quia vellet ſinceram habere vobiſcum & perpetuam amicitiam; & quod videt, ſi vobis *Hungariam*, & *Poloniam*, certam facietis, quia ex hac Chriſtianorum parte, nihil vobis timendum erit. Certum tamen eſt, illum regem nequaquam aliquid vobis daturum, quia potens eſt, & viribus, & opibus, nec ipſe aliquid de hac opera Regis mei ſcit, qua vobis illum iungere cupit. Quare, *Tartarorum* non miremini excurſiones, quas ob prædam, & non ob honorem faciunt, ſtatim enim rapiunt aliquid, etiam minimum, fugiunt & ſemper ſe a prælio ſubtrahunt. Fuerunt veſtri ante triennium in Polonia, qui exſpectare noſtros, etiam *Tartarica* labe infecti, noluerunt, nec facientes cum *Polonis* prælium, vnius diei debitum, omnes continuis *ſchermucis*, interiere. Nunc, in iſto prælio, quod vobis nouiſſime cum rege *Ludouico* erat, pauci ex *Polonia*, pecuniis Pontificis ducti fuere; vidiſtis, quia egregie pugnabant. Nos habemus alium pugnandi morem, quam *Hungari*, quia armatura graui, maxime equitatu pollemus, pollemus peditibus, & innumerabili *artilleria*: ob quos reſpectus, Rex meus *Hungariæ*, cupit hanc inter vos, & *Polonos*, amicitiam confici.

*r*) Aduertat Lector! *Tartaros*, in faciendis impreſſionibus, iam tum imperia *Turcarum* ſequutos.

*Ibraim*

## *Ibraim Bassa*, ad *Laszky*.

FRater! *inquit*, confice prius vnam Regis tui, cum magno Domino nostro coniunctionem; suo deinceps tempore, tractetur de *Polonis*, qui non bene inducias iuratas obseruant, & qui incursiones facientes sub induciis, abigunt pecora pastoribus nostris. Paruum nobis damnum faciunt, vobis ipsis autem magnum dedecus. Paruus tamen erit labor, referendo, quia *Vninisza*, & *Breslav*, non *Rhodus* est. Conferam etiam de eis cum Domino meo, & faciam tibi cognitum.

## *Laszky*, ad *Ibraim Bassam*.

NOn habeo commissionem aliter facere confœderationem, nisi habita certitudine, de amicitia inter vos & *Polonos*. Cur cunctaris super hoc negotio, nonne dicis, eo modo Dominum tuum, & meum debere facere coniunctionem, vt alter alterius amicorum amicus, inimicorum inimicus esset. Qui autem, rex ille Poloniæ, indebite inducias obseruet, miror admodum, quia princeps fidei bonæ est, & quia, ex virtute & prudentia sua, ita apud omnes principes nostros magnifit, quia suas differentias, cum illas inter se habent, semper iudicio & cognitioni regis Poloniæ subiiciunt, stantque illius sententia per totum. Certoque scias, Poloniæ regem hanc abactionem pecorum non solum non commisisse, sed & hucusque nescire; sed faciunt hoc *Kozáczi*, qui præda viuunt, & hodie hic, cras in alio loco furantur, accipiuntque tantum nostris *Polonis*, quantum vestris. quos, cum consequimur, non occidimus gladio, sed fune suspendimus. Rogo igitur, habeto horum cum tuo Domino rationem, & quantocius absolue: & eo modo habebitis amicitiam grossam & non tenuem, sicuti illam expostulas, cum vobis, arcta coniunctio, cum istis duobus regibus interueniet.

Die XIII. *Januarii*, ibidem, Imperator venatum iuit, in *Natoliam*, comitante illum *Ibraim Bassa*.

Die XIV. *Januarii*, stetit Imperator in venatione, & *Ibraim Bassa* cum Imperatore.

Die XV. *Januarii*. Imperator in venatione, & *Ibraim Bassa* cum illo venabantur.

Die XVI. *Januarii*. Data est mihi licentia, videndi *Arsenatum* & *Artilleriam* Imperatoris, vbi centum & vnam galeam *s*) vidi, inter quas triginta & vna galea grossæ sunt. *Artilleriæ* autem, infinitus, vt ita dicam numerus, insignes tamen specie, & debite accommodatæ paucæ; continuo tamen funduntur, & ad nostrum vsum adaptantur. Quæ autem post interitum *Ludouici* fusæ sunt ingenti habentur numero, octingentæ, & omnes ad instar *Cartaginis* *t*) factæ, pulchro certe labore. Eadem die, comedi cum *Domino Ludouico Gritti*, nam ibi armamentaria sunt, in *Galata*, vbi dictus *Dominus Ludouicus* agit.

Die XVII. *Januarii*. Imperator rediit ex venatione, vbi, vocato ad se Domino Ludouico, *Ibraim Bassa* respondit; Imperatorem renuisse *Seremii* restitutionem, non castrorum, vel prouinciæ ob respectum, sed quia *Ferdinandus* publicaret, se illa loca eripere velle, & quod iam ad reuidendas illas misisset certos suos; vbi, si Imperator illas restitueret, diceretur, hoc timore *Ferdinandi* fecisse, vel si eas restitueret, & *Ferdinandus* adueniret, potiretur illis. Duplex ignominia esset, & Imperatori & Regi, & insuper damnum; sed maneat, dixit, illa prouincia in nostris manibus, & cum finis belli erit cum *Ferdinando*, agat tunc Dominus tuus cum Imperatore, accipiet amicabilem expeditionem. Orator ergo vadat ad alios *Bassas*, iamque nihil aliud agat, quam confœderationis coniunctionem & auxilii necessitatem aperiat. Sitque vti mecum fuit comptus in verbis.

Die XVIII. *Januarii*. Iui ad *Mustaffa Bassam*, languidum & podagra laborantem, qui me humaniter excepit. Cui dixi, iam plus quam viginti dies præteriere, vbi tecum



*s*) Naues bellicas intelligit, quas in portu instructas habuere Turcæ.

*t*) Tormenta nimirum grandiora, quibus *Cartaunæ* nomen est.

cum fueram; non feci tamen hoc in contemptum tuum, vel ob id, quia me primo aduentu, ſatis intemperate tractaſſes; ſed nolui tibi ægroto moleſtiæ eſſe. Lex enim noſtra eſt, ſicuti ſcis, vt etiam pro inimicis DEVM exoremus: quare, DEVS te faciat incolumen, & Domini mei rebus ſtudioſum, quodque hucusque te non inuiſerim, feci hoc ipſo, vti dixi, intuitu.

## *Muſtaffa Baſſa*, ad *Laſzky*.

GRatias tibi ago, quia ægroto hæc dixeris, rogo igitur boni conſulas priorem materiæ tragœdiam, quia antequam homo cognoſcitur, magno tempore agendum eſt cum illo: te ego non noui, ita, ſicuti iam ex *Ibraim Baſſa*, collega meo, cum me pridie viſitaſſet, cognoui. Itaque, illam inimicitiæ ſquamam abradamus mutuo, & ita alter alteri fratris loco erit. Dictus *Baſſa* retulit mihi omnia, quæ cum illo tractaſſes, qualibus verbis, & quali humanitate. Eo modo, cum aliquis nobiscum tractat, non ſolum id, quod expoſtulat conſequitur, ſed capit ita corda noſtra, vt illi non minus, quam nobis ipſis debeamus. Tributum, bonis rationibus, eradicaſti ex animis noſtris, iamque in paruo puncto differentia eſt, videlicet: nos volumus, vt Orator ſingulis annis veniret ad inuiſendum Dominum noſtrum, & portaret illi certi valoris munera. Tu hoc renuis, nec facere vis, quam, quod Orator veniat ſingulo quinquennio cum muneribus non æſtimatis, ſed qualibus & quantis Dominus tuus voluerit. Frater! perpende regnum illud, iure belli noſtrum eſſe, quia regem illius occidimus, ſedem regiam occupauimus, quod nec tuus Dominus, nec *Ferdinandus* tute a nobis, absque tractatu, tenere poſſet. Ex quo, Dominus tuus nunc pulſus, magno impendio noſtro, reſtitui debet, impendio non vnius menſis, & certe non vnius anni. Conſideres eapropter hoc, & non tardes facere finem, ſimque ego mediator eius noſtræ differentiæ; facito ita, mittat ſingulis duobus annis Dominus tuus Oratorem, cum muneribus decem millium florenorum, & iſto modo, ſi promiſeris, habebis Dominum noſtrum amicum Domino tuo.

Dixiſti etiam *Ibraim Baſſæ*, regem tuum cupere, vt Dominus noſter, *Poloniæ* regem, ad ſuam amicitiam accipiat, & quod illi duo ſemper erunt amici amicorum noſtrorum, & tempore neceſſitatis, auxiliabuntur nobis. Tu ſcis, quia rex Poloniæ longe inferior eſt, tuo Domino, quomodo itaque cum illo facienda eſt amicitia, absque tributo? quia ille nunquam nobis nocere poteſt, nos autem illi ſemper; quia *Tartaros*, & *Bohdanos* in noſtra manu habemus. Ante duos annos fuit hic illius orator, inducias expoſtulans, quas ſemper omni induſtria ſibi præparat. Vidimus ex Oratore, quia rex ille magnam de potentia noſtra habet æſtimationem, cognoſcimusque, quia nos timet; nam etiam Oratorem illum ſi modico plus vrgere voluiſſemus, induxiſſemus illum ad promittendum tributum. Et ita voluimus facere, quod eum absque induciis remitteremus, ſignificando illi, ſi pacem vellet, vt tributum daret, & ſimul cum Oratore miſiſſemus *Romaniæ Beglerbeg*, cum quinquaginta millibus hominum, qui ſe in Moldauia, cum *Tartaris* iungere debuerant, & ita ſimul expectare ab illo *Poloniæ* rege reſponſum; ſed ita viſum erat poſtea, vt prius regnum *Vngariæ*, quod opulentum & potens erat, aggrederemur; deinde *Poloniam* ita tentaremus. Rex, & tu, vnius nationis ſumus; ego *Boſnenſis* ſum, & tu *Lech*, naturæ autem affectio talis eſt, vt natio ſuam plus, quam aliam nationem amet. Profecto condolebam ego illi regno, quod adeo continuis *Tartarorum* abactionibus expiletur. Et licet inde, & Dominus noſter, & nos omnes, magnum commodum & ingentem ſclauorum molem, & commoditatem habeamus; tamen quærebam, vt illud regnum, aut per tributum, aut per occupationem noſtram, a *Tartaris* vindicaretur. Dabat prius *Tartaris* rex ille tributum, ſicuti ab ipſis *Tartaris* intelleximus, ſeruis noſtris; ſed nunc rex iſte modernus ſuſtulit illud, elatus de vna *Moſci* victoria. Si ſeruis noſtris dabat, quare Domino noſtro non deberet dare? Et ita, tuus Dominus munera & oratorem, in duobus annis mittat, & rex *Poloniæ* tributum.

*Laſzky*,

*Laszky*, ad *Mustaffa Bassam.*

Commendasti, *inquio*, verba & humanitatem meam, quibus cum *Ibraim Bassa* tractassem, dixistique, eo modo, non postulata solum a vobis consequi; sed & effici, vt nobis non minus, quam vobis ipsis, debere debeatis. Nihil ego doleo humanitatis meæ, nihil doleo, quia affectio tanta, tanti regis mei, apud vos eo modo æstimetur; cum conditiones confœderationis tales, per vos exigantur, ob quas confœderatio nullo modo confici posset, & si conficeretur, non duraret, sicuti inhonesta, & faceret hæc res Domino meo ruinam magnam; perderet amicitiam Gallicam, & alias coniunctiones abscinderet; perderet apud subditos suos omnes, amorem, & apud totam Christianitatem, perpetuum *u*) dedecus consequeretur. Magnum enim esset, Regem Vngariæ, hoc nomine munerum, tributarium esse. Nec certe, si oculos aperire vultis, pro vobis bonum videtis: quia, bos iugo carens, alacer est, equus, in dorso ruptus, libentissime, cum potest, insessorem deiicit; ita etiam, si ob hanc necessitatem, quæ Regi meo, cum *Ferdinando* est, vos Dominum meum ad indignas conditiones inducitis, nihil certe aliud per hoc facitis, quam quod semper non integram in nos collocabitis fidem, & quod alii Reges Hungariæ huic turpitudini aduersabuntur, illamque omnibus modis excutere nitentur, qui ad faciendum hoc animabuntur ab aliis regibus, & ita nihil boni & certi fieret. Ego huc veni absque saluo conductu, confidens in virtute, prudentia ac humanitate vestra, vbi omnia, quæ mihi promittebam tunc incognita, nunc video ac manibus ipsis palpo. Video hic esse summa ingenia, industrias, benignitatemque hanc, quam sperabam excipio, forsitan plus, quam persona mea hic mereatur; quod etiam sperabat Rex meus; qui non credidit eo modo secum tractari debere, perpendens, per iniquas suas conditiones, Imperatori nihil commodi, nihil honoris, sibi autem perpetuum dedecus futurum; quid opus est istis muneribus? quid istis Oratoribus? scit Rex meus, Dominum vestrum primum esse, & omnibus mundi principibus potentiorem. Pluris eius amicitiam, quam reliquorum facere statuit, maiori illum, quam reliquos omnes, honore prosequi, ac perpetuo obseruare cupit, contra quemlibet illi adesse deliberauit, cum istaque sua ingenti affectione, me huc misit, existimans hunc victoriosissimum Imperatorem vestrum, pro bonitate & humanitate sua, talem propensionem suam, grato suscepturum animo. Cur tanto labore quæsiuistis tributum? cur idem mutato tributi in munera nomine, a me exigitis, me ita excipitis? profecto, Magnifice Bassa, Dominus DEVS virtutum, Imperatorem vestrum & vos exaltat, licetque fide differamus; DEVS tamen nobis & vobis, & ei dominatur, qui ingratitudinem & superbiam edit, credoque, nisi Imperator talem gratitudinem Domino meo exhiberet, qualem tantum magnum Dominum decet, & qualem Rex meus expectat, offensurum illum, diuinam Maiestatem. Dauid, noster & vester propheta cantauit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles &c.* itaque, Imperatorem ita in consilium trahatis, ne rumpatur eius sedes.

Quod autem *Poloniæ* regem attinet, opus esset longa demonstratione, quare hoc Dominus meus conficere nititur, qui nunquam *Tartaris* dabat tributum; sed dum illi cum *Alemannis* esset bellum, cum aliud cum *Moscis*, ducebat illos stipendio, soluendo contra suos hostes: vbi perfectis feliciter rebus & bellis suis, non habuit opus *Tartarorum* seruitio, stipendiumque illis abstulit. Video, quia regni illius paruam rationem facis, quod in duplo maius est, quam hoc vestrum in Europa dominium, & quod etiam duplo maius est, quam *Vngariæ* regnum, in equo vno, in duobus mensibus, ægre transcurri potest. Equitum & peditum omnis generis infinita potentia. *Polonis*, & non aliis, Rex *Matthias*, contra hostes suos semper præualebat, quorum semper XII. Millia alebat stipendio. *Poloni* nouissime nationi Alemannicæ, totam prouinciam Prussiam, victrici manu abstulere. *Poloni*, non semel *Moscum*, vt dicis, (sed dictum



*u*) Ita sane euenit; vt habeat, quod doleat, non Hungaria modo; sed vniuersus etiam orbis Christianus. Nempe: *Facilis descensus auerni; sed reuocare gradum, hoc opus, hic labor est.*

ctum ſit bono animo) ſemper ad internecionem fudere. Ac vndique *Poloni*, vbi commode militiam ſuam ducere poſſunt, non ducunt illam in caſſum. *Tartari*, ſi viri, & non lupi eſſe voluiſſent, diu iam per *Polonos* ad internecionem deleti fuiſſent. Sed *Tartari* non veniunt, vt honorem haberent belli, ſed vt vaccas ſubducerent. Veniant, quantumcunque maximo numero, ſemper prælium fugiunt: quos nos in campeſtria ſequi non poſſumus, quia non eo modo viuimus, quo ipſi: equi noſtri, nobiliores illorum equis ſunt; & vos certe qui leuiores equos habetis, nec vos ſoli, nec equi veſtri talem incommoditatem ſufferre poſſunt, ſicuti *Tartari*. Certumque eſt, eo illorum modo, & tali furto, multos homines ex *Ruſſia* eductos eſſe. *Polonus* ſum, vti ſcis, tamen mendacium luridum, quid opus eſt aſſerere? facile hæc vera eſſe, ex mercatoribus cognoſces, facile ex *Moldauis*. Quare Rex & Dominus meus, cupit ſimul hanc ſuam, & regis Poloniæ cum Domino veſtro, amicitiam & confœderationem confici, vt ex iſta parte certam haberetis amicitiam. Nam, & Rex meus, cum regno illo confœderatus eſt: quomodo ergo Regi meo faciendum eſſet aliter? Nunc ab illo rege habet contra *Ferdinandum* auxilia, habet cum illo arctam confœderationem, vobiſcum aliam nunc coniunctionem indiſſolubilem facere cupit. *Poloni* illum, vigore fœderum, contra vos traherent, vos contra Polonos, & hoc modo vnum Rex meus efficere cogeretur.

Quare, cum prudens es, verba mea breuia, induſtria tua perpende, & circumſtantias rerum perſpice. Conſidera, quia tanta veſtra breuis contracta potentia, non ſolum Chriſtianis aduerſa eſt; ſed etiam *Perſis*, qui vobiſcum eandem fidem obſeruant. Namque, inter principes Chriſtianos, non faba certe, ſed claua cuditur in veſtrum caput; vbi, per affectionem Regis mei, video vobis DEVM eſſe propitium, qui ad multas perſuaſiones principum Chriſtianorum, cum *Ferdinando* concordiam inire noluit, quam paruo labore habuiſſet; potiusque duxit veſtram, quam illius ſequi amicitiam. Quid cogitaret Rex meus, ſi hoc apud vos ingratum eſſet, ſi iis tractatibus veſtris videret affectionem ſuam, ita parui pendi: Certe, *Magnifice Baſſa*! hic tua prudentia, hic humanitas cognoſcetur, ſi non ſecundum cupiditates veſtras, quas ſoli iudicare, ſicut proprias, non poteſtis; ſed ſecundum dignitatem Maieſtatis tanti Domini veſtri, hæc mecum negotia tranſigetis: quod, ſi facere vobis videretur alienum, multum de illius bonitate & humanitate decederet. Et certe, apprehenſa veſte eius, non auellar, donec omnia perfecero debite, vtriusque Domini mei & veſtri, cum honore ac commodo. Scio enim quemlibet Imperatorem ita eſſe magnanimem, vt plus honorem, quam commodum amet a ſubdito. Non honor eſt, illa obſeruantia, quam Domino exhibet, ſed eſt coacta per timorem reuerentia. Sed quando aliquis, a ſibi ſimili honoratur, reputatur, ſponteque recognoſcitur, ille verus honor eſt. Hoc Dominus meus facit, hoc perpetuo facere vult. Quare, *Dominationes Veſtræ*, vel mecum aliter agant; quia, ſi vultis, poteſtis omnia facere; vel me admittatis ad veſtri principis Celſitudinem.

## *Muſtaffa Baſſa*, ad *Laſzky*.

SEdebat diu, partim ridendo, partim cogitando, demum dixit: Frater! feciſti me multo ſaniorem hiſce verbis tuis, & certe talis tua perſuaſio, adeo me cepit, vt tibi nunc reſpondere non poſſim, quia nouo modo, & nouis rationibus me obruiſti, vt profecto vix videam præ ardore, quo tuo Domino afficior, & credo omnia eſſe vera quæ dixiſti: cum *Ibraim Baſſa* eo modo es loquutus?

## *Laſzky*, ad *Muſtaffam Baſſa*.

DIxi materiam, ſed non ita aperte, *inquam*. Cras tamen ibo ad illum, & referam illi eadem, quæ tibi, rogaboque vt expediar. Juſſit deinde adferre caſſidem, quam vulgariter *Helmelin* vocamus, & interrogauit: *eo modo, armatos equites, quot* FERDINANDVS *habere poteſt*? Dixi, tot, quot habuerit pecunias; quia *Ferdinandus* non habet eam ſubditorum obedientiam, vt irent, quando iuberet, absque ſtipendio; tamen magnos habet reditus ex dominiis ſuis, opinorque, quia eo modo *decem millia*

*equitum*

*equitum* tenere poteſt. Dixit: *omnes ita armatos?* Reſpondi, omnes; quia mos Alemannis, Gallis, Polonis, Bohemisque eſt, vt eo modo, quo ſe armant, ita etiam ſeruitores ſuos arment. Dixit, *quot pedites nunc habet?* dixi, *decem millia; quot equites leuis armaturæ?* dixi, quinque. *Certe iſte campus*, inquit, *commodus & pulcher eſt. Dominus tuus, quo in loco cum illo congredi ſtatuit?* Reſpondi ego; cuperet Rex meus, vt tranſiret Danubium, vbi illum ducere vellet ad illam deſertam regionem, quam deſolaſtis, inter Tiſſiam ac ipſum Danubium, & ibi prius defatigaret illum exercitum continuis huc & illuc factis profectionibus, & commeatum illi adimeret, cum multitudine equitum ſuorum, qui leues ſunt; facile demum cum eis conſerere manus poſſet. *Nos, ſi iremus, eſſemusne ſimul vobiscum, vel ſeorſim?* reſpondi; non bonum fore, ſi vno exercitu aggrediendus eſſet; tum etiam, quia fide differamus, ſemperque aliquid alter de altero ſuſpicaretur, & eſſe poſſet, vt ſequerentur etiam inter conſultandum differentiæ. Vos noſtræ rationi non obediretis, nec nos veſtræ; ſed Dominus meus quotidianam vobiſcum ſemper habebit intelligentiam, adiungetque certos viros, gnaros prouinciæ, ac ſcituros artem noſtram militarem, qui veſtros ducent, & ſua conſilia modo, quo agendum eſſet, docebunt. *Conficiamus*, inquit, Baſſa, *prius bonam amicitiam, & poſtea erunt nobis omnia communia.* Cogitabo ad ſingula hæc tua argumenta, & cras, ſi aliter non poſſem, faciam me cum hoc grabato ad Dominum noſtrum ferre, & licet *Ibraim Baſſa*, vt vides, magnam gratiam principis habet, vtpote qui, cum Domino noſtro aſſidue in venationibus ac familiaritate eſt; tamen, quod attinet rempublicam, is plus in negotiis iis valet, quia ſcit dare ſalubrius conſilium, certis rationibus ſuſtentatum. Ego ſum ſenex, & ſororem Domini noſtri habeo in vxorem, poſſum etiam aliquid apud Dominum noſtrum, & ita curabo res Domini tui, bono modo abſolui.

Die XIX. *Januarii.* Steti cum *Ayas Baſſa*, qui nihil mecum ſingulariter in rem meam tractauit, ſolummodo quæſiuit, quomodo mihi placeret *Ibraim Baſſa*, *Muſtaffa Baſſa?* quomodo mos Turcicus? quomodo *Arſenatus?* quomodo *Artilleria?* Cui ego ſemper reſpondebam, *bene.* Quia *Baſſa* factus eſt ex perſuaſione *Ibraim Baſſæ*, vt ille, ſicuti non eſt vir admodum induſtrioſus, pedibus ſemper iret in ſententiam *Ibraim Baſſæ.* Commendatur tamen de magnanimitate, & quod aliquoties virum ſe eſſe monſtrarit.

Die XX. *Januarii.* Fuit Imperator venatum, & *Ibraim Baſſa* cum illo.

Die XXI. *huius.* Rediit Imperator ex venatione, & *Ibraim Baſſa* intimauit ad me, vt ſibi ignoſcerem, quia mecum tractare non poſſet; nam parabat conuiuium pro Imperatore in domo ſua.

Die XXIII. *huius.* Iuit Imperator in domum *Ibraim Baſſæ*, ſecreto modo.

Die XXIV. *huius.* In domo *Ibraim Baſſæ* epulabatur.

Die XXV. *huius.* Exiuit ex domo *Baſſæ*, Imperator publico modo, & inde in *Moſchcam Sanctæ Sophiæ*, cum ceremoniis ad orandum iuit.

Die XXVI. *huius*, qui fuit dies *Sabbathi*, & dies *Déuan*, id eſt audientiæ illorum, vocauit me ad ſe Ibraim Baſſa.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky.*

VErumne, quia alium inueniſti pridie *Muſtaffa Baſſam*, quam antehac? laudauit dicta tua in facie Imperatoris, & optime feciſti, quia hoc modo feceris cum illo communicationem veram.

## *Laſzky*, ad *Ibraim Baſſam.*

CErte alius mecum pridie erat, quam credere potuiſſem. Sed non miror, ipſe eſt talis, qualem tu illum eſſe vis, quia video illum ex te totaliter dependere: quod autem laudarit dicta mea, coram Imperatore, paruum fructum hucusque ego affe-

affectionis Domini mei video, paruam de vobis gratitudinem experior. Nam, & *Muſtaffa Baſſa*, eodem pulſu obtundit aures meas, quo & tu hucusque obtundebas. Nec ſatis mirari poſſum, de veſtra duritia, dum credentes, magnam vos rem facere mecum, tot dies in caſſum abſumitis, elicere a me cupientes in ſingulos annos munerum cum oratore promiſſionem. Verum eſt, quia quælibet gens mores ſuos habet. Apud nos tamen turpe eſſet, ab eo aliquid indignum petere, quem volumus, vt nobis committat ſe, cum omnibus ſuis. Omnino, *Illuſtriſſime Baſſa!* minus æquam rem, tanta Imperatoria veſtra Maieſtate exigitis, & longe a fama humanitateque tua alienam. Eſtne iſte Domini mei, quem in te collocauit amor, per te eo modo remenſus? eſtne hoc fraterni vinculi indicium? cum ita res Domini mei trahis, neſcio ad quem finem. Dixi enim, quia hoc nequaquam promiſſurus eſſem, vt munera cum oratore mitterentur. Itaque & hoc ipſum aſſeuero nunc, ſit ſpontanea noſtra affectio, grata nobis, maiorque Domino veſtro honor erit: cum vltro Dominus meus, talem ſe exhibebit Imperatori veſtro, qualem vos veſtris argumentis cogere vultis. Dominus meus, principem veſtrum vult recognoſcere potentiorem eſſe totius mundi principibus; dicit, vt ſi cognouerit, Domino veſtro, gratam eſſe ſuam affectionem, quod non ſolum regnum Vngariæ, ſed dimidium ſui patrimonii, & quod maius eſt, vitam & corpus, ſemper ad vota veſtri Imperatoris locabit, ſemper veſtrum Dominum honorabit, maiorem recognoſcet, ex ſpontanea affectione ſua. Quid plus ab eo Rege vultis? qui deſtructum per vos regnum ingreſſus eſt, qui hoc anni curriculo fratrem ſuum, per vos occiſum, nigris ſuis veſtibus conteſtatur, nec illum ſicuti vnicum obliuiſci poteſt.

Aduertite itaque affectionem Domini mei, accipite potius ſpontaneam eius in Dominum veſtrum obſeruantiam, quam ſi feceritis illam coactam. Ceſſaſtis iam a tributo, deſiſtite a muneribus, quæ nomine ſubmutato, tributum ſunt. Faciat Dominus veſter, rem tanta ſua amplitudine dignam, accipiat affectionem Regis mei, vt vobis videtur ſterilem nunc, ſed breui mille palmites & fructus daturam. Expedite me, quem Dominus ſuus vtroque oculo venientem proſpicit, quem expectat cum deſiderio, certam vobiſcum coniunctionem portantem. Ergo, *Illuſtriſſima Dominatio* tua, iam me ad Imperatorem hunc veſtrum nobiliſſimum mittat, cuius certe manicam vtraque manu accipiam, nec remittam, quoad perfecero ſingula. Scio ego animos principum, qui leonum ad inſtar, ſponte ſe humiliantes, non calcant, ſed extollunt & fouent. Non veni ego huc cum illa furia & ſuperbia, ſicuti alii oratores aſſueuerunt *Vngari*, quæ res, Domino meo ſemper diſplicebat; ſed veni honorare eum, qui honorem meretur, qui ſi etiam pacem & coniunctionem non confecerim, non tamen, ob id veritati aduerſari potero; nam Dominus meus, ſcit Imperatore veſtro nihil eſſe inter mortales inſignius. Itaque, quomodocunque egeritis nobiſcum, ſemper ita vos cognoſcemus; ſi amici erimus, optabimus nobis plura, ſi inimici, prouidebimus rebus noſtris, forſitan aliter, quam aliquis credet, tamen, id coacte faceremus, ſicuti ante ſpretæ amicitiæ, inimici. Rogo iterum, det mihi *Dominatio* tua *Illuſtriſſima*, cum Cæſarea Maieſtate loquendi copiam; opinor, illius Celſitudinis, aliam eſſe benignitatem, quam aliqui exiſtimant.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky*.

ERgo, tantum confidis, *inquit*, Imperatoriæ benignitati, vt ad verba tua talia, ſterilem tui Domini amicitiam complectatur? magna eſt tua confidentia, & profecto, laudabilis: neſcio, quis te ſpiritus docuit naturam principis noſtri, humanus enim eſt, benignus, ac in ſui ſtudioſos ita affectus, vt plus eorum rebus, quam ſuis incumbat. Itaque, iam te amplius tenere nolo, faciam te cras alloqui Dominum noſtrum. Cum fueris apud illum loquuturus, non timeas aliquid, facito reuerentiam, quam ſcis meliorem, & verba honoris compta dicito, ego ero, qui ſecundo loco interpretabor. Itaque, accingas te pro craſtina die, & ſis paratus, cum te vocauero, faciam te cum omnibus *Zauſſis* comitari, pro maiori honore Domini tui.

*Laſzky*,

## *Laſzky*, ad *Ibraim Baſſa.*

AB hoc tempore, quo pueritiam ſuperaui, ſemper apud curias principum verſatus ſum, & ita ſcio illorum magnanimitatem, minusque cum illis, quam cum aliis, loqui vereor. Et videbis me coram Domino tuo non titubantem, quia mos eſt mihi libere cum principibus loqui.

Die XXVII. *Januarii.* Venerunt omnes *Zauſſi*, ad conducendum me in palatium Imperatoris, vbi deſcenſo equo, ductus ſum ad Baſſas, qui duo tantum erant, ſcilicet; *Ibraim Baſſa*, & *Ayas Baſſa*, & tertius *Beglerbek Natoliæ*, vbi ab illis interrogatus ſum de multis rebus familiaribus. Deinde, quæſitus, quomodo ſim cum Imperatore loquuturus.

## *Laſzky, quærentibus reſpondi.*

LAudo Dominum DEVM meum, *x*) qui Reges noſtros incolumes quam diutiſſime conſeruet, & qui me huc, ad hunc veſtrum conſeſſum nobiliſſimum, venire voluit. Cum limina portæ aſcendebam, dextro pede ingreſſus ſum, boni ominis gratia. Faxit igitur Omnipotens, hic me conficere optima quæque, inter veſtram, & noſtram, tot bellis, tanto ſanguine, ſugillatam gentem. Dominationes autem Veſtræ, hoc laudabile opus, deprecor, pro ſua auctoritate, atque induſtria, vtraque manu vt fulciant. Iam quadrageſimus *y*) fere dies eſt, quo huc attigi, & quo aulas veſtras viſitare atque vobiſcum tractare cœpi. Non regredior de auditis propoſitionibus meis, quas exaudiri, per Inuictiſſimum hunc magnum Dominum, cum magno feruore expecto. Quod autem attinet, verba qualia Domino Veſtro dicturus ſim, & quo honore acturus, facile elicere poteſtis, ex tot mutuis noſtris argumentationibus, quantum ego faciam Victorioſiſſimam Domini Veſtri Maieſtatem, quidque expoſtulem ab illa, iam diu etiam eſt a vobis cognitum; vbi, ſi repeterem, quid facerem aliud, quam perderem tempus. Porro vobis Vngariæ Regis indicibilem affectionem, qua non ſolum Vngariæ Regnum, non ſolum Dominia patrimonii ſui; ſed & perſonam ſuam propriam, non ſuam eſſe vult, ſed veſtram, neque aliqua re alia aliquando vobiſcum differet, quam fide ipſa. Itaque eamus! quia neſcio quis ſpiritus me ſtimulat, ita, vt nihil magis poſtulem, quam videre hanc Excellentiſſimam Cæſaream perſonam, in qua conſiſtit virtus, benignitas, & præcipua humanitas.

## *Ibraim Baſſa*, ad *Laſzky.*

MOs erat in tali congreſſu, cum oratoribus, omnia prius diſcutere, quam admitterentur ad pedes Domini noſtri: quia illi tractatus, quos faciebas, ſingulatim apud nos, in conclaui, non tantum ligant, quantum hic in horum, quos vides, præſentia, ligarent. Sed poſtquam eam abs te audimus tui Domini affectionem; omiſſa antiqua conſuetudine, quam Turcæ non libenter negligunt, vadamus ad Dominum magnum, quem, non erras, dum incognitum laudas, dumque eum videris, neſcies vbi initium, & vbi finis eſt illius virtutum. Iuimus itaque ad Imperatorem, *Ibraim Baſſa*, *Ayas Baſſa*, *Beglerbek Natoliæ*, ego, & interpres.

## *Laſzky*, ad *Imperatorem Turcarum.*

*VEnio ad Excellentiſſimam Maieſtatem Tuam, miſſus a Sereniſſimo Principe Domino meo* JOANNE *Vngariæ &c. electo & coronato*



*x*) Huic forte colloquio, per feneſtellam deſpiciens auſcultabat Solymannus: id quod meminit ISTVANFFYVS Lib. X. p. 157, 43. Nam ipſa quidem audientia, Turcarum ritu peracta eſt.

*y*) Itaque, non triduo, poſt quam Conſtantinopolim venerat, admiſſus ad Solymannum fuit, vti habet ISTVANFFYVS loco cit. p. 151, 37.

*ronato Rege, ab omnibus illius Regni Statibus, qui in defectu mafculæ Regiæ prolis, ius & libertatem habent, ex illorum medio vnum, probatæ virtutis, ac induftriæ, in Regiam fedem, exaltare ac eligere. Vbi poft victoriofiffimum illud prælium Tuum, quo* Ludouicum *fudifti, & ad interitum deduxifti, quo Budam occupafti, & deinde absque cuftodia relicta, difceffifti: Barones Regni, & totus populus, non cito in vnum congregatus, matura & longa deliberatione, tandem Dominum meum, ad Regia trophæa inuitarunt, qui, vti eft Maieftati Tuæ cognitum, Tranffiluaniæ dominabatur, & magnas alias regiones fui habebat patrimonii, tot precibus monitus atque inuitatus, fufcepit hanc exaltationem, id apud fe præcipue ftatuendo, vt mox ad Te mitteret oratores, gratam Tibi effe cupiendo talem coronationem fuam, & offerendo fe & fua dominia, tibi ad mutuam confœderationem coniunctionemque futuram, prona. Cumque mox, poft fuam coronationem, in eum modum ad Maieftatem Tuam fuos oratores bis delegaffet, quorum primus occifus, fecundus vero per hominem* Nigrum z) *impeditus erat, eamque ob rem, ita diu vifitaffe Maieftatem tuam fuit neglectum. Ergo, poftquam ego ex Galliis, hoc Septembre redii, vbi orator eram miffus, admonitus fum, vt me huc, huic officio accingerem. Dumque expeditus in via effem, & cum in Transalpinam defcendere voluiffem, oppofuere fe mihi aliquot centum pedites, qui, cum vita non potuerunt, omnibus me bonis, quæ mecum erant, fpoliauerunt; parumque abfuit, quin turpiter interierim. Malui tamen ego in hac incommoditate, ad tantam Tuam amplitudinem, cui fcio neque equitatum, neque apparatum oratoris effe miraculo, potius venire, quam reuerti. Quam ob rem, licet iam ex ordine oratorum tertius fum, huc ad Maieftatem tuam miffus, tamen ego fum primus, qui gratia DEI, hanc Tuam præfentiam confpicere valui. Vbi, falutat te Dominus meus Rex, expoftulans, vt diutiffime valeres, & feliciffime imperares, cupit que, vt grata tibi effet talis exaltatio fua, coronatioque, offertque fe Tibi, non folum cum Regno Vngariæ, non folum cum prouinciis patrimonii fui; fed cum fua perfona, & cum amicorum fuorum affiftentia, femper Tibi effe ad vota; ita, vt certo apud Te haberes, illum, Regnumque eius, & patrimonia fua, non fua effe, fed Tua, & quod fe Tecum iungere vult, ita, vt fit Tibi obno-*

z) Legendus de eo eft ISTVANFFYVS, | Lib. IX. p. 139. fequ.

*obnoxius, contra Tuos omnes inimicos adesse: qui in omni aduersitate sua, non alibi se committere decreuit, quam ad benignam Tuam personam. Itaque, habes Dominum meum, & Regem Hungariæ, cum regno, omnibusque facultatibus suis, Tuum, quem non aliter, quam pro Tuo, vt Regem recognosceres, cum omnibus suis, quam demissiſsime rogat. Sunt mihi multa alia, quæ cum Illustrissimis Bassis, ne tibi sint tædio, discutiam. Ita, de amicitia Regis Poloniæ faciam nota; sicuti & de bello, quod Domino meo, cum* Ferdinando *est, & alia. aa)*

## *Imperator Turcarum*, ad *Laszky*.

GRato excipio animo, talem Regis tui affectionem, cuius Regnum hucusque meum erat, & non suum, sicuti iure belli & *Sabla* conquisitum; cum tamen audiuimus, talem eius propensionem, iam sibi non solum regno illo cedo, sed contra istum Australem Ferdinandum, ita sibi subueniam, vt iam secure, in vtroque latere, Dominus tuus possit dormire. Cuius talem applicationem, & eam de me confidentiam, accipio grato animo, omnesque suas necessitates, meas esse reputabo.

## *Laszky*, ad *Imperatorem*.

P*Ro tanta tua humanitate ac bonitate, Dominus meus perpetuo Tibi debitor erit, qui ita munifice illum exceperis, qui sponte auxilium ferre promiseris. Fecisti, sicuti verus & magnanimus Imperator, quem Dominus DEVS in infinitum secundet.* Et dictis hisce, exiui, & iui in hospitium, iisdem Zauſsis concomitantibus & ducentibus me.

Die XXVIII. *Januarii.* Interrogatus sum ab *Ibraim Bassa*, quomodo mihi placeret Cæsarea persona, quam ego, multis laudibus vsque extuli supra sydera.

## *Ibraim Bassa*, ad *Laszky*.

FRater! iam Dominum tuum ab hinc Regem vocabimus, & non *Erdélbánum*, iam eum pro Domino nostro reputabimus, iam illi subueniemus. Dominus meus ibit in persona sua contra eius hostem. Nunc, quid agendum iam plus est? *non postulamus iam tributum, non munera. bb)* Consulere volumus de tranquillo statu Domini tui, cui rogo, vt scribas, vt quam maxime a prælio abstineat. Namque, eius minima aduersitas, eius ignominia, communis iam cum Imperatore est. Itaque, scribentur sibi literæ fœderis, & absoluam te cito.



*aa)* Nulla heic tributi mentio, quam factam meminit loco cit. ISTVANFFYVS: tametsi actum longe omnium iniquissime, quod regnum, se suaque omnia, turpi vsus consilio, tyranno deuouerit.

*bb)* Præclare factum! nisi arte hac auiditatem occuluisset barbarus, non Hungariæ tantum, sed toti orbi Christiano inhiantem.

## *Laſzky*, ad *Baſſam.*

NOn videretur mihi, *inquio*, vt iam Maieſtas Cæſarea reuera, ſuo ductu, in *Ferdinandum* iret; ſed meum eſt conſilium, *cc*) vt progrederetur in *Adrianopolim*, & ibi venaretur, parando tamen & ſtruendo ſe, cum iam aliter eſſe non poſſet, atque tunc tardaret minime. Nunc autem iam præmittatis *Janicſaros*, vt illa caſtra in *Seremio*, illis munitiora faciatis: vtque omnes *Sandzaci* parati cum gentibus iam congregatis, expectent informationem Sereniſſimi Regis mei, quid illis faciendum, ſignificaret, vt ſi opus eſſet, adiungere ſe Domino meo, vt ſe coniungant; vel ſi alibi guerram monſtrauerint, vt illam faciant. Mecum autem faciatis ire *Sandzacum Nicopolienſem*, *Vayuodam Tranſalpinæ*, & *Vayuodam Moldauiæ*, & ibi defectoribus reductis ad obedientiam, deducam hunc exercitum vſque ad Dominum meum; tu autem deberes eſſe in quinquaginta diebus in *Sophia*, in Epiro, & in aliis locis. Præterea, Rex meus, bombardas non habet in tanto numero, quot ſufficerent; detis nobis in mutuum viginti pecias bonas, & puluerem ac ſaletre, vt hoc per *Tiſſiam*, facile deduci poſſit, vſque ad Regem meum. Et hoc modo videtur mihi eſſe pro nunc fore bene conſultum, &c.

## *Baſſa*, ad *Laſzky.*

OMnia mihi placent, quæ dixiſti: tamen Dominus meus cupit hunc Auſtralem ita experiri, quod præ ardore nullum nunc locum habet. Propoſui ſibi ego hoc, & dixi, quia non habere commeatum poterit, cum tot gentibus. Reſpondit, ſe velle monſtrare, quid poſſit. Iuſſit *Vlacos* currere in *Moream*, iuſſit in *Boſnam*, vt frumenta verſus *Semendriam* ducerent. Ducet per Danubium mille quingentis *Cſaykis* & *Naſſade*, annonam, vſque ad *Seremium* portantes, & ibi illas aptabit ad vſum belli. Ego non diſcedam, vt voluiſti, a Domino meo, quia ire contra incertam neceſſitatem nolo, ſed ita præmittam *Beglerbeg Romaniæ*, & ſolus cum Imperatore manebo. Non dormiam tamen in rem Domini tui. Nunc ad omnes *Sandzakos* ſcribam, inueniet eos tuus Dominus paratos. Tibi dabo *Sandzakum Nicopolicum*, at niſi cum aliquot millibus hominum. *Vayuoda Radul*, faciam vt vadat, & ita & *Bohdanos*. Bombardas quas vis in mutuum, donabo tuo Domino, non XX, ſed L. Donabo D. centenarios *ſaletræ* & pulueres; cum amicis omnia debent eſſe communia. Bono affectu hic veniſti, omnia habes videsque; & ſicut nos feciſti, facere quæ vis, ita facias, vt iſta amicitia conſtans ſit. Quia, ſi videremus poſtea, alienationem & altercationem, perpende quomodo commouebimur, pro tanta veſtra ingratitudine. Nihil tamen ego dubito in conſtantia veſtra. Itaque bombardas & ſaletram, *Tiſſiam* vſque deduci faciemus, quas ibi accipere Rex tuus committat: & ita Regem informes.

## *Laſzky*, ad *Baſſam.*

GRatias ago, de oblatis hiſce gentibus & bombardis, ac *ſaletre*, Dominus meus Rex, omni munificentia & amicitia id tibi recompenſabit; ſed vnum mihi rogitaui, quia *Valachi*, & *Bohdani* ſunt tributarii, nec ire tenentur extra dominia ſua, maxime abſque Imperatoris præſentia; quare, ſi vultis vt vadant, relaxetis eis tributum, & mittatis mecum hunc filium *Radul Vayuodæ*; quia oportet, vt in ſede ſit vel Pater, vel Filius. Tum præterea, cum Rege Poloniæ inducias protrahito, vt eo commodius Regi meo poſſit ſubuenire.

## *Baſſa*, ad *Laſzky.*

DIc mihi, *inquit*, Valachi & Bohdani, ſemperne ſub ditione noſtra & veſtra fuerunt. Vbi, ſi aliquando veſtra non exequebantur mandata, in noſtri ſpem faciebant; ita etiam, cum nobis non indigebant, veſtro hoc intuitu erat. Sed nunc, poſt-

*cc*) Animus, nimirum, præſagiebat LASKYO, quantum malorum datura eſſet, ſuſcipienda dictu SOLYMANNI, expeditio.

poſtquam nos committemus, poſtquam mandabit Dominus tuus, neceſſe eſt, vt eant, quia iam non habent, quo ſe excuſent; itaque tributum non relaxabimus. Filium autem *Radul Vayuodæ* non poſſumus ex porta alienare, quia loco obſidis eſt; ſed oportet, vt vadat Pater. Cum Rege vero Poloniæ, faciam inducias in duos annos prolongare, vt auxilium tuo Domino ferat. Ego poſtea omnibus viribus conabor euincere filium *Radul Vayuodæ*, & efficere vt permiſſus hic, mittatur ad Patrem ſuum.

Die XXIX. *Januarii.* Iuit venatum Imperator. Eodem venit ex Semendrio, *Thurek Mihály*, ſeruitor *Thurek Bálint*, qui dixit FERDINANDVM eſſe in *Strigonio.* Regem autem JOANNEM in *Pobroziani*, & quod tota Tranſiluania dependet ab ipſo.

Die XXX. *huius.* Ibidem Imperator venatur.

Die XXXI. *Januarii.* Inuitatus ab Oratore Venetiarum, cum eo pranſus ſum, qui & Oratoris, & Judicis mercatorum hic agentium, munus habet.

## *Anno Domini MDXXVIII.*

Die I. *Februarii*, rediit Imperator ex venatione.

Die II. *Februarii*, qui fuit dies *Sabbathi*, & *Dévan*, attulerunt mihi veſtimenta ab Imperatore, pro me, & quatuor ſeruitoribus, & aſpearum *decem millia* etiam oblata ſunt mihi.

Die III. *Februarii.* Iui ad valedicendum Imperatori, vbi ingreſſus ſedi vltra horam, in loco, vbi oratores expectant audientiam, & demum ductus ante faciem Imperatoris, dixi hæc verba:

*Neſcio, qua lingua, vel quo orationis præconio, gratias Tibi referam, Inuictiſſime Imperator! pro Tua tanta Regis & Domini mei amicitiæ gratitudine, quem pro Tua genuina humanitate, gratus & benignus excepiſti, verbis in honorem Domino meo factis. Vbi certa ſit in perpetuum Celſitudo Tua, Dominum meum, omni officio & obſequio, tali Tuæ beneuolentiæ reſponſurum, & facturum in honorem Tuum & commodum, omnia, etiam cum vitæ, & omnium ſuarum facultatum iactura: faciatque DEVS omnipotens, vt diutiſſime valeas, & feliciſſime imperes. Ex me autem ſuo ſclauo, quem hic in cunctis non ſolum benigne tractaſti, ſed etiam veſtiſti & condonaſti, aſſiduum habebis ſtimulum, apud Dominum meum, vt talis noſtra amicitia & coniunctio, quam diligentiſſime obſeruetur & augeatur.*

## Imperator, ad Laſzky reſpondit.

SCis, *inquit*, quo opus erit ad certificandam talem Domini tui coniunctionem & affectionem. Nam omne eius negotium, iam meum erit, meum etiam, ſuum eſſe debebit. Itaque, licet ſciam, has nubes ſe multoties ingurgitaſſe in caput prædeceſſorum meorum, ac populum Dei Mahometicum; nunquam tamen fulgur emiſiſſe, iſtos Chriſtianos principes: hocque ipſum, niſi fuiſſet, maioribus meis, ac mihi cognitum, fuiſ-

fuiſſet diu ab humano ſanguine temperatum ; ſed conſultius ſemper extitit, eorum vires per omnem occaſionem infringere, qui ſe contra nos attollere conabantur. Proinde, Dominus tuus faciat nos ſemper certos, omnium Chriſtianorum negotiorum, magnorum & paruorum, & hoc modo radicabitur certa inter nos amicitia. Ego autem volo tuo Domino amicus eſſe, ac confœderatus verus ac integer, perpetuoque, & contra omnes hoſtes illi in perſona, & cum omnibus viribus noſtris, adeſſe promitto, per Prophetas, per magnum & DEO charum Prophetam noſtrum, Mahometum, per *Sablyam* meam &c.

## *Laſzky*, ad *Imperatorem.*

H*Abebit Tua Celſitudo, ſemper noua a Domino meo, non communia, quæ mercatores ſcire aſſueuerunt ; ſed arcaniſſima.* Ego etiam iuro per DEVM viuum & vnum, ac noſtrum JESVM, qui idem DEVS eſt, Redemptorem, ac promitto, Regem & Dominum meum, excipiendo Poloniæ Regem, amicorum Tuorum amicum, inimicum inimicorum futurum. *Hic autem ad pedes Tuæ Celſitudinis relinquo, ex mandato Domini mei,* Dominum Ludouicum de Gritti, *loco oratoris, & rerum negotiorumque curatoris, cui Maieſtas Tua, in omnibus æque, ac mihi fidere velit.*

Die IV. *Februarii.* Juſſit me *Baſſa* facere certiorem, quia literæ confœderationis, & aliæ, ſcribentur breui. Eodem iuit *Baſſa* cum Imperatore ad venandum.

Die V. & VI. *Februarii.* Imperator venatur.

Die VII. *huius.* Comedi cum *Domino Ludouico*, vbi deinde iuimus ad videndum *Bombardas*, quas innumeras vidi.

Die VIII. *huius.* Rediit Imperator & *Baſſa* ex venatione.

Die IX. *huius.* Qui fuit dies *Déuan*, primo iui ad *Baſſam*, & rogaui, vt me abſolueret. qui dixit mihi: non opus eſt vt feſtines, quia *Vlachi* iuerunt parare gentes, & melius eſt, quod hic ſubmoreris, quam in alio loco expectares congregationem gentium, quæ tecum ituræ ſunt. Rogaui deinde vt abſoluerer, & dixi, quia me, ad *Moldauum Vayuodam*, Rex meus ire etiam iuſſit, & ibi facere alias gentes : ad id vero conficiendum, nihil eſſet melius, quam vt mecum iret inſimul vnus *Zauſ*, vt ipſe *Vayuoda* obſequeretur mandatis Regis mei. Promiſitque *Baſſa* hoc ipſum facturum.

Dies X. *Febr.* fuit dies Dominicus.

Die XI. *Febr.* magnus in ciuitate furor fuit, propter ignem ac incendium.

Die XII. *huius.* Iuit Imperator venatum, & *Baſſa* cum illo.

Die XIII. *huius.* Rediit Imperator, pulſus imbre ac acri intemperie.

Die XV. *huius.* miſi ad *Baſſam*, rogando audientiam, qui mihi illam recuſauit, & tertia die venire iuſſit.

Dies XVI. *huius.* fuit dies *Sabbathi*, & dies *Déuan.*

Die XVII. *huius.* Misit ad me *Bassa* recusando audientiam, quam mihi propter negotia multa accidentia, præstare non posset.

Die XVIII. *huius.* Misi ad *Bassam* rogando, vt me absolueret, proponendo illi, periculo rebus Domini mei, hic moram esse meam: maxime, cum iam nihil amplius mecum tractetur. qui respondit, non esse possibile, vt discedam, nisi debito ordine res Imperatoris componerentur; quæsiui quales? respondit, nihil mihi ad illas. Dixi, si nihil mihi, vel Domino meo interest, cur me tenes? Respondit, eam ob rem, vt diutius maneres nobiscum, & ne per eum ad Dominum tuum reditum, *Ferdinandus* percipiat, Imperatorem nostrum illuc iturum. Dixi, quid opus est? vt Imperator vadat, priusquam sit a Domino meo requisitus. Dixit, venit his diebus vnus noster Turcus, qui in campo *Ferdinandi* erat. Is dicit quod *Ferdinandus* vult venire expugnare arces nostras, vbi nos, tacendo vellemus tentare muros ipsius, priusquam ille nostros. Itaque, paucis diebus te absoluam; nam quinto aut sexto die abscedes.

Eodem die, cum primum veni in hospitium febris me inuasit.

Die XIX. *eius.* ibidem febre me macerante.

Die XXII. III. IV. V. *Febr.* ibidem.


Die XXVI. febris relaxata aliquantulum, & vlcus cum sex capitibus supra dorsum factum.

Die XXVII. *eius.* tantam passionem ab vlcere habui, vt vix viuerem, medici autem nolebant me mederi, donec ille morbus solus maturaret.

Die XXVIII. *eius.* misit mihi *Bassa* duos equos, & vestem dedit, vocabatque me, vt venirem ad illum, ad quem ire ob dolorem non potui.

Die XXIX. *Febr.* Morbus maturior factus est; & iui ad *Bassam*, accepique ab illo literas, & iuramentum, in veram fraternitatem, Regi meo, & solus etiam nomine Regis mei præstiti &c. &c.

# FINIS.



## CICERO, de Oratore, Lib. II. 9.

HISTORIA, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis.

RITVS

# EXPLORANDAE VERITATIS,

SEU

IVDICIVM

# FERRI CANDENTIS,

quo in dirimendis controuersiis,

GENS HVNGARA

olim vtebatur.

*Editio, post Claudiopolitanam A. MDL.*

Secunda, vberrimis Notis illustrata.

ADPARATVS AD HIST. HVNG.

DECADIS I. MONVMENTVM V.

EXCELLENTISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE
COMITI AC DOMINO

# DOMINO LVDOVICO
## de BATTYÁN,

Perpetuo in Német Ujvár, Incluti Comitatus Castriferrei Perpetuo Supremo Comiti, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Actuali Intimo Consiliario, Camerario, Pincernarum Regalium per Hungariam Magistro,

&

REGIO AVLICO HVNGARICO CANCELLARIO,
Domino longe Gratiosissimo,
animo obsequentissimo,
sacrat, dedicat,

editor.

# EXCELLENTISSIME COMES, ILLVSTRISSIME DOMINE!



Vm multa ſunt, eaque inuſitata vetuſtiſſimæ gentis TVAE decora; tum iſtud præcipuum ſemper exiſtimaui: quod inde ab retruſa ætate, vſque ad noſtra hæc, quæ viuimus, tempora, & ſago, ſicuti palam eſt hodieque, perpetuo valuerit, & toga. Longus ſim oportet, ſi, vel præclara Maiorum TVORVM nomina, qui Regnum Hungariæ, non illuſtrarunt modo; ſed periculoſiſſimis etiam quibusque temporibus, maſcule, & cum ſanguinis impendio, defenſarunt, occipiam deſignare. Præterquam enim, quod plurium retro ſeculorum, res geſtæ, quarum attaui TVI, EXCELLENTISSIME DOMINE! pars eximia fuerunt, penitus recolendæ eſſent, & in luce publica collocandæ; ea me, clariſſimarum virtutum, quas, & bello ediderunt, & pace, lumina circumfunderent, quibus, ex æquo celebrandis, non minus tempus me deficeret, quam orationis vbertas.

Accedit, inuſitata illa TVA modeſtia, qua, cum gentis TVAE laudes cumulatiſſimas; tum culmen iſtud TVVM, in quo TE, Cæſaris Regisque ſapientiſſimi benignitas, iuxta & TVA ipſius virtus, & in adminiſtrandis rebus, cura, ſtudium, atque integritas, collocauit, ita tueris; vt pulchrius ducas, auorum atauorumque veſtigiis ſolerter inſiſtere, incorruptam eorum, in reges fidem, nudum, erga patriam, amorem, in vtrisque autem conſtantiam, & herculeum animi robur, viriliter æmulari; quam ſolida illa, qua emicuerunt, gloria, ex ætatis more, ſeu eferri, ſeu, quod apud multos fieri videas, molliter, & cum ſegni quadam animi voluptate, perfrui.

Quæ, cum in TE, ILLVSTRISSIME COMES! penitus exiſtimo, recordorque ſimul, grauiſſimæ illius TVÆ monitionis, qua me, in laudes Maiorum TVORVM, pronum, atque etiam, TVO mirifico patrocinio, inſigniter obſtrictum,

hac

hac vſus præfatione, retentaſti: *deſinerem elaborare, in re, vera ea omnino; ſed quam ſua luce radiare præſtet, quam adſcita ſcriptorum facundia.*

Et ſane, locum adhuc dedi, æquiſſimæ huic TVAE voluntati: quippe qui, malis abſtinere TE a laudum auitarum vſura; quam TVARVM fructu carere: nequiui tamen, ab animo, TIBI, DOMINE EXCELLENTISSIME! ob præclara TVA, de meis ſtudiis merita, longe omnium deuinctisſimo, impetrare; quin deuotiſſima hac mentis ſignificatione, propalam teſtarer, quantum, conſiliis, ope, curisque TVIS, in vaſto illo, & refractario opere, quod inter ſexcentas difficultates, edere haud deſino, profecerim hucusque.

Ferri candentis Ivdicivm eſt, quod EXCELLENTISSIMO NOMINI TVO ſuſtineo inſcribere: rem, ſicuti nihil diffiteor, obſoletam, & quadamtenus etiam funeſtam; ſed quæ tamen digna eſt, quam memoria recolamus, ſummi imique ciues: tum, quod priſci rigoris illius, & abhorrentis ab hodierna legum æquitate, documenta contineat, tum, quod antiquitatum Hungaricarum ſementem habeat, vix alibi facile occurſuram.

Id TV, EXCELLENTISSIME COMES! quod conceptiſſimis TE precibus, oro rogoque; ſi pro TVA ſapientia, & in meliores litteras propenſione ſingulari, bonus acceperis, efficiam profecto, vt vel inuito TE, intelligat reſpublica litteraria, quantum TIBI debeat, ſtudiorum meorum cauſſa. Quæ, vti porro, & tueri pergas, & ornare; tam abs TE peto demiſſe ac vehementer, vt in re, ad patriæ decus, vnice adtinente, nequeam, ſeu demiſſius, ſeu vehementius. *Feliciter age!* Ita precatur ex animo,

EXCELLENTISSIME DOMINE,
COMES ILLVSTRISSIME!

*cliens obſtrictiſſimus*

MATTHIAS BELIVS.

Ad

# AD LECTOREM

IVDICIVM FERRI CANDENTIS, pridem id quidem, in gente noſtra abrogatum, neque vſquam gentium, niſi barbaræ forte ſint, & toto cælo a nobis diuiſæ, frequentatum amplius, in ADPARATVM hunc ad *Hiſtoriam Hungaricam* referre, multis de cauſſis, viſum eſt. Et primo quidem, quod nondum mihi liber occurrerit; tametſi, ad hæc iſtiuſmodi curioſa, ſic ſatis adtento; qui vberiorem ſementem *Antiquitatum Hungaricarum*, præbeat his, quibus volupe eſt, non ignorare, quid priſci illi homines, ſeu cum laude egerint, ſeu cum vituperio; quibus præterea inſtitutis, moribus, quaque integritate iniquitateue, mutuo conuixerint; quibus ritibus innocentiam illorum, iſtorum maleficia, iuerint detectum. Tanta enim, horum omnium, in libello hoc ſeges eſt, quam quæ poteſt eſſe maxima. Deinde, ita exiſtimo, illuſtrando *Iuri Hungariæ Publico*, materiam hinc, non idoneam minus, quam ſelectam etiam, decerpi poſſe: ſi quis ſua intereſſe putet, vetera cum nouis, & hæc, cum illis, contendere, ex vtrisque autem, aduerſaria facere, quorum ope, priſcis regum decretis, lux adfundi; explicari obſcura; incerta adfirmari; refelli fabuloſa; expediri intricata poſſint.

Poſtea, eam hic, veterrimorum *Nominum Hungaricorum*, copiam reperi, quæ vel ſola mereatur, in luce iterum collocari, vt argumentum inde capi queat, cum de gentis noſtræ, tum de linguæ, qua ſeculo duodecimo vtebatur, indole. Rudis nempe tunc noſtris hominibus ſermo fuit, & ex Scythicæ linguæ contagio, quod recens adhuc erat, etiam inficetus: vt habeant omnino, quod, ſeu ſcrutentur philologi *Hungari*, ſeu obſeruent exteri. Denique, & iſtud in libello hocce, animum noſtrum aduertit; quod infinita fere oppidorum, caſtrorum, villarum vicorumque vocabula contineat, egregie eius ætatis *Geographiam* illuſtratura; ſi ſint, qui diplomatibus in conſilium vocatis, vetera illa, vel cum hodiernis conferre, vel ſuis ſingula parochiis, conuentibus, ſeu *Comitatibus*, adſignare potuerint. Nam, & hoc, in *Deſideratis Hungaricis*, referre ſoleo; quod ignoremus hucuſque, quemadmodum ſe prima omnium, poſt conſtitutum regnum, *Hungariæ Partitio*, habuerit; quibus, per ſingulas regionis plagas, parochias, conuentus, quos poſtea *Comitatus* dixerunt, arcibus, oppidis, pagis vicisque, culta fuerit. Quæ in hanc rem, ex M. IOHANNIS de THVRÓCZ, vnici ac genuini priſcarum, Hungariæ rerum ſcriptoris, *Chronicis*, erui poſſunt, pauca ea ſunt, & in his dubia quædam atque incognita: vt haud omnino luſurus eſſet operam, qui noſtrum hunc libellum, ita excuteret, vt indice locorum conſcripto, tam diu per tabularia, & quæ, in his, ex tot cladibus ſuperant, diplomata, reptaret: dum, non vocabula modo locorum; ſed horum etiam ſitus, ex vero & indubitate, detegeret, deſignaretque. Fateor, laborem hunc, ex ſe quidem moleſtum futurum; ſed quem tamen leniret, immo iucundum quodammodo faceret, ſi eadem hac opera, ad rerum nexus, qui in diplomatibus perſcribi ſolent, actus item, ſeu regum, ſeu priuatorum quorumuis, horum item, natales ac propagines, ſollicitius attenderetur. *Vtinam ſint, qui hanc viam inſiſtant, ad res Hungaricas colluſtrandas*! Et hæc quidem de cauſſis libelli editi.

Acceſſit ad ſingula hæc, quod, nimium apud noſtros, rarus, inde a primordio, liber fuerit, adeoque, & his ignotus, qui rerum patriæ in primis gnaros ſe exiſtimant. Sed, vnde quæſo, tanta libelli ignoratio? dicam, quod ſentio, & quod reuera eſt. FRATER GEORGIVS, beneficio IOHANNIS de *Zápolya*, regis Hungariæ, *Varadienſis Epiſcopus*, libellum, ex ſacrarii eccleſiæ ſuæ, monumentis, compilatum, bonaque deſcriptum fide, ſuo ſumtu, in typographeo *Coloſvarienſi*, anno MDL. excudi, luceque publica donari curaue-

rauerat. Tunc vero iam, non vno turbine, res monachi verſabantur, (a) quando fluxa fide, viduam nunc *Iſabellam*, mox *Solymannum*, iterumque *Ferdinandum*, nequiter deludebat. Factum iis rebus eſt, vt, quemadmodum cladem Tranſiluaniæ; ita ſibi cruentum exitium, accelleraret. Sequuto enim anno, funeſta cæde e medio ſublatus eſt; quam præter ISTVÁNFFYVM, BETHLENIVS (b) quoque deſcribit. quidquid theſaurorum coegerat, partim in fiſcum relatum, partim, quod in his caſibus procliue fit, a milite, & qua non colluuione alia, direptum eſt. Eadem ergo tempeſtate, accidiſſe reor, vt nuperus adhuc libellus, neque, ob res calamitoſas, in plures ſparſus, *Coloſvárii*, vbi lucem adſpexerat, ante emoreretur, quam vitam ſentiret. Hæc ita ſunt omnino.

Habet tamen libri huius noſtri mentionem, IOHANNES KITONICH, (c) loco opportuno ſatis. Cum enim Proceſſum, qui hodie obtinet, Iudiciarium, e Gallia, ſub Caroli I. initia, petitum fuiſſe, ex WERBŐCZIO recognouiſſet: *Hic tandem*, inquit porro, *ceſſauerunt duo illa gentilitia iudicia:* CANDENTIS FERRI & FERVENTIS AQVAE; *quibus gens Hungara, contra id, quod dicitur:* Noli tentare Dominum Deum tuum: *ab anno* 969. *quo* S. STEPHANUS *Rex natus eſt, vſque ad annum* 1309. *quo* CAROLVS *Rex coronatus eſt, per annos CCCXL. vſa eſt; vt adparet ex antiquo quodam libro intitulato;* RITVS EXPLORANDAE VERITATIS in dirimendis controuerſiis, *in ſacrario ſummi templi Varadienſis reperto, &* (d) *recuſo Coloſvarini, anno MDL iam autem præ manibus generoſorum dominorum.* Franciſci Loránth de Inke, & *alterius* Franciſci Nagy-Mihály *de* Petröz, *Sacræ Cæſareæ & Regiæ Maieſtatis, inclytæ Cameræ Hungaricæ conſiliariorum habito. Ex quo, qui volet, diuerſa barbara nomina Hungarorum, plus quam ſatis cognoſcere poterit, certis iudiciariis exemplis, ab anno MCCXIV. vſque ad annum MCCXXXV. quod facit, viginti & vnum annos, circa ætatem potiſſimum* Andreæ II. *regis, comprehenſa.* Alibi, nec quidquam libelli mentionem quæſiueris; neque ego, in eruditis *Hungaris* noui quemquam, qui vel a nomine famaue, habuiſſet cognitum; niſi forte fortuna, apud me oculis vſurpatum. Quod ideo monendum putaui, vt eo inſignius reddam, ANDREAE CZEMANKA de *Tarnócz*, viri, apud *Thúróczienſes*, nobilis, & præter morem noſtrorum, præclare docti, beneficium: quippe qui, cum ipſam *Hungariæ Notitiam*, non vna acceſſione, tum hoc in primis libello, reliquos adparatus meos, liberaliter non minus, quam promte, locupletauit. (e)

Ceteroquin, ne obſoletus liber, nudus, immo ſordidatus, in lucem prodiret, Cl. IOHANNES TOMKA SZASZKY, in lycæo noſtrate, Conrector longe meritiſſimus, elaboratum ſuapte voluit. Nempe, notis eum illuſtrauit, non vberibus modo; ſed etiam lectionis multifariæ; quibus, cum variæ antiquitates, tum præcipua *Iuris Hungariæ Publici* capita, paſſim, diligentia haud ſuperuacua, eruderantur. Mihi certe, in toto hoc laboris genere, nihil, bonus ille, reſidui fecit; quam, vt adnotationes ſuas, recognoſcerem, & nunc adductiores redderem, nunc iterum locupletiores; quod iam, eo gratiore mente profiteor, quo magis proprium mihi eſt: *ſuum cuique tribuere.*

An vero, in hac rei litterariæ, qua ſumus in *Hungaria*, difficultate, ADPARATVM hunc noſtrum, pluribus alioquin *Decadibus* conſtiturum, porro in lucem publicam edere licebit; id equidem, neque ſpondere auſim, neque negare. Tu interim, Rerum Hungaricarum auide Lector! PENTADE hac, feliciter vtere, & vale. PISONII, Anno MDCCXL. Calendis Septembris.

---


a.) Lege, ſi eſt in proteſtate, WOLFGANGI BETHLENII Hiſtoriarum Libri III. extrema, & Libri IV. exordia, ac porro.

b.) Ibid. pag. 173. ſq.

c.) In DIRECTIONE IVRIS HVNG. METHODICA, Cap. I. Quæſt. IX. num. *quarto*, p. 10. Adde ibid. Quæſt. XV. vbi abrogati eius iudicii tempus definit iterum.

d.) Non recuſus; ſed ex manu exarato codice, primum eo anno, illic editus fuit.

e.) Dum meum hoc exemplar, typis deſtinabam, aliud detexit, ENGELBERTVS de KEMPELIN, vectigalium Piſonienſium præfectus, *Antiquitatum Hungaricarum*, vltra quam reris, curioſus. quod ego exemplar, LORANDI illius, & NAGY-MIHÁLII, quorum KITONICH meminit, fuiſſe ſuſpicor.



# RITVS
## EXPLORANDAE VERITATIS, PER IVDICIVM FERRI CANDENTIS.

### §. I.

Nno Dominicæ Incarnationis. (a) *Millesimo ducentesimo decimo nono*, (b) PRISTALDO regis nomine *Martinus*, de villa *Shama*, in prouincia *Suprutus*, veniens cum curiali comite *Moyad*, comitis nomine *Fiod*, & clerico *Vrcondon*, filii *Dionisii* comitis, contestatus est nobis, diuisionem terræ *Hene*, ipso mediante factam, inter *Moyad* comitem, & *Nicolaum* nepotem eius, ex vna parte, & *Vrcultus*, filium *Dionisii* cum fratribus suis, hoc modo. Quia cum locus villæ *Henæ*, in diuisione, *Mayad* comiti accidisset: *Vrcultus* volens satisfacere, terram in *Thousŏ* mensurando, *Mayad* Comiti pro eo dedisset. Sed *Mayad* Comes, eundem locum villæ, *Vrcundino* & fratribus suis, gratis concessisset. Ipsa vero terra *Hene* tali ordine (c) metarum diuisa inter prædictas partes perhibetur.

Ccc Prima

a.) Regnante ANDREA II, qui inde, ab anno MCCI. vsque ad annum MCCXXXV. Hungariæ rebus præfuit. THVRÓTZIUS *Chron. p. II. cap.* 72. *seq. p.* 77.

b.) PRISTALDVS, in S. LADISLAI & COLOMANNI decretis; *Præstaldus*, in ANDREÆ II. edictis, scribitur. Arbitrum fuisse inter litigantes, & cum Regis, tum iudicum, Dynastarumque ministrum, ex iisdem legibus elucet. Hinc, alius est *Pristaldus* regis, S. Lad. *Decr. lib.II. cap.* 18. *lib. III. cap.* 13. alius *Episcopi*, S. LAD. *lib. I. cap.* 40. *Comitis Curiæ* alius, ANDR. II. *Decr. an.* 1222. *art.* 9. alius *Comitis Parochialis*, S. LAD. *lib. I. cap.* 40. *Iudicum* item alius, COLOM. *lib. I. cap.* 28. 29. 30. 31. alius *Dynastarum*, S. LAD. lib. III. cap. 12. quem, siue a *perest óldó*, id est, litigantes soluente, cum JOAN. SZEGEDI S. I. *in Rubricis Juris Hung. p.* 42. *not. a.* siue, a *Slauonica* voce, *pristogjm, adsistere*, deriuaueris: arbitrum fuisse inter litigantes, vel conciliatorem, vtrinque patebit. Vide reliquas opinationes nostras, Hungariæ Nouæ, Tomo III. Hist. Vrbis Pestiens. Cap. III. §. VIII. p. 103.

c.) Metarum, inter castra, oppida, villasque, primam institutionem, ad S. STEPHANI tempora refert VERBÖTZIUS, *Trip. P. I. tit.* 84. Dotum namque secreta sunt a terris regalibus prædia, partim sacerdotibus, partim nobilibus, per regiam collata donationem, cumulis terreis, vel lapidum aceruis, vel positis a natura limitbus, IDEM *l. c. tit.* 85. 86. Ex earum neglectu, si confundantur fines, *caussæ metalis reambulationis*, nascuntur, CONST. A. 1542. *art.* 5.

Prima itaque meta egreditur de terra (d) *Bogdan*, & vadit ad *Thoufö*, & inde tranſit vltra *Veyzlö*, & inde verſus domum *Vrcultus*. *&c.*

§. II. *Yrgolin*, de (e) villa *Fon*, impetiit conuillanam ſuam, vxorem *Cheka*, de veneficio. Quos *Gregorius Comes de Potok* diſcutiens, miſit *Varadinum*, ad examen ferri candentis, per *Priſtaldum* nomine *Thomas* de villa *Kaboi*. Sed cum illa, præ nimia ſenectute ferrum non poſſe portare videretur; idem iudex diſpenſans cum ea, filium ſuum *Modam* nomine, portare ferrum pro matre ſua præcepit, qui portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. III. *Choma* de villa *Petri*, impetiit (f) convillanos ſuos, nomine *Fugod*, & *Aegidium*, de damno rerum ſuarum, ad æſtimationem octo (g) marcarum, iudice *Laurentio*, Curiali Comite de villa *Terebus*, prædicti viri, *Fugod*, & *Ægid*, portato ferro combuſti ſunt.

§. IV.

---

d.) Terræ BOGDAN nomine, agrum *Máramaroſium* intelligi, ex THVRÓTZII *P. III. cap.* 48. *p.* 108. colligitur: vbi regnante LVDOVICO I. *Bogdán* Vajuoda Valachorum de Maramoroſio, floruit. Alioquin *Bogdai*, vox eſt *Sarmatica*, idem ſignificans, quod eſt Latinis; *Faxit DEVS*; Germanis, GOtt gebs.

e.) VILLA, non quomodo apud *Latinos*, prædia ruſtica, ſed complurium in agris manſionum, vel ædium collectionem, interdum ſignificat. CAROLVS du FRESNE *gloſſiario med. lat.* voce *Villa*. Quo nomine, non vici ſolum, ſed & oppida, immo ciuitates, plerumque intelliguntur. Hinc LAMB. SCHAFNAB *ad an.* 1073. Villam, viris fortibus, vallis & ſeris vndique munitam incurſare, haud ſatis tutum putabatur. Et RVTILIVS NVMATIANVS in Itiner. *Nunc villæ ingentes, oppida parua prius.* Ceterum, *villæ*, æuo medio, aliæ fuerant *priuatæ*, aliæ *publicæ*, quæ & *regiæ villæ*. *Priuatæ*, vici fuerunt nobilium, LAD. *lib. I. cap.* 9. 11. *lib. II. cap.* 4. 5. quæ & *villæ ſeruientium*, AND. III. *art.* 3. 15. dicebantur. *Villæ publicæ*, vel ob palatium regium, ibidem conſtructum; vel quia fiſco regio adſcriptæ fuerunt, etiam *villæ regiæ* adpellabantur, in quibus, quoniam conuentus publici, vel negotia publica, exceptiones puta legatorum, conceſſiones, & confirmationes priuilegiorum celebrabantur, *Villæ publicæ*, *publica* item *palatia*, dicta ſunt: quamuis interdum, ſub nudo loci, aut villæ nomine, ſine *Regii*, vel *publici* adiectione, compareant. GODEFRED. ABBAS, *Chronic. Gottuicens. Lib. III. cap. I. f.* 444. 446. Hinc HENRICVS VALESIVS, *Rer. Francic. Lib. XI. ad an.* 584. Has villas, *auctores rerum noſtrarum*, nunc villas publicas, vt diſtinguat a priuatis, nunc quod ad fiſcum pertinerent, *fiſcos & fiſci Regii villas*, adpellant. Non pauci etiam eas *Villas Palatii*, vel *Palatia* cognominant, propterea, quod Reges Francorum, ibi palatia habere conſueuerant.

f.) VILLANI proprie, apud ſcriptores æui inferioris dicuntur, qui villæ, ſeu glebæ adſcripti ſunt, & vilis ſeruiliſque habebantur conditionis, quique vt ſerui, in commercio erant, & cum villis atque prædiis vendebantur. S. LADISL. *Lib. I. cap. II.* 19. *Lib. II. cap.* 4. 5. diſtincti ab *hoſpitibus*, qui ſæpe, in vna villa ſimul cohabitauerunt. *C.* 25. quibus, qui præerant, *Villici*, id eſt villarum prouiſores, *cap. eod.* dicebantur. Conf. du FRESNE *gloſſ.* voce *Villanus*, *Villicus*. In Regum Hung. Diplomatibus, non raro, prætores vrbium, ſeu conſules, *Villicorum* nomine inſigniuntur.

g.) MARCA, pondus eſt auri, vel argenti, quo vtuntur omnes ii, qui adpenſas merces venditant, du FRESNE *gloſſar.* voce *Marca*. Pro regionum ratione, diuerſa eſt, a qua marca *Hungarorum* diſcrepat. *Marca* namque *auri*, adpendit 72. florenos. TRIP. *P. II. tit.* 73. *argenti* vero, ſi grauioris eſt ponderis, florenos 4. *Tit.* 28. ſin leuioris, florenum vnum, *Tit.* 82. Hinc *marcæ Hungarorum homagiales* 50, florenos 200. efficiunt. Tit. 70, *Tranſiluanorum* autem 66, totidem florenos, exceptis iuridicis grauaminibus in proceſſibus octaualibus, in quibus, marca vna, 400. denariis, ſeu 4. florenis, Hungarorum more, redimi ſolet. TRIP. *P. III. Tit.* 3. ſicut & apud *Siculos*. Tit. 4.

§. IV. *Basilius Abbas* (h) de *Curru*, impetiit quosdam pro furto, ſcilicet *Baztbu* de *Peles*. Item *Adrianum*, *Laurentium*, *Bubtem*, *Micon*, *Tekze*, *Vduor*, *Ambroſium*, *Bencü* de *Vecher*, de villa *Cheke*. Item *Homodoy*, de villa *Horz*. Qui, *duma* (i) *Nicolao* Comite Palatino facta diſcuſſione, ad iudicium ferri candentis, *Varadinum* eſſent, in ſeptimana, *Domine in tua miſericordia*, per *Priſtaldum*, nomine *Chepanum*, de villa *Ladan*, directi, non venerunt, & præ-nominatus iudex reſcripſit de eis, quod ſcriberentur pro condemnatis.

§. V. *Reynold*, de villa *Sucta*, impetit *Joannem* & *Achyamanum*, *Vilalmum*, & *Ornoltum* de villa *Buntii*, de occiſione ſui filii, iudicibus *Martino*, Curiali Comite de nouo Caſtro, & *Gipolto*, *Teotomeo*, (k) hoſpite reginæ, *Priſtaldis*, alio *Acyamano* de villa *Buntü*, & *Laurentio*, de villa *Henſy*. Prædicti homines, *Joannes*, *Achyamanus*, *Vilalmus*, & *Ornoltus*, portato ferro iuſtificati ſunt.

§. VI. *Priuatus* de villa *Iuren*, impetiit *Vocam* de villa *Pereznek* pro furto, iudice *Tobia*, (l) Curiali Comite de *Zolnuk*, Priſtaldo *Giliano* de villa *Voznad*. Fur *Voka*, portato ſerro combuſtus eſt.

§. VII. Villani de *Nyr*, qui ſunt (m) piſtores caſtri *Zolnuk*, impetierunt quosdam (n) liberos homines eiusdem villæ, ſcilicet, *Fecieten*, *Agya*, *Michaëlem*,



h.) Abbatiæ de CVRRV, iuxta fluvium Körös, SZENTIVÁNY *Diſſertat. Paralipom. Catal.* 34. meminit, atque ante eum, PETRVS PÁZMÁNY Cardin. in *Decretis Synodi Diœces. Strigoniens. Appendice II. p.* 107. inter Abbatias incerti Ordinis. CVRRV, inquit, *in Varadienſi Diœceſi iuxta flumen Kôrôs viguit* 1216.

i.) NICOLAVS, regni Hungariæ Palatinus, & Comes Sopronienſis, qui anno 1220. regnante ANDREA II. floruit, intelligendus eſt. Alter namque NICOLAVS Comes peræque Sopronienſis, & Julæ frater, ad annum 1226. referri debet. JONGELINVS *Catalog. Palatin.* apud RÉVAM f. 153.

k.) HOSPITES apud Hungaros dicuntur, partim inductæ, ex vicinis regionibus, coloniæ, S. STEPHAN. Decr. Lib. I. tit. 6. ANDREAE II. *Decr. an.* 1222. *art. II.* partim villarum oppidorumque incolæ, quos alii *manſionarios* vocant, qui ſcilicet domos incolunt, ſub cenſu annuo, S. STEPHAN. *Decr. Lib. II. tit.* 22. S. LADISL. *Decr. Lib. I. cap.* 25. Differunt ii a *ſeruis*, ſeu glebæ adſcriptis, colonisque accenſentur. du FRESNE *Gloſſar.* voce, *Hoſpes*. Crebrum, in diplomatibus regum Hung. vocabulum, in primis, dum liberarum villarum, oppidorum, vrbiumque priuilegia perſcribuntur.

l.) COMITES CVRIALES ii ſunt, qui hodie *aulæ præfecti*, adeoque *iudices aulici*, probe, a *Comitibus Curiæ*, ſeu *aulæ regiæ* iudicibus, qui apud ANDREAM II. *Decr. an* 1222. *art.* 6. per excellentiam, *Comites curiales* dicuntur; ſicut & a *Comitibus Parochianis*, qui *Comitatuum* erant præſides, *ibidem art.* 5. diſtinguendi. Teſtatur id *Charta* BELAE regis, *Archiabbat. S. Martini* conceſſa.

m.) Cuilibet caſtro, ſua adſcripta fuiſſe miniſteria, ex BELAE Regis priuilegio, quod *Archiabbatiæ* S. MARTINI datum eſt, cognoſcitur. Recenſentur in his 1.) *Jobbagiones* equeſtres, qui ſeruiebant equis. 2.) *Vduarnici.* 3.) *Coqui.* 4.) *Equeſtres* ſeruientes, qui portabant currus oneratos monaſterii. 5.) *Pelliparii*, qui in officina monaſterii ſeruitium faciebant pellipariorum. 6.) *Tornatores.* 7.) *Thauernici.* 8.) *Præcones.* 9.) *Piſtores.* 10.) *Sutores.* 11.) Qui parant *marcium*, alias *Braxatores* dicti. 12.) *Fabri.* 13.) *Carpentarii.* 14.) *Stratores.* 15.) *Jobagiones* liberi. 16.) *Agazones.* 17.) *Sacriferi.* 18.) *Buckari.* 19.) *Vinitores.* 20.) *Pulſatores.* 21.) *Paſtores ouium.* 22.) *Libertini.* 23.) *Piſcatores.* 24.) *Subulci.* 25.) *Venatores.* En! vnius cœnobii miniſteria.

n.) LIBERI *homines* dicuntur, qui nulli ſeruituti obnoxii ſunt. Duplex fuit eorum ordo. Quidam erant *liberi* & *nobiles*, quibus libertas a S. STEPHANO conceſſa,

*lem*, & alios ejusdem generis, dicentes eos (o) extorres. Illi autem e contra dixerunt ſe habere terram communem, cum caſtrenſibus, a prima occupatione ſui generis, iudice *Nicolao Palatino Comite*, Priſtaldo *Dettre* de villa *Maysa*. Homo caſtrenſium, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. VIII. *Gugus* Priſtaldus, vt ipſe dixit de ſe, *Jacobi* Vacienſis Epiſcopi, ſtatuit ante nos quendam nomine *Ipolitum* de villa *Sáp*, aſſerens, quod ipſe *Ipolitus* impetiiſſet conuillanos ſuos, ſcilicet, Jacob, Paulum, Moynolt, Crispen, Martinum & Dominicum, dicens; quod araſſent per violentiam terram ſuam emptitiam. Illi autem reſpondiſſent, eandem terram ad tria aratra, non emptione, ſed (p) vadio ipſum *Ipolitum* poſſediſſe. Præfatus itaque Epiſcopus, ipſo videlicet *Gugus* Priſtaldo conſtituto, miſiſſet vtramque partem *Varadinum*, ad examen ferri candentis, dato termino in octava S. Regis Stephani, & *Ipolitus* quidem, cum prænominato Priſtaldo ſuo *Gugus*, Varadini fuit, paratus candens ferrum portare. Aduerſarii autem ejus in eadem ſeptimana non comparuerunt.

§. IX. Abbas de loco (q) *Triskaj* monaſterio, litigavit cum Abbate monaſterii *Porozló*, & (r) patrono eiusdem Eccleſiæ, ſcilicet *Boroskun*, pro *viginti* mar-

ceſſa, DECRER. Lib. I. cap. 4. & ab ANDREA II. *Decr. an* 1222. *præfat.* confirmata fuit. qui, quoniam omnium ſunt præſtantiſſimi, *Nobiles regni*, ANDREAE II. *præf. & art.* 8. & quia in bello regi regnoque ſeruiunt, *ſeruientes*, ANDREAE II. art. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 10. 15. 18. vocabantur. Hinc *liberi homines* apud Alemannos nobiliores, Frey=Herren dicuntur, BRVNO, *de bello Saxonico*. Alii, *liberi* quidem erant; at, *non nobiles*, qui ſub patrocinio alicuius degebant, neque omnino ſui iuris erant. S. LADISL. *Lib. I. cap.* 27. 30. Proprie autem *liberi* dicti videntur, qui ex ſeruis manumiſſis, originem traxerant. S. LAD. *l. c.* quorum conditio, vbique, etiam in iudiciis, longe melior fuerat, quam *ſeruorum*, S. LAD. *Lib. II. c.* 14. Iſtos hodie *libertinos* adpellare, moris eſt, CONST. 1542. *art.* 24. 1554. *art.* 4.

o.) EXTORRES, apud CYPRIANVM Epiſt. 19. 20. dicuntur, qui, vt CHRISTI fidem ſaluam cuſtodirent, neue religionis diſpendium paterentur; bona ſua, fiſco poſſidenda dimittebant, caroſque ſuos, dulcemque patriam relinquentes, in externas regiones migrabant.

p.) VADIVM, vel *Wadium*, ſeu *Quadium*, vadimonium, pignus, vel *fideiuſſionem*, ſiue rem, quæ pignori dabatur, ſignificat, du FRESNE *Gloſſar.* voce *Vadium*. Hinc enatæ ſunt in iure formulæ: *vadiare*, id eſt *pignorare*. CONCILIVM INSVLANVM an 1224 c. 9: *inuadiare* id eſt, *pignori ponere*. LEGES EDVARDI Reg. Angl. c. 35. *diſuadiare*, id eſt, rem oppignoratam redimere. CHRONOL. *Auguſtin Cantorber.* Terra itaque *vadio* quæſita, opponitur emptitiæ. Ceteroquin, frequens, in decretis mentio eſt, inuagiationis & abuagiationis pecorum. De qua re, nobilis vir, & iuris patrii conſultiſſimus, PAVLLVS PRILECZKY *de eadem*, peculiari, eoque pragmatico tractatu, egit. *Poſonii*, 1735. forma quadrip.

q.) Abbatia TRISKAI, alias de *Tereskö*, fuit ordinis *S. Benedicti*, vti adſerit PETRVS PAZMÁNY, Append. I. p. 86. vt mirum ſit, retuliſſe eam poſtea, Append. II. p. 107. in illarum catalogo, quæ ſunt incerti ordinis: niſi reuera differant *Triſkai*, & *Tereskö*, quod alii diſputent. De Abbatia POROSZLÓ, idem, ibidem, *in Comitatu Marmaros viguit anno* 1216. hoc eſt, ætate ANDREAE II. Adde, MARTINI SZENTIVÁNY S. I. Diſſert. Paralipom. Catal. LII. 117. b.

r.) PATRONVS Eccleſiæ dicitur, cui ius honorificum, oneroſum, & vtile, in Eccleſia competit, propterea: quod eam, indultu aut conſenſu diœceſani, fundauerit, dotauerit, vel conſtruxerit. MATTHÆVS VILLANEVS *Lib. I. cap.* 33. *Lib. IX. cap.* 98.

s.) COMITES

*marcis*, coram *Bacione* (s) Comite, Iudice a rege (t) delegato, Priſtaldo *Primus* de villa *Vosyan*, qui ad examen ferri candentis directi, taliter conuenerunt; quod *Abbas de Porosźló*, & *Borokun*, darent Abbati monaſterii *Triskaj*, ſex marcas, & idem conuenerunt dare vnam marcam Priſtaldo, partem vero iudicis, *Abbas Triskay* perſoluere teneretur.

§. X. *Petrus* Joubagio (u) caſtri *Borſod*, impetiit caſtrenſes eiuſdem caſtri, ſcilicet de villa *Beleta*, & de villa *Lanczü*, & de villa *Mulchun*, & de villa *Zudeſthan*, & de villa *Shazka*, dicens, quod officium eorum eſſet (v) carceres cuſtodire. Illi autem e contrario dixerunt, quod (x) milites quidem caſtri eſſent ad belligerandum, non ad carcerem cuſtodiendum. Quos *Theodor* Comes eorum diſcutiens, per Priſtaldum nomine *Stephanum* de villa *Németh*, miſit ad examen ferri candentis *Varadinum*, vbi prædictus *Petrus* renunciauit iudicio ferri candentis, dicens etiam, caſtrenſes de prænominatis villis, falſo de cuſtodia carceris impetiiſſe.

Ddd §. XI.

s.) COMITES aulæ Romanæ, ac imperatorii palatii proceres, a comitando primum dicti ſunt: quod ii principem ſectarentur, eiuſque lateri adhærerent; ſeu domi maneret, ſeu in expeditionem proficiſceretur. SPARTIANVS *in Hadriano.* Poſtea, cum ex eorum numero adſumerentur, qui, ad regendas prouincias mittebantur; *Comites* quoque *prouinciales* dicti ſunt. SALMASIVS *ad Spartianum p.* 47. 48. *Capit. I.* CAROLI M. ad an. 802. qui, quoniam iudicia, in prouinciis, oppidis, caſtris, villiſque exercebant, interdum Comites iidem dicuntur, qui & iudices. Hoc ſenſu THEODOR, Comes militum caſtrenſium *de Borsod.* §. 10. & MERTH, comes *Theutonicorum* §. 37. adpellantur.

t.) Iudices delegati, in cauſſis extraordinariis, iuſſu regio ſolent delegari. CONSTIT. *an.* 1715. *Art.* 17.

u.) Caſtra vocabant, ſcriptores æui medii, oppida, a quibus, comitatus Hungariæ, potiſſimum ſumebant denominationem. Ita apud THVRÓTZIVM *P. II. cap.* 60. caſtrum *Zemlin*, caſtrum *Poſon. cap.* 65. & in ANDREAE II. *art.* 14. comes & populi caſtri, quo nomine, cæteræ quoque vrbes, quæ ciuitatis, id eſt, epiſcopatus ius non habebant, intelliguntur: ſicuti eſt *Caſtrum nouum*, apud eundem *cap.* 6. & in ANDREAE II. *Decr. art.* 19. caſtrorum Iobagyones. Interdum hoc nomine principis palatia, vel regiæ poteſtati ſubiecta oppida, exprimuntur, du FRESNE *gloſſar.* voce *Caſtrum.*

vv.) CARCERVM cuſtodia, inter caſtri refertur officia. *vid. ad* §. 7. *not. m.* Scilicet, *carceris cuſtodes*, coniectos in vincula, vel cuſtodiam, obſeruabant, adpellabanturque æuo medio, *carcerarii*, in lege WISIGOTH. *Lib. VII. Tit.* 4. §. 3. quo nomine, interdum ipſimet rei, carceri incluſi, nominabantur, GREG. TVRON *de vitis Patrum*, *cap.* 8. & *cuſtodes captorum.* ad quam tenebantur ex lege, non ſolum vrbium, & oppidorum incolæ, verum caſtrorum etiam homines. Du FRESNE *gloſſar.* voce *Cuſtodia captorum.*

x.) MILITES, apud ſcriptores inferioris ætatis, ii ſunt potiſſimum, qui militari accincti erant cingulo, & vulgo *Cheualier* adpellantur. FVLCHERIVS CARNOTENSIS, *Lib. II. Hiſt. Hieroſol. cap.* 31. Ceterum, omnes illi, qui principi, in quolibet officio, ſeu in qualibet dignitate palatina, ciuili aut militari, ſeruiebant, eius milites eſſe, eique militare dicebantur. SELDENVS, *de titulis honorariis*, *P. II. cap.* 5. §. 33. Poſtmodum militia iſta ciuilis, ad militarem vnice relata eſt dignitatem; ita, vt, qui alicui in bellis militaret, ac mereret, eius eſſe miles diceretur; maxime vero, qui beneficii ſeu feudi alicuius ratione, ſeruitio militari obſtricti erant. LVITPRAND. *in Chron. Lib.* 5. *cap.* 14. Tales fuere caſtri milites, qui partim præſidio fuerant in caſtro, partim belli tempore, pro caſtri domino militabant, & propterea, fundos in caſtri dynaſtia liberos, poſſidebant. Hinc *Prædialiſtarum*, in Hungaria origo. Vide operis noſtri Tom. II. p. 284.

 y.) CA-

§. XI. CASTRENSES (y) *Dubukaj*, de villa *Mocby*, coadiuuantibus eum castri (z) Joubagionibus, scil: *Queduelen*, *Tynta & Petrus*, impetierunt *Cunpurdinum* filium *Teleguen*, dicentes, quod ipse esset extorris, & terram eorum vi occupasset. Ille autem dixit, dimidiam partem ejusdem terræ iure hæreditario sibi attinere. Quos *Demetrius* (a) Magister, præcepto Regis discutiens per Pristaldum nomine *Adrianum* de villa *Scil*, ad examen ferri candentis misit *Varadinum*, vbi prædicti Castrenses, cum nominatis Joubagionibus eorum, subterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes, dimidietatem supradictæ terræ, præfato *Cumpurdino* Iure (b) patronatus, sicut ipse astruebat, attinere.

§. XII. *Zugna*, de villa *Fecie*, impetiit *Zemert*, de villa *Vraka*, de (c) furto, iudice *Cumazan*, Curiali Comite de *Zobolcb*, Pristaldo *Karacbun*, de villa *Ekulcb*, Prædictus fur *Zemer*, Varadini portato ferro combustus est.

§. XIII.

---

y.) CASTRENSES, & *castrensiani*, ministri erant castrorum, & aulæ regiæ, CODIC. THEOD. *Leg.* 12. TERTVLLIANVS *de corona cap.* 12. quibus LAMPRIDIVS in SEVERO accenset fullones, vestitores, pictores, pincernas, *cet.* Hoc nomine, æuo inferiore adpellabantur, vel, qui castri feuda possidebant, IVS FEVDALE SAXONIC. *cap.* 37; vel castri incolæ, qui a ciuibus, id est *oppidi*, vel *burgi* incolis, distinguuntur, GOLDASTVS *Constit. Imperial. Tom. I. p.* 314. *in Decreto* RVDOLPH. *Imper. ad an.* 1285; vel milites in castro præsidiarii, du FRESNE, *glossar.* voce *Castrensis.* Singulæ hæ significationes, occurrunt in *Diplomatibus*, & *Decretis* Hungaricis.

z.) JOVBAGIONES, *Jobagiones*, seu *Jobagyones*, Hungaris dicuntur coloni, ruricolæ, atque adeo ipsa mancipia, LVDOVIC. I. *Decr. an.* 1351. *art.* 16. SIGISMVND. *Decr. V. an.* 1435. *art.* 2. ALBERTVS MOLNÁR, & FRANC. PARIZ PAPAI voce *Jobbágy.* quæ vox, anne a *Jobb ágy*, *melior est lectus*, vel, a *Jobb adj*, *melius si dederis*, rectius deriuetur: lectoris beneuoli iudicio permitto. Certe nomen hoc, in populo Hungarico, tunc subortum est, quum imbelles, prælia & certamina subterfugientes, in perpetuam coniecti fuerunt seruitutem. THVRÓTZIVS *Chron. P. I. cap.* 10. VERBÖTZIVS *Trip. P. I. Tit.* 3. qui, isto nomine, hac potissimum de caussa adpellati sunt: quod, vel quies, vel tributum, multo iis gratiora fuere, quam belli molestiæ. Sunt vero *Jobagiones* iidem, qui serui. LVDOVIC. *I. Decret. art.* 6. iique diuersi; JOBAGYONES, inquam, ad regiam, vel reginalem celsitudinem pertinentes, LVDOVIC *I. Decret. art.* 16. JOBAGYONES Ecclesiastici *art.* 6. JOBAGYONES castrorum, seu dynastiæ, ANDR. II. *Decr. an.* 1222. *art.* 19. JOBAGYONES item nobilium, ALBERT. *Decret. art.* 28. Ceterum, *Nobiles* quoque Hungariæ, *Jobagyones*, hoc est, Regis seruientes, seu vasalli adpellantur. ANDR. II. *Decret. art.* 10. 13. quo nomine, *Barones* regni potissimum intelliguntur, *art.* 30. 31. subindeque, *Jobagyones habentes honorem*, dicuntur, *ibid. art.* 10.

a.) MAGISTRI nomine veniunt, apud *Hungaros*; partim, qui officia in pallatio regio præstant, sicuti, MAGISTER Thauernicorum, Janitorum, Pincernarum, Dapiferorum, Cubicaliorum, Curiæ, & Agazonum, quibus locus inter *Barones* regni conceditur, VERBÖTZIVS *Trip. P. I. tit.* 94; partim *Iudicum regni* vicem gerentes, qui & *Magistri* Protonotarii. CONSTIT. 1681. *art.* 40. Interdum Magistrorum nomine, alia, in regis vel optimatum curiis, officia exprimuntur, de quibus *infra.*

b.) De iure patronatus & Patrono, supra, §. 8. not. r.

c.) Nullum scelus, apud *Hungaros*, tam seueris, æuo medio, coercitum erat legibus, quam furtum. Gens namque, bello, & rapinis adsueta, quum inuectis in regnum *Christianis* moribus, a ferocitate, ad mansuetudinem prouocaretur: tantum abest, vt protinus barbarum impiumque exuerit animum; vt, sub incunabilis etiam *Christianismi*, in furta, rapinas, & latrocinia fuerit prona. Hæc igitur caussa est, quare S. STEPHANVS, S. LADISLAVS, & COLOMANVS, tantas, aduersus furta, leges tulerint, & grauissimas in fures dictauerint pœnas, de quibus *ad* §. 18. *not.* s.

d.) MAN-

§. XIII. *Paul*, Sacerdos de villa *Duba*, impetiit conuillanam ſuam vxorem *Lodmer* dicens, quod cum ancillam quandam (d) vendiderat, illa nondum pretium perſoluit. Quoniam eadem ancilla, inſtinctu eiuſdem viduæ, res ipſius furtim ſubripiens aufugerit, cuius facti, cum præfata vidua ſe ignaram eſſe contendens, *Curialis Comes de Zounuk*, nomine *Vitalis*, de ancilla, & rebus ſubreptis, de *Paulo ſacerdote*, valentibus quatuor marcas, & quatuor (e) pondа argenti, diſcutiens per Priſtaldum *Numbiz*, de villa *Chumburd*, miſit ad examen ferri candentis Varadinum, vbi (f) homo *Pauli ſacerdotis*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. XIV. *Matthias* Comes, impetiit *Benedictum*, de villa *Cheby*, pro (g) furtiuo equo, quem equum prædictus *Benedictus* dixit ab eodem Comite pro (h) ſeruitio ſuo poſſediſſe. Quos *Forcaſius*, curialis Comes de *Bichor* diſcutiens per Priſtaldum ſuum *Hegud*, de villa *Bichor*, miſit ad examen ferri candentis Varadinum, vbi *Benedictus* portato ferro iuſtificatus eſt.

§. XV. *Fabianus*, de villa *Beka*, impetiit *Samſonem*, de genere (i) *Opour*, de damno triginta marcarum, iudice *Fila*, (k) comite vicario *Nicolai* Palatini comitis, Priſtaldo *Paulo* de villa *Ynata*. Prædicti aduerſantes Varadinum ad examen ferri candentis directi, taliter ibi conveniunt, quod præfatus *Sampſon*, redderet aduerſario ſuo tria (l) capita hominum, quos abſtulerat, & decem

 bo-

d.) Mancipia, ſeu *ſeruos*, qui Romanorum more vendebantur emebanturque, fuiſſe apud *Hungaros*, ex vetuſtis regum legibus eſt cognoſcere, quorum diſcrimen ad §.20. not. u. exponitur vberius. Ceterum, inter cauſſas, propter quas puellæ in ſeruitutem redigebantur, præcipuæ ſunt: concubinatus, & furtum. *Si quis autem Presbyter, ancillam ſuam, vxoris in locum, ſibi aſſociauerit: vendat, & ſi noluerit, venundetur, & pretium eius, ad Epiſcopum transferatur.* S. Lad. Lib. I. cap. 2. Item: *Si quæ innupta puella furtum fecerit, venundetur, & nunquam ad libertatem redeat.* S. Lad. Lib. III. cap. 7.

e.) Pondo, & *pondum*, promiſcue æuo dicitur medio, adhibeturque fere ſemper, in veteribus tabulis, de argenti libra, ſicuti libra, de auri. Id quod obſeruat du Fresne *gloſſar.* voce *Pondo*, *pondagium.*

f.) Homines, cadente latinitate, generatim dicti ſunt, qui alterius dominio, quauis ratione fuerant ſubiecti, ſeu eſſent ii, ſeruilis conditionis, ſeu ingenuæ, ſeu obſequii ac ſeruitii nexu, adeoque ratione debitæ fidelitatis, ſuperioribus dominis ſubditi, du Fresne *gloſſar.* voce *Homo.*

g.) Equorum furta, fune eſſe punienda, communis Hungarorum lex decreuit. *Fur ille, ſi dixerit in foro libero, & communi, vel alibi, ſe equum emiſſe, & euictorem non potuerit ſtatuere, neque hoſpitem, vel alium quempiam, qui merci potum, hoc eſt, victimam emtionis & venditionis, more ſolito benedixiſſet, producere, patibulo reus erit.* Trip. *P. III. tit.* 34. quam legem conſuetudinariam, inde manaſſe credo, quod equorum miniſterio cum primis vterentur *Hungari*, in expeditionibus bellicis.

h.) Mos hic hodiedum, apud illuſtres, in *Hungaria*, & *Tranſiluania* viros obſeruabatur, vti dimiſſis exacto triennio, ab aula, ſeruis fidelibus, equus phaleratus, in fauoris teſtificationem, donaretur, qui tamen, poſt admiſſa miniſteria Germanica ſenſim euanuit.

i.) Vetuſta hæc eſt ſtirps, a duce *Opour*, qui in expeditione græca, ante *Toxum*, ad portam vſque Conſtantinopolitanam penetrauerat. Thúrótzivs *Chron. P. I. cap.* 26.

k.) Comes Vicarius Palatini, qui §. 20. *Vice-Palatinus* dicitur, Palatini in iudiciis vices ſupplebat. Const. 1518. *art.* 40. Talis fuit *Fila*, Nicolai Palatini, qui an. 1220. floruit, teſte Jongelino, *Catal. Palat. f.* 153. in iudiciis vicarius.

l.) Capvt dicitur, quodcunque in recenſione numerum efficit, Carolvs du Fresne

boues , & quadringentos ( m ) cubulos vini, de cubulo de *Sumugy* , & quinquaginta cubulos filiginis, quatuor ( n ) palmorum , & idem fatisfaceret iudici: partem autem Priftaldi , *Fabiano* dare conuenit.

§. XVI. *Scymcba* ( o ) procurator *Defiderii* Epifcopi de villa *Tomona* , litigauit cum quodam de eadem villa , nomine *Kezed* , dicens , quod pecuniam fratris fui fine hærede mortui , centum (p) penfas valentem , occultaffet, iudice *Defiderio* Epifcopo , Priftaldo *Scema* de fupradicta villa , prænominatus *Kezed* , portato candenti ferro Varadini iuftificatus eft.

§. XVII. ( q ) AGAZONES Regis , de villa *Zecul* , fcilicet *Teka*, *Tobias* , im-

---

FRESNE *gloffar. Latin. med.* voce *Caput f.* 822. Præcipue, ea vox vfurpatur, in armentis & gregibus. GREGORIVS M. lib. X. ep. 12. *In peculio capita* 15. *armenti capita* 2. *ferramenta numero* 5. Maxime autem omnium , de hominibus , vti hoc loco.

m ) CVBVLVS vini , menfura eft vinaria , apud Hungaros *Vödör* , lingua vernacula dicta , & amphora , feu vrna , multo amplior. vid. INNOC. III. *P. P. lib.* 15. *ep.* 7. Ceterum , *amphora Sümegienfis* , reliquis multo eft amplior , cuius adhuc in vinetis *Balatonienfibus* vfus eft.

n.) PALMVS *maior* , duodecim ; *minor* , quatuor digitorum eft. Maior *Spithama* vocatur , & *dodrans* Latinis : minor , Eine Spannen , einer Hand breit , vier Zoll. Vid. VITRVV. 2. 3. & 7. 4.

o.) PROCVRATOR , vicarius eft , feu locumtenens , qui alterius vices gerit. PETRVS BLESENSIS , ep. 47. *Nunquam tibi exhibuit fe dominum , fiue regem , fed quafi procuratorem regni tui.* Subinde PROCVRATOR eft , qui conuiuio excipit , vel conuiuium adparat ; interdum magiftratus publicus , qui *procurator* reipublicæ dicitur. Quo fenfu Epifcopi quoque procuratores ecclefiarum fuarum , fe fe infcribebant. CAROLVS du FRESNE *gloffar.* voce *Procurator f.* 435. Ergo, non femper *aduocatum* notat.

p.) PENSA , vel *penfum* , pondus eft , quod ex Charta DAGOBERTI Regis apud *Doubletum* p. 661. elucet. *Auri puriffimi decem libras , ac argenti probatiffimi pondo viginti , ad penfum noftri palatii , foluere cogatur.* Vbi Charta LVDOVICI *Pii* , apud eundem *p.* 736. habet: *ad* pondus noftri palatii. Ponderabat ea , pro diuerfitate ponderum , vel libram , vel vnciam. Ita LEO OST. *lib. I. cap.* 57. *Cochlearia argentea tria , penfo libræ vnius æftimat.* Apud *Hungaros* , PENSA vnam vnciam , feu *lothones* duos æquabat , quod ex CAROLI I. Decreto p. 46. cognofcitur. Vbi : *De vna marca fini argenti , duodecim penfæ incidantur* ( denariorum ) *& octo penfæ ex iisdem , & non plures.* Scilicet, regnante CAROLO I. *Marca argenti* montana, duodecim ; *Budenfis* , octo penfarum , feu vnciarum , erat. Nunc , *Montanorum* marca, feptem ; *Budenfis* etiamnum , octo penfas valet. *Vid. Not. margin.* ad CAROLI I. *Decret. p.* 46. Ceterum , *Penfa* nude pofita , *penfam* argenti fignificat. Cuius pretium , ficuti argentum eft rude , vel depuratum , a 40. ad 100. denarios excreuit. Nunc puri argenti penfa , valet 120. denarios, id eft , lothones duos. Vid. *Not. ad Corpus Juris. p.* 27. Quomodo intelligenda funt regum decreta , apud S. LAD. *lib. I. cap.* 14. 2. §. 29. 42. *lib.* 2. *cap.* 3. 4. 5. 6. *lib. III. cap.* 2. 3. 5. 9. 10. 15. 18. 20. 21. 23. 25. 26. 28. 29. Ea , in S. STEPHANI legibus , *Penfa auri* dicitur , fcilicet a denariis aureis , quibus vnius floreni pretium ftatutum eft , CAROLI I. *Decr. p.* 45. Hinc homicidium *cafuale* , duodecim; S. STEPHAN. *Decr. lib. II. cap.* 13. *voluntarium* 110. penfis , *cap.* 16. redimebatur , hoc eft : illud 12. hoc 110. florenis.

q.) AGAZONES, ex græco ἀγάζων deriuati, miniftri funt & ferui , qui curant & agunt iumenta. LIVIVS , 43. 5. Horum , apud *Hungaros* , quidam ad *Regis* , quidam ad *Optimatum* fpectabant curiam. Hinc , alii funt Agazones *regii* , & *reginæ* , ANDR. II. *Decr. an.* 1222. *art.* 15. alii *Procerum* Regni , de quibus ex *transfumto* BELAE Regis *ad* §. 7. not. m. dictum eft. Prioribus, *Magiftri Agazonum* regiorum , & reginalium , præerant. LVD. I. *Decr. art.* 25. quæ dignitas, *Regni Baronibus* eft adnumerata. VERBÖTZ TRIP. *P. I. Tit.* 94.

r.) Ta-

impetierunt (r) *Tavernicos* Regis, de eadem villa, scilicet *Zotam* & *Thomam*, dicentes, quod extorres essent. Quos *Demetrius* Magister, præcepto Regis discutiens, per Pristaldum suum *Martinum* de villa *Edelen*, direxit ad examen ferri candentis Varadinum, vbi prædicti *Agazones* conueniunt dare *Tauarnicis* medietatem terræ illius metis impositis, & iudici communiter satisfacere, Pristaldi vero partem soli *Tauarnici* persoluerent.

§. XVIII. *Touanka*, filius *Barlay*, impetiit Joubagiones *Sebastiani de Pou*, scilicet, *Michaëlem* & *Kepam*, filios *Nicolai*, de (s) furto, iudice *Nicolao Palatino* comite, Pristaldo *Cepam*, de villa *Ladan*. Prædicti fures, portato ferro, combusti sunt. Sed *Michaël* confugit ad Ecclesiam.

§. XIX. *Nixa*, de villa *Nema*, impetiit quendam nomine *Budev*, de alia villa *Nema*, pro furto, iudice *Nicolao Comite de Geuru*, Pristaldo *Gregorio* de Ciuitate (t) *Geuru*, prædictus *Budeu*, portato ferro, antequam solueretur, aufugit.

§. XX. *Eel*, filius *Scema* de villa *Eel*, genus *Capatani*, impetiit quendam de villa

Eee

---

r.) TAVERNICVS, seu Tauornicus, Hungaris *Tárnok*, a voce *tár* descendit. Promtuarium, seu ærarium, hoc nomine exprimitur. Vnde enata sunt vocabula: *Tár ház*, penu, ærarium; *Tár szekér*, currus, quo commeatus conuehuntur. Quorum, quia in castris vsus est maximus; non dubitauit JOAN. SZEGEDI S. I. *in Rubricis Iur. Hung.* ad TRIP. *P. I. tit.* 10. *p.* 25. *Tauernicum*, quasi *Tábornicum*, a voce *tábor*, id est, *castris*, deriuare; sicuti etiam *tauernici*, & *tábornici*, promiscue scribuntur. Elucet hinc, *Tauernicos* eosdem esse, qui & *Camerarii*. Quod cognoscitur ex ROGERIO, *de Destruct. Hung. per Tart. cap.* 10. *Qui autem potentiores erant, sicuti Tauernicus, qui & Camerarius.* THVROTZIO item, *Chron. P. V. cap.* 67. vbi ærarium, seu cameram MATTHIÆ regis, *domum* adpellat *tauernicalem*. *Domus* inquit ille, *tauernicalis, & mensa regis huius, tantis ornatibus & clenodiis, tantis apparatibus, tantis aureis & argenteis nitet vasis & poculis: vt nullus regum Hungariæ, in his rebus tam gloriosus fuisse credatur.* Erant vero *Tauernici* duplicis conditionis. 1.) *Regis & Reginæ*, § 20. 21. Ita in Charta ANDREAE II. An. 1291. *Saul & Saulus, filii Salamonis de villa Padan, Theber, Elias & Hareus, filii Ioka de eadem, regii nominantur* Tauernici. Quibus, qui præerant, *Magistri Tauernicorum* regiorum & reginalium, dicebantur. LVDOVIC. I. *Decr. art.* 25. 2.) *Optimatum*, in quorum curiis, inter reliqua castri ministeria, Tauernicos fuisse, ex *transumpto* BELAE regis, *ad* §. 7. *not. m.* obseruauimus.

s) Quanto crebriora, inter Hungaros, hac ætate, furta contingebant; tanto grauiores pœnæ, furibus, vel pro rerum, vel pro personarum conditione, dictabantur. Communes autem fuerant furti pœnæ: Sublatæ rei *Restitutio in duplo*, S. STEPH. *Lib. II. cap.* 42. 44. *Venundatio*, adeoque *seruitus*, S. STEPH. *Lib. II. art.* 39. 40. S. LAD. *Lib. I. cap.* 14. *Lib. III. cap.* 6. 7. *Nasi*, aut *manus* mutilatio, S. STEPH. *Lib. II. art.* 39. 40. S. LAD. *Lib. II. cap.* 10. *III. cap.* 6. Vnius *oculi* amissio, S. LAD. *Lib. III. cap.* 8. vel, *Mutilandorum membrorum*, datis, pœnæ loco, quinque iuuencis, redemtio. S. STEPH. *Lib. II. cap.* 39. Ad pœnæ exasperationem, regnante S. LADISLAO, *patibulum* est adiectum. *Lib. III. cap.* 12. Quando Clerici, hoc semet contaminabant scelere, moderata, quoad rem vilem, *castigatio*; quoad pretiosam vero, *exauctoratio*. S. LAD. *Lib. III. cap.* 13. Adi. §. 12. not. c.

t.) IAVRINVM, olim, *Geuru*, & *Geveverinum* dictum, inter villas regias locum habuit: sicut id, ex vetustis oppidi priuilegiis est cognoscere. Quod tamen, quia domus, in territorio collegii sacerdotum excitatæ, eidem fuerant innexæ; censum *capitulo* annuum, in signum dominii, soluebat; id quod, eadem oppidi condocent priuilegia.

u.) SER.

villa *Cuſta*, nomine *Oldurub*, dicens, ipſum (u) ſeruum ſuum eſſe, ille autem dixit ſe non eſſe ſuum ſeruum, ſed Tauornicorum Regis, & duxit conuillanos ſuos, cum Joubagionibus Tauernicorum, *Viuiano*, *Gregorio*, & *Ombud*, qui eum dixerunt ſuum eſſe contribulem, quorum vnus nomine *Daba*, ſpecialius dixit, eundem *Oldurub* ſuum eſſe cognatum, & portato pro illo ferro Varadini, iuſtificatus eſt, Judice *Maurino Vicepalatino*, Priſtaldo *Nicolao* de villa *Arpás*.

§. XXI. *Vrbanus*, *Martinus*, *Santus*, *Petrus*, & alii (vv) caſtrenſes de *Burſod*, impetierunt quosdam, ſcilicet, *Tum*, *Pouſam*, *Forkos*, *Manciam*, dicentes illos ſuos eſſe (x) contribules. Iſti autem reſponderunt ſe Regis eſſe *Tauernicos*, & tenuerunt cauſam eorum *Tauornici* Regis, ſcilicet *Forkos*, & *Moynolt* de villa *Tord*. Item, *Sixtus*, & *Hunda* de villa *Tauornuk*. Quibus a Comite *Gyula*, per Priſtaldum nomine *Chriſtophorum*, ad iudicium ferri candentis Varadinum deſtinatis, prænominatus *Moynolth*, ſecundum ſententiam iudicis, portato ferro, combuſtus eſt.

§. XXII. *Camb* impetiit *Paulum*, de duabus marcis, & portato ferro, Varadini, iuſtificatus eſt, iudice *Martino Comite*, Priſtaldo Domino *Budud*.

§. XXIII. *Medue* de villa *Kal*, impetiit *Alexandrum* de villa *Zub*, cum tribus (y) ſeruientibus eius. Item *Legerum*, *Vitalem*, & *Gyroltum*, de villa *Libe-*

---

u.) Servos, a ſeruientibus, ſeruitoribus, vetuſtæ Hungarorum leges, probe diſtinguunt. *Seruientes* namque, ſeu ſeruitores, erant ingenui, Trip. *P. I. tit.* 84. & ſubinde, vel in regis, vel in optimatum curia, S. Steph. *lib. II. cap.* 21. miniſtri, de quibus ſuo loco. *Servi* contra ea, in mancipiorum referebantur conditionem, erantque, vel inter *ſeruitia* coniecti, Steph. *lib. II. cap.* 27. vel *caſtro*, And. II. art. 19. aut *glebæ adſcripti*. Colom. *lib. I. cap.* 41. 44. qui poſtea, *coloni*, Trip. *P. III. tit.* 26. Sigism. *Decr. II. art.* 6 id eſt, *homines proprii*, ſeu ſubiecti, adpellantur: quamquam hoc nomine, ſeruientes, etiam ætate ſequente, exprimuntur. Const. 1543. *art.* 8. *ſequ.* Vtriusque conditionis ſerui, *Jobagiones* dicuntur. And. II. *art* 19. vid. ad §. 11. not. z. Seruitutis origo, partim, a primis gentis incunabulis, Trip. *P. I. tit.* 3. partim, a Religionis Chriſtianæ exordio, Andr. I. *leg.* 1. 9. deriuanda eſt. Quæ, propter feros & indomitos gentis mores, longo temporis tractu fuit in vſu. Cauſſæ ſeruitutis erant diuerſæ, ſcilicet 1.) *Contemtus* militiæ, Trip. *P. I. tit.* 3. & *Chriſtianæ* Religionis, Andr. I. *leg.* 1. 9. 2.) *Scelera publica*, veluti homicidium, S. Steph. *lib. II. cap.* 36. 37. *Furtum*, S. Steph. II. *cap.* 41. S. Lad. *lib. II. cap.* 12. *Concubinatus*, S. Lad. *lib. I. cap.* 2. *Iudicum* item in iudiciis *iniuſtitia* S. Lad. *lib. II. cap.* 6. 3.) *Nuptiæ*, cum ſeruo, vel ancilla initæ. Redi ad §. 13. not. d.

w) *Caſtrenſes*, ſeu miniſtri caſtri *Borſod*, a Jobagyonibus caſtri, probe diſtinguendi. vid. ad §. 11. not. y.

x.) Contribules, vel contribunales, ſeu contribuni, non dicuntur hoc loco conſanguinei ſeu cognati, ſicuti *Gloſſar. Iſidori* hanc vocem explicat; verum, conſocii, quaſi, qui ex eadem tribu. Ita, Tauernicorum contribules, a cognatis differunt.

y.) *Seruientes* ſunt miniſtri, a ſeruis, qui mancipiorum habebantur loco, curate diſtinguendi. Illi namque erant ingenui & liberi, *Trip. p. I. tit.* 84. hi, dominicæ ſubiecti poteſtati, vid. ad §. 20. not. *u*. Sunt autem ſeruientes diuerſæ conditionis, qui domino, vel domi, vel in militia ſeruiebant. Hinc ſeruientes erant, vel famuli, Fortunat. *ep.* 2. *ad Mumolenum lib.* 10. *Poem.* vel vaſalli, Matth. Paris. p. 396. vel milites pedites, Gesta Franc. *expugnat. Hieroſol. cap.* 46. vel milites equites, Rogervs Houed. *in Richard. I.* S. Steph. *lib.* 2. *cap.* 21. quorum Domini ſeniores dicebantur. S. Steph. l. c. Hoc nomine, nobiles etiam *Hungari* adpellantur propterea, quod partim in palatio regio, adminiſtri, partim in caſtris,

*Libeii*, pro occiſione Patris ſui *Forcaſii*, coram *Myca* comite *Bicorienſi* ſcilicet iudice, ab *Andrea* Rege delegato. Quos idem iudex, per Priſtaldum, nomine *Gylianum*, de villa *Vruz*, miſit ad iudicium ferri candentis Varadinum. Vbi impetrata licentia Regis, & prænominati iudicis, pacificati ſunt, & mutuo iuramento pacem firmauerunt, & *Alexander* conuenit ſatisfacere iudici, & in Feſto omnium Sanctorum dare aduerſario ſuo, nouem marcas, & tres Priſtaldo, Varadini ſimul pro ſe & pro ſeruientibus ſuis. Item, *Leger*, duas marcas aduerſario eidem, & vnam Priſtaldo *Gyrolt*, quatuor marcas dimidia minus, & vnam Priſtaldo, & ſatisfacere iudici, ſicut *Legar*; *Vitalis* quoque ſeptem marcas aduerſario, ex quibus tres iam dedit, quatuor autem daturus eſt in prædicto Feſto, ſicut alii tenentur. Priſtaldo vero iam ſatisfecit. Et ſi prædicto die, hæc omnia non perſoluerent, duplo dare tenerentur.

§. XXIV. Quidam nomine *Hubugunitbu*, vt ipſe dixit ſe vocari, (z) Priſtaldus, *Nicolai* Palatini Comitis, vt ipſe perhibuit de ſe. Statuit ante nos quendam nomine *Abſolonem*, de genere *Ratha*, de villa (a) *Tolna*, dicens, quod Joubagiones de *Zemlun*, ſcilicet, *Scema*, *Hodunogio*, *Mocud*, *Centurio*, *Degus* & *Chepanus*, Præfectus caſtri, requiſiuiſſent terram ipſius *Abſoloni*, nomine *Ság*, & terram eiusdem ad quatuor aratra in *Tolna*, pro terra caſtri, & exhibuit quendam de Joubagionibus eiusdem caſtri, nomine *Scentus*, quem ſupradictus iudex, vt ipſe dixit, iudicio ferrì candentis addixerat. Qui cum tranſacto (b) triduano ieiunio, ſicut *Moſen*, ad portandum candens ferrum acceſſiſſet, quidam nomine *Sumpon* præcedens, dixit ſe a prænominatis caſtri Joubagionibus eſſe directum, & ex parte illorum ſubterfugit iudicium ferri candentis, & memoratam terram, memorato *Abſoloni* remiſit, dicens, illam non eſſe terram caſtri.

§. XXV. *Chepanus*, de villa *Chula*, impetiit *Petrum* de villa *Vásárhel*, dicens, quod cum equus ſuus furto eſſet ſublatus, apud illum inueniſſet, & cum vellet equum ab eo recipere, & ipſum capere. Conuillani eius, & præcipue *Ipſa*, eum violenter (c) prohibuerunt. Quos *Olodarus*, curialis comes de *Zemlun*, diſcutiens per Priſtaldum, nomine *Coſmam* de villa *Velchea*, ad iudicium ferri candentis transmiſit Varadinum, vbi prænominatus *Chepanus*, cum præfato Priſtaldo, & homine ſuo ferrum portaturo, in ſeptimana, qua Feſtum S. Galli eſt celebratum, fuit Varadini. Aduerſarii autem eius, ſcilicet *Ipſa*, & *Petrus*, & conuillani eorum non comparuerunt.



ſtris, ſunt milites: quippe qui, pro rege ac regno militant. Andr. *II. an.* 1222. *art.* 3. 4. qua de re dictum ſæpius.

z.) Pristaldvs *Palatini*, miniſter fuit comitis Palatini, in iudiciis, & interdum, arbiter inter litigantes, *conf.* §. 1. 201. 224. 225.

a.) Villa Tolna, caput eſt comitatus Tolnenſis.

b.) In probatione ferri candentis, legitime accuſati, triduum, in ieiuniis, & oratione conſumere ſolebant, Boxhornivs *Hiſt. Vniuers. p.* 583. *ex MS. Codic. Anglic.*

c.) Fures atque latrones, *canum traſſantium*, id eſt, veſtigia proſequentium adminiculo, perueſtigabantur. Elucet id, ex lege *Reg. Maieſt. lib.* 4. *c.* 32. *Nullus perturbet aut impediat canem traſſantem, aut homines traſſantes cum ipſo, ad ſequendum latrones, aut ad capiendum malefactores.* Præmittebatur in villas nuncius; ne, inueſtigatores ſceleratorum veſtigia ſequuti, impedirentur. Alioquin, quinquaginta quinque penſis mulctabantur, qui furta atque latrocinia perueſtigantes; ſeu ex villanorum, ſeu ex militum numero, prohibuerant. S. Lad. *Lib. II. cap.* 5.

d.) Mos

§. XXVI. *Isou*, de villa *Fulian*, citauit *Marianum* de villa *Barana*, pro (d) eruitione oculorum ſuorum, ante *Nicolaum Palatinum Comitem*, vbi cum eſſent quidam boni homines de prouincia *Zounuc*, ſcilicet *Michaël* Comes de villa *Mortun*, & *Modorus* de villa *Pou*, & alii boni homines, impetrata licentia prænominati iudicis, reformauerunt inter eos pacem, & memoratus *Isou* dimiſit aduerſario ſuo *Martino* omnem inimicitiam ſuam, & pepigit, quod deinceps ſuper exoculatione ſua, nunquam eſſet litigaturus.

§. XXVII. Vxor *Scilak*, nomine *Cincea*, impetiit *Paulum* ſeruientem *Vbudu*, curialis *Micæ* Comitis, de occiſione (e) mariti ſui, iudice *Mica* Comite de *Bibor*, Priſtaldo *Fulcho*. Præfatus itaque *Paulus*, cum Domino ſuo & Priſtaldo fuit Varadini, ferrum candens portaturus, memorata vero aduerſaria non comparuit, neque excuſatorem miſit.

§. XXVIII. *Chepanus* de villa *Bogdán*, impetiit *Petrum* coram Comite *Olodaro*, de quatuor equis, & vno fure violenter ablato, prædictus *Petrus* venit Varadinum, aduerſarius autem non comparuit.

§. XXIX. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo, in ſeptimana, *Factus eſt.* Jobagio *Beli*, venit Varadinum, probaturus *ſororem ſuam*, iudicio candentis ferri, non eſſe (f) meretricem, & ſigillata manu exſpectauit vsque diem veneris aduerſarios ſuos, ſcilicet (g) raptorem ſororis ſuæ, nomine *Nicolaum*, & *Paralimphum*, videlicet *Karachinum* alium, & alios ſodales ſponſi, videlicet, *Tecam*, *Muchoriam*, *Vrbanum*, *Porcan*, *Petu*, *Koch*, *Michedeum*, *Jacob*, *Michal*, *Nican*, ſed aduerſarii eius prænominati in prædicto termino non venerunt. Iudex huius cauſæ *Teca*, Vicearchidiaconus, Priſtaldus *Hoth*. §. XXX.

---

d.) Mos, luminibus priuandi, ſeu aduerſarium, ſeu ſcelere quodam contaminatum, frequentiſſimus erat inter Hungaros. Ita GISELA S. Stephani coniux, *Vazulem*; STEPHANVS II. *Almum* ducem, & *Belam* eiusdem filium, viſu, erutis oculis, priuauerat. THÚRÓTZ. *Chron. P. II. cap.* 33. 62. vti, ad regendum Hungariæ Regnum, minus idonei redderentur. Subinde, furibus etiam oculi eruebantur: quodſi liber, furto obnoxius, ad Eccleſiam confugerat. S. LAD. *Lib. II. cap.* 12. vel ſeruus profugus, in furto comprehenſus fuerat.

e.) *Homicidii*, & pro deſtinationis ratione, & pro occiſorum conditione, diuerſæ dictabantur pœnæ. Namque, quod *caſu* inopinato accidit, duodecim, S. STEPH. *Lib. II. cap.* 13. quod ex ira præcipite, centum & decem penſis, & præterea vtrumque, ieiunio expiabatur *cap.* 16. *Voluntarium*, contra ea, puniebatur pœna capitis, *cap.* 46. aut bonorum & libertatis amiſſione, S. LAD. *Lib. II. cap.* 8. Qui ſeruum occidit, ſeruum loco interfecti, Domino reddidit. S. STEPH. *Lib. II. cap.* 13. ſeruus, contra, qui liberum interfecerat hominem, ad compenſanſandum interfecti lytrum, vel vendebatur, *cap.* 36. vel centum & decem iuuencis redimebatur, *cap.* 37.

f.) Ita, Cunigundam, HENRICI II. vxorem, adulterii ſuſpectam, vomere candente, quem nudis calcauerat pedibus, innocentiam ſuam adprobauiſſe, memorat HVLRICVS MVTIVS, *Chron. Lib. XIV. f.* 733. 734. *in Collect. Piſtor. an.* 1726. Ceterum, meretrices, pro æquo, Epiſcopi vel Archidiaconi, arbitratu, iudicabantur, S. LAD. *Lib. I. cap.* 34.

g.) RAPTORVM nomine veniunt, latrones publici, ORDERICVS VITAL. *Lib.* 9. *in Concil. Claramont. an.* 1095. & qui, virgines, inuitis vel inſciis parentibus, aut cognatis, per nuptias eripiunt clandeſtinas. *Concil. Tros. an.* 909. *cap.* 8. S. STEPHANI decreto, lex eſt ſtatuta: vti erepta parentibus puella, etiamſi vis fuerit illata, reſtituatur, & raptor, ſi ampliorum eſt facultatum, decem, ſin tenuioris conditionis, quinque iuuencis, raptum expiet. *Lib. II. cap.* 25. COLOM. I. cap. 59.

h.) ARBI-

§. XXX. *Cholnuk* Jobagio castri *Houmik* de villa *Mon*, impetiit suum conuillanum nomine *Mocium* pro furto, iudice *Juan* curiali Comite *Benedicto* filio *Samum*, Pristaldo *Tupas*, de villa *Cocil. Mociu*, portato ferro, iustificatus est.

§. XXXI. Villani *Holmy*, scilicet, *Hemequei*, *Lynthes*, & *Berthalon*, impetierunt conuillanum suum nomine *Teluk* pro furto. Prædictus *Teluk* portato ferro iustificatus est. Iudex autem huius causæ *Isov*, Comes de *Vgosi*, Pristaldus *Thomas* de villa *Martin*.

§. XXXII. *Gense*, de villa *Senmartin*, siue prædio *S. Petri* de *Sasuár*, impetiit *Chechbam*, de villa *Ceunand* & Jobagionem eiusdem Ecclesiæ pro furto. Qui *Checa* portato ferro, iustificatus est, iudice *Chepan*, filio *Primi*, Pristaldo *Choma* de villa *Iond*.

§. XXXIII. *Tuca* impetitus de *Eded*, & *Teca*, pro marca & tribus fertonibus. Qui *Tuca* portato ferro, iustificatus est, (h) arbitris *Chesario* & *Georgio*, Pristaldo *Budon* de villa *Jarun*.

§. XXXIV. *Paulus* Comes, filius *Eufemiæ*, impetiit *Letem* Diaconum *Forcasium*, *Macarium*, & *Benczem* de sexaginta marcis. Quorum *Lete* purgauit se (i) iuramento, iudice *Simone* Episcopo. Reliquos vero *Heuka* Comes *Bichoriensis*, discutiens, misit Varadinum ad candentis ferri iudicium, ubi cum essent, *Vendegu* curialis Comes prædicti *Pauli*, exemit *Farcasium* & *Benczem* a ferro candenti, dicens: Dominum suum suspitionem suam ab eis remouisse. *Macarius* vero portato ferro iustificatus est. Pristaldo *Bota* existente.

§. XXXV. *Petrus*, de villa *Tos*, impetiit de quatuor marcis *Ebberum*, prædictus *Ebber* portato ferro iustificatus est. Iudice *Simone* Voyanada. Pristaldo *Fener* de villa *Marab*.

§. XXXVI. *Andreas*, de villa *Porozka*, cepit apud quendam nomine *Gnynthei* equum sine signo, dicens illum sibi furtim sublatum, e contrario prædictus *Gnynth* ei dixit eundem esse suum equum, pullum scilicet currigeræ suæ. Iudice *Bank*, Comite de *Budruh*, Pristaldo *Rodolpho* de *Theothonicis* Pazthuchii: præfatus *Gnynther* portato ferro Varadini iustificatus est.

§. XXXVII. *Merth* (k) Comes Theothonicorum, litigauit contra vniuersos villanos *Sudan*, pro sex marcis a seruitrice sua per ipsos violenter ablatis, Judice *Bedech* curiali Comite Comitis *Martini*, Pristaldo *Fachia*. Homo itaque *Merth* Varadini combustus est.

§. XXXVIII. (l) *Ismaëlitæ* de *Nyr*, *Elias*, & *Peter*, coadiuuantibus aliis, impetiere *Joannem*, *Costam*, & *Mikorum*, de villa *Salamonis* de latrocinio, Iudice



---

h.) Arbiter est, qui iudicis partes sustinet, & qui cognoscit ordinario iudicio, sicut iudex, cuius sententia appellari non potest, & sententia eius dicitur arbitrium. du Fresne *Glossar*, voce *arbiter*. Hinc Lucius *de Regno Dalmat. Lib.* 4. *p.* 183. Iudex arbiter.

i.) Iuramentum erat species purgationis Canonicæ, du Fresne *voce Iurament.* quod, Deus, vbi in iure dicundo testimonia, aliæque probationes desunt, πέρας omnis controuersiæ constituit. Voetius *Dissert. Select. P. III. p.* 1201.

k.) Iudex erat Theutonum, sicuti Paztuchiensium, de quo §. 36. aut *Theutonicorum* de decem villis, qui Reginæ hospites fuere, in Prouincia noui castri §. 114. Nam, qui *Teutonibus* hospitibus præponebantur, *Iudices* regum, *Comites*, seu *Landgrauii* dicebantur. quales sunt *Comites Saxonum* terræ *Scepusiensis*, quod elucet, ex diplomate gentis, a Stephano V. concessi.

l.) Ismaelitæ seu Philistæi, mercatores erant Sarraceni, sectæ addicti Mahometanæ, S. Ladis. *Lib. I. cap.* 6. qui, S. Ladislai, & Colomanni industria, ad . Chri-

ce *Bank* Comite, Priſtaldo *Bola.* Prædicti *Joannes*, *Coſta*, & *Mikon*, combuſti ſunt. Similiter filius *Poſé*, ſeu *Sentes*, & frater eius vterinus *Petur*, eodem Iudice, & eodem Priſtaldo, & aduerſariis eidem exiſtentibus, combuſti ſunt. Similiter *Hernicus*, & *Gregorius* de villa *Bis*, combuſti ſunt.

§. XXXIX. Cum *Neuca* (m) *Vajuoda* direxiſſet ad iudicium ferri candentis *Laurentium* de villa *Belud* contra (n) Capitulum Albenſis Eccleſiæ Transſiluaniæ, per Priſtaldum *Laurentium* de villa *Poznan*, prædictus *Laurentius* conuenit dare Capitulo marcas duodecim, & ſeruum qui requirebatur dimittere fratri ſuo *Nicolao*, ſuper iuramentum ſuum. Qui ſi non iuraret, ſeruus ſibi, ſcilicet *Laurentio* redderetur.

§. XL. *Nogud*, Jobagio monaſterii (o) *Debrev*, portato ferro pro facto contra Jobagiones *Agrienſes*, ſcilicet *Ved* & *Vacy*, Judice *Bank*, Priſtaldo *Paulo*, iuſtificatus eſt.

§. XLI. *Ismaëlitæ* de *Nyr*, *Iliaz*, & *Pentek*, coadiuuantibus aliis impetiere Jobagiones *Martini* Comitis de villa *Vámus*, de latrocinio, ſcilicet *Egud*, *Botyka*, *Zobocha*, *Karaſun*, *Torka*, *Zekus*, *Joacyn*, *Tukay*, *Iroſſou*, *Jacobum*, & item Jobagiones monaſterii de (p) *Taplucia* pertinentis ad genus *Mizidaczii* de eadem villa. Quorum nomina ſunt hæc, *Benedic*, *Nunige*, *Zobozló*, *Borathe*, *Henuk*, *Luſutha*, *Zamacziomut*, *Buchi*, *Tomas*, pro iis omnibus, *Egud* & *Benedictus* pro ſe ipſis & aliis, portato ferro, iuſtificati ſunt. Iudice *Bank*, Priſtaldo *Bola.*

§. XLII. Joubagiones (q) de *Bekues*, ſcilicet *Sungut*, *Bot*, *Bus*, *Chyſce Paul*, *Nefaut*, *Dionis*, *Tomas*, *Pether*, *Orocha*, *Viuor*, *Bochyur*, *Elias* & *Vſud*, item Jobagiones de caſtrenſibus exempti, ſcilicet, *Reche*, *Banus*, *Ambos*, & *Thycus*, & poſtea vniuerſi caſtrenſes, ſcilicet *Mogud*, *Eva Vſud*, *Pous*, & omnes alii, conquæſti ſunt Domino Regi ANDREÆ, ſuper *Sab* & *Sycund*, dicentes, quod iniuſti iobàgiones eſſent, & dilapidatores rerum populi & depauperatores omnium caſtrenſium, & auctores mortis trium hominum: ſupradictus autem Rex commiſit *Iliæ*, Comiti eorum diſcutiendos, qui damnis caſtrenſium computatis, & in trecentis marcis eos damnificatos eſſe comperiens, per Priſtaldum, nomine *Andreas* de villa *Egneg*, miſit eos Varadinum, vbi homo prædictorum caſtrenſium nomine *Pous*, portato ferro, contra *Sab*, & *Sycund* mundatus eſt.

§. XLIII. Villani de *Ponkata*, impetiere conuillanos eorum, ſcilicet, *Rolandam* & *Laurentium* dicentes, quod eorum peccatis exigentibus duarum marcarum

---

CHRISTVM conuerſi, & per matrimonium *Hungaris* immixti, COLOM. *Lib. I. cap.* 46. 47. 48. 49 ſedem inter *Jazyges* Metanaſtas, in terra *Nyir* occuparant.

m.) *Neuca* Vaiuoda Tranſiluaniæ, inter *Andream* & *Colomannin*, quorum SZENTIVANY *Diſſert. Paralipom. Catal.* 98. *p.* 226. *meminit*, td an. 1217. eſt ponendus.

n.) Pro Capitulo Albenſi, in Tranſiluania, Cibinienſe, recenſet SZENTIUANI *Diſſert. Paralip. Catal.* 36.

o.) DEBREV, ſeu *Debrő* monaſterium, cuiusnam ordinis fuerit, incertum eſt. vid. PETR. PAZMANY *Decret. Synod. Strigon. Append. II. p.* 430. SZENTIVANI *Diſſert. Paralip. catal.* 53.

p.) TAPÓLTZA vel *Tapocza*, Abbatia fuit *Benedictinorum*; vnde *Miskolcz* in Diœceſi Agrienſi; *Toplicza* Ciſtercienſium, in *Zagrabienſi* Diœceſi; a *Tapaloczo* prope Criſium, in Slauonia, monialium cænobio, probe diſtinquenda. PETRVS PAZMANI *Decret Synod. Strigon. Append. II. p.* 104. 106. 131. SZENTIVANI *Diſſert. Paralip. Catal.* 34. 53.

(q.) Jobagyones, a Caſtrenſibus differunt. Illi namque erant ruſtici ſeu ſerui, hi caſtrorum miniſtri, *conf.* §. 44. nota ſequente.

r. Diuer-

carum damna pertulissent, iudice *Abbate* de eadem villa, & *Andrea* Parono eiusdem, Pristaldo *Georgio* de *Chunad*. *Rolanda* & *Laurentius* iustificati sunt.

§. XLIV. *Vincentius*, *Vendegu*, *Voca* de villa *Roba*, impetiere conuillanos suos, scilicet, *Esaum*, *Torcum*, *Petrum*, *Botam* dicentes, quod eorum falsa suggestione, quidam potens nomine *Vaiauoda*, in sex marcis eos damnificasset. Illi responderunt, quod prænominatus *Voiauoda*, non eorum suggestione quidquam eis subtraxisset, sed cum esset eorum centurio, & ipsi castrenses, castrensium (r) pensione debitores, pro debito censu, tantum vel forte plus ab eis accepisset, illi autem econtra dixere, se non castrenses esse, sed castri Jobagiones. *Tobias* igitur Curialis Comes de *Zounuk*, eos & pro damno, & pro conditione discutiens misit Varadinum, per Pristaldum nomine *Stephanum* de villa *Mire Acnaya*. *Voca*, portato ferro, pro se & fratribus suis, mundatus, probauit se & fratres suos, & sex marcarum damna pertulisse, & se non castrenses, sed Jobagiones castri extitisse.

§. XLV. *Absolon*, & *Gyuri* filii *Joacbin*, & *Solomun* gener eiusdem, impetierunt *Numicolobod* Archidiaconum, & filium eius *Ladislaum*, & fratrem eiusdem *Numbium*, & filium eiusdem *Tiburcium*. Hos omnes de villa *Vosuári*; item *Jacobum* de villa *Acbya*, *Mikulam* de villa *Sadan*, cum filio suo; *Andream* de villa *Popi*, *Michaëlem* de villa *Chicu*, *Cornelium*, de villa *Merluz*; *Tenkam* de villa *Maria*, cum duobus seruientibus, *Andream* & *Felten* de villa *Monor*, *Demetrium*, & *Narad*, & *Toul* de villa *Tlye*, & omnes villanos *Uduornicorum* (s) de *Er*, pro quibus portaturus erat ferrum *Thepsa*, hos inquam omnes impetierunt de occisione prænominati *Joacbin*, quos *Nicolaus* Comes Palatinus discutiens, per Pristaldum Regis *Temam* de villa sui nominis, & per Pristaldum suum *Moulam* nomine, misit ad iudicium ferri candentis *Varadinum*, vbi omnes prænominati aduersarii taliter conuenerunt, quod *Absoloni* & *Gyurkoni* persoluerent septuaginta & vnam marcas, coram Capitulo Agriensi, scilicet, viginti quattuor in festo Mariæ Magdalenæ, & totidem & ibidem in festo Natiuitatis Sanctæ Mariæ. Item viginti tres in festo omnium Sanctorum, sed cum eis non crederent prænominati *Numuolobod*, *Nubu*, *Mikula*, *Tenka*, & idem *Sopou*, de villa *Acbya*, *Abraham*, de villa *Kupanchi*, & *Nuodum* Archidiaconus pro illis fide iusserunt. Postea iidem aduersarii conuenerunt satisfacere iudici, partem vero Pristaldi, *Absolon* & *Gyurko*, tenentur persoluere. Item sæpe iam memorati *Numuolobod* & *Nubu*, deberent constituere *Chenadini*, homicidam *Oponidum*.

§. XLVI. *Guthfredus* Præpositus (t) Ordinensis impetiit villanos de *Berente* de XV. bobus violenter ablatis, & de percussione vnius hominis gladio, iudice *Nicolao* Palatino Comite, Pristaldo *Zuma* de villa *Janus*. qui venientes Varadinum, taliter conuenerunt, quod villani de *Berente* darent prædicto *Præposito* quatuor marcas, & Pristaldo dimidiam, Judici vero Præpositus satisfaceret. Hæc autem persoluerent in festo Mariæ Magdalenæ, in villa cruciferorum, nomine *Pop*.



r.) Diuersa fuit CASTRENSIVM conditio. Vel enim ministeria in castro præstabant, sicuti milites, pistores, &c. de quibus *ad* §. 7. *not. m.* vel castrum eiusque fundum incolebant, sicuti ciues castri §. 76. vel feuda castri possidebant. du FRESNE voce *Castrenses*. Non, qui ministrabant, sed, qui vel fundum, vel feudum castri tenebant, censu obstringebantur annuo. Vide §. XI. not. y.

s.) VDWORNICI, a voce Hungarica *Vdvar*, Slauis *Dvor*, deriuantur. Aulici SAMBVCO. Ita apud S STEPHANVM *Lib.* 2. *cap.* 55. *Si quis illorum, qui vulgo Vdvornyck vocantur, furtum commiserit, lege liberorum diiudicetur.* Hinc villæ, quas incolebant, villæ Vduarnicales dicuntur in Decretis LVDOVICI I. *art.* 6. Vide §. XVII. not. r.

t.) Præpositura Orodiensis *S. Martini* vocatur, apud PETRVM PAZMANI, *Append. II. Decr. nod. Strigon. p.* 108.

§. XLVII. *Seucha*, de villa *Tilos*, impetiit conuillanos ſuos, ſcilicet, *Pouſam*, *Mathiam*, *Thomam*, *Michaelem*, *Gabrielem*, *Jonam* de *Abram*, *Matthæum*, *Didou*, *Bartholomæum*, *Vs de* Villa *Luen*, de deſtructione & direptione rerum ſuarum, coram *Benedicto* (u) Bano, Iudice à Rege delegato, qui ſumma damni computata, & in quadraginta marcis conſtituta, miſit vtramque partem Varadinum ad iudicium ferri candentis, per Priſtaldum nomine *Gurk*, de Villa *Chaz*. Quo ſex de aduerſariis, ſcil. *Pouſa*, *Matthias*, *Toma*, *Michaël*, *Gabriël*, & *Ionas* venientes, conuenerunt dare aduerſario ſuo, ſcil. *Seuchæ* quatuor marcas, *Fertone* (vv) *minus*, ac ſatisfacere iudici. Ius autem Priſtaldi *Seucha* dare teneretur, alii autem quatuor, de aduerſariis, non comparuerunt. Quos nominatus Iudex, vt Priſtaldus dixit, condemnauit, & pro condemnatis ſcribi præcepit.

§. XLVIII. Comprouinciales (x) noui caſtri, & horum ſpecialiter *Teotonici* de *Felnémet*, ſcilicet *Michael*, *Jakon*, & alii impetiere homines *Saphin & Ethened*, de villa *Kuzka*, ſcil. *Paulum*, *Zalduba*, *Sune*, *Stephanum*, *Buchuſi*, *Tomam*, *Raſun*, *Banlum*, *Merk*, *Michaëlem*, *Budam*, *Milos*, *Buldus*, *Donk*, *Obusk* & *Herye*, de furto. Iudicibus *Banko*, (y) & *Benedicto* Comitibus, Priſtaldo *Vgrun* de villa *Sap*, Varadini, *Paul*, *Zalduba*, *Sune*, *Stephanus*, *Bucbuk*, *Tomas*, *Raſum*, *Banlus*, & *Merk*, portato ferro iuſtificati ſunt; *Michaël* vero *Buda*, & *Milus*, combuſti ſunt, *Buldus* autem *Obusk*, & *Herye*, dato termino non comparuere. Iudices vero habuere illos pro condemnatis.

§. XLIX. *Tomas*, de villa *Tuka*, impetiit *Martinum*, de villa *Abara* pro furto. Iudicibus, *Bank*, & *Benedicto* Comitibus, priſtaldo *Sula*, de villa *Cheb*. *Martinus* in ſeptimana, *Reſpice Domine*, (z) non comparuit, & prædicti Iudices, vt priſtaldus dicit, habuere eum pro condemnato.

§. L. *Baſilius*, Abbas de *Curru*, (a) & Curialis Comes eius *Lucas*, impetierunt *Joannem* filium *Salomonis* de genere *Gledguth*, pro deſtructione prædii Eccleſiæ, ſiue damno, ad æſtimationem viginti quinque marcarum. Iudice *Nicolao Palatino* Comite, priſtaldo *Chepan*, de villa *Ladan* in *Prouincia* (b) *Heugd*. Qui cum veniſſet Varadinum, prædictus *Joannes* conuenit dare ſex marcas *Abbati*, & ſatisfacere iudici. *Abbas* vero priſtaldo ſatisfacere conuenit.

§. LI.

---

u.) BENEDICTI Bani, nulla inter Croatiæ & Dalmatiæ Banos fit mentio apud RATTKAIVM & SZENTIVANIVM. Præfuit ille rebus Croatiæ ſub ANDREA II. incertum tamen, quo anno, & quo tempore. Eum ego, inter PETRVM *Benko*, & *Bánffium Bazardum*, adeoque, inter annum 1217. & 1233. collocandum cenſuerim; niſi *Benko* idem ſit, qui *Benedictus*. quod pronum fuerit ſuſpicari.

w.) FERTVM, vel *Fierto*, ſeu *Ferto*, quarta pars eſt marcæ, vti GVNTHERI *Hiſt. C P. cap.* 8. oſtendit du FRESNE *Gloſſar.* voce *Ferto*. SAMBVCVS in calce ad *Bonfin. fertonem* 84. denariis, qui vnum florenum Hungaricum conficiunt, ait conſtare. Eſt vox origine Germanica, a *Viertl*.

x.) COMPROVINCIALES dicuntur, qui in eadem, ſeu Archi-Epiſcopi, ſeu Dynaſtiæ, vel comitatus prouincia, degunt. Prouincia namque, vel Diœceſim, vel Comitatum ſignificat. du FRESNE *Gloſſ.* voce *Prouincia*.

y.) *Bank* & *Benedictus* Comites, forſitan iidem ſunt, qui & *Bani Croatiæ*. vid. §. 47. not. u.

z.) *Reſpice Dominc.* Dominica eſt.

a.) Abbatia de CVRRV, vbi ſita fuerit, expoſitum eſt ad §. 4. litt. h.

b.) PROVINCIA, non ſolum Diœceſim metropolitani ſignificat: quemadmodum du FRESNE voc. *cit.* adnotauit: verum, certum etiam regionis tractum, ſicuti eſt h. l. Prouincia *Heugd*; vel comitatum etiam, veluti eſt prouincia *Zounuc. Naugrád.* reliquæ.

c.) Iv-

§. LI. *Basilius* Abbas, & curialis Comes (c) eius *Lucas*, impetierunt *Indiam* de villa *Peles*, de occulta retentione possessionum sui fratris, scil: *Paztub* de furto condemnati, scilicet, duodecim capitibus hominum, tribus equis quinquaginta ouibus, duodecim bobus, sex aceruis segetum. Iudice *Nicolao Palatino Comite*, Pristaldo *Chepan*, de villa *Ladan*, homo supradicti *Indiæ*, Varadini, portato ferro combustus est.

§. LII. *Vitun*, de villa *Petur*, impetiit conuillanum suum, scil: *Crisium* pro furto, iudice *Paulo*, comite de *Ogocha*, Pristaldo *Marco*, de villa *Luueu*. *Crisius* portato ferro mundatus est.

§. LIII. *Petur* de villa *Viis*, impetiit conuillanum suum nomine *Cuqt*, pro sexaginta (d) ponderibus. Iudice *Stephano* Comite, Pristaldo *Dema* de eadem villa *Viis*, *Cuqt* portato ferro combustus est.

§. LIV. *Joannes* de villa *Veytech*, impetiit quosdam de villa *Bagad*, *Syeneud*, *Bodam*, *Cyomoy* & *Barlabam*. Item, de villa *Mebus*, *Matthæum* & *Laurentium* de furto. Iudice *Fila* vicario *Palatini*, Pristaldo *Chyeka* de villa *Ztbemur*. Prædicti fures Varadini, portato ferro sunt iustificati. Postea *Sceta*, de eadem villa *Bogad*, qui vt Pristaldus dixit, citatus fuit & ipse venire Varadinum, non venit.

§. LV. *Bot*, filius *Laurentii* de villa *Horuáth*, impetiit quendam de villa *Usa*, nomine *Sirund*, pro verberatione matris suæ ad mortem, quod scilicet misisset verberantes & de damno suarum rerum iuxta æstimationem quinquaginta marcarum, iudice *Petus*, vicario *Nicolai* Palatini Comitis, Pristaldo *Andrea* de villa *Qecher*. Prædictus *Sirund* portato ferro Varadini, combustus est.

§. LVI. *Andreas*, de villa *Pa*, impetiit Jobagiones *Dionysii*, scilicet, vtrumque *Forcasium* & *Bogdánum*, de damno vnius marcæ, iudice *Dionysio* filio *Simonis* Comitis, Pristaldo *Manogy* de villa *Cana*. *Hon Andreas*, portato ferro, iustificatus est.

§. LVII. *Ecyul*, de villa *Perl*, impetiit *Leopoldum* Jobagionem *Schomæ* Comitis pro furto, iudice *Biloto* (e) regis de *Zounak*. Pristaldus *Nicolaus* de villa *Mochii*. *Leopoldus* portato ferro, iustificatus est.

§. LVIII. *Stephanus*, Eubagio *Georgii* de villa *Torcan*, impetiit *Timan* de villa *Chüpud* pro furto. Iudice *Geztub*, curiali Comite de *Zothmar*, Pristaldo *Zomoy*, de villa *Euchetii*. *Timar* fur, portato ferro, combustus est.

§. LIX. *Chequez*, & frater eius Jobagiones *Petri* filii *Philippi* Comitis de villa *Mark*, impetierunt Jobagiones *Mikou*. sc. *Turbuzam*, *Jacobum*, & *Narad*, de latrocinio, iudice *Hunt*, Comite de *Borsua*, Pristaldo *Cyob*, de villa *Tumpa*. Prænominati itaque latrones, directi Varadinum, portato ferro iustificati sunt. De quibus Pristaldus dixit, quod tredecim capita hominum fuissent cum vxoribus & filiis.



c.) Iudex erat fiscalis Abbatis de Curu, quod cognoscitur ex *Leg. Ripuar.* tit. 55. *Si quis iudicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit.*

d.) Pondus abusiue dicitur pro vna libra, vel vnus as est. Ita Paulus Warnefridi, *lib. 3. cap. 25. Cum sub monte quodam introiisset, ubi multa auri pondera adspexisset.* Et in vita S. Deodati Abbatis n. 5. *Ac magnificentia amphoris muneris donauit viginti sex pondera auri argentique.*

e.) Bilotus regius idem est, qui *Bilochus* regalis in *Decret.* Andreæ II. art. 5. Iudices nobilium, hoc exprimebantur nomine, qui furum & latronum caussas discutiebant. *Fures & latrones, Bilochi regales discutiant, ad pedes tamen ipsius Comitis.* Andr. l. c.

§. LX. *Cyegl* Abbas de *Zeploc* (f) impetiit *Benam* de villà *Scerepin* nouo castro, de latrocinio, iudice *Nicolao* Palatino Comite, Priſtaldo *Ægidio* de villa *Oſa*; cumque *Bena* Varadini portare ferrum eſſe paratus, prænominatus Abbas ſubterfugit iudicium ferri candentis, dicens, quod falſa opinione prædictum *Benam* de latrocinio impetiiſſet.

§. LXI. *Tekma* & *Pouſa* de villa *Chybur*, impetierunt *Andream* conuillanum ſuum de furto. Iudice *Tobia* curiali Comite de *Zounuk*, Priſtaldo *Timtur* de villa *Tibur*. Qui cum directi eſſent Varadinum, prænominati *Tekma* & *Pouſa* ſubterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes, quod falſa opinione prædictum *Andream* de furto impetiiſſent. Pro bono tamen pacis, *Andreas* fur, promiſit ſatisfacere iudici.

§. LXII. *Senk*, de villa *Obonik*, impetiit *Texam*, *Erdeum*, *Bizam*, *Ceſare* & *Salat* de alia vila *Obonik*, pro quattuor marcis, iudice *Benedicto* Comite, Priſtaldo *Azaria* de villa *Tinod*. Prænominatus *Senk*, portato ferro iuſtificatus eſt.

§. LXIII. *Joannes*, *Nebol*, *Benſa*, de villa *Neugii*, impetierunt *Stephanum*, de villa *Scela* pro homicidio, & de damno octo marcarum. Iudice *Tibacio* Comite a Rege delegato, Priſtaldo *Samus*. *Stephanus* portato ferro, mundatus eſt.

§. LXIV. *Milucy*, de villa *Guneg*, impetiit *Vanam*, de villa *Heten*, de damno ſuarum rerum ad æſtimationem vnius marcæ & dimidiæ, iudice *Alexandro*, Comite de *Zobolchy*, Priſtaldo *Queſa* de villa *Dubos*. *Vanna* portato ferro iuſtificatus eſt.

§. LXV. Abbas *Cegl* de *Zeploc* impetiit villanos *Meduözü*, ſcilicet *Zuuzo*, *Péntek*, *Brtam*, *Forcaſium*, *Matthæum* & *Galum*, pro latrocinio. Iudice *Nicolao* Palatino Comite, Priſtaldo *Ægidio* de villa *Oſa*. Cum ventum eſſet Varadinum, prædictus Abbas renunciauit iudicio ferri candentis, dicens, quod falſa opinione homines ſupradictos de latrocinio impetiiſſet.

§. LXVI. *Cantus*, de villa *Cocot*, impetiit *Niculam* de villa *Januſt*, pro ſuſpitione furti, eo quod cum prædictus *Cantus* apud ipſum *Niculam* pernoctaret, quinque porci, quos emerat, furtim ſunt ſublati. *Nicula* ergo ad examen ferri candentis a *Mica* Comite *Bicorienſi*, per Priſtaldum nomine *Burz*, Varadinum deſtinatus, portato ferro ſe purgauit.

§. LXVII. *Jordan*, de villa *Keze*, & *Keiguez* de villa *Sbol*, impetierunt *Ugudut*, *Obudut*, *Scecam*, & *Scembegit* ſeruos *Thomæ*, & *Andreæ*, & *Dudork*, & *Benczium* libertinos (g) eorundem de furto. Iudicibus, *Elia* Comite de *Békes*, & *Biloto Zeuen*. Priſtaldo de *Machya* de villa *Méb*, prænominatorum furum quatuor, ſcilicet, *Vgud*, *Bunczii*, *Obud* & *Secca*, portato ferro combuſti ſunt & ſuſpenſi. *Dodor*, veniens præ nimia infirmitate ferrum portare non potuit. *Szembegi* in eadem ſeptimana ſcilicet, *Exurge Domine*, non comparuit.

§. LXVIII. *Petrus* curialis Comes de *Beruczyo*, impetiit vxorem *Ckuburd*, de beneficio (h) iudice *Lek*, Abbate de *Berucio* (i) Priſtaldo *Marcello* de villa *Marcuſii*. Prædicta mulier Varadini combuſta eſt.

§. LXIX.

f.) Forſitan Abbas de SZEPLAK in Diœceſi Agrienſi, vid. PETR. PAZMANY *Append. II. ad Decret. Synod. Strigon. p.* 102. SZENTIVANY *Diſſert. Paralip. Catal.* 34. *Adde* §. 65.

g.) LIBERTINI, ſeu Liberti, ſeruis hoc loco opponuntur. Erant namque liberto, a ſeruitute manumiſſi; ſed qui, ſub obſequii conditione, in familia manebant, & ex familia *Patroni* fuerant, du FRESNE *Gloſſar.* voc. *Libertus*.

h.) VENEFICIVM, non ſolum pro artificio venenum conficiendi, verum, pro magia etiam accipitur. Ita *Appendix Codic.* THEODOS. *Conſt.* 8. *Non aliquos in aſtra peccantes, non uenenarios, aut magos*.

i.) ABBATIA *de Berucio* viguit an. 1217. PETRVS PÁZMANY *ad Synod. Prouincial. Decret. Append. II. p.* 107. SZENTIVANY *Diſſert. Paral. Cat.* 34.

k.) Cv-

§. LXIX. Domina *Macya*, vxor *Agbæ* comitis, impetiit *Petrum* & fratrem eius *Sbyrinchym*, Jobagiones *Miskæ* Comitis de villa *Gneʒted*, & Jobagiones Transyluani Episcopi *Vilelmi*, scilicet *Palanum*, & *Zulupkum*, de villa *Felcopusi*, de occisione seruientis sui, & pro rebus suis quadraginta marcas valentibus violenter ablatis. Iudicibus *Shekedʒ*, curiali Comite *Myskæ*, & *Herbort* curiali Comite iam dicti Episcopi, & *Simone* socero supradicti Comitis. Pristaldus *Sbama* de villa *Cuʒeplok*, & *Hyuet*, de villa *Sbulusth*. Homo prædictæ dominæ portato ferro, mundatus est.

§. LXX. *Niclous* filius *Johannis* de villa *Tumas*, impetiit Jobagiones *Martini*, scilicet, *Nemel*, *Miklous*, *Eguch*, *Bibies*, *Kubuʒo* & *Tekam*, de villa *Strang*, pro latrocinio, & de damno rerum suarum, ad æstimationem duodecim marcarum. Iudice *Culqed* curiali Comite de Bichor, Pristaldo *Paul* de villa *Heydeb*. Prædicti latrones portato ferro, mundati sunt.

§. LXXI. *Paulus* & *Tena* de villa *Caybas*, & *Mogodiam* de villa eadem *Tled*, pro rebus suis, duas marcas valentibus violenter ablatis. Iudice *Tobia* curiali Comite de Zounuk. Pristaldo *Bota* de villa *Mochii*. Supradictus *Paulus*, pro se & pro fratre suo, portato ferro combustus est.

§. LXXII. *Cheka* & *Leseu* de villa *Solumus*, impetierunt *Forcasium* de villa *Gyrok*, pro furto. Iudicibus *Culqued* curiali Comite, & *Forcasio* Biloto, Pristaldo *Matthia* de villa *Culchii*. Fur *Forcasius*, portato ferro iustificatus est.

§. LXXIII. *Joannes* de villa *Mochy*, impetiit conuillanum suum, scilicet, *Otoqur* de furto. Iudice *Tobia* curiali Comite de *Zounuk*, Pristaldo *Macobio* de villa *Elep*. *Otoqur*. portato ferro iustificatus est.

§. LXXIV. *Gabriel*, de villa *Folth*, litigauit cum villanis *Bagya*, scilicet: *Pet*, *Terpe*, *Joanne*, *Sycia*, pro occisione sui filii, coram iudice *Nicolao* Palatino Comite, quos discutiens per Pristaldum suum, nomine *Ymarad*, de villa *Seureg*, misit Varadinum ad examen iudicialis ferri. Qui in loco taliter conuenerunt, vt eorum tres, scilicet: *Pet*, *Terpe*, *Joannes*, darent *Gabrieli*, decem & septem marcas in die S. Joannis Baptistæ in loco Varadiensi: qui, si non persoluerent in eodem die, duplo persoluere tenerentur, & idem satisfacere iudici. *Gabriel* vero Pristaldo satisfaceret. *Sycia* tamen, cum filio suo *Paulo*, in loco *Poroʒlou*, iuramento suo se purgaret, terram autem, quam præfati villani a *Bugard* in commune emtam habebant, cuius occasione homicidium perpetratum est, ex æquo diuiderent, ita, quod æquali partitione, vterque sibi partem contiguam acciperet. Participes autem eiusdem homicidii, qui castrenses sunt, prædicti quatuor homines, expellere de cohabitatione sua tenerentur.

§. LXXV. *Ambrosius*, curialis Comes (l) Ecclesiæ *Váczienſis*, impetiit *Sunadum* de villa *Sunad*, pro duodecim bobus & quadraginta ouibus violenter ablatis a *Benedicto* seruo (m) eiusdem Ecclesiæ. Iudice *Gyula* curiali Comite, Pristaldo *Penthek* de villa *Katolt*, qui venientes Varadinum ad iudicium ferri, taliter conuenerunt, ut prædictus *Sunad*, daret vnam marcam *Ambrosio*, & idem iudici satisfaceret. Pristaldo verò *Ambrosius* satisfacere conuenit.



k.) Cvrialis Comes *Myske*, iudex fuit comitatus. *Herbort* autem curialis Comes Episcopi, iudex erat fiscalis Episcopi Transylvaniæ.

l.) Iudex est fiscalis Episcopi *Váczienſis* vid. ad §. 51.

m.) Servvs Ecclesiæ idem est, qui homo proprius, seu rusticus.

n.) Fiscus

§. LXXVI. *Pifco*, de villa *Scecen*, impetiit conuillanos fuos, fcilicet: *Lodomer*, *Boroch*, *Odus*, *Joannem*, *Furces*, *Albeu*, *Vruz*, pro quinque marcis, dimidia minus. Iudice *Ambrofio* curiali (n) Comite, *Ladislai* Magiftri. Priftaldo *Damiano* de villa *Orfcy*, qui miffi ad iudicium ferri Varadinum, taliter conuenerunt, vt impetiti iam dicti, darent tres fertones fupradicto *Pifco*, & fatisfacerent iudici, Priftaldo etiam communiter fatisfacerent.

§. LXXVII. *Michal* de villa *Sunad*, impetiit homines (o) Ecclefiæ Vacenfis, fcilicet: *Fiachiam*, *Bolofoit* de villa *Pifpukii* pro furto. Iudice *Gyula* (p) curiali Comite Regiæ Aulæ. Priftaldo *Péntek* de villa *Ratolt*. Qui fures Varadini cum leuato ferro ad folutionem cogerentur, fupradictus *Michal* renunciauit iudicio ferri, dicens, fe prædictos fures falfo impetiiffe pro furto. Pro bono tamen pacis, *Ambrofius* curialis Comes Ecclefiæ Vaczienfis, iudici & Priftaldo fatisfaceret.

§. LXXVIII. *Peth* de villa *Bagya*, impetiit *Poufam*, de villa *Sceguen* pro furto, Iudicibus *Paulo* curiali Comite, & *Pet* & *Bulfu* Bilotis (q) de *Heues*. Priftaldo *Scenka* de villa *Chazii*. Prædictus fur Varadini portato ferro combuftus eft. Cui rei exitu ita confumato, Priftaldus idem dixit, quod fratres furis combufti, qui fratris eorum partem tenuerant, a venditione tam ipfi, quam omnis eorum poffeffio, per fententiam iudicis in ipfo cafu fratris fui jam excepiffet.

§. LXXIX. Ciuiles (r) caftri *Borfod*, fcilicet: *Mauritius*, *Petur*, *Chyul*, de villa *Oym*, & *Martinus Hodnog*, *Sanctus* Centurio, *Petrus* vrbis (s) Præfectus, & omnes alii impetiere *Cykirk*. & fratres fuos, fcilicet: *Nemelt*, *Petrum*, *Paulum*, & *Alexium*, quod effent eorum (t) contribules, fed illi negauerunt, fed dixerunt fe effe de genere (u) Equeftri, fcilicet: militum (vv) Regis, & dixerunt quosdam de genere fuo, fcilicett: *Peth* & *Siciam* de villa *Baga*. Quibus idem conftanter afferentibus, *Gyula* Comes, frater *Ratolt*, vicarius iudex Regis, iudicauit quod homo duorum adductorum, ferrum portaret Varadini, dato, inter eos Priftaldo *Chriftophoro* de villa *Damian*. Cum Varadinum veniffent, prædicti ciuiles & Jobagiones caftri. Refugerunt iudicium ferri candentis, recognofcentes fe reddiderunt culpabiles & coram Varadienfi Capitulo terram eis ad duo aratra in villa *Oym* reddere conuenerunt, cum metis vndique circumpofitis.

§. LXXX.

---

n.) Fifcus itidem erat, feu iudex aulicus, in bonis Ladislai Magiftri.

o.) Hoc nomine, vafalli & clientes adpellabantur, qui ratione beneficiorum, dominis, fidem & feruitium, feu militiæ vel placitorum, aut quoduis aliud, debebant.

p.) Fiscvs regius, qui & cauffarum regiarum director, hoc exprimitur nomine. Andr. II. *art.* 9.

q.) Biloti de Heues, iudices erant nobilium comitatus Heuefienfis.

r.) Civilivm nomine, incolæ caftri Borfodienfis intelliguntur. Id namque, ciuilitas & ciuitatenfes, apud Dom. du Fresne fignificant.

r.) Vrbis præfectus dicitur, qui erat vrbi præpofitus, ficuti funt hodie Magiftri Ciuitatum.

t.) Contribvles, contribuni, quafi ex eadem tribu, id eft confanguinei, cognati, hoc loco intelliguntur, diftincti a confociis.

u.) Nobiles Hungariæ, equeftri genere funt pugnati. Omnes namque, belli tempore, equo merent ftipendia. Qua de cauffa, milites illi vocantur. S. Steph. *Decret. Lib. I. cap.* 4. vid. §. 10. X.

vv.) Milites intelliguntur, qui ad regium pertinebant banderium. Elucet id, ex charta Andreæ II. an. 1291. in qua, *Thober*, *Elias*, & *Hareus*, filii *Joka*, inter regios referuntur milites.

x. Vica-

§. LXXX. *Ægidius* Abbas & curialis comes eius, ſcilicet: *Nicolaus* de *Pátztub*, impetierunt *Dezmert*, *Vioteſtig*, de *villa Vogoluptiuan*, quod eſſent (y) *Selliferi* agazones Eccleſiæ de *Páztub*, qui reſponderunt ſe eſſe *Jobagiones* bellatores prædictæ Eccleſiæ. Iudicibus *Banco* Comite, & ſupradicto *Ægidio* Abbate, Priſtaldo *Pernen* de villa *Necar*. *Dezmert*, pro ſe & pro aliis, Varadini portato ferro, iuſtificatus eſt. Item, idem *Abbas Ægidius*, & curialis Comes eius, ſub eodem iudice & Priſtaldo, impetierunt *Zub*, de villa *Tur*, quod eſſet Sellifer Agazo Eccleſiæ *Páztub*. Qui *Zub*, cum vellet ſe probare eſſe *Joubagionem bellatorem* (z) eiusdem Eccleſiæ, portato ferro combuſtus eſt.

§. LXXXI. *Eureus*, Jobagio *Ægidii* Comitis de villa *Moioda*, impetiit *Paulum* & fratrem eius *Bechleem* de occiſione fratris ſui. Iudice eodem *Ægidio* Comite. Priſtaldo *Buke* de villa *Moiota*. Paulus prædictus, portato ferro iuſtificatus eſt, *Bechleem* vero combuſtus eſt.

§. LXXXII. *Scegen*, de villa *Geken*, impetiit *Andream*, de villa maioris *Geken*, quod filiam ſuam nepoti ſuo *Michaëli* violenter (a) rapuiſſet, & hæc idem, filia illius aſtruxit. *Andreas* autem reſpondit, quod non violenter, ſed legitime filiam illius nepoti ſuo in vxorem adduxiſſet, & ſimiliter hoc perhibuit teſtimonium ei, *Lucas* ſacerdos, de villa maioris *Geken*. *Ambroſius* itaque, curialis Comes, *Magiſter* (b) *Ladislai*, præſente Archidiacono *Paulo*, diſcutiens, miſit vtramque partem per Priſtaldum nomine *Nicolaum*, de villa *Reuel*, Varadinum, vbi prænominatus *Scegen*, portato ferro pro filia ſua, combuſtus eſt.

§. LXXXIII. Miniſteriales (c) Regis, quorum officium eſt (d) *Bactinia* porta-

Hhh

x.) Vicarius, iudex regis dictus eſt, qui vice regis, iudicis partes exſequitur, vel inter milites regios, vel in villis regiis.

y.) Sellæ equinæ geſtatio, pœna fuit, apud Francos & Sueuos, quæ viris potiſſimum nobilibus dictabatur, non vero plebeis, & obnoxiæ conditionis hominibus. Otto Frising. *de geſt. Frid. lib. 2. cap. 28.* Hoc loco tamen, *Selliferi agazones* intelliguntur, qui ſella, ſeu ephippio inſtructos equos, hoc eſt, parhippos, ducebant, proficiſcentes in bellum cum domino.

z.) Jobagiones, bellatores Eccleſiæ dicuntur, qui, libera, in fundo Eccleſiæ, poſſidebant prædia, ſolo militiæ nomine, Eccleſiæ obſtricti. Quales ſunt hodiedum, nobiles *Prædialiſtæ*, in ditione Archiepiſcopi Strigonienſis, & paſſim. Ex iis, Epiſcoporum, atque Abbatum banderia, potiſſimum conſtabant.

a.) Raptus Vhotioni, & Joanni de Janva, nuptias occultas & clandeſtinas, concubitum item illicitum, denotat. Hinc Concil. Trosleianum an. 909. c. 8. *Decernimus, vt nullus occultas nuptias, vel raptum faciat.* vid. §. 29. f.

b.) Præter magiſtros, quos, inter regni Barones relatos eſſe, dictum eſt §. 11. *a.* fuerant quoque, in regis atque ducis curia, magiſtri epiſtolarum, qui & *Cancellarii*, *Secretarii*; *Magiſtri* rationales, qui rationibus, ſeu principiis ærario præerant. Ab his diſtincti fuere, *magiſtri* in Optimatum domibus, qui, vel ſeruorum curam gerebant, ſicuti aulæ præfecti, vel ſcribæ, ſeu ſecretarii erant, qualis h. l. *magiſter Ladislai* dicitur.

c.) Ministeriales regis adpellati ſunt: quod regum miniſteria, ſeu officia, ab iis iniuncta, exſequebantur, quales ſunt: tabellarii, *cet.* Erant illi, non ex ſeruis, neque ex nobilibus, verum ex libertinis, quibus, ad eiusmodi exercenda obſequia, prædia a dominis concedebantur, quæ *miniſteria* adpellabant. conf. du Fresne voc. *miniſterialis.*

d.) Rectius, *Buctinia*, vel *Buttinia*, id eſt vaſa vinaria, vel vnguentaria. *Buttis* enim, *Βύττιον*, vel Buttion, aut Button *Βύττον*, vas vinarium, aut vnguentarium, id eſt, cupam, lagenam, in *Gloſſ. Græc.* denotat. Hinc demum *butta*, *buta*, *butica*, *butina*, vocabula, & Gallorum *bouteille*, id eſt lagena, & Hung. *Putton*, ſunt enata. du Fresne *Gloſſar* voce *Buttis ſequ.*



e.) Qui

portare, conqueſti ſunt, ſuper (e) Comitem eorum ſcilicet: *Vz*, quod inſtitutum debitum eorum excedens, indebitam ſuper eos feciſſet exactionem, ſcilicet, ad æſtimationem centum marcarum, quos Magiſter (f) *Dionyſius*, præcepto Regis diſcutiens, miſit ad examen ferri candentis, per Priſtaldum nomine *Beke*, de Prouincia Puchia, Varadinum, vbi vnus pro omnibus, (g) *Buctiniſeris*, portato ferro, combuſtus eſt.

§. LXXXIV. *Philippus Predan*, & mater eorum de villa *Rabay*, impetierunt *Eculium*, Jobagionem *Drug*, pro tribus equis, valentibus duas marcas, arbitris, *Salomone*, *Elia* & *Tumpa*, Priſtaldo *Sicula*, ſeruiente *Heliæ* de *Rabay*. *Eculius* pro violentia, Varadini portato ferro, combuſtus eſt.

§. LXXXV. *Adamus* de villa *Nata*, impetiit *Begedum*, & fratrem eius *Scemedum*, Joubagiones *Benedicti* de villa *Modin*, de occiſione ſui generi per latrocinium. Iudice *Gyula*, curiali (h) Comite Regis, Priſtaldo *Giróltb* de villa *Libik*. *Bedeg* latro, portato ferro combuſtus eſt.

§. LXXXVI. *Fejér* de villa *Borozlou*, impetiit *Aruam*, & fratrem ejus, *Lucam* de villa *Senguer*, pro rebus ſuis ſex marcas valentibus, quas frater eorum nomine *Neuer*, pro quo fide iuſſerant, furtim ſurripiens a ſupradicto *Féjér*, fugerat. Iudice *Demeno* Comite de *Zotbmar*. Priſtaldo *Fermeno*, de villa *Hódoſió*. Homo jam dicti *Fejér*, Varadini portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. LXXXVII. *Arnoldus*, procurator (i) hoſpitalariorum (k) de *Serrach*, & *Salomon* frater, impetierunt quoſdam Joubagiones caſtri *Zemlum* ſcilicet: *Petrum*, *Michaëlem*, *Dugus*, *Chepanum*, *Vetham*, *Tumpam*, *Mocodinum*, *Mozu*, & *Hyſcen*, & item caſtrenſes, ſcilicet: *Villam*, *Chyan*, *Bezegu*, *Poiznan*, *Retztel*, *Homar*, *Zurnob*, *Torſa*, & *Horkyan*, de deſtructione prædii hoſpitalaris, ſecundum

---

e.) Qui miniſterialibus regis præerat, & qui, ſubortas inter eos lites componebat, Comes dicebatur.

f.) *Dionyſius*, Magiſter fuit officiorum, in aula regia, qui ſubortam, inter *Bactiniferos*, & Comitem *Vz*, litem, iuſſu regis, diiudicauit quidem, non tamen Bactiniferis præfuit.

g.) Rectius *Buttiniferi*. Quibus potus regii cura demandata erat, *Buticularii* vel *Buttelarii*, id eſt, pincernæ regis ita cognominabantur. HINCMARVS *de ordine Palatii cap.* 23. Qui autem *butinia*, ſeu lagenas ad regium portabant triclinium, ſeu domi, ſeu foris, *buttiniferi*, quam *buctiniferi*, rectius dicebantur. Elucet id, ex ALCVINI Poem. 221.

*Et Nemias, græco infundit ſua pocula Bacho.*
*Qui ſecum, tunnam ſemper portare ſueſcit.*

h.) Curialis Comes regis, in curia regia, cauſſas miniſtrorum maiorum regis cognoſcebat. COLOM. *lib.* I. *cap.* 12. ANDR. II. *Art.* 9. qui, & *Iudex curiæ* dicitur. TRIP. *P.* I. *nr.* 30.

i.) PROCVRATOR hoſpitalariorum, eſt vicarius & locumtenens, qui *Prioris* hoſpitalariorum vice, res geſſit in conuentu de *Serrab*, in diœceſi Agrienſi.

k.) CRVCIFERI, S. Joannis Hieroſolymitani, qui & *Hoſpitalarii*, poſtea *Rhodii*, & nunc *Melitenſes* equites nuncupantur, duos, ſub corona Hungariæ, Prioratus habebant, *Dubicæ*, in Croatia, & *Auranæ* in Dalmatia. Conuentus vero permultos, quos illi Perceptoratus nominabant. vid. PETR PÁZMANY *Append. II. Decret. Synod. Strigon. p.* 113. SZENTIVÁNY *Diſſert. Paral. Catal.* 44. Res eorum geſtas HENRICVS PANTALEON, integro volumine expromiſit, cui titulus: Militaris ordinis, Johanitarum, Rhodiorum, aut Melitenſium equitum, rerum memorabilium, terra marique, a ſexcentis fere annis, pro Republ. Chriſtiana, in Aſia, Africa, & Europa, contra Barbaros, Saracenos, Arabes & Turcas, ad præſentem vſque 1581. annum, fortiter geſtarum. Hiſtoria noua, Lib. XII. comprehenſa &c: Baſil. MDLXXXI. fol. Non ſunt ergo cum TEMPLARISTIS, qui & tardius nati, & deleti dudum ſunt, confundendi: quippe qui, vix aliquando in Hungaria ſedes habuere.

cundum æstimationem triginta marcarum duabus minus. Quos *Gyula* (l) Comes de *Keue*, iudex curiæ, discutiens, misit Varadinum ad candentis ferri iudicium, per Pristaldum nomine *Ypolitum*, vbi prænominati Jobagiones castri, & castrenses de præfatis villis, pepigerunt dare prædictis hospitalaribus vndecim marcas, in festo sancti Regis Ladislai, coram Capitulo Agriensi, & idem satisfacere iudici, partem autem Pristaldi hospitalares conuenerunt persoluere.

§. LXXXXIII. *Nicolaus*, curialis (m) Comes Ecclesiæ (n) de villa *Pásztúh*, cum (o) *Agazonibus* eiusdem Ecclesiæ, scilicet: *Ambrosio*, *Mouchi*, & aliis de villa *Crisi*, impetierunt quosdam de Joubagionibus eiusdem Ecclesiæ, scilicet: *Ilmerum*, cum genere suo, de villa *Vylok*, & *Elust*, cum genere suo de villa *Olup-tiuan*, qui dicentes, quod essent Agazones præfatæ Ecclesiæ. Ipsi autem dixerunt se bellatores Joubagiones, iudicibus *Banco*, Comite, & *Ægidio* Abbate eiusdem Ecclesiæ, Pristaldo *Peruen*, de villa *Olnémet*, qui portato ferro iustificati sunt.

§. LXXXIX. *Martinus*, sacerdos & Canonicus Varadiensis, impetiit Jobagiones *Vgud*, scilicet: *Senkam* & *Vodad*, iudice *Mica* Comite, Pristaldo *Petur*. *Senka* fur, portato ferro iustificatus est. *Vodad* autem combustus est.

§. XC. *Gregorius*, filius *Salad*, impetiit *Tilekam* seruum *Cosmæ* Comitis, de occisione sui seruientis, arbitris *Jacob*, *Marcens*, *Herne*, & *Abbate Stephano de Pethur* (p) in Prouincia *Sbung*, Pristaldo *Feud*, de villa *Noen*. Cum *Fileka*, propter infirmitatem in locum venire non posset, *Simon* frater ejus pro illo, portato ferro, mundatus est.

§. XCI. *Teleguen* de villa *Tegyegd*, & *Laurentius* sacerdos de *Vylok*, impetierunt *Matthiam* Joubagionem *Joannis* de villa *Pauli* de *Nyr*, pro furto, iudice *Culqed* curiali Comite *Bichoriensi*. Pristaldo *Andrea* de Bichor. *Matthias* portato ferro, iustificatus est.

§. XCII. *Penquez*, & *Laurentius* de villa *Sobt*, impetierunt quatuor homines *Athilæ*, scilicet: *Georgium*, *Visam*, *Vyrsint* & *Milum*, & postea vnum hominem *Bes*, scilicet *Petrum* de prædio *Athilæ*, de furto, iudice *Nicolao* Palatino Comite. Pristaldo *Martino* de villa *Vera*. Prædicti fures cum in die Dominico portato ferro solui deberent, vnus eorum nomine *Georgius* combustus est, manus vero trium, scilicet, *Visam*, *Virsint*, & *Mil*, fracto (q) sigillo Capituli, falso sigillo fuerant sigillatæ. Qui pro iniustis habiti sunt. *Petrus* vero fur, propter infirmitatem ferrum leuare non potuit.



l.) GYVLA, vel Jula Comes de *Keve*, recensetur inter iudices curiæ, apud IONGELINVM *in Catalago Judicum curiæ*, *ad an.* 1221. *vid.* de RÉVA *f.* 163.

m.) CVRIALIS Comes Ecclesiæ, idem est, qui bonorum Ecclesiæ procurator seu præfectus. Is vero non solum bona Ecclesiæ curat, sed etiam iudex est inter subditos Ecclesiæ. *Vide* supra §. 80.

n.) ECCLESIÆ de PÁSZTHV nomine, Abbatia Cisterciensium, olim in eo oppido Heuesiensi, intelligenda est. De ea PÁZMÁNY, Append. II. p. 106. Abbatia de Pászto, B M. Virginis, in Diœcesi Agriensi, fundata Anno 1190. Sedet oppidum, ad *Zadgyvam* amnem, sub montibus *Mátra*, in Neogradiensium confinio, ostentatque adhuc *Abbatiæ*, vasta quædam rudera. Quæ vidimus.

o.) AGAZONES Ecclesiæ, bellatoribus Jobagionibus opponuntur. Illi namque, equos Episcoporum, vel Abbatum, quoties ii in castra proficiscebantur, agebant; hi, inter banderia Ecclesiæ militabant.

p.) PÉTVR, Abbatia in Prouincia Simeg, (ita *Sung* corruptum legendum) viguit A. 1218. PÁZMÁNY loco cit. p. 107.

q.) SIGILLVM communitatis frangitur, vel per vetustatem, vel propter pœnam, in communitatem dictatam. Quod, vbi fractum, vel perditum fuerit; non nisi

XCIII. Quidam nomine *Petrus*, coadiuuantibus ſuis, ſcilicet: *Paulo* & *Henrico*, dixit ſe eſſe cognatum *Marci* de villa *Marcu*, in Prouincia (r) *Barona*, coram *Nicolao* Comite Palatino. Qui prædictus *Marcus* negabat eſſe ſuum cognatum. Quos jam dictus Comes diſcutiens per Priſtaldum ſuum, nomine *Petrum*, miſit ad candens ferrum Varadinum, vbi ſupradictus *Petrus* portato ferro, combuſtus eſt.

§. XCIV. *Fabianus* de villa *Cumbuk*, & frater eiusdem nomine *Gala* de *Beztoron*, impetierunt quinque homines de villa *Oron*, ſcilicet: *Scentukam*; *Simonem*, *Sebrecum*, *Marcum*, & *Bot*, pro damno decem marcarum violenter facto, iudice *Maurouice*, Comite *Nicolai* Palatini Comitis, Priſtaldo *Paulo* de villa *Johannis*, qui Varadini taliter conuenerunt, ut prædicti quinque homines, darent ſupradictis duobus, duas marcas, & fertonem, & iidem ſatisfacerent iudici & Priſtaldo.

§. XCV. *Metſa*, de villa *Fede*, impetiit hoſpitem cuiusdam *Zounuk*, de villa *Voda*, nomine *Joannem*, de furto, iudice *Mauriano*, curiali Comite de *Zounuk*, & Biloto *Bulſu*. Priſtaldo *Atanaſio*, de villa *Dumbul*. Præfatus *Joannes* Varadini, portato ferro, combuſtus eſt.

§. XCVI. Miniſter (s) Regis de villa *Tiuan*, & de villa *Tót*, & tota Prouincia de *Quemei*, vociferati ſunt coram *Nicolao* Palatino Comite, contra fures, ex quibus tres homines *Shak*, ſcilicet: *Voda*, *Queren*, & *Andreas* de villa *Scerep*, fuerunt Varadini cum Priſtaldo eorum, nomine *Toma*. Quorum *Voda* combuſtus eſt. *Queren* mundatus eſt. *Andreas* vero infirmitate præpeditus ferrum portare illa vice non potuit, ſed recepta ſanitate, ab eodem iudice per eundem Priſtaldum, ad portandum candens ferrum deſtinatus, Varadinum non venit, & aduerſarii eius, dato ſuffragio, receſſerunt.

§. XCVII. Villani *Kenesy*, ſcilicet: *Kereu*, *Vruz*, *Micus*, & omnes alii de Prouincia *Doboka*, litigauerunt coram *Turdemetz*, curiali Comite de *Canar*, cum villanis *Peleka*, ſcilicet: *Turuzo*, *Jolequen*, *Gyok* & aliis, pro terra ad duo aratra, & ducentis (t) capetiis frugum, dicentes, quod illam terram violenter occupantes coluiſſent; villani vero de *Pelenka* reſponderunt: Quod terra caſtri, & propria terra eorum eſſet. Quos prædictus iudex *Turdemez* diſcutiens per Priſtaldum *Ochy* de villa *Scenta*, miſit ad examen ferri Varadinum, vbi homo villanorum *Keneſi*, nomine *Petrus*, combuſtus eſt.

§. XCVIII.

---

niſi publico regis regnique indultu, reparatur; ſicuti ætate noſtra Comitatui *Thurrotzienſi*, illud lege publica eſt redditum auctumque. CONST. 1715. *art.* 46. & Operis noſtri Tomo II. p. 313. ſq. Heic, ſignum, inuolucro manus impreſſum, violaſſe dicuntur fures.

r.) Prouinciæ BARONA nomine, comitatus *Baranyenſis* eſt intelligendus, Hungariæ Transdanub. in orientem, intra *Danubium*, & *Dráuum*, extremus.

s.) MINISTRI regis duplicis erant ordinis: maiores & minores, vtrique ad regis, vel ducis aulam pertinebant. COLOM. *lib.* 1. *cap.* 9. 11. Illorum cauſſæ, in ſynodo, vel coram comite & iudice, horum, coram iudice, cognoſcebantur. *cap.* 11.

t.) CAPETIÆ, Hungaris dicuntur, partim quindenæ nummi aurei; partim aceruuli manipulorum frumentariorum. Quatuordecim namque capetiæ, adæquant nummum aureum vnum, ſeu centum denarios. MATTHIAS, CONST. *an.* 1481. *Art.* V. ſin per 200. obulos diuidantur. 15. in diuiſum reſultabunt, quæ, vnam, aurei nummi quindenam conficiunt. Hinc ſeruus vagus, non niſi capetio vno vendi præcipitur, in decretis COLOMANI *lib. I. cap.* 44. Alioquin, capetiæ ſunt etiam frugum acerui, quod elucet ex INNOCENT. III. PP. lib. 5. epiſt. 7. ad Colocenſem Epiſcop. *Inhibens ſacerdotibus, ne recipiant capetias aliquas, vel cubulos vini, a regis vel reginæ conditionalibus, qui vulgo regales ſerui vocantur.*

u.) Si

§. XCVIII. *Guttredus* Præpoſitus, impetiit *Simonem* & *Briccium* pro damno quindecim marcarum violenter facto. Iudice *Tobia* curiali Comite de *Zounuk*. Priſtaldo *Matthiæ* de villa *Dobur*, qui ad ferrum Varadinum directi taliter conuenerunt, vt *Simon* & *Brictius* darent Præpoſito *Guttredo*, tres marcas, in die natiuitatis Sanctæ Mariæ in loco *Zanpto*, & idem ſatisfaceret iudici. Præpoſitus uero *Guttredus* Priſtaldo ſatisfacere conuenit.

§. XCIX. *Scyrni*, & *Gira* de villa *Bice*, impetierunt villanos de tota villa *Borsy*, coram *Forcaſio* Comite de *Potok*, dicentes, quod cum iuiſſent ad (u) teſtificandum pro eis in cauſa eorum, duarum marcarum feciſſent expenſam, qui cum hoc negarent, a dicto iudice, per Priſtaldum *Vrbanum* de *Potok*, (Varadinum deſtinati ſunt) hi venientes ad ferrum Varadinum, vbi *Scyrin* pro ſe & ſocio ſuo *Gira*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. C. *Vduornici* (vv) Regis de villa *Fonchol*, impetierunt quosdam de (x) prædio *Guerus* filii *Nanæ* Comitis, quorum nomina ſunt hæc: *Nubu*, *Vidu*, *Andream*, *Fatam*, *Mogdut*, dicentes, quod eorum eſſent conſerui, illi autem dixerunt, ſe eſſe liberos, & hoc idem dominus eorum conteſtatus eſt. *Nicolaus* itaque Comes Palatinus, dato Priſtaldo nomine *Cyama*, miſit vtramque partem Varadinum, vbi prædicti *Vduornici* ſeipſos recognoſcentes coram curiali Comite (y) ipſorum nomine *Mekeyn*, & Priſtaldo iam dicto, memoratum *Nunbu* ſubterfugerunt, dicentes, quod non eſſet de conſeruitute eorum, ſed falsâ opinione ipſum impetiiſſent. *Vid* autem portato ferro iuſtificatus eſt; reliqui vero tres, ſcilicet: *Andreas*, *Fata*, & *Mogd*, combuſti ſunt.

§. CI. Comprouinciales (z) de *Békes*, verſus *Scegubolm*, vociferati ſunt contra fures, coram iudicibus a rege delegatis, videlicet: *Mika* Bihorienſi Comite, & *Hylia* Comite, de *Békes*, qui miſſis Priſtaldis eorum, ſcilicet: *Petro* de villa *Bokc*, & *Hectore* de villa *Hegy*, & citatis furibus, facto iudicio, Varadinum eos ad iudicium ferri candentis deſtinarunt. Vbi *Bata* de Kaba, *Chibury*,

Iii

u.) Si quis in teſtimonium adductus, alicuius rei veritatem, ſua nititur adteſtatione probare, huius teſtimonium ſic recipi iubemus: ſi præſertim ſit confeſſus peccata ſua ſacerdotibus. Si denique contrarium habeatur, & cautela ſit veri teſtimonii per ſacerdotem in confeſſione, & mendacis culpæ redemtio fiat, cum poſſeſſione. COLOM. *lib. I. cap.* 26. & *cap.* Nullus audeat perhibere teſtimonium, niſi confeſſus peccata fuerit. Cuiuscunque vero teſtimonium falſum inuenietur, eius teſtimonium amplius non recipiatur. Iſtiusmodi ergo operam nauarunt *Scyrin* & *Gira*, Borſienſibus. Quod ſane, fieri nequiuit, ſine impenſa in profectionem, quam eis tamen inique negarunt *Borſienſes*.

vv.) VDVORNICI regis, nobiles ſunt prædiales vnius ſeſſionis, in villis regiis beneficii nomine regi obſtricti. Qua de cauſſa, dicuntur ii etiam ſerui, diſtincti a liberis conf. §. 101.

x. Prædium idem eſt, quod allodium, poſſeſſio. Hinc GVILHELMVS BRITO apud du FRESNE *Prædium dicitur poſſeſſio, villa, ager, ſeu perpetuum allodium, & dicitur allodium hæreditas, quam vendere & donare poſſum.* Addit BREVILOGVS. *Et proprie vocatur fundus, ſiue curia ruſticalis, ad quem, agri vel manſus pertinent.* Erat igitur prædium, non modo ab omni præſtatione liberum, ſed &, a quolibet ſeruitio reali & perſonali, immune: licet illius poſſeſſor, dominum agnoſceret, a quo illud tenebat, quaſi feudum honoratum. Hinc filii Nanæ comitis de prædio Guerus, dicuntur fuiſſe liberi: tametſi agnouerint dominum h. l.

y.) CVRIALIS Comes Vduornicorum regis, iudex erat, qui ſubortas inter eos lites, dirimebat.

z,) COMPROVINCIALES de *Békes*, dicuntur, qui de eadem prouincia, ſeu comitatu Bekeſienſi fuerunt.

*Chibury*, & *Banus*, ac *Georgius* de villa *Zaar*, *Hiliachin* quoque de villa *Turda*, item *Tnd* & *Mortun* de villa *Uduori*, omnes inquam isti portato ferro, iustificati sunt. *Baghia* vero, de villa *Curbei* Joubagio germani, combustus est, & de Ecclesia non exiuit ad solutionem.

§. CII. Castrenses *Zathmar*, de villa *Voda*, impetierunt vxorem & filios *Andreæ* Comitis filii *Josæ*, scilicet: *Simonem* & *Michaelem*, dicentes, quod *Andreas* Comes occupasset terram de portione ipsorum, ad septem (a) aratra & adiunxisset terræ suæ, quam Rex *Andreas* dedit illi, ad quindecim aratra. Præfata autem Domina & filii eius responderunt, quod illa portio iure emptionis attineret ad eos, quia parentes *Andreæ* Comitis dudum emissent a *Cosma*, filio *Gyuna*. *Dethmar* itaque curialis Comes *Simonis*, quendam *Voiouoden* nomine, Comitis de *Zathmar*, ex præcepto Domini sui Iudicis a rege delegati, per Pristaldum nomine *Petrum* dc villa *Peto* discussos misit Varadinum ad candentis ferri iudicium, vbi prænominati Castrenses, scilicet: *Chepanus*, *Thomas*, & *Kusa*, præsente *Petro* ioubagione eius de castro; qui se ab omnibus ioubagionibus suis, scilicet: *Andrea*, *Chod*, *Nogione*, *Subret*, *Paulo*, & omnibus aliis missum esse perhibuit, subterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes, quod falsa opinione prædictam *Dominam*, & filios eius, de iam dicta terra, impetiissent.

§. CIII. Vdvornici (b) Regales de villa *Erubud*, impetierunt quosdam de prædio *Olodari* filii *Achillis* Comitis, scilicet *Potham* & *Chumur*, dicentes, quod eorum essent *conduornici*. Illi autem dixerunt se esse liberos, & hæc idem astruxit dominus eorum. Quos *Nicolaus* Comes Palatinus, discutiens per Pristaldum nomine *Chamam*, misit ad iudicium ferri candentis Varadinum. Vbi homo *Uduornicorum* portato ferro, pro *Uduornicis*, iustificatus est, *Potham* & *Chumur* de *Tobut*, remanserunt.

§. CIV. *Pousa*, de villa *Boroch* impetiit Joubagionem *Apæ*, de villa *Sedan*, nomine *Scentum*, dicens, quod pedisequam (c) eius esset furatus, Iudice *Mouricio*, *Nicolai* Comitis Palatini Vicario. Pristaldo *Peta*, de villa *Achad*. Præfatus *Sentus* Varadini portato ferro combustus est.

§. CV. Comprouinciales de *Bichor*, vociferati sunt contra fures, coram *Mica* Comite *Bichoriensi* iudice a Rege Andrea delegato, qui misso Pristaldo suo nomine *Zacheo* de villa *Nadudor*, & citatis furibus facto iudicio, misit eos Varadinum, vbi *Tunou* de villa *Kolond*, portato ferro, iustificatus est. *Oldruh* de villa *Harsan*, combustus est, sed fugit ad Ecclesiam, *Murich*, de villa *Vcan* combustus est. *Moglon* de villa *Iratz*, iustificatus est. *Hollus* de villa *Pescera*, combustus est. *Calondus*, de villa *Bosold*, combustus est, sed de Ecclesia non exiuit ad solutionem. *Jacob*, de villa *Giontoy*, filius *Forcos* portato ferro, latenter fugit.

§. CVI. *Pousa*, de villa *Kerequi*, impetiit quendam nomine *Vnucam*, de combustione domus suæ, & damno sex marcarum, iudice *Kulqued* curiali Comite de *Bichor*, Pristaldo *Fulco*. Præfatus *Vnuca* Varadini combustus est.

§. CVII.

---

a.) Aratri nomine intelligitur tantum terræ, quantum interdiu, vno arari potest aratro. Will Thorn. in Chron. an. 687. *Idem rex, dedit eidem Abbatissæ, terram duorum aratrorum*: & diplomatibus Regum Hungariæ passim.

b.) Vdvornici regales iidem sunt, qui Vduornici regii §. 98. quorum socii, Conduornici dicuntur.

c.) Pediseqva, ancilla est libera, dominæ ministeriis addicta: quæ, quia dominam sequitur euntem, pedisequæ, vel sequipedis nomen accepit, du Fresne *Glossar.* voce *sequipes*.

d.) Filii

§. CVII. *Hiſce*, ſeruus *Farcaſii*, de genere *Katha* impetitus de furto, *Alodomero*, & comprouincialibus *Zounuk*. Iudice *Paulo* Comite de *Chenadu* Priſtaldo *Joanca*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CVIII. *Záuida*, de villa *Chroath*, impetiit *Gecham* de prædio *Demetrii*, pro boue furtim ſibi ſublato. *Giecha* autem duxit quendam nomine *Saden*, de villa *Boka*, dicens, quod ab ipſo bouem illum emiſſet, ille autem non contradixit, ſed aſſeruit illum bouem eſſe *filium* (d) *vaccæ* ſuæ: cui cum non crederetur, *Vitalis*, curiales Comes de *Zounuk*, per Priſtaldum nomine *Nunchiz*, ad examen ferri candentis miſit Varadinum, vbi cum præfatus *Saden* ferrum eſſet portare paratus, prænominatus *Záuida* renunciauit cauſæ ſuæ, dicens, quod falſa opinione ductus, bouem illum pro ſuo boue cepiſſet.

§. CIX. *Vedus* de villa *Gyurb*, impetiit *Opochum*, de villa *Guezt* pro furto, iudicibus *Quilqed* curiali Comite, & Biloto *Forcaſio*. Priſtaldo *Zugna* de villa *Uduory*. Varadini *Opoch* portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CX. Anno Dominicæ Incarnationis, Milleſimo Ducenteſimo Decimo nono, Joubagiones (e) caſtri *Karaznay*, ſcilicet: *Ruben* maior (f) exercitus, *Echilleus*, *Varnog*, *Euzud* & *Pinna*, centuriones, (g) & *Paradan*, & Ciues eiusdem caſtri, ſcilicet: *Byuncy*, *Vcyk*, *Mikus*, & cæteri, traxere in cauſam, *Lulan*, filium *Vaca* Comitis, pro parte terræ ſuæ, quæ vocatur *Poyaspotok*, dicentes, quod violenter illam occupaſſet. Prædictus vero *Lula* dixit, eandem terram iure hæreditario ſe poſſidere. *Martinus* igitur Comes, frater *Seud*, præcepto Regis eos diſcutiens, poſuit ſuper iuramentum *Lulæ*, qui ſuper ſepulchrum S. Regis LADISLAI coram Priſtaldo Regis, nomine *Toma*, filio *Tup*, de villa *Mata*, & coram Capitulo Varadienſi iurans, (h) iuſtificatus eſt.

§. CXI. Joubagiones caſtri, *Carazna*, ſcilicet: *Ruben*, *Echileus*, *Euzud*, *Pinna*, & *Paradan*, & ciues eiusdem caſtri, ſcilicet: *Buncy*, *Vcyk*, *Micus*, & cæteri, traxere in cauſam, *Altum*, *Leonardum* filium *Poneci*, pro quadam parte terræ ſuæ, quæ vocatur *Ceſar*, dicentes, quod violenter occupaſſet. Prædictus



d.) FILII vox uſurpatur etiam in brutis. Nam, & ISIODORVS, filios de ouibus dixit; de hirundinibus vetus interpres. JVVENALIS Sat. 10. v. 230. vt & HESYCHIVS de ranis, & SYNESIVS de aliis animantibus. Videtur, phraſis eſſe, ab Hebreis petita, quibus BEN BAKár *filius Vaccæ*, ſeu vitulus, dicitur. Conuenit hæc vituli denominatio, cum illa expreſſione, qua porcus in quodam germanico Hungariæ oppido, lingua Slauonica, adpellatur porcæ maritus, & porcellornm pater h. m. Naſſ Swini Muži, naſſi Praſcy Otcy.

e.) Milites erant caſtro *Karaſzna* ſubiecti, & ad caſtri præſidium deſtinati, probe a ruſticis ſeu ſeruis caſtri, diſtinguendi §. 40.

f.) MAIOR exercitus, militibus caſtrenſibus, qui cum domino expeditionibus regni intereſſe, atque pro eo dimicare ſolebant, cum poteſtate præerat: ſicuti maior domus, domui, ſeu famulis, du FRESNE *Gloſſar.* voce *maior.*

g.) CENTVRIONES iidem, qui & Centenarii, duplicis erant conditionis. In exercitu namque centuriones dicebantur, centum militibus præfecti. VEGET. *lib.* 2. *cap.* 8. 13. in iudiciis contra ea, iudices minores, qui per centenas ius dicebant, & comiti ſuberant. CAPITVLAR. CAROLI M. *lib.* 4. *cap.* 62. 63. Scilicet, quilibet pagus Comitis diuidebatur in vicarias, vicaria, in centenas, centena, in decanias, in quibus iudices erant vicarii, centenarii, decani, du FRESNE *Gloſſar.* voce *centena.* Huc reſpicit THVRÓTZIVS, *Chron. P. II. cap.* 2. Quando Hungarorum exercitus, Capitaneos, centuriones, atque decanos præfectos fuiſſe, tradit.

h.) In iureiurando varii obſeruabantur ritus. Peragebatur id in ieiunis, vt eſt in CAROLI M. *Capitular. I. an. incerti cap.* 39. In Eccleſia, vt eſt in LONGOB. *leg. lib.* 2. *tit.* 55. §. 21. Super crucem, BEDA *cap.* 9. In altari, GREGOR. TVRON. *Hiſt. lib.*

dictus vero *Leonardus*, dixit eandem terram iure hæreditario possidere. *Martinus* ergo Comes frater *Seud*, præcepto regis discutiens, posuit super iuramentum *Leonardi*, qui super sepulchrum S. Regis LADISLAI, coram Pristaldo regis nomine *Toma* filio *Tup*, de villa *Mata*, & coram capitulo Varadiensi, iurans, iustificatus est.

§. CXII. *Cureus*, (i) & frater eius *Beda*, de villa *Chytmeu*, litigauerunt cum *Toma* & *Mauog*, de eadem villa, coram *Smaraco* Comite de *Poson*, qui discutiens eos per Pristaldum suum *Chequeum*, de villa *Gormot*, misit ad examen ferri candentis Varadinum, vbi prædicti *Tomas* & *Mauog* conuenerunt dare aduersariis suis *Euresdino*, & fratri eius *Bedæ* vnam marcam, & idem Pristaldo satisfacere. Iudicis vero partem *Eureus* & *Beda* dare conuenerunt.

§. CXIII. *Ocy*, de villa *Solumus*, impetiit quattuor Jobagiones *Belæ* de villa *Guolozka* de furto, quorum nomina sunt hæc; *Modoros*, *Chebae*, *Chymp*, & *Bud*, iudice *Tobia*, curiali Comite de *Zounuk*, & altero Biloto *Toma*, Pristaldo *Galus* de villa *Domlun*, Varadini, tres ex illis furibus portato ferro sunt iustificati. Scilicet: *Modoros*, *Chebae*, *Chymp*. *Bud* vero in dato termino non comparuit.

§. CXIV. *Vnuca*, de villa *Zamtou*, impetiit conuillanum suum, scilicet: *Paulum*, de furto, iudice *Quilged* curiali comite de *Bichor*, Pristaldo *Agard* de eadem villa *Zamtou*. *Paulus* portato ferro, dum die Dominica (da (k) pacem) manum suam soluendam porrigeret, supradictus *Vnuca*, renunciauit iudicio ferri candentis, dicens, se falsa opinione inductum, supra nominatum *Paulum* de furto impetiisse.

§. CXV. *Bartholomæus*, de villa *Nádudvor*, impetiit *Henricum* filium *Pous*, de eadem villa, dicens, quod seruum suum nomine *Fatam*, violenter ei abstulisset; at ille respondit, quia non, sed cum pater eius nomine *Saturninus*, teneretur ei in quinque marcis, duabus solutis, pro tribus dedisset ei seruum prænominatum, & super hoc adduxisset testes. Sed *Mica*, Comes Bichoriensis, testibus productis non contentus, misit vtramque partem Varadinum, ad examen ferri candentis, per Pristaldum nomine *Joannem* de villa *Apaty*, vbi prænominatus *Henricus*, seipsum (l) recognoscens, reddidit seruum Bartholomæo.

§. CXVI.

*lib.* 3. *cap.* 14. Super sancta euangelia, PROCOP. *de bello Vandalic. lib.* 2. *cap.* 21. Ad Sanctorum reliquias, & tumulos. CHRONIC, LAVRISHAM. P. 75. GREGOR. M. *lib.* 2. *epist.* 23. Præstabatur autem eiusmodi Sacramentum, tactis sanctorum reliquiis, ANNAL. FRANC. *Bertiniani* ad *an.* 757. cuius formula fuit: *Sic me Deus adiuuet, & illi sancti, quorum istæ reliquiæ sunt, vt veritatem dicam.* CAROL. M. *Capitular. lib.* 6. *cap.* 209. cui similis est formula, iuxta legem Romanam: *Per hunc locum sanctum, & DEI reuerentiam.* Vel, *Per reuerentiam istius Sancti, & DEI altissimi.* du FRESNE *Glossar* voce *iurare f.* 156. edit. Francof. 1681. Sacramenta hæc ad Sanctorum reliquias, certis & statis anni temporibus, in CONCILIO BVRDEGALENSI an. 1255. cap. 7. sunt inhibita. *Scilicet: a Septuagesima, vsque ad octauas Paschæ; ab aduentu Domini, vsque ad octavas Epiphaniæ; & in ieiuniis quatuor temporum, & in litaniis maioribus, & in Dominicis diebus, & in diebus Rogationum.* Quod Varadini, ad S. LADISLAI sepulcrum atque reliquias, fiebat iusiurandum, coram pristaldo regis, & sacro sacerdotum collegio, præstabatur. Conf. Jer. IV. 1. 2. c. V. 2. sequ.

i.) Rectius *Eureus*, sicuti in fine paragraphi exprimitur.

k.) Dominica *da pacem* dicitur.

l.) Scilicet, seipsum esse reum, recognoscens.

m.) Ad-

§. CXVI. Reginæ hoſpites, de prouincia (m) noui caſtri, ſcilicet: *Teutonici* de X. villis, quæ dicuntur *Felnémet*, *Cüzépnémet*, *Olugnémet*, *Puruen*, *Guncy*, *Vruzca*, *Visl*, *Igybázasvisl*, *Cece*, *Dubucya*, impetierunt (n) villicos ſuos, ſcilicet: *Sibretum*, & *Michaëlem*, de falſa villicatione, dicentes, quod oppreſſores eſſent populi, & dilapidatores rerum ipſorum: quorum cauſam, *Ocyus* Banus, (o) ex præcepto & auctoritate Regis diſcutiens computando centum & decem marcas argenti in damno, & miſit eos Varadinum ad examen ferri candentis, per Priſtaldum nomine *Auguſtinum* de villa *Pel.* Vbi prædicti actores de X. villis remiſerunt *Sibreto* & *Michaëli*, partem ſuam de damno, quod requirebant, ita tamen, quod ipſi eiicerentur de cohabitatione X. villarum cum vxoribus & filiis: ſine ſpe reuertendi, & ipſi idem *Sibretus* & *Michaël*, iudici ſatisfacerent & Priſtaldo. Executores autem huius cauſæ fuerunt *Nicolaus*, *Andreas*, & *Jacon* & *Elcy*, de X. villis.

§. CXVII. *Fulcus*, de villa *Megyer*, impetiit *Voſodum*, *Stephanum*, *Nicolaum*, *Pec*, & alios, de villa *Qesteſt* pro quatuor marcis, in eorum fideiuſſione, cuidam eorum conuillano accomodatis. Iudice *Forcaſio* curiali comite de Bichor, Priſtaldo *Bencya* de villa *Quenes.* Homo prædicti *Fulcus*, portato ferro iuſtificatus eſt.

§. CXVIII. *Banſa*, & *Ysou*, de villa *Naduduor*, impetiere quendam conuillanum ſuum, nomine *Viſatan*, de verberatione duorum ſeruientium: & damno octo marcarum violenter ablatarum. Iudice *Mica* Comite de Bichor, Priſtaldo *Joanne* de villa *Apáthy.* Qui cum veniſſent Varadinum ad examen ferri candentis, pacificati ſunt. Iudici & Priſtaldo ſatisfacere conuenientes. *Banſa* vero & *Iſou* pro bono pacis, ſupradicta, quæ requirebant, totaliter remittentes.

§. CXIX. *Pouca*, de villa *Buza*: impetiit conuillanum ſuum nomine *Munkách*, & omnes alios conuillanos eiusdem villæ, de conſcientia & conſpiratione homicidii. Quos *Mica* Comes de Bichor diſcutiens, per Priſtaldum ſuum, ſcilicet: *Colondum*, de villa *Noozul*, miſit ad iudicium ferri candentis, vbi *Munkách*, pro ſe, & vnus pro villanis, portato ferro, iuſtificati ſunt.

§. CXX. Comprouinciales de *Dus*, & horum ſpecialiter *Joubagio*, *Pauli*, filii *Mocou*, ſcilicet: *Martinus* de villa *Benea*, & *Abbas* (p) de *Zam*, & *Abbas*, (q) de *Ubod* & *Beque* de villa *Suma*, hi omnes impetiere fures, videlicet: *Lodut*, de villa *Irund*, *Simonem*, & *Botam*, de villa *Nozta*, *Eliam*, de villa *Uzlárj*, *Dionyſium*, de villa *Vita*, *Stephanum*, & *Rupoum*, de villa *Gymey*: iudice *Mica*, Comite



m.) Advenae intelliguntur *Germani*, qui in *Noui Caſtri* prouincia conſederant. Hoc nomine, quoniam interdum, in diplomatibus, comitatus *Saroſienſis* adpellatur: procliue eſt colligere, hoſpites hos reginæ, cum decem villis Teutonicis, in comitatu *Saroſienſi* eſſe quærendos.

n.) Villicvs proprie, villæ gubernator eſt, & a villa nomen accepit. S. Hieronym. *Ep.* 151. *quæſt.* 6. Poſterioribus ſeculis, pro eo accipitur, qui vulgo maior, ſeu Præfectus villæ dicitur, vti ſunt conſules, vel prætores, in ciuitatibus, id quod, ex Hungarorum diplomatibus elucet, vid §. 3. litt. f.

o.) Inter *Banos Croatiæ*, non occurit eius nomen. Itaque *Machovienſem*, vel *Zevvrienſem Banum*, fuiſſe oportet.

p.) Abbatia de Zam, alias Nam, Ordinis Ciſterſienſium, viguit A. 1219. Pázmány, Append. II. p. 106.

q.) Uhod, Abbatia refertur a Pázmanio, inter incerti Ordinis, ibid. p. 107.

r.) Abbatiam de S. Henrico ſub Andrea II. floruiſſe, adſerit Petrvs Pázmány Card. *Append. II. p.* 107. *ad Synod.* Szentivany, *Diſſert Paralip. Catal.* 34.

 s.) Dam-

Comite de Bichor. Priſtaldo *Joanne*, de villa *Apátby*. De nominatis furibus, *Stephanus* & *Elias* , combuſti ſunt ; & *Rupo* fugit in eccleſiam , & ad ſolutionem non exiuit. Alii mundati ſunt.

§. CXXI. *Vacy* , de villa *Qezy* , impetiit *Nucam* , *Petrum* , *Vrbanum* & *Vd* , de prædio , *Demetrii* , videlicet *Puſæ* , ſed tamen Caſtrenſes *Bichor* , de latrocinio , iudice *Qulged* , curiali Comite , Priſtaldo *Agard* , de villa *Megyes*. *Nues* portato ferro , fugit in eccleſiam , & ad ſolutionem non exiuit ; *Vd* , juſtificatus eſt ; *Petrus* & *Vrbanus* , Varadinum non venerunt.

§. CXXII. *Abbas* (r) de *S. Henrico*, & Patronus Eccleſiæ , impetiit filios *Stephani* ſcilicet: *Michud*, *Aladarum* , & *Bazlou* , pro centum marcis violenter ablatis. Iudice *Benedicto Bano* , Priſtaldo *Pouca* , de villa *Cokot*. Qui cum Varadinum venerunt , filii *Stephani* , conuenerunt dare *Abbati* & Patrono Eccleſiæ , triginta marcas , & ſatisfacere Priſtaldo ; *Abbas* vero iudici ſatisfacere conuenit.

§. CXXIII. *Juna* , Joubagio *Laurentii*, de villa *Irund*, impetiit *Gyomam* , Jobagionem *Erdey* , de villa *Pauli* , pro damno (s) *trium fertonum*. Iudice *Erde* , Priſtaldo *Ægidio* de villa *Paul*, qui cum veniſſet Varadinum , *Gyoma* conuenit dare prædicto *Junæ* , (t) ſeptem pondera argenti , & ſatisfacere iudici. Priſtaldo vero , *Juna* ſatisfacere conuenit.

§. CXXIV. *Vztras* , frater *Tubul*, de villa *Hongun* , impetiit Joubagiones caſtri *Sásvár* , (u) ſcilicet : *Zoboslou* , *Vteſam* , *Bagdanum*, *Chequeleu* , *Polouk*, & caſtrenſes de villa *Drancy* , ſcilicet : *Kraznet* , *Coetan* , *Viſatan* , & alios de deſtructione prædii ſui , ſcilicet : damno , ſecundum æſtimationem , viginti marcarum argenti. Iudice *Demetrio* , magiſtro (vv) vice regis iudice , Priſtaldo *Adriano* , de genere *Kalatha*, de villa *Scily*, quibus Varadinum deſtinatis, ad examen ferri candentis , homo prædicti *Vztras* , portato ferro , iuſtificatus eſt.

§. CXXV. Cum *Eccy* Comes, filius *Eccy*, emiſſet terram nomine *Camana* , a *Leva* , filio *Cuſyd* , elapſo aliquanto tempore , *Michaël* , filius *Michaëlis* , frater *Edemen* , requiſivit eandem terram pro ſua terra , & cum non poſſet ad probandum hoc , aliquod argumentum inducere , *Ladislaus* , (x) Comes Bachienſis , & iudex curiæ , poſuit ſuper iuramentum *Eccy* Comitis ; ſed conſilio amicorum vtriusque partis , & licentia iudicis taliter conuenerunt. Quod *Eccy Comes* : daret Michaëli , viginti marcas , vna minus , & *Michaël*, dimitteret prædictam terram *Eccy* Comiti , pro iure emptionis , ita, quod ſi quando a quocunque eadem terra ab *Eccy* Comite , vel poſteris eius requireretur , *Michaël* , vel eius hæredes , *Eccy* comitem iuſtificare tenerentur. Et vt exitus huius cauſæ indelebilis exiſtat , nominatus *Eccy Comes*, cum Priſtaldo huius cau-

---

s.) Damnum TRIVM FERTONVM , ad tres vnius marcæ quartas partes , ſeu 252. denarios extenditur. vid. § 47. vv. niſi forte ad alios fertones reſpiciat actor.

t.) Septem pondera , ſeu ſeptem libræ argenti , 276. ½ florenis *Cæſarianis* æquivalent. Namque , vnum argenti pondo 39. ½ floren. rhen. eſt æquale. conf. §: 13. not. e.

v.) SASVÁR , arx & oppidum eſt Comitatus Nitrienſis , Slauis *Schaſchiu*. Recole § 32. inclaruit nuper, religioſis, ad B. V. MARIAE icona , proceſſionibus.

vv.) VICE REX , qui regis vicem , aut locum tenet , *Palatinus* , aut *Gubernator* intelligitur. Cuius iudex fuerat , magiſter , ſeu doctor legis , qui eidem in iudiciis adſidere ſolebat.

x.) LADISLAVS , Comes *Báchienſis* , & Iudex cutiæ , regnante ANDREA II. floruit. SZENTIVÁNY *Diſſert. Paralip. Catal.* 96. Ergo, nondum *Epiſcopi*, illic *ſupremi Comites* fuere.

SERVI

causæ ; nomine *Mycud*, filio *Athae*, Varadinum veniens, persoluit nominato *Michaëli* viginti marcas, vna minus, Capitulo & Pristaldo præsente.

§. CXXVI. *Chygz*, & *Jacob*, filii *Buns*: euntes cum *Vnuca*, filio *Forcos* de *Békes*, Pristaldo scilicet: & seruo *Ladislai* Comitis de *Baach*, & iudicis curiæ cœperunt seruum suum nomine *Cucus*, apud *Budam* filium *Forcasi*: quomodo, dum *Buda* diceret liberum esse, illi probabant eundem seruum suum esse; sed consilio amicorum vtriusque partis & licentia iudicis, memoratus *Buda*, memoratum *Cucus* redemit (y) a seruitute, in absolutam libertatem, ita, quod quando ipse *Cucus*, & filius eius, & omnis generatio ab eisdem successura, vbicunque vellent, manendi fas haberent. *Cucus* autem reddidit *Budæ* pecuniam, quam scilicet *Buda* pro ipso dederat, scilicet: duas marcas & dimidiam.

§. CXXVII. Populus Ecclesiæ *Bistriensis* (z) de villa *Suptal*, impetierunt nomine *Tub*, de villa *Fiues*, pro violentia, dicentes ipsum, quattuor equos & sex boues, ab eis violenter abstulisse. Præterea, quod tres viros, & vnam mulierem, graviter vulnerasset, & vnum virum quoque abductum, occulte retineret. Quæ omnia, cum memoratus *Tub* negasset; *Ladislaus* Comes *Bácbiensis*, & iudex curiæ, per Pristaldum nomine *Gabrielem*, de villa *Oztanca*, misit ad examen ferri candentis Varadinum, vbi vnus de prædicto populo, nomine *Bubcud*, portato pro se, & pro conuillanis suis ferro, iustificatus est. In eadem tamen septimana *Abbas* Bistriensis, cum deberet iurare, & soluere iudicium memorato aduersario populi sui, non fuit Varadini, nec iuravit, nec iudicium, quo tenebatur, persoluit. Porro, nominatus *Tub*, iudicium secundum sententiam prædicti iudicis, in quo tenebatur, condemnatus est erga populum Bistriensem, videlicet octo marcas & decem pensas, totaliter persoluit, nobis præsentibus in manus *Lyther* & *Pous*, procuratorum (a) de *Bistria*, quos ipsi cognovimus, ita quod ambo, in nullo tenerentur pro hac causa.

§. CXXVIII. *Bagba*, filius *Hodnogionis* (b) *Lucæ*, cum haberet seruum, nomine *Stephanum*, permisit eum redimi pro sex marcis & fertone, a quodam *Jobagione* suo, socero videlicet eiusdem serui, nomine *Crust*, cum vxore sua *Moxa*, & filio *Chegza*. De quibus duobus habetur in præcedentibus scriptis, in tantam autem libertatem sunt redempti, quod tam ipsi, quam omnis generatio ab eisdem successura, ubicunque vellent, (c) manendi fas habeant.

§. CXXIX. *Ladislaus*, Comes de Baach, & iudex curiæ, per suas nobis literas intimauit, quod *Lucas*, ministerialis Ecclesiæ de *Currud*: teneretur pro

Kkk 2

---

y.) Servi, ex iusta seruitute liberabantur, per manumissionem & redemtionem. §. 128. Illa, sola domini beneuolentia, hæc adiecto ad eam lytro, peragebatur: vtraque vero, vel propter serui fidele obsequium, vel propter alterius intercessionem.

z.) Populi Ecclesiæ Bistriniensis nomine, villani de *Suptal*, vico Abbatiæ Bistriensi subiecti, intelliguntur. Quæ, cuinam adscripta fuerit ordini, incertum est. Eam tamen an. 1222. floruisse, adnotauit Petrvs Pázmány Card. *Appendic. II. ad Synod. Prouincial. p.* 107. & ex eo, Szentivány *Dissert. Paralip. Catal.* 52. *p.* 117.

a.) Procvratores de *Bistria*, Abbatis sunt locumtenentes, qui, pro eo, res populi Bistriensis, curabant. vid. ad §. 16. litt. O.

b. Hadnagy, legendum, quod, centurionis legatum significat Hungaris: vocabulum, iam tum ætate Andreæ II. notum. Confer. §. 211. vbi idem vocabulum corrupte legitur.

c.) Serui, glebæ fundoque adscripti, obtenta libertate, liberum quoque ius migrandi consequuntur.

d.) Ser-

pro quodam *Deguz* nomine, ſoluere Varadini in feſto S. Michaelis *Jacou & Joanni*, quattuordecim marcas & decem & ſeptem pondera, & acceptis tandem illis, idem *Jacou & Joannes* haberent ius requirendi (d) ſeruos ſuos. Prædictus itaque *Lucas*, in prædicto feſto & loco, perſoluit prædictis *Jácou & Joanni* ſummam prædictæ pecuniæ, nobis præſentibus, & *Sebaſtiano*, de villa *Baba*, Priſtaldo huius cauſæ.

§. CXXX. Domina *Margaretha*, vxor quondam *Torcunca* comitis, habens terram hæreditariam nomine *Gilianus* ex donatione patris eius, videlicet *Forcaſii*, & fratrum ſuorum, ſcilicet: *Joannis & Pauli.* Mortuo patre ſuo & marito, inconſultis fratribus ſuis, donauit eandem terram *Cruciferis S. Joannis Baptiſtæ* (e); fratres autem eius prædicti, duxerunt eam in cauſam ante regem Andream, dicentes, non licere ei quoquo modo alienare terram illam aliis, cum ipſi ſint commetanei & ipſa terra ſit eis hæreditaria. Rex itaque, cum principibus ſuis id ipſum ſentiens, dato Priſtaldo, nomine *Foncbuca*, fratre *Heym*, præcepit terram illam venundari prædictis: prædictæ Dominæ fratribus. Qui cum iam dicto Priſtaldo venientes *Varadinum*, dederunt cruciferis præfatis, pro ſæpe iam dicta terra, præcium ſecundum æſtimationem regni, viginti & duas marcas, fertone minus, & terram in eorum ius, regis auctoritate reuolutam, teſtimonio noſtri capituli Varadienſis ſibi fecerunt adſcribi.

§. CXXXI. Cum Eccleſia *Sancti Protomartyris* de territorio Varadienſi quandam terram ſuam, nomine *Thomaſci*, contuliſſet vſu fructuario *Raphaëli*, filio *Thomæ* comitis: *Raphaële* autem in perſona: & in cunctis poſſeſſionibus ſuis pro quadam enormitate facinoris ſui: contra *Comitem Both*, publice condemnato: prænominata terra, inter cæteras nominati *Raphaëlis* terras, in manus regis Andreæ deueniſſet. Rex vero, *Ladislao Comiti de Bách*, & iudici curiæ, terram eandem contuliſſet. *Philippus*, Præpoſitus Eccleſiæ *Sancti Protomartyris*, cum priore *Adriano*, & *Cornelio* Cuſtode, nec non vniuerſo eiusdem loci *Capitulo*, requiſiuerunt ſupradictam terram, dicentes & teſtimonio privilegii oſtendentes, quod præfata terra Eccleſiæ *Sancti Protomartyris* eſſet, & præfato *Raphaëli*, vtpotè devoto Eccleſiæ filio, uſu fructuario, collata, inter facultates ipſius *Raphaëlis*, ab Eccleſia non deberet alienari. Rex itaque, cum ſuis principibus de iam dicta terra, taliter definiuit. Quod ſupradicta *Sancti Protomartyris* Eccleſia, ſupradicto *Ladislao Comiti*, centum marcas perſolueret, & ſic ſupradicta terra *Thomaſci*, ad ipſam, ſine omni contradictione iure perpetuo rediret, & factum eſt ita. Nam præpoſitus eiusdem loci nominatus, cum nominatis fratribus ſuis, centum marcas, coram Priſtaldo regis videlicet, *Petro*, filio *Lud*, præſentibus nobis perſoluentes, ſæpe iam dictam terram, in ius ſæpedictæ Eccleſiæ redemerunt. Nos, *Conventus Varadienſis*, huius rei teſtes ſumus.

§. CXXXIII. Cum *Scemer*, filius *Scemera*, in vltimo teſtamento dediſſet Eccleſiæ *S. Georgii*, *Duſinicum* quendam de prædio *Jouſæ*, nomine *Dera*, vt in

---

d.) Serui, mancipiorum inſtar, in perpetuam conjecti ſeruitutem, ſiue relicto domino, profugerant, ſiue, inuito eodem, adſerti fuerant in libertatem: repeti poterunt. Hinc demum enatum eſt, ius repetitionis colonorum, lege ſancitum publica. TRIP. P. *III. tit.* 25.

e.) CRVCIFERI S. Joannis Baptiſtæ, iidem ſunt, qui Hoſpitalarii. §. 87. nota k. Caue ergo, *Templariſtas* fuiſſe credas; quod vulgo, & docti apud nos faciunt, *Cruciferos*, ſeu *Hoſpitalarios*, miſcentes cum *Templariſtis.*

f.) Femi-

in festo S. *Michaëlis* celebraret exequias, cum vna oue competenti, triginta panibus, & quattuor idriis cerevisiæ; Ipso *Scermer* mortuo, quidam cognatus eius, nomine *Cosma*, detinebat eum apud se inuitum, nec permitebat eum explere seruitium suum. Filiæ itaque prædicti *Scemar*, scilicet: *Benedicta*, & *Rosa*, ad quæ omnia requisiuerunt coram *Joanne*, præposito Varadiensi, nominatum *Dusinicum* dicentes, quod memoratus earum cognatus, dimissum a patre suo *Dusinicum*, apud se invitum detineret, & non sineret officium suum adimplere. Quod cum iam dicto Præposito constitisset, dato Pristaldo, scilicet: Sacerdote iam dictæ *Ecclesiæ*, nomine *Paulo*, nominatum *Dusinicum* restituit in officium, in quo ipsum Dominus suus stabiliuerat, mandans eidem *Dusinico*, vt a prædicto *Cosma* recedens, mansionem sibi secundum arbitrium magistri *Capellæ S. Georgii* eligeret, memoratus autem *Cosmas* daret ei iuuencum vnum, quattuor oues, & octo capetias frumenti, vt habeat ex his seminaria rerum, ex quibus possit exequias celebrare.

§. CXXXIII. Ciues (g) castri de *Nougrad*, de villa *Sembur*, scilicet: *Chepanus*, *Péntér*, *Rodus*, *Pousa*, *Domald*, *Stephanus*, *Oucus*, *Zunga*, & *Joannes*, coadiuuantibus eiusdem castri (h) ioubagionibus, scilicet: *Loudan* (i) principe Exercitus, *Nicolao*, *Bohmel*, *Paulo*, *Both*, *Tiburtio*, & *Michaële*, requisiuerunt terram cuiusdam (k) liberi hominis, de nomine *Peth*, quæ est ad quattuor aratra, dicentes, terram esse castri, & ab ipso violenter occupatam in eadem villa, coram *Ladislao* iudice curiæ, & Comite Bachiensi. Qui *Peth*, cum terram suam iure emptionis se possedisse respondisset, nominatus

L l l iudex

f.) Dusinicus seruus est, ecclesiæ testamento datus, qui sacra emortualia, pro remedio animæ demortui domini, quot annis celebrari curabat, eoque nomine esculenta atque poculenta, sacerdotibus, die emortuali offerre obligabatur, conf. §. 142. vel pecuniam etiam, quod ex vetustis elucet diplomatibus, vid. *Chartam Episcop. Chanad. an.* 1330.

g.) Ciues castri, subiectum castro oppidum incolebant, a *Jobagionibus*, hac potissimum distincti ratione: quod isti: *vasalagii* seu seruitutis, illi, *census* tantummodo nomine, suis deuincti erant dynastis. Eos Gvibert. *Hist. Hierosolym. lib.* 4. *cap.* 13. ciuitatenses adpellat: eo quod *ciuitabant*, hoc est ciuitatem vel oppidum incolebant.

h.) Joubagiones, id est subiecti castri, diuersæ fuerant conditionis. Quidam enim, *militaria* in castro præstabant officia, inter quos, ducum alii, alii militum fungebantur munere. Nonnulli *artes* exercebant *sellularias*, sicuti fabri, pistores, &c. Reliqui, in villas & agros collocati, cum pecuariæ, tum rei agrariæ fuerunt dediti.

i.) Principes dicti sunt, quotquot in ordine aliquo primarium locum obtinent, quos ætas posterior *Primiceros* adpellauit. Cange du Fresne, *glossar* voce *princeps*. Erant namque apud Romanos principes legionum & cohortum. Vegetius lib. II. cap. 8. in principes officii; Symmach. *epist. lib.* 1. principes ciuitatis; Sext. Rvfvs, vocant, quo nomine, adpellabantur æuo medio, proceres palatii Capit. Carol. c. tit. 6. S. Stephan. *Decret. lib.* 1. cap. castri vel oppidi domini. S. Anselmvs *lib.* 3. *ep.* 8. interdum episcopi, sicuti in Canonib. S. *Patricii cap.* 30. est legere. Igitur Loudan, princeps exercitus castri Nougrad, dux erat militum, qui in castro, seu pedestri, seu equestri militia, sua præstare solebant officia.

k.) Qui nulli seruituti obnoxii erant, *liberi* dicebantur. Duplex liberorum fuit ordo, eorum scilicet, qui *liberi* & *nobiles*, & aliorum, qui *liberi* quidem essent, sed non nobiles. *Lex Frision.* tit. II. §. 2. Ceterum, liberi proprie dicti videntur, qui ab antiquo, ex seruis manumissis originem traxerant: sicuti nobiles, qui nulla originis ac seruitutis macula, coinquinati erant. Ea de caussa liberi homines sub alicuius patrocinio esse debebant, nec omnino sui iuris erant. *Charta de diuisione imperii Caroli M. c.* 3.

 l.) Bric-

iudex vtramque partem, ad examen ferri candentis per Priſtaldum nomine *Imurad* de villa *Sceureg*, transmiſit *Varadinum.* Vbi cum ſæpius *Dominus Peth* ferrum leuaſſet, & ad diem ſolutionis acceſiſſet, nominati ioubagiones caſtri, ſeſe recognoſcentes, memoratam terram, nominato *Peth*: pro terra ſua reſignauerunt, quæ terra habet metas ab oriente de *Topka*, & a meridie habet terram *Sanctæ Eccleſiæ Paztuh*, inde graditur per vallem nomine *Potok*, ad montem *Grab*, inde ad *Sember*, & de *Sember* incedit, ad *Hogoua*, ibi deſinit eſſe, vt nominatus Priſtaldus dixit nobis, coram aduerſa parte & idem aſſerente.

§. CXXXIV. *Paulus*, ſeruiens *Tibæ*, Canonici *Vacſizienſis*, impetiit quasdam mulieres, ſcilicet: *Mizla* & *Vtalou*, dicens, quod ancillam ſuam, nomine *Scereteu*, clam abduci feciſſent: quod, cum illæ negaſſent, memoratus *Paulus* induxit quendam, nomine *Paridem*, qui ei de facto illarum ſuggeſſerat. Quod cum ipſe *Paris* conſtanter contra illas aſſereret, (l) *Brictius* Epiſcopus *Vaczienſis*, prænominatam *Mizlam* & *Paridem* miſit *Varadinum*, ad examen ferri candentis, vbi illa portato ferro, pro ſe & pro Domina *Utalou*, combuſta eſt.

§. CXXXV. *Philippus*, filius *Coſmæ*, manu miſit quendam libertinum ſuum nomine *Zup*, cum filiis ſuis, *Both*, & *Bata*, talem eis conferens (m) libertatem, vt quàm ipſi tam omnis generatio ab eisdem ſucceſſura, vbicunque vellent, manendi fas haberent.

§. CXXXVI. Anno Verbi incarnati, *Milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto.* Regnante glorioſiſſimo Rege ANDREA, Venerabili (n) *Benedicto*, Varadienſi Epiſcopo (o) *Dionyſio*, Comite Palatino, *Stephano* Bichorienſi Comite exiſtente, *Aniano* lectore, & Notario Varadienſi, factum eſt: Quod *Omoczel*, filius *Joannis*, cum eſſet ſine omni hærede, proteſtatus eſt nobis oretenus, quod filius fratris ſui *Eliæ*, *Petrum* ſcilicet: & *Georgium*, atque *Matthiam*, & quendam eorum cognatum, nomine *Sedebur*, filios ſibi faciens adoptiuos, portionem ſuam, quæ eſt verſus eccleſiam *Sancti Petri* de terra *Cornuſt*, dediſſet prænominatis tribus fratribus, filiis ſcilicet: *Eliæ* prænotati, & *Sedebur* in commune, ita, quod, quam diu ipſe *Omoczel*, vel vxor ſua viueret, prædicta portio, ſicut antea iuris eorum eſſet; vel ſi eos hæredem habere contingeret, in ius illius hæredis, hæreditario iure cederet. Si tamen ambo, ſine hærede decederent, ea lege in ius nominatorum quattuor fratrum, nominata portio deuolueretur.

§. CXXXVII. *Ibrahin*, Archidiaconus de *Zobuslou*, quendam adoleſcentulum nomine *Paulum*, ſeruum ſuum, vt ipſe dixit, emptitium manumiſit, ita, vt quam diu ipſe viueret, ei ſeruire teneretur. Poſt mortem autem ipſius, ita liber foret, vt & ipſe *Paulus* & omnis generatio ab eodem ſucceſſura, vbicunque uellet, manendi fas haberet.

§. CXXXVIII.

---

l.) BRICTIVM vide apud SZENTIVÁNY *Diſſert. Paralip. Catal.* 18. *p.* 77. Et Tom Operis Noſtri III. p. 115. num. IV.

m.) Libertas a ſeruitute, apud Hungaros, coniuncta fuit cum libera migrandi facultate. conf. §. 137.

n.) BENEDICTVS præſul, ad annum 1232. inter Epiſcopos Varadienſes locatur, apud SZENTIVÁNY *Diſſert. Paralip. Catal.* 22. *p.* 82.

o.) DIONYSIVS de VIOLKA, ex familia de *Hederuára*, *ad annum* 1233. inter Regni Hungariæ Palatinos numeratur, apud JONGELINVM in Catalog. Palatin. fol. 153. non confundendus, cum DIONYSIO altero, comite Palatino, qui regnante BELA IV. aduerſus *Bathum*, Tartarorum ducem, infeliciter pugnauit. THVROTZIVS *Chronic. P. II.*

p.) Pro-

§. CXXXVIII. *Teco*, filius *Thomæ*, de villa *Debrezun*, & *Sororius* eius, *Hemiricus*, filius *Mauricii*, de villa *Zeb*, proteſtati ſunt nobis, quod cum eſſet controuerſia inter ipſos de quadam ancilla, nomine *Chynchola*, & duabus eiuſdem filiabus, ſcilicet: *Ancilla*, & *Cecilia*, ita quod prædictus *Hemiricus*, diceret, cum vxore ſua conductas. *Teco* vero aſſereret easdem a prædicto ſororio ſuo, titulo emptionis redemptas, conſilio arbitrorum videlicet: *Michaëlis*, filii *Matthiæ Comitis & Petri fratris Buch*, & aliorum conprouincialium: taliter inter ſe conuenerunt; quod prænominatus *Henricus* prænominatas ancillas, vendidit ſocero ſuo prædicto *Teco*, accipiens ab eo marcam & fertonem.

§. CXXXIX. Domina *Roſa*, filia *Briccii*, Archipreſbyteri, mortuo marito ſuo, & filiis ſuis, oretenus nobis eſt (p) proteſtata, quod indulſiſſet omnia (q) dotalitia ſua, & cuncta, in quibuſcunque maritus ſuus *Lodomerus* ei tenebatur, & abſoluit omnes cognatos mariti ſui, & omnes, quicunque fideiuſſerant pro marito ſuo, ſcilicet: *Habraham*, & *Tſabac*, & *Farcaſium*, *Paulum*, & *Gregorium*.

§. CXL. *Paſcha*, Priſtaldus *Dionyſii* Palatini Comitis, quod ex literis eiusdem Palatini percepimus, ſtatuit ante nos *Gregorium Abbatem de Kuru*, ex vna parte, & (r) *Tunnarios Regales*, de villa *Tunnal*, ex alia ſcilicet: *Andream*, *Tupur*, *Chama*, *Thucb*, *Halad*, & *Bogy*, dicens, quod prænominatus *Abbas*, deberet iurare ſuper ſepulchrum *S. Regis Ladislai*, pro terra monaſterii *Kuru*, nomine *Tumban*, quæ eſt iuxta *Criſium*, verſus meridiem prope monaſterium *S. Joannis Baptiſtæ.* Cumque præfatus *Abbas* paratus eſſet iurare, placuit vtrique parti, quod terra iam dicta prius metaretur. Quod cum factum eſſet, memorati *Tunnarii* ſe recognoſcentes, terram quam requirebant, dimiſerunt monaſterio *Kuru*, pro iure ſuo, & reuerſi proteſtati ſunt, coram nominato Priſtaldo, ſe iam dictam terram cum molendino, & ponte, ſæpe iam dictæ eccleſiæ remiſiſſe.

§. CXLI. *Stephanus* Clericus, filius *Hus*, proteſtatus eſt, quod cum quidam *Hagya*, ciuis *Culuſienſis*, impetiiſſet nomine *Henguch*, de villa *Hem*, pro furto: & *Henguch* iudicio ferri fuiſſet iuſtificatus. Prænominatus *Hagya*, remanſit in iudicio ſex marcarum, & eo non habente, vnde ſex marcas perſolueret, iudex huius cauſæ, nomine *Nucden*, Curialis comes, per manum Priſtaldi ſui, nomine *Luxa*, de villa *Lomb*, poſuit eum & vxorem eius & vnicum filium eiuſdem, nomine *Abbeus* pro ſex marcis, apud auum ſuum, nomine *Valderum*, hoſpitem de *Bichor*. Quo mortuo, remanſit præfatus *Hagya*, titulo



p.) Proteſtari, apud JUSTINIANUM Imp. *Inſtit. prooemio*, ſignificat *palam teſtari.* Nunc, vulgata magis, quam latina ſignificatione, idem eſt, quod Romanis, *intercedere*, *contra dicere*, *e re nata*, *contra aliquid*, *teſtes facere*, *adpellare*, wider etwas proteſtiren, ſein Recht vorbehalten. Hungaris: *Proteſtálni.*

q.) DOTALITIUM, idem eſt, quod dos iure Romano denotat, nempe, omne id, quod datur marito a muliere, ad ſuſtendanda matrimonii onera, DIGEST. lib. 56. § 1. Iure Hungarico, donatio eſt propter nuptias, vxori legitimæ, propter debitum matrimonii, a marito facta. TRIP. *P.* I. *tit.* 93. quæ ſicut ex rebus bonisque mariti ab vxore, iure ſuo quæri, ita pro arbitratu libero, remitti quoque poteſt. TRIP. *P.* I. *tit.* 109.

r.) Pincernæ erant regii, qui in *tunnas*, hoc eſt dolia, vinum, aut alium liquorem ſimilem, *tunnabant*, id eſt infundebant. Alioquin *tunnarii* etiam dicuntur, *qui tunnariam*, id eſt vinaria, ſeu *piſcaria* tynnorum, obſcrinabant. Du FRESNE *Gloſſar.* voce *Tunna*, *tunnaria*.

s.) VADI-

titulo (s) vadimonii apud *Hus*, patrem ſuum, ſcilicet: filium prædicti *Valteri*; patre autem ſuo defuncto, idem *Hagya*, remanſit ei, ab eo autem ſæpe dictus *Hagya* redemit ſeipſum, & vxorem ſuam, & filium ſuum, redditis ei ſex marcis, quas ab auo ſuo mutuauerat; & ita, debito plenarie abſoluto, remanſit & ipſe & vxor ſua & filius, liber in perpetuum.

§. CXLII. Ego, *Benedicta* vxor *Herczeg*, de genere *Borſa*, duabus filiabus meis iuxta natalium ſuarum dignitatem maritatis, & rebus meis eiſdem legitime traditis, emi a cognato meo, *Valeriano* cantore, cum conſcientia & conſenſu cognatorum eius, ſcilicet: *Vſtaur*, fratris eius, & magiſtri *Aniani* auunculi eius, & aliorum, ancillam, nomine *Agnam*, cum duobus filiolis eius, *Hetam* ſcilicet: & *Furtun*, & proponens dies viduitatis meæ, & filiorum, pro eccleſia de *Vgra* conſumare, appropinguante iam termino vitæ meæ, prænominatam ancillam, dedi eidem eccleſiæ, vt ſingulis menſibus, det ad altare Beatæ Virginis, candelam unius cubiti, & hoc uſque conſummationem vitæ ſuæ. Alterum autem filiorum ſuorum, ſcilicet: *Hetam* conſtitui *Duſinicum* exæquialem, vt ſingulis annis, ad eandem eccleſiam, in feſto *S. Michaëlis*, celebret exequias bienni boue, & panibus: quinque idriis cereuiſiæ; alterum vero ſcilicet *Furtun*, dedi eidem eccleſiæ, in (t) Campanarium, & ambos, in conſtitutis officiis, de generatione in generationem permanere.

§. CXLIII. *Liter*, de villa *Hotuon*, impetiit *Doſum*, de villa *Dobur*, de conſcientia perditionis equi ſui, valentis marcam & dimidiam, perditi in bello: iudice, *Coma* Comite de *Zounuk*, Priſtaldo *Ilegnen*, de villa *Vrſei*. *Liter* itaque, portato ferro *Varadini*, combuſtus eſt.

§. CXLIV. *Sunk*, de villa *Király*, impetiit *Geruaſium*, conuillanum ſuum, de duabus marcis & dimidia. Iudice (u) *ſeruo DEI*, curiali Comite de *Zobolcb*, Priſtaldo *Martino* de villa *Lopecur*; *Sunk*, & *Geruaſius*, Varadini taliter conuenerunt, quod *Geruaſius* daret aduerſario ſuo marcam & fertonem, & idem Priſtaldo ſatisfaceret, partem autem iudicis, *Sunk* teneretur perſoluere.

§. CXLV. *Becby*, impetiit de villa *Zuat* caſtrenſes pro duabus marcis, iudice *Beken*, curiali Comite de *Clus*, Priſtaldo *Petro*: prædictæ autem partes *Varadini*, taliter conuenerunt, quod caſtrenſes darent *Becby*, triginta & quattuor pondera, & idem Priſtaldo ſatisfaceret, pro parte autem iudicis *Becby*, teneretur.

§. CXLVI. *Hegun*, de villa *Sorloud*, impetiit omnes villanos de *Tuluold*, dicens quoſdam violentos, quod dum fugiens ad eos confugiſſet, ipſi omnes oſtia ſua claudentes, eum violentis ſpoliandum excluſiſſent, & illis, ſpoliato ipſo recedentibus, valens tres marcas eis commiſiſſet. Iudice *Nuechlen* curiali Comite

---

s.) VADIMONIVM, eſt ſponſio ad certum diem comparendi in iudicio, vel per ſe, vel per aduocatos. Hoc loco ſignificat, ſponſionem, perſoluendi æs alienum, vel mulctam, ad certum diem, & ſub certa conditione.

t.) CAMPANA vel Campanum, a Paulino Nolano, in Campania Italorum Epiſcopo, primum inuenta, vel in Eccleſiam inuecta, a Campania Italiæ, nomen accepit. Hinc turris eccleſiæ, in qua, æta campana pendent, *Campaniarum*, LEO OSTIENS. lib. 3. cap. 28. vel *Campanile*, THVROTZIVS, cuſtos autem *Campanarii*, qui Campanas pulſare ſolet, *Campanarius* adpellatur. MATTHÆVS VILLANEVS lib. 10. cap. 64. Alioquin, *Joanni* de *Janua*, Campanarius eſt is, qui æra fundit campana, du FRESNE, voce *Campanarius*.

u.) SERVI DEI, Clerici atque Monachi, in *Concilio Liptinenſi* c. 2. 7. & quod, an. 742. ſub CAROLOMANNO celebrabatur, adpellari ſolent.

Comite de *Zarând*, Priſtaldo Benedicto. *Hegun* itaque, cum portato *Varadini* ferro, ſolui deberet, *Canonici* manum eius non inſpexerunt, quia ſigillum, non ſanum inuenerunt.

§. CXLVI. Vniuerſi caſtrenſes, de *Cornuſt*, impetierunt villanos de *Sob*, pro conciuibus ſuis, coram *Mica*, Bichorienſi Comite. Illi autem dixerunt, ſe iobagiones eſſe a generatione, qui ſcilicet: (vv) liberi *Sancti Regis* dicnntur, & ſemper hoc aſſeruerunt ſe alias etiam iuſtificatos eſſe contra uniuerſos caſtrenſes de (x) *centurionatu Sapuri*, ante *Siculam*, curialem Comitem de *Bichor*, præcepto item *Micæ*, Comitis & auctoritate in eadem cauſa functum, & habere Priſtaldum, nomine *Vodaſſam*, de villa *Nek*, qui cum iuſſi exhibere eundem priſtaldum tribuiſſent ciues de *Cornuſt*, non auſi ſunt ei vitium falſitatis opponere, quibus ſupradictus iudex condemnatis, ipſos & idem villanos de *Sós*, per *Gilianum*, filium *Bocion* (y) contubernarium ſuum Varadinum transmiſit, vbi præfatus *Gilianus*, ex parte *Micæ* Comitis ſe transmiſſum eſſe dicens, coram prædictis partibus, & Priſtaldo, præmiſſam cauſam eo ordine ac tenore quo ſcriptum eſt, enarrauit, & præſentibus literis fecit æternari.

§. CXLVII. *Bulſub*, (z) dux Exercitus, de caſtro *Zounuc*, & vt ipſe dixit, alii iobagiones eiusdem caſtri, item *Bucicud*, & vt ipſe dixit, alii caſtrenſes, impetierunt *Felicianum*, & fratrem eius *Thomam*, atque *Georgium*, nepotem eorundem dicentes, quod eſſent caſtrenſes de *Zounuk*. Iudice *Smaragdo* (a) Comite eiusdem caſtri, a rege *Andrea* delegato, Priſtaldo *Andrea* de villa *Karil*. *Georgius* itaque pro ſe, & cognatis ſuis prænominatis, portato ferro, *Varadini*, cum ſolui deberet, non eſt permiſſus abſolui a *Bulſu*, & *Bucicud*, quorum vterque vice & in perſona aduerſariorum ſuorum, ſe ſtare dicentes, reſignauerunt prædictos, *Felicianum*, *Thomam*, & *Georgium*, eſſe omnino liberos, vt illi de ſe aſſerebant.

Mmm CXLIX.

vv.) Liberi Sancti Regis, dicuntur etiam *Jobagiones naturales*, §. 174. 183. ſoli quippe regi ſubiecti. Quos diuus rex, ab omni ſeruitutis onere liberos fecit, a lege: vti tranſeunti ſibi per eorum fines, equos, currus ſubductuorios, & ſeruitia ſtipendiaria, ſuppeditent. Colom. *Lib. I. cap.* 45.

x.) Pro iudiciorum & militiæ ratione, quilibet comitatus, & quælibet, cum caſtro coniuncta, dynaſtia, in *centurionatus* fuere diuiſa. Elucet id ex Colomanni Decret. lib. 1. cap. 79. *Singuli Comites denarios, qui per vniuerſas Hungariæ partes colliguntur, quantum ſuper vnoquoque centurionatu fuerit collectum, Strigonium mittant, neque prius regii Comites vel Centuriones partem accipiant*; Ceterum, *Centurionatus Sapuri*, ad caſtri *Cornuſtenſis* dynaſtiam pertinebat.

y.) Contvbernarivs, ſeu contubernalis, ex centurionatu *Sapuri*, Hungaris, *Pajtás*, quaſi Beit társ, hoc eſt, prædæ ſocius, dicitur. Malunt alii, a *Baj*, quod *duellum* ſignificat, vocem Hungaricam, *Pajtás*, quaſi *duelli ſocium*, deriuare. qua de re alibi.

z.) Dvx, apud *Francos*, ſub prima regum ſtirpe, dicebatur, qui multis ciuitatibus, quæ a *Comitibus* regebantur, cum poteſtate præerat. Gregor. Thvron. *Lib. II. cap.* 20. Hinc, *Duces prouinciæ*, in *Lege Bajovar. tit.* 2. *cap.* 1. & gradus, a Comitatu, ad Ducatum, apud Cinnamvm, *Lib. II. num.* 13. Hoc reſpectu apud *Hungaros*, qui diuiſo in plures *Centurionatus*, exercitui præerant, *duces exercitus* vocabantur. Qui titulus, propter ſingularem, inter *Hungaros* honorem, & auctoritatem cum primis, filiis fratribusque regiis, competebat. Thúrótzivs *Chron. P. II. cap.* 45. 47. 49. 50. ſeq. Ceteroquin, exercitus nomine, vaſalli potiſſimum intelliguntur, qui, in dominorum expeditionibus, bellis intereſſe, atque pro iis dimicare tenentur. vid. *Capitular.* Carol. M. 3. *an.* 811.

a.) Comes Castri, idem eſt, qui iudex vel præfectus caſtri, vid. ad §. 6. not. l.

§. CXLIX. *Buciur*, de villa *Puklusteluc*, impetiit conuillanos ſuos, *Lekam* & *Iſoum*, de latrocinio, iudice *Paulo* curiali Comite de *Bichor* & *Ciboud* (b) Biloto, Priſtaldo *Vica*. *Leka* itaque & *Iſou*, portato ferro, Varadini iuſtificati ſunt.

§. CL. Cum *Maſa*, de villa *Sorou*, iudicio candentis ferri conuictus eſſet *Varadini* de furto, & in *Bichor*, vt Priſtaldus aſſeruit, confugiſſet ad Eccleſiam. Aduerſarii eius, *Kaled* & *Beta*, & Priſtaldus ipſius *Honos*, præſente *Ceſario* centurione, vendiderunt præfatum *Maſam*, & vxorem eius *Fœlicitatem*, & filios ipſius, *Thomam*, *Tanals* & *Gyonon*, & filiam ſcilicet: *Magnet*, & *Ilega*, pro decem marcis, *Abſoloni*, filio *Hurt*, qui perſoluit illas decem marcas, præſentibus nobis canonicis Varadienſibus, ſcilicet: *Valeriano* cantore, *Michaële* cuſtode, *Gerardo* decano, *Petro*, *Sidrac*, & aliis, & idem ſcientibus, *Ceſario* centurione, & aliis ioubagionibus caſtri *Bichorienſis*.

§. CLI. *Paul*, de villa *Urbud*, impetiit conuillanam ſuam, nomine *Vyes*, vxorem *Forcos*, de veneficio, iudice *Pouſa*, Archidiacono de *Bychor*, Priſtaldo *Valentino*. Illa venit *Varadinum* cum Priſtaldo. *Paul* non comparuit in termino, quem *Priſtaldus* dixit ſe vtrique parti aſſignaſſe.

§. CLII. *Martinus*, de villa *Vtholm*, impetiit conuillanos ſuos, *Tyuand*, *Georgium*, *Fulcum*, & *Briccium*, filios *Vrbani*, de latrocinio, iudice *Lothardo*, Comite de *Zobolch*, Priſtaldo *Matthia* de *Tumſanſuna*. *Tyuand*, *Fulcus* & *Georgius*, iuſtificati ſunt; *Brictius* combuſtus eſt.

§. CLIII. *Ellu*, filius *Joannis* Comitis, impetiit *Cunſudu* ſeruum *Adriani* de villa *Silu*, ſororis eius vxoris *Vid*, de furto. Iudice *Paulo*, curiali Comite de *Bichor*, Priſtaldo *Boncy*, *Cunſudu*, portato ferro, cum ſolui deberet *Ellu*, ſubterfugit, dicens, ſe illum falſo impetiiſſe de furto.

§. CLIV. Vxor *Vid*, mortuo marito, cum eſſet ſine hærede, manumiſit quandam ancillam ſuam, nomine *Deraga*, vt quamdiu ipſa viueret, illa de ea non diſcederet, ſed ei ſeruiret. Si autem Dominæ ſuæ ſuperuiueret, vbicunque vellet manendi haberet libertatem, filiumque ipſius nomine *Cunſudu*, cum fratre ſuo *Adriano*, in idem conſentiente, manumiſit, ac tali libertate donauit, vt vbicunque vellet manendi fas haberet; ſi tamen in villa *Salu* ei placeret habitare, non niſi apud ipſam & fratrem ſuum Adrianum maneret. Filiam quoque eiusdem mulieris nomine *Keſam*, taliter liberauit, vt quam ipſa, tam omnis generatio ab eadem ſucceſſura, libera foret omnino. Omnium vero aliarum rerum quæcunque habet eadem Domina, vel habitura eſt, ſupradictum fratrem ſuum *Adrianum* (c) hæredem conſtituit, ita tamen, quod ipſa dum vixerit eis vtatur.

§. CLV.

---

b.) Bilotus, vel Bilochus, idem fuit, qui hodie, *Judex Nobilium*. Cuius munus erat, *furum atque latronum cauſſas ad pedes comitis diſcutere.* Andreae Decr. an. 1222. art. 5. Dicuntur illi in *Ritu* explorandæ veritatis §. 149. 178. *Biloti*, 164. *Biloci*, in legibus Regni l. c. *Bilochi regales*: forte, a voce Hungarica, *Birák*.

c.) Barones ac Nobiles, hærede legitimo deſtituti, de bonis rebusque omnibus, tam auiticis, quam adquiſitis, liberam teſtandi, adeoque in hæredem etiam adoptandi facultatem, lege Andreae II. habebant. *Si quis ſeruiens, ſine filio deceſſerit, quartam partem poſſeſſionis filia obtineat, de reſiduo, ſicut ipſe voluerit, diſponat, & ſi morte prauentus diſponere non poterit: propinqui ſui, qui eum magis contingunt, obtineant, & ſi nullam penitus generationem habuerit, rex obtinebit.* Andr. *Decr. an.* 1222. *art.* 4. Jam vero, nonniſi de adquiſitis, libere diſponunt; in reliquis, rex, vbi nullus ſupereſt hæres, tanquam, qui omnino *Baronum*, ac *Nobilium* regni, verus ac legitimus ſucceſſor eſt, iure ſuccedit, Trip. *P.* I. *tit.* 10.

d.) Vili-

§. CLV. *Zoloc*, de villa *Rechel*, impetiit *Marcum*, *Juan*, & *Marcellum*, de villa *Botocun*, dicens, quod cum ipſe, nec conuictus ſit in lite, nec etiam quisquam litigauerit cum eo, ipſi, cum Priſtaldo ignoto accepiſſent quatuor boues eius, quibus rem negantibus, *Tupa*, curialis Comes de *Karaſna*, per Priſtaldum, nomine *Goloſa*, de villa *Bani*, miſit *Varadinum*, vbi *Zoloc*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CLVI. *Perman*, de villa *Ip*, impetiit *Stephanum* & *Ægidium* iobagiones *Buncu* de villa *Coznis*, dicens, quod ſeruus ſuus nomine *Rugas*, clanculo accepiſſet pecuniam ſuam valentem octo marcas, & hoc ipſum dicebat ſeruus ille arbitris, Abbati de *Libbinii*, & *Ders* filio Derſeo, & *Pogu* (d) villico, & *Dezuan*, & *Buncu*, & *Luzen*, de villa *Nog*. *Bolu* & *Joachim*, villico de *Ipu*, & aliis multis, Priſtaldo *Methel*. *Stephanus* autem & *Ægidius*, portato ferro, iuſtificati ſunt.

§. CLVII. *Beda*, *Varnog*, *Igeben* Hodnog, *Iſac* centurio, & *Vodaſa* de caſtro *Clus*, coram iudice *Chriſtophoro* Comite, Priſtaldo *Fabiano* impetierunt *Banſam* de villa *Naduduor*, & fratres eius, ſcilicet: *Comam*, *Iſoum*, & *Elexium*, dicentes eos extorres; qui, cum miſſi iurare *Varadinum*, parati eſſent iurare, prænominati aduerſarii,confeſſi ſunt,eos terram habere ad tria aratra, nec adiurauerunt eos.

§. CLVIII. Joubadiones *Ordinenſis* caſtri, ſcilicet: *Baſu* Hodnogio, *Nubu*, *Bayr*, *Belche*, *Kelenin*, centuriones, & omnes alii ioubagiones, cum caſtrenſibus, impetierunt *Geruaſium*, de genere *Chenad*, pro terra caſtri nomine *Beſeneu*, iudice *Nicolao Palatino* Comite, Priſtaldo *Gonga*, de genere *Hudus*, vnus de caſtrenſibus, portato ferro, pro terra iam dicta, iuſtificatus eſt.

§. CLIX. *Bota*,de villa *Pazturd*, iudicio candentis ferri probauit,quod villani de *Bonia*, ſcilicet: *Zotmaz*, *Chegun*, *Paul*, & omnes alii iuuiſſent, violentum quendam inuaſorem & ſpoliatorem ſeruientis ſui, ad illos confugientis.

§. CLX. *Joabin* de *Lazdi*, impetiit *Keuam* de villa *Seuſci*, quæ eſt apud *Kanar*, de furto, iudice *Nicolao* Comite Palatino, Priſtaldo *Atmario* de villa *Boc*. *Keua*, Varadini iuſtificatus eſt, ferro portato.

§. CLXI. *Ereus*, de villa *Kamarás*, impetiit conuillanos ſuos, ſcilicet: *Tupam* & *Mauritium*, de vna Marca & fertone, iudice *Chepa* villico eorum, Priſtaldo fican. *Mauricius*, portato pro ſe, & pro *Tumpa* ferro, combuſtus eſt.

§. CLXII. *Vutuk*, de villa *Inka*, manumiſit quendam ſeruum, ſuum nomine *Figmoz*, cum omni generatione ſua, quæ ab illo eſſet ſucceſſura, ita, vt vbicunque vellet manendi fas haberet. Poſtmodum autem præfatus *Figmoz*, duxit vxorem liberam, cuius pater ſcilicet: *Juan*, & frater ſcilicet *Leuſtab*, impetierunt iam dictum *Vutuk*, de violento (e) raptu puellæ, & Dominum *Figmoz*, de indigno connubio, coram *Petro* Comite, ſcilicet: iudice a Rege delegato. *Vutuk* autem reſpondit, ſe iam dictum *Figmoz*, manumiſiſſe prius &



d.) VILLICVS,de eo ad §. CXVI. not. m. Adde du FRESNE *gloſſar.* voce *Villicus*. Obſerua, apud Hungaros omnes Prætores diuiſos fuiſſe, in iudices *Clariſſimos & Spectabiles*, *Pedaneos* item, & *Centuriones*, ac *Villicos*. Quod, ex THVRÓTZII *Chron. P. II. cap.* 35. *elucet.*

e.) CONNVBIVM, quod inter liberum & ſeruum contrahebatur; raptus fuiſſe ſpeciem, adeoque lege publica, apud *Hungaros* vetitum, ex hoc §. euitenter elucet. Eius ſpecies eſt, connubium, quod ad Morganaticam dicitur. vid. HVGO GROTIVS *de Jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.*7. §. 8. *n.* 3. JOH. BRVNNEMANNVS *in Iure eccl. lib.* 2. *cap.* 16. §. 6. Mos tamen hic, quod lege adfirmatus non fuit, exoleuit dudum;

& ſic illum vxorem liberam legitime accepiſſe. Sed cum prænominati aduerſarii non eſſent hac tranſitoria aſſertione contenti, ſupradictus *iudex*, per Priſtaldum nomine *Leuam*, vtramque partem Capitulo Varadienſi fecit exhiberi, & præfatum *Fygmoz*, per atteſtationem *Vltuk* Domini ſui, titulo manumiſſionis, liberum cum omni ſucceſſione prolis ſuæ aſſignari.

§. CLXIII. *Vetea*, impetiit *Solomonem*, *Kekam*, *Potur*, & *Iſoum*, de occiſione filii ſui *Eccy*, iudice *Albeo*, vice *Archidiacono*, Priſtaldo *Hadriano*. *Salomon*, *Keka*, *Potur*, & *Iſou*, portato ferro, iuſtificati ſunt.

§. CLXIV Cum *Ereu* villicus de *Jánuſt*, impetiiſſet quendam de villa *Voſian* nomine *Zotmoz*, pro porcis furto ſublatis, tres marcas valentibus, & inveniſſet (f) carnes porcinas in domo *Zotmoz* in præſentia conuillanorum *Zotmoz*; ſed *Zotmoz*, conſtitutus ante *Paulum*, curialem comitem de *Bichor*, & *Forcos Bilocum*, negaſſet carnes inventas fuiſſe in domo ſua, conuillani autem eius conteſtarentur carnes illas inuentas fuiſſe, prænominati iudices per Priſtaldos, ſcilicet: *Titan*, & *Percuſtu*, miſerunt dominum *Zotmoz* Varadinum, vbi dominus *Zotmoz* combuſtus eſt.

§. CLXV. *Paulus* opilio, (g) vice Comes in villa *Apa*, impetiit Dominum *Tengurd*, de villa *Piſuqui*, ioubagionem *Jacincti*, de furto, iudice *Nueclem*, curiali Comite de *Zar ind*, Priſtaldo *Juan* de villa *Gyorocz*, dominus *Tengurd*, iuſtificatus eſt.

§. CLXVI. *Butha* de *Beruchyon*, impetiit Dominum *Cochi* de villa *Deguſt*, pro decem marcis, iudice *Teku*, (h) *Abbate de Beruchyon*, Priſtaldo *Tarca*. Qui *Varadini* taliter conuenerunt; quod *Cochi* daret ſuo aduerſario quinque marcas, & idem teneretur Priſtaldo. *Butha* autem ſatisfaceret iudici.

§. CLXVII. *Opoy*, de villa (i) *Gourou*, viſo quodam gladio apud *Andream* venatorem *Bubali*, de villa ſancti *Martini*, impetiit eum de furto, iudice *Paulo* (k) *Comite* venatorum *Bubalinorum*, Priſtaldo *Stephano* de villa *Vriſu*. *Andreas* itaque venit *Varadinum* in octavis omnium *Sanctorum* in termino, ſcilicet: quem Priſtaldus dixit ſe vtrique parti præfixiſſe; *Opoy* autem non comparuit. §. CLXVIII.

---

dum: vnde promiſcua illa connubia, nobilis feminæ cum ruſtico, & ruſticæ, cum nobili, in morem abiere; haud ſine familiarum opprobrio.

f.) Carnis porcinæ eſus, *Iſmaelitis*, qui in *Hungariam*, ſeculo XI. immigrauerunt, lege publica fuit præceptus. COLOM. *Decr. lib. I. cap.* 46. 49.

g.) VICECOMES, Vicarius eſt Comitis, qui vices Comitis exſequitur. *Capitul.* CARLOMANNI *tit.* 2. *cap.* 9. vel, in prouincia, & comitatu, vel in ciuitate, oppido, aut pago, ciuitati adiacente. vid. *Leg. Longob. Lib. II. tit.* 30. §. 2. Ab ipſo ille eligebatur comite, præeratque in abſentia comitum, iudiciis & rebus publicis. *Vetus Notit. Viennenſis Eccleſiæ C. an.* 863. Interdum tamen Vicecomes idem erat, qui Caſtellanus, cui caſtellorum cuſtodia iucubuit, du FRESNE *Gloſſar.* voce *Vicecomes.* Seculis demum ſequentibus, *Vice Comitis* dignitas apud Hungaros, eo tantummodo loco, quo Comitis ſeruata eſt, hoc eſt, in *Comitatibus*, VLAD. *Decr. V. art.* 2. & oppidis quibusdam regiis, vtpote: *Scepuſienſibus*, & *Tranſiluanicis.*

h.) ABBAS de *Beruchyou*, ſeu Berucio, cuiusnam fuerit ordinis, incertum, *Pázmány*, & ex eo SZENTIVÁNY l. c.

i.) Loca hæc in comitatu occurrunt Jaurinenſi, vtpote: *Govrou*, Györ, Villa S. Martini, *Szent Márton*; Villa Vriſu, *örs.*

k.) COMES VENATORVM BVBALINORVM, inter aulica refertur officia. Judex erat venatorum bubali, ſeu bubiorum, hoc eſt lixarum & calonum regiorum, qui bubalos regios in nemoribus curabant. Vnde bubii, in *Chronic. Colmar. Part. II. ad an.* 1300. iidem, qui lixæ & calones. Fiebat vero frequenter, vt aberarrent ab armento bubali, fierentque, diuturno eiusmodi errore, prorſus ſilueſtres. Ergo, venatorum opera fuit opus, vt erraticum & ſilueſcens pecus, aut indagine clauderent, aut venabulo deiicerent. Hinc ea miniſteria.

l.) Cocvs

§. CLXVIII. *Discilou*, de villa *Borici*, impetiit *Glatillum*, (l) cocum regis, de villa *Susa*, de *Equizuhada*. Qui, cum negaret se esse venditorem illius equi, præfatus *Discilou* adduxit vt *Mosen* fidei iussorem aduersarii sui, quo se fideiussorem prohibente, *Glatillo* verò constanter negante. *Martinus* Bilotus de *Borsod*, per Pristaldum nomine *Kelepc*, misit Varadinum. Quo *Discilou* primitius actor, & alius *Discilou*, scilicet: fideiussor, & Pristaldus, in octauis omnium Sanctorum, quas Pristaldus dixit se vtrique parti pro termino assignasse, venerunt; *Glatillus* vero non comparuit.

§. CLXIX. *Feberja* de villa *Degust*, conuictus est de vna marca & dimidia contra villanos *Petur*, *Gregorio* de *Scili*, & Pristaldo *Zousa*.

§. CLXX. *Petrus* & *Baban* de villa *Hot*, impetierunt *Gyrcum* conuillanum suum de furto: iudicibus, *Paulo* curiali Comite de *Bichor*, & *Cybout* Biloto. Pristaldo *Hyuad*, de villa *Iraz*, Dominus itaque *Gyurc* combustus est.

§. CLXXI. *Cata*, de villa *Nec*, egit cum *Tecu* & *Bartholomæo* & *Butha*, iudice *Paulo* curiali Comite de Bichor, *Pristaldo* *Buda*, *Cata* itaque combustus est.

§. CLXXII. *Adam*, filius *Pote*, impetiit *Jacum* & *Modam*, de villa *Kereku* pro furto, iudicibus *Paulo* curiali Comite de Bichor, & *Cybout* Biloto, Pristaldo *Orochy*, de villa *Bocl*, *Jacus* & *Modan*, iustificati sunt.

§. CLXXIII. *Kereu* de villa *Ponoz*, impetitus de furto, portato ferro iustificatus est. Judice *Paulo* curiali Comite de Bichor. Pristaldo *Laurentio* de Bichor.

§. CLXXIV. *Valerianus* Cantor, *Michaël* Custos, *Gerardus* Decanus, *Joachin* & *Moust* Archidiaconus Varadiensis, & omnes alii, vniuersis quibus literæ præsentes exhibentur. Salutem in Domino. Venit ad nos in septimana *Exurge*, quidam Pristaldus, vt ipse dixit de se, nomine *Bolosoy*, de villa *Bobona*, cum quibusdam villanis de *Iku*, scilicet: *Roma Syca*, *Sumoz*, & *Olodaro*, & dixit, quod vniuersi villani de *Horz*, & de *Erdeü*, & de *Zethu*, & de *Bala*, & de *Quer*, & de *Zaka*, & de *Barca*, coadiuuantibus noui castri iobagionibus scilicet: *Jordano* (m) præfecto castri, & *Poson* Archiprecone, impetiissent prænominatos quattuor villanos de *Iku*, & idem *Laurencium*, *Cyubam*, *Forkos* & *Somotam*, quod essent quidem ioubagiones sed de castrensibus exempti. Illi autem dixerunt (n) naturales ioubagiones esse, qui scilicet: *Forcos*, Principe Exercitus, *Soma*, *Vidard*, *Joanne*, *Zolos*, *Leustach*, *Jacobo* Archipræcone. Quos *Michaël* curialis Comes de Heues, ex præcepto Domini sui *Alexandri* Comitis de nouo castro, vt Pristaldus dixit, discutiens misit Varadinum, vbi prædictus Pristaldus, & idem *Roma*, *Syca*, *Sumoz*, & *Olodar*, & qui-



l.) Cocvs Regis, ad aulica regis ministeria, de quibus supra actum est, pertinet. Quid vero sibi velit corrupta vox, *Equizuhada*; vix diuinando adsequare. Ex crimine tamen, cuius accusabatur *Glatillus*, quod equum *Discilou* vendiderit, auguror, coalitum esse vocabulum, ex latino & Hungarico idiomate, quasi esset: *Equi sui eladás*: vbi, *el-adás*, Hungarice *venditionem* significat. Alioquin paragraphus hic, extra modum obscurus est & vitiatus.

m.) Praefectvs Castri, idem qui Castellanns, seu castri custos, cui præter custodiam castri, incumbebat, castrenses regere, & in exercitum deducere.

n.) Natvrales Jovbagiones, sunt liberi, soli regi subiecti, a iobagionibus castri, seu dynastiæ probe secernendi. Horum conditionem loco suo recensuimus. Nunc iura eorum & priuilegia exponenda essent: nisi nos, sepultæ dudum antiquitates hungaricæ, manum de tabula iuberent demere. Ceteroquin, quod *Liberi Sancti Regis* dicuntur; satis patet, *S. Stephano*, peculiaria eorum iura, in acceptis ferri oportere. Vide infra, §. 183. *not. p.*

 o.) Si-

quidam ioubagio castri, nomine *Georgius* missus vt ipse dixit, a *Forcos* Principe exercitus, & coadiutoribus suis, fuerunt in termino, scilicet: hebdomada *Exurge.* Aduersarii vero eorum non comparuerunt & supradictus Pristaldus dixit, quod iudex præfatus scilicet: *Michaël*, pro conuicta & condemnata parte haberi mandasset eam partem, quæ nos veniret; sed hoc nos nescimus.

§. CLXXV. *Thomas*, de villa *Vislu*, impetiit conuillanum suum, nomine *Mert*, de furto, iudicibus *Louchiad*, Biloto, & *Menger* & *Mer* præfectis villæ, Pristaldis *Dirs* & *Sroub*, *Mert*, iustificatus est portato ferro.

§. CLXXVI. *Paulus*, de villa *Kabas*, filius *Petri*, impetiit *Paulum* filium *Sceresun* de alio *Kabas* pro furto. Iudice *Christophoro* Comite de *Zounuch*, Pristaldo *Voad*, de villa *Kers*, *Paulus*, filius *Sceresun*, combustus est.

§. CLXXVII. *Guda*, de villa *Zudurou* impetiit *Zot* & *Benum* de villa *Chaba*, pro damno octo marcarum violenter illato, iudice *Paulo* curiali Comite de *Bichor*, Pristaldo *Laurentio* de eadem *Bichor*. *Guda* itaque combustus est.

§. CLXXVIII. *Joannes* & *Mischa*, filii *Buchiku*, & *Tupa* filius *Pauli*, citauerunt filios *Hylary*, scilicet: *Isou*, & nepotem eius, scilicet: *Isaac*, ante (o) *Simonem* Bilotum de Bikes pro furto, qui cum ad *septem* (p) *terminos* non venissent, prædictus iudex nuntiauit *Palatino* Comiti. Ille autem iussit eos (q) *proclamari* per fora comprouincialia sub ea interminatione, quod si non venirent, vel ad iudicium *Biloti*, vel ad iudicium candentis ferri *Varadinum*, pro furibus publicis & conuictis haberentur. Illi itaque venerunt ad Bilotum, Bilotus autem per Pristaldum nomine *Gabrielem*, misit ad candens ferrum *Varadinum*, sed in termino quem Pristaldus dixit vtrique parti præfixisse, Varadini non comparuerunt.

§. CLXXIX. *Nicolaus*, filius *Angelus* impetiit *Juam*, filium *Joannis* de decem marcis & (r) *vno capite* hominis violenter ablatis, quos *Heimu* Comes, iudex a rege ANDREA delegatus, discutiens, per Pristaldum nomine *Cheger*, misit *Varadinum*. Vbi homo *Nicolai* portato ferro iustificatus est.

§. CLXXX. *Ceca* de villa *Curnad*, impetiit ioubagionem *Petri*, nomine *Geus*, & seruum eiusdem, nomine *Tomam* pro furto, iudice *Ecce* Comite de *Clus*, & Bilotis *Cherceg*, & *Petro*, Pristaldo *Vizozlou*, *Geus*, & *Thomas*, portato ferro, iustificati sunt.

§. CLXXXI. *Salta*, de villa *Sadan*, impetiit *Mogum*, de villa *Pagit* pro furto, iudice *Venceslao* Comite de *Zotbmar*, Pristaldo *Pousa* de villa *Ticud*, *Mogus*

---

o.) SIMON BILOTVS de Bikes, iudex est *Nobilium*, in Comitatu Békesiensi.

p.) TERMINI, nomine, iudicium intelligitur, cui certus dies, quasi limes quidam statuitur. Hinc ALB. *Decr. an.* 1439. *art.* 33. *Item alia facta patentiora minora, pro quibus videlicet proclamata congregatio non datur, in tribus terminis seu octauis (iudiciis) finaliter in iudicio concludatur.*

q.) Proclamatio, non tam est actio, qua quis, rem ablatam repetit, vti, du FRESNE in glossario obseruat, quam, terna in foris comprouincialibus, citatio, ab euocatione tamen distincta, intelligitur. ALB. *Decr. an.* 1439. *art.* 34. quæ demum, lege publica, MATTHIA CORVINO, & VLADISLAO II. regnantibus, est abrogata. MATTH. *Decr. VI. art.* 17. VLAD. *Decr. I. art.* 38. Neque vero confundenda est, cum Proclamatione, qua reus, adueniente die, siue præsens sit, siue absens, in tribunali, in iudicium vocatur. KITTONICS. *Direct. Methodica iuris Hung. Cap.* 3. *quæst.* 8. *II.* confer, NOTITIAM HVNG. NOVAE Tomo III. Hist. vrbis PEST. cap. III. §. VI. p. 101.

r.) VNVM CAPVT hominis, personam vnam notat, *vid. ad* §. 15. *not. l.* siue sit vir, siue femina § 209.

s.) CEN-

*Mogus* in termino, quem Priſtaldus dixit vtrique parti præfixiſſe, *Varadini* non comparuit.

§. CLXXXII. *Ogyuz*, & *Tumulot*, iobagiones caſtri *Zounuc*, impetierunt quosdam de villa *Kezuga*, *Joab*, *Mocz*, *Meduen* & *Forcos*, & de villa *Pereznek*, *Tibam*, & idem ioubagiones *Petri*, ſcilicet: *Keſam* & *Micon*, de damno decem marcarum facto per violentiam, iudice *Mica*, Comite *Bicorienſi* a rege delegato, Priſtaldo *Jano*, de villa *Cbeydreb*. Homo *Ogyuz*, & *Tumulot*, nomine *Cberpba*, portato ferro combuſtus eſt.

§. CLXXXIII. *Endre*, *Hodnogio*, *Petrus* & *Sebrec* (s) centuriones, item *Vendég* & *Zenaſt* iobagiones caſtri de *Zotmar*, impetierunt *Voyzloum*, *Joubot*, *Potonam*, *Bodam*, *Bartoleum*, *Latum* de villa *Guernezt*, dicentes, quod *ioubagiones* eſſent de *caſtrenſibus exemti*. Ipſi vero dixerunt ſe eſſe *ioubagiones* naturales, qui ſcilicet: (t) *iobagiones S. Regis* dici ſolent. Quos *Vingiozlou*, Comes de *Zotbmar* diſcutiens per Priſtaldum nomine *Kazmer*, de villa *Petus* miſit Varadinum ad candentis ferri iudicium. Quo cum veniſſent *Vendég*, ex parte coaduerſariorum ſuorum ſe miſſum eſſe aſſerens, ex parte illorum & ſua, ſubterfugit candentis ferri iudicium, dicens, aduerſarios prænominatos *Naturales iobagiones* eſſe, ſcilicet: *iobagiones S. Regis*, & ſe, cum ſociis ſuis, iniuſte illos impetiiſſe.

§. CLXXXIV. *Bacina*, de villa *Mogos Mórtu*, impetiit vxorem *Simonis* de villa *Apa*, dicens, quod quidam ſeruus *Martini* Comitis, nomine *Vota*, filium ſuum occidiſſet, ipſa præſente & conſentiente in mortem filii illius. *Mica*, Bichorienſis Comes diſcutiens, per Priſtaldum nomine *Prena*, miſit Varadinum, vbi præfata mulier portato ferro iuſtificata eſt.

§. CLXXXV. *Hypolitus* de villa *Halap*, impetiit vxorem *Vogis*, de eadem, de damno trium marcarum. Iudice *Kelem* Comite, Priſtaldo *Petro*, de eadem villa. Mulier portato ferro, iuſtificata eſt.

§. CLXXXVI. *Tiburtius*, de villa *Nádaſt*, impetiit omnes villanos de villa *Domulim*, de quindecim bobus, & vno equo, violenter ablatis, iudice *Gyula*, (u) Bano, Priſtaldo *Sumboz* iuſtificatus eſt.

§. CLXXXVII. *Cusyd*, de villa *Ziloc*, impetiit conuillanum ſuum, ſcilicet: *Forcos*, de furto, iudice *Stepbano*, curiali Comite de *Ziloc*, Priſtaldo *Gueztiua*. *Forcos* portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CLXXXVIII. *Viba*, de villa *Macra*, prædio *Lelez*, impetiit *Ibam*, & *Danum*, de occiſione fratris ſui per latrocinium, iudice, *Mika* Comite de Bichor, Priſtaldo *Annania* de villa *Buc*. *Iba*, portato ferro pro ſe & fratre ſuo *Dano*, iuſtificatus eſt.

§. CLXXXIX. *Petrus*, de villa *Cbeuz*, & comprouinciales eius, impetierunt *Vitalem*, de eadem villa, pro furto, quos *Demetrius* curialis Comes,

 præ-

s.) Centvriones quinam fuerint, expoſitum eſt *ad* §. 110. *not. g.* Ceterum, Vingyozlov, Comes de *Zotmar*, idem eſt, qui §. 181. Venceslavs; vt credam, ita, vocabulum eius ætatis *Hungaros*, pronunciauiſſe.

t.) Elucet hinc triplex ioubagionum, id eſt vaſallorum, apud Hungaros conditio. (1.) Jobagiones caſtri, coloni ſunt & ruricolæ, caſtro adſcripti. *vid. ad* §. 11. *not. z* (2.) Jobagyones de caſtrenſibus *exemti*, bellatores caſtri erant, a colonis, & caſtrorum miniſtris ſeiuncti, & ſolo militiæ nomine, caſtro obſtricti. *vid. ad* §. 80. *not. z.* (3.) Jobagyones naturales, liberi ſunt, per natiuitatem, ſoli principi ſubiecti. *vid. ad* §. 142. *not. r.* §. 174 *not. i.* quorum obligatio, quoniam S. Stephani I. regis legibus eſt definita, ioubagiones ſancti regis h. l. & §. 174. liberi ſancti regis, cognominantur.

u.) Cuiuſnam Prouinciæ *Banus* fuerit *Gyula*, incertum eſt. Banum tamen *Croatiæ* ac *Dalmatiæ* fuiſſe, ex hoc loco, quodammodo colligi poteſt.

vv.) Con-

præcepto Regis diſcutiens, per Priſtaldum nomine *Vrman* de villa *Gyurge*, miſit Varadinum, vbi prædictus *Vitalis*, portato ferro confugit ad eccleſiam, dicens ſe eſſe combuſtum. Prædictus itaque *Vrman*, (vv) vendidit *Vitalem*, cum vxore ſua, & filiabus ſuis, & cum ancilla, & filio ancillæ ſuæ, & cum omni poſſeſſione ſua, *Laurentio*, filio *Martini*.

§. CXC. Notum ſit omnibus Chriſtianis, quod cum *Voca*, & *Kereu*, de villa *Tura*, imminente neceſſitate, ſororem ſuam *Martinam* in (x) *vadio* poſuiſſent apud ſacerdotem de *Barban*, nomine *Moyſen*, pro marca vna. Non habentibus illis vnde ſororem ſuam redimant, prænominatus ſacerdos pro remedio animæ ſuæ dimiſit illam, & debitum dimiſit ei.

§. CXCI. *Nicolaus*, de villa *Ghony*, impetiit conuillanos ſuos, ſcilicet: *Michaëlem*, *Texen*, *Burat*, & *Mecam*, de occiſione filii ſui, quos *Martinus* Comes, per Priſtaldum, nomine *Scaden*, miſit Varadinum ad examen ferri candentis: vbi prænominati rei de homicidio ſunt conuicti.

§. CXCII. *Texa*, Iſmaëlita de *Nyr*, impetiit villanos, *Cegam*, pro marcis duodecim, *Alexandro* Comite, iudice a rege delegato, qui per Priſtaldum nomine *Stephanum*, Varadinum miſſi, taliter conuenerunt, quod prædicti villani, darent aduerſario ſuo, quinque marcas, fertone minus, iidem iudici ſatisfacerent; ius autem Priſtaldi, *Texa* perſolueret.

§. CXCIII. *Kuſun*, de villa *Zupur*, cum conuillana ſua matre, ſcilicet: *Seden*, quam de veneficio impetierat, taliter conuenit, quod ipſe nihil acciperet, & iudici, ſcilicet *Thomæ*, vicearchidiacono, tertiam partem perſolueret. Priſtaldo autem ſuo communiter cum illa ſatisfacerent, reliquas partes iudicis & Priſtaldi, præfatæ mulieri reliquit perſoluendas.

§. CXCIV. Vniuerſi ioubagiones Bichorienſes, impetierunt ante *Micam* Comitem, eorum vniuerſos caſtrenſes de *Bichor*, dicentes, quod ipſi caſtrenſes bis accepiſſent ab eis debita iudicia, in quibus ipſi ioubagiones, caſtrenſibus tenebantur. Supradictus itaque iudex, dato Priſtaldo nomine *Laurentio* de villa *Queſereu*, ad iudicium ferri candentis miſit Varadinum, vbi taliter conuenerunt, quod prædicti caſtrenſes darent præfatis ioubagionibus, quinquaginta & tres boues. Iudici autem & Priſtaldo, vtraque pars ſimul ſatisfaceret.

§. CXCV. *Bandu*, de villa *Gyan*, portato Varadini ferro pro (y) fractione dentis, & damno quadraginta ponderum argenti iuſtificatus eſt, contra *Guta Boyciud* & *Dominum Kekeu*, iudice *Ragnaldo*, præpoſito Varadinenſi, & Priſtaldo nomine *Georgio*.

§. CXCVI. *Stephanus* de villa *Perlu*, impetiit *Simonem* filium *Tecu*, pro furto, iudice curiali Comite de *Zounuk*, nomine *Angelo*, Priſtaldo *Moys*. Prædictus *Simon*, portato Varadini ferro, combuſtus eſt.

§. CXCVII. *Choucad*, vxor *Tekudini*, ſerui *Fabiani*, conqueſta eſt *Simoni* Varadienſi Epiſcopo dicens, quod cum ipſa ſit libera, Dominus ſuus *Fabianus* velit eam redigere in ſeruitutem. At ille dixit eam ſuam eſſe ancillam. Illa

---

vv.) Conuictorum in iudicio, pœna fuit, interdum venditio, adeoque ſeruitus. S. Ladisl. *Decret. lib. III. cap. 7. conf. ad* §. 13. *not. d.* §. 20. *not. u.*

x.) Vadium, idem eſt, quod vadimonium, adeoque pignus, ſeu fideiuſſio, de quo. *ad* §. 8. *not. p. & ad* §. 141. *not.* o) conf. du Fresne *Gloſſario vocab.* Vadimonium Vadium.

y.) Dens pro dente, oculus pro oculo, iure exigebatur diuino *Exod. XXI. v.* 24. Iure Hungarico, pœna, pro læſi conditione, decernitur.

z.) Tutor

Illa vero dixit (z) *tutorem* ſuæ *libertatis*, nomine *Gunuzt*. Prænominatus itaque iudex, poſuit eos ad iudicium ferri candentis, dans eis Priſtaldum nomine *Farcaſium*. Sed interea prædicta *Choucad*, ſe ipſam recognoſcens, confeſſa eſt, ſe eſſe ancillam *Fabiani*, vt ipſe aſſerebat. *Fabianus* vero, ipſam quidem retinuit ſibi in ancillam, ſed filias eius dimiſit eſſe liberas, cum omni generatione, quæ ab illis eſt ſucceſſura, vt quam ipſe, tam omnis earum progenies vtriusque, vbi voluerint manendi habeant libertatem.

§. CXCVIII. *Sabud*, & *Kereu*, impetierunt *Tiuam*, de occiſione *nurus* ſuæ ſororis ipſorum, iudice *Gabriele* Archidiacono, *Farcaſio* Priſtaldo, qui cum Varadinum aduieniſſent, taliter conuenerunt; quod *Tiuandu*, daret aduerſariis ſuis, duas marcas, & idem Priſtaldo ſatisfaceret, pro parte autem iudicis, aduerſarii ſui tenerentur.

§. CXCIX. *Zada*, impetiit *Tecam*, pro tribus bobus, & quindecim cubitis pannorum pro tunica & pallio, iudice *Gereone*, Priſtaldo *Voſos*. Prædictus *Zada* portato ferro Varadini, combuſtus eſt.

§. CC. *Hertueg*, de villa *Hertueg*, impetiit *Gregorium* de eadem villa, dicens, quod fratrem ſuum interfeciſſet, iudice *Joachin*, Biloto, Priſtaldo, *Ibrachin*. Illi autem Varadini taliter conuenerunt, quod tam ipſi, quam omnis poſteritas eorum, in hac cauſa pacem haberent. *Gregorius* autem daret aduerſario ſuo, nomine *Hertueg*, tres marcas, fertone minus, & idem Priſtaldo ſatisfaceret, iudici autem Dominus *Hertueg* teneretur.

§. CCI. Comprouinciales (a) *Noui caſtri*, & horum ſpecialiter *Cenka* de villa *Giénda*, impetiit de furto, *Petrum*, filium *Nubu* de *Qecii*, iudice *Bank*, Priſtaldo, *Gregorio*, de villa *Peta*. Præfatus *Petrus* portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCII. Comprouinciales *noui caſtri*, & horum ſpecialiter *Buba*, de villa *Tumur*, impetiere *Matthiam*, de villa *Loch* prædio *Martim*, pro furto, iudice *Bank* Comite, Priſtaldo *Gregorio* de villa *Peta*: *Matthias* mundatus eſt.

§. CCIII. *Guthfreeus* (b) Præpoſitus Orodinenſis, conqueſtus eſt *Nicolao* Palatino, dicens; quod in prædio eccleſiæ *de Pauli*, nomine, *Heyka*, occiſus eſſet (c) ſeruus eccleſiæ, per ſeruientem *Bodun*, filium *Michaëlis* de *Kata* nomine *Bodou*, & dato termino, præfato *Bodun*, a Palatino, vbi ipſe cum prouincialibus ſuis diſcuteret. Itaque, retento Priſtaldo, Palatini nomine, *Zuma*, diſcuſſos miſit Varadinum, ad examen ferri candentis, vbi (d) homo eccleſiæ *de Pauli*, combuſtus eſt.

Ooo §. CCIV.

z.) TVTOR LIBERTATIS, aduocatus erat, & defenſor, qui liberos liberasque, aduerſus libertatis oppreſſores, tutabatur & defendebat. Ita, *Charta* HENRICI *Regis Franc. an.* 1043. apud du FRESNE, Vocab. *Tutor*.

a.) COMPROVINCIALES noui caſtri, prouinciæ, *Vjvár*, coloni dicuntur. Quo nomine, *Saroſienſium Comitatum*, adpellatum fuiſſe olim, nonnulli, ex chartis colligunt vetuſtis.

b.) PRAEPOSITVRAE ORODIENSIS S. Martini, meminimus *ad* §. 46. *not.* t.

c.) Seruus eccleſiæ, a ſeruiente, diſtinguitur. Ille namque fuerat, vel glebæ adſcriptus eccleſiaſticæ, vel inter eccleſiæ ſeruitia relatus, *vid.* §. 20. *not. u.* §. 75. *not. m.* hic, beneficii & clientelæ nomine, eidem, ad præſtandum vaſallagium obſtrictus. *conf.* §. 23. *not. y.*

d.) HOMINES ECCLESIAE, quorum in LEG. RIPVAR. *tit.* 10. §. 1. *ſeq. in* CAPITVL. CAROL. M. *lib.* 5. *c.* 151. alibique paſſim, fit mentio, diuerſæ erant conditionis. Hoc namque nomine, interdum, famuli, actores, procuratores, aliique adpellantur; interdum vaſalli, & clientes, qui ratione beneficii, fidem & ſeruitium eccleſiæ debent. vid. du FRESNE *gloſſar.* vocab. *Homo conf.* §. 13. *not. f.*

§. CCIV. *Richya*, de villa *Tebektou*, impetiit Dominum *Forkos*, de villa *Kemeſa* pro furto, iudice *Bank* Comite, Priſtaldo *Miſca* de villa *Hologd*. *Forcos* portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCV. *Echilleu*, de villa *Bulſu*, cum prouincialibus ſuis impetiit conuillanum ſuum *Moſud*, de furto, eodem iudice & Priſtaldo. *Moſud* iuſtificatus eſt.

§. CCVI. *Telceu*, & *Bota*, de villa *Fegyernuc*, *Mogd*, *Michodeus* & *Petrus* de villa *Aſu*, item alius *Michodeus*, *Paul*, *Zacheus*, *Georgius* de villa *Schmula*, impetiere quosdam de villa *Echek*, ſcilicet: *Bugy*, *Vrdan*, *Potetam*, *Veus*, *Beat*, *Vtam*, dicentes, quod eſſent eorum (e) coofficiales, & ſimiliter centurionatui ſubiecti, illi autem dixerunt non eſſe ſubiectos centurionatui, ſed debitores (f) liberorum denariorum. Et hoc idem dixerunt ioubagiones caſtri, ſcilicet: *Forcos*, *Poſon*, *Ipolt*, *Lucus*, *Vhuſa*, *Jacob*, *Matthias*. Quos *Petrus* Comes Vicarius *Dioniſii* Comitis, miſit Varadinum, per Priſtaldum nomine *Moys*, de villa *Heten*, vbi prænominati caſtrenſes *Heues*, non comparuerunt præter vnum, qui dixit ſe vocari *Forcos*, & vnum de aduerſariis, & miſſum eſſe ex parte ſociorum ſuorum, & ſubterfugit iudicium ferri candentis ex parte ſociorum ſuorum, & ex parte propria, dicens, ſe & ſocios ſuos, falſo prænominatos villanos *Echek*, de contribulatu peciiſſe.

§. CCVII. Vniuerſi villani *Sagu*, & vniuerſi villani (g) *Haláz* de Prouincia *Naugrad*, impetierunt ioubagiones eiusdem caſtri, ſcilicet: *Gilianum*, *Michaëlem*, *Hyuan*, *Paulum*, *Vlues*, *Tinthur*, *Shubancam*, *Heráicum*, *Paulum*, *Chepanum*, *Feketem*, *Tiburcium*, *Zemerem*, de deſtructione rerum ſuarum, ad æſtimationem ſexaginta marcarum, iudice (h) *Boloſoy* Comite de Naugrad, permiſſione & auctoritate *Nocolai* Palatini Comitis iudicante. Priſtaldo *Micou* de villa *Belk*. Prænominati ioubagiones, in termino, quem præfatus Priſtaldus vtrique parti ſe dixit præfixiſſe, ſcilicet: in octaua *Joannis Baptiſtæ*, Varadini non comparuerunt.

§. CCVIII. Anno ab incarnatione Domini *Milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo*, regnante victorioſiſſimo Rege ANDREA. *Simone* Varadienſi Epiſcopo exiſtente, *Gyula* Comite Palatino, *Nimcha* Comite Bichorienſi, *Anniano* Lectore & Notario, *Bichorienſes* de centurionatu *Sceculzaz*, & horum præcipue *Tenkeu*, de villa *Ebey*, impetierunt quendam liberum hominem, nomine *Deum*, dicentes, quod eorum eſſet conciuis. *Deus* autem dixit ſe liberum eſſe omnino. *Nimcha* itaque comes Bichorienſium, ex præcepto regis eos diſcutiens, interrogauit reſponſa ioubagionum Bichorienſium, ſcilicet: *Luce Hodnogionis*, *Petri*, *Bibac*, *Tegegu*, & aliorum. Qui cum præfatum *Deum*, & ipſi caſtrenſem eſſe dixiſſent, poſuit hoc, ſuper iuramentum eorum, quibus iurare non audentibus, caſtrenſes condemnauit, & prædictum *Deum* liberum eſſe denuntiauit, atque

---

e.) COOFFICIALES, miniſtri ſunt, ſeu ſerui, centurionatibus, in quos, Hungariæ prouincias, ſubdiuiſas fuiſſe, *ad* §. 144. *not. s.* expoſitum eſt, ſubiecti.

f.) De ſingulis liberis, denarii octo, olim colligebantur, qui lege COLOMANNI *lib. I. cap.* 45. partim abrogati, partim limitati, tutandæ libertatis nomine, pendebantur. *cap.* 80. Erant autem *liberi* duplicis conditionis, vtpote: *indigenæ*, cum regis, tum ciuium auctoritate, libertate donati, *cap.* 45. *extranei* item, qui, & *liberi hoſpites*, ſicuti *Slaui*, dicebantur, perficiendarum operarum cauſſa, in agrum Hungaricum, demigrantes. *cap.* 80.

g.) Superat hodiedum vicus *Haláſzi*, orientali *Ipolæ* margine, in Comitatu Neogradienſi, modico interuallo, a *Szétsény* oppido, ſeiunctus. de quo illic.

h.) Floret adhuc, illuſtris *Comitum Balaſſa* ſtirps, in Comitatu *Neogradienſi*, de qua, euolue *Notitiam Hung.* Tom. IV. in Hiſtoria Opidi *Ipoli-Gyarmath*.

i.) PRISTAL.

atque per *Joanchan* Comitem, (i) Priſtaldum regis, præſentibus prænominatis caſtri ioubagionibus, libertatem eius nobis fecit conteſtari.

§. CCIX. *Sol*, filius *Salomonis*, litigauit cum (k) *Abbate* de monaſterio *Gabrielis Jobem*, de quinque capitibus hominum, tribus viris & duabus mulieribus, coram *Simone* Varadienſi epiſcopo, & quibusdam canonicis eius, *Martino* & *Vidone*, & coram *Nuncha* comite Bichorienſi, dicens illos, quod ſui iuris eſſent, econtra præfatus *Abbas* aſſeruit eosdem, quod ſoror ipſius, *Sol* nomine *Sebe*, ſub tali titulo eccleſiæ *Gabrielis* dimiſiſſet, vt vnus illorum nomine *Choloz* (l) ſerviret eccleſiæ *Sancti Michaelis*, annuatim cum ſexaginta panibus, vno boue trienni, tribus anſeribus, quinque gallinis, & ſex cubulis cereuiſiæ, atque denariis ad tres miſſas, & duæ mulieres, ſcilicet: *Scepa* & *Vederey*, eſſent lotrices eiusdem eccleſiæ. Duoque viri, ſcilicet: *Sekur*, & *Lotomás*, liberi quidem eſſent, ſed (m) legatarii. Prænominatus itaque iudex, ſcilicet: *Neuca* Comes, poſuit hanc cauſam ſuper iuramentum *Decani*, de ſupradicta eccleſia, & fratris illius, quem aduerſarius eligeret, & de comprouincialibus teſtibus ſuper iuramentum *Joachin* de *Lazdu*. Qui cum parati eſſent iurare ſuper (n) ſepulchrum *Sancti Ladislai Regis* coram *Paulo* ſacerdote, coram *Tumpa* & *Sidrac*, Archidiaconis & aliis. Supradictus *Sol*, adiurare eos recuſauit, præſente Priſtaldo nomine *Thoma* filio *Stephani* de territorio Bichorienſi.

§. CCX. *Detuſa*, de villa *Sárus*, impetiit conuillanum ſuum nomine *Detreb*, de combuſtione domus ſuæ, & de furto, quos *Petúr* curialis Comes, *Dionyſii* Regiæ Maieſtatis (o) camerarii ex præcepto Domini ſui diſcutiens, miſit *Varadinum* ad iudicium ferri candentis per Priſtaldum *Sidizlou* nomine, *Detreb* itaque portato ferro Varadini, iuſtificatus eſt.

§. CCXI. *Helg*, de territorio *Bichorienſi*, impetiit *Petrum* & *Paulum*, filios *Both Hodnogionis*, dicens, quod cum vrgente neceſſitate, ad prædium illorum, cum tribus libertinorum capitibus confugiſſet, & poſtea ceſſante aduerſitate, ad terram natalem redire diſponeret, illi tres libertinos illos ab eo violenter abſtuliſſent. Qui cum hoc ſe feciſſe negaſſent, *Nuncha* Comes *Bichorienſis*



i.) Pristaldus Regis quinam fuerit, indicatum eſt *ad* §. 1. *not.* 6. Munere hoc, non ſolum nobiles, verum Comites etiam, defunctos fuiſſe, ex hoc loco euidenter elucet.

k.) Abbatia S. Gabrielis, in Varadienſi Diœceſi, floruit circa annum 1217. Petrus Pázmány *Append. II. p.* 107. Martin. Szentivany *Diſſert. Paralip. Catalog.* 34.

l.) Diuerſa erant ſeruorum eccleſiæ munia. Quidam enim glebæ fuerant adſcripti, §. 203. *not. y.* quidam, in animæ refrigerium, eccleſiæ donati, & *Duſenici* dicti, §. 132. quidam, inter cœnobii miniſteria relati, §. 7. *not. m.* Secundi generis eſt *Choloz*; tertii, *Scepa* & *Vederey*, monaſterii *Gabrielis* lotrices.

m.) Sicuti legatariæ ſunt, res ac prædia, monaſteriis, aliisque, mortis nomine, donata, Fulcvinus *de geſtis Abbatum Leobienſium*, *cap.* 4. ita, *legatarii*, perſonæ, cum liberæ, tum dominicæ poteſtati ſubiectæ, in quorum bonis, poſt mortem, eccleſiæ, vel alteri, cui legantur, *mortarium*, id eſt, ius, in bonis demortui, competebat.

n.) Iusiurandum, quod Varadini, ad ſepulchrum S. Ladislai fiebat, contrectatis ſancti regis reliquiis, præſtabatur. *vid.* §. 110. *not. h.*

o.) Camerarii dignitas eſt in palatio regio, cui Camerae regiæ, id eſt, *Theſauri* ſeu reddituum, & cimeliorum regis, cura incumbebat. Dignitate hac, ornatus erat magiſter Ippolitus Castellanus de Arua, regnante Carolo I. vid. *Decretum an.* 1342.

p.) De

*chorienſis*, per Priſtaldum nomine *Benedictum*, de villa *Vduori*, miſit illos *Varadinum*: vbi præmemoratus *Helg*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCXII. (p) Miniſtri Regis de prouincia Zabolch, ſcilicet: *Ina*, *Elea*, *Nicolaus*, *Forcos*, *Tomas*, *Iſaac*, *Bol*, *Joannes*, *Abſolon*, *Petur*, *Paul*, *Fequete*, *Primus*, *Egidius*, Archidiaconus, *Peth*, *Pouſa*, *Ferqued*, *Leuſtach*, omnes iſti cum cognatis ſuis, item populis *Agrienſis* eccleſiæ, præterea curialis Comes de *Zabolch*, impetiere de furto *Dorcum*, de villa *Bala*, *Benedictum* & Paulum, de villa *Bulcan*, *Degam*, de villa *Petri*, *Homdeum*, de villa *Nánas*, & ſeruum eius nomine, *Marcellum*. Iudicibus *Banc*, & *Benedicto* comitibus, Priſtaldo *Myska*, de villa *Hologd*. Prædictus *Homdoy* & ſeruus eius, *Marcellus*, portato ferro iuſtificati ſunt. Alii vero non comparuerunt, & iudices reſcripſerunt, eos haberi pro condemnatis.

§. CCXIII. Comprouinciales de *Zabolch*, & horum ſpecialiter *Paulus* & *Petrus* de villa *Ethe*, impetierunt *Homodeum*, de villa *Bolth*, de latrocinio, iudice *Banc* Comite, Priſtaldo *Mysca* præfato, prædictus Homoderus, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCXIV. Comprouinciales de *Zobolch* & horum ſpecialiter *Tump*, de villa *Petur*, impetierunt *Nicolaum*, *Beuſam*, *Mantam*, *Joannem*, *Geyſam*, *Botonam*, & *Egidium*, de villa *Cyequen*, de furto, iudicibus *Banco* & *Benedicto*, Priſtaldis *Myska* & *Shazlon*. Ex illis *Manta* & *Joannes*, portato ferro, ad (q) ſolutionem non exiuerunt de Eccleſia, præterea prædicti *Geyſa*, *Botona*, & *Egidius*, combuſti ſunt. Præfati vero *Nicolaus* & *Beuſa*, in dato termino, Varadini non comparuerunt.

§. CCXV. Comprouinciales de *Zobolch*, & horum ſpecialiter *Ela*, de villa *Tholna*, impetierunt *Bacam*. de villa *Tam*, de furto, iudicibus *Banc* & *Benedicto* comitibus, Priſtaldis *Miska*, & *Shazlou*, prædictus *Baka*, portato ferro combuſtus eſt.

§. CCXVI. Comprouinciales de *Zobolch*, & horum ſpecialiter *Georgius* de villa *Vtholm*, impetiere de furto, *Jacobum*, de villa *Onuz*, & *Mocyodum*, de villa *Nánas*, iudicibus *Banc* & *Benedicto*, Priſtaldis *Miska* & *Shazlou*. Prædictus *Jacob* in dato termino non venit in locum. *Mocyod* vero, portato ferro, ante ſolutionem manus, fugit.

§. CCXVII. Cum quidam *Coloman* nomine, de villa *Vlozyghaz* aſſereret coram *Banco* comite, quod *Muboltum*, de villa *Shyub* quinque villæ impetiiſſent de furto. Quidam *Petrus*, de villa *Shazta* negauit ex parte quinque villarum, eundem *Mobultum* impetitum eſſe de furto. Præfatus itaque iudex miſit prædictum *Colomannum* & *Petrum*, ad *Proudam*, vbi Petrus ſtetit ad iudicium ferri candentis, *Colomanus* autem non comparuit, & iudex mandauit per Priſtaldum ſuum, nomine *Joannem* de Bichor, prædictum *Colomanum* haberi pro condemnato.

§. CCXVIII. *Cuta*, de villa *Sur*, impetiit conuillanum ſuum, ſcilicet: *Fintur* de furto. Prædictus *Finthur*, portato ferro iuſtificatus eſt. Iudicibus *Banc*, & *Benedicto*. Priſtaldis *Misca* & *Shazlou*.

§. CCXIX.

---

p.) De miniſtris regis dictum eſt, *ad* §. 83. *not. c.* §. 96. *not. s.* de populis eccleſiæ, *ad* §. 127. *not. r.* de ciuibus vero caſtri, *ad* §. 133. *not. b.*

q.) Ad ſolutionem, manus non exiuerunt de eccleſia. *conf.* §. 216. Nam, inuoluebatur, vel pannis, vel linteis, atque inuolucrum illud, ſigillo Capituli obſignabatur: ne, ſeu magiæ naturali, ſeu dolo malo, fieret locus.

r.) Mona-

§. CCXIX. *Furcug*, & *Vilma*, de villa *Tam*, impetiit *Paulum* de furto, de villa *Nanas*, iudicibus *Banko* & *Benedicto*, Priſtaldis *Miſca* & *Shazlou*. Præfatus *Paulus*, in dato termino Varadini non comparuit, & iudex habuit pro condemnato.

§. CCXX. *Teka*, de villa *Vod*, (cum) comprouincialibus de *Zobolch*, impetiit, *Kebeket* & *Bodolt* de villa *Zunuchy*, de furto, iudicibus *Banc* & *Benedicto*, Priſtaldis *Miska* & *Shazlou*. Prædicti fures *Kebeket* & *Bodol*, in dato termino Varadini non comparuerunt, & iudex habuit eos pro condemnatis.

§. CCXXI. *Nicolaus*, de villa *Erdei*, impetiit dominum *Ibad*, ſeruum (r) Monaſterii de *Taplucya Miſcocii*, de damno duarum marcarum, iudice *Banc*, Priſtaldo *Gregorio* de villa *Petur*, qui Varadini taliter conuenerunt: quod *Ibad* daret vnum bouem & tres (s) penſas, *Nicolao*, & idem ſatisfaceret Priſtaldo, dando marcam & dimidiam, & Priſtaldus iudici ſatisfaceret.

§. CCXXII. *Nicolaus*, de villa *Erded*, impetiit conuillanum ſuum, nomine *Shaman* de furto, coadiuuantibus comprouincialibus ſuis, iudice *Banc*, Priſtaldo *Gregorio* prædicto. *Shama* portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCXXIII. *Suda*, de villa *Gegy*, coadiuuantibus comprouincialibus ſuis, impetiit *Michaëlem* ioubagionem eccleſiæ *Debruenſis* de furto, iudice *Banc*, Priſtaldo *Gregorio* prædicto. *Michaël*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCXXIV. *Ibad*, de villa *Lad*, (cum) comprovincialibus ſuis, impetiit *Torſam*, de *Nylos* de furto, iudice *Banc*, Priſtaldo *Gregorio* prædicto. Præfatus *Torſa*, ad ſolutionem manus non exiuit de eccleſia.

§. CCXXV. *Vrman*, de villa *Erdei*, impetiit conuillanam ſuam, ſcilicet: vxorem *Batur*, pro adulterio. Iudice eorum *Madian*, & iudice *Archidiacono Petro*, Priſtaldo *Huldeg* de eadem villa, qui Varadini, pro bono pacis taliter conuenerunt: quod vxor *Batur*, iudicibus ſatisfaceret, *Vrman* vero Priſtaldo.

§. CCXXVI. *Simon*, de villa *Gyad*, *Teca*, de villa *Tata*, impetierunt *Andream*, de villa *Seuryegu*, pro quinquaginta marcis, iudice *Nicolao Palatino* comite, Priſtaldo *Erded*. Prædictorum homines, ſcilicet: *Simonis*, & *Teke*, portato ferro, combuſti ſunt.

§. CCXXVII. *Laurentius*, de villa *Katay*, litigauit cum *Daniele*, *Petro*, & *Laurentio*, de villa *Dingonogu*, pro triginta marcis, iudice *Nicolao Palatino*, Priſtaldo *Pouſa*, de villa *Libicy*. Homo prædicti *Laurentii* de *Kata*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCXXVIII. *Sumuracus*, (t) Poſonienſis comes, coram iudice delegato a rege, ſcilicet: *Aguz* comite, litigauit cum decem & octo hominibus, de villa *Shut* (u) pro quindecim marcis, quos *Aguz* comes iudicans per Priſtaldum *Tolnam*, de villa *Sen Niclous*, miſit Varadinum ad candens ferrum, vbi homo prædicti *Sumuraci* comitis, nomine *Zakens*, portato ferro, iuſtificatus eſt.



r.) Monaſterium *de Tapoltza*, penes *Miskoltzinum*, de quo, *ad* §. 41. *not. o.*

s.) De penſa. lege *ad* §. 16. *not. p.*

t.) SVMVRACVS, inter Comites Poſonienſes, ad annum milleſimum ducenteſimum ſeptimum & decimum, §. 208. adeoque ad ANDREAE II. regimen eſt referendus.

u.) Villam *Shut*, in *Cituorum* inſula, quam *die Schütt* Germani, *Csalló-köz* Hungari adpellant, ſtetiſſe; ſicuti *Sen Niclous*, in vicino *Moſonienſi Comitatu*, ex locorum hodiernorum cognomine, poteſt colligi.

§. CCXXIX. *Borokun*, filius *Gynle*, impetiit quosdam *Dusinicos* (vv) de villa *Jouan*, ad ecclesiam sancti *Petri* in eadem villa attinentes: scilicet: *Obuganum*, *Thecum*, *Chemam*, *Chemzam*, *Michaëlem*, *Petrum*, *Latamasum*, *Martinum*, *Chedam*, & *Cozmam*, dicens, quod cum sint *Dusinici* a genere eius, scilicet: *Johan* manumissi, contra ipsum tamen superbiant. Illi autem responderunt, se *Dusinicos* quidem esse a præfato *Johan* cum terra sua dimissos, sed eundem *Johan* nulla consanguinitatis linea ad ipsum, videlicet *Borocum* pertinere, & ita seipsos nullo penitus dominio, eidem *Borocum* esse obnoxios. *Banc* igitur comes de *Burg*, posuit super iuramentum *Martini*, & *Fonchukae* cognatorum *Borokun*, & super iuramentum duorum finitimorum, quos aduersarii eligerent, & misit vtramque partem Varadinum, per Pristaldum nomine *Stephanum*, de genere *Zacbu* de villa *Berenta*, vt illis quatuor ibi iurantibus, memoratum *Johan* esse genus *Borokun*, constaret. Dato itaque eis termino in *Dominica, factus est*, nominati *Dusinici*, cum Pristaldo ipsorum *Stephano*, prænominatos testes, adiurati fuere *Varadini*; sed prædicti testes, non comparuerunt, præfatus tamen aduersarius, misso (x) seruiente, dixit eos fuisse citatos ad regem, & ideo ad terminum non potuisse venire. Dato item secundo termino, venit prænominatus aduersarius, & sicut prius per seruientem, ita per se ipsum dixit, iam dictos testes citatos esse ad (y) regem, & ideo ad terminum non potuisse venire. Sed cum hoc præfato iudici falsum esse constitit, præfatum *Borokun* condemnauit, & prænominatos *Dusinicos*, cum terra eorum iustificandos esse, secundum præscriptam assertionem eorum, & Pristaldum suum, testimonio capituli Varadinensis, fecit condemnari.

§. CCXXX. Comprouinciales noui castri, & horum specialiter *Borz*, *Guza Quere*, de villa *Alexandri*, impetierunt seruientem *Egidii*, de villa *Petur*, nomine *Kochum*, de furto, iudice *Banc*, Pristaldo *Gregorio*, de villa *Petur*. *Rochus*, portato ferro, mundatus est.

§. CCXXXI. *Tota* villa *Tumr*, impetiit *Martinum*, filium *Mochou*, de genere *Beli Bani*, de damno quindecim marcarum, & de occisione duorum hominum, iudice *Banc*, Pristaldo *Alberto*, de villa *Nobcodi*, qui in loco taliter conuenerunt. Quod prædictus *Martinus*, persolueret septem marcas prædictæ villæ *Tumur*. Idem *Martinus* satisfaceret iudici; Pristaldo vero, villa *Tumur* satisfacere teneretur.

§. CCXXXII. *Petrus*, de villa *Gyon*, impetiit conuillanum suum Dominum *Segym*, de occisione cognati sui per violentiam, iudicibus *Barraba* comite, Magistro *Fila*, Pristaldo *Omodoi*. *Scegyun*, portato ferro Varadini, iustificatus est.

§. CCXXXIII.

---

vv.) Dusinicos, seruos fuisse ecclesiæ, testamento datos, obseruatum est *ad* §. 132. *not. a.* Ceterum, vox *Dusenik*, origine *Slauica* est *Sarmaticaue*; a *Dusse*, quod *animam* significat; nam, fiebant omnino ecclesiæ obnoxii, ab heris suis, vt *remedio* essent *animæ* mortuorum. Nescio, annon, & a *Dluznik*, hoc est, *Debitor*, vnde *Dusenik*, eliso elemento, deriuare queam.

x.) Seruiens, hoc loco, non militem, sed famulum, seu pedisequum liberum, denotat. *vid ad* §. 23. *not. y.*

y.) Ante Belam III. caussæ quorumuis nobilium, coram rege examinabantur, in quorum conspectum, omnes promiscue admitti, ea de caussa, solebant. M. Rogerius, in *Epistola in Carmen miserabile*, *apud Thúróczium cap.* 6. *p.* 180. Abrogauit morem eum, Bela III. petitionum ac precum formulis, atque duobus precum ministris, *Referendarios* vulgo dicunt, institutis, Bonfinius, Dec. II. Lib. VII. initio, p. 270, 40. Matthias Coruinus postea, non tam lege perlata, quam popularitatis studio, ritum eum reduxit quodammodo, a sequutis regibus, iterum iterumque antiquatum.

z.) Sicut

§. CCXXXIII. *Moruic*, de villa *Baro* impetiit quendam nomine *Becum*, fine manibus de damno quinque marcarum, iudice *Gyula* comite Palatino, Priſtaldo *Bertolom.* Homo *Mouricini*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCXXXIV. *Agya*, & *Dionyſius* comites, impetierunt ioubagiones *Priuarti*, qui ſunt in villa *Vodozt*, ſcilicet: *Vs*, *Paſcham*, *Leuſtacbium*, *Petrum*, *Chekam*, *Scendu*, *Paulum*, *Bedur*, *Schechni*, *Rodum*, & *Sthanum*, dicentes, quod furati eſſent pecuniam matris ipſorum; quibus rem negantibus, *Smaragdus* comes, ex præcepto Regis *Andreæ*: diſcutiens per Priſtaldum, nomine *Andream*, de villa *Zumlun*, miſit Varadinum. Vbi prædicti comites, candentis ferri ſubterfugerunt iudicium, dicentes, aduerſarios ſuos iuſtos eſſe, & quod ipſi ignoranter eos impetiiſſent de furto; *Priuartus* autem & ioubagiones eius, pro bono pacis & intuitu cognationis, dimiſerunt *Agye* & *Dionyſio* comitibus debitum (z) talionis, in quantum ad ipſos attinet.

§. CCXXXV. *Michael*, *Paulus*, & *Zoulat*, dixerunt ſe teneri *Agye*, & *Dionyſio* comitibus, in triginta marcis argenti, & debere decem perſoluere in die *Ramis palmarum* (a), & alias decem, in feſto *Aſcenſionis*, tertio decem, in feſto *Joannis Baptiſtæ*.

§. CCXXXVI. *Cuſid*, vxor Dominici, de villa *Sanctæ Crucis*, portato ferro contra *Ananiam* conuillanum ſuum, oſtendit ſe non eſſe veneficam, iudice *Paldus* vicearchidiacono de *Zounuk*, Priſtaldo *Laurentio*, de villa *Detreb.*

§. CCXXXVII. *Boncia*, de villa *Firu*, impetiit generum ſuum *Sombam*, & matrem eiusdem, ſcilicet: *Rugam*, & *Fratrem* Rugæ, ſcilicet: *Moncau*, de ſuffocatione (b) ſororis ſuæ, videlicet ipſius *Bontiæ*, iudice *Mica* comite, Priſtaldo *Bartholomæo* de villa *Nyec.* Qui Varadini taliter conuenerunt, quod *Somba* habetur pro homicida, & *Ruga* perſolueret quinque marcas fertone minus, vsque feſtum *Sancti Georgii*, & idem ſatisfaceret Priſtaldo, partem vero iudicis *Boncia* perſolueret.

§. CCXXXVIII. *Muncu*, de villa *Beruei*, impetiit conuillanum ſuum, ſcilicet: *Vidam*, de conſenſu & participatione atque proditione rei furtiuæ, iudice *Villico* ipſorum, ſcilicet: *Vulchi*, Priſtaldo *Lotomas*, de eadem villa; alium quoque de villa *Margneta*, nomine *Vulchim*, impetiit idem *Munc* de furto, Priſtaldo *Herrico*, iudice *Tumpa* curiali comite de *Zounuc.* Varadini autem portato ferro, & *Vida*, & *Munc*, iuſtificati ſunt.

§. CCXXXIX. *Simoun*, de villa *Semec*, vt ipſe dixit de ſe, Priſtaldus *Joannis* curialis comitis de *Bichor*, vt item de ſe dixit, conteſtatus eſt ex parte præfati comitis, & *Tupſa*, *Biloti Bichorienſis*, quod *Varou*, filius *Korochi* de villa *Iraz*, citatus a conuillano ſo nomine *Hyued*, & item a *Jacobo*, *Alberto*, *Teodoro*, *Forcoſt*, *Pentek*, *Guntu*, *Kemedu*, *Vruz*, *Chicou*, quod de villa Sari, pro furto (c) ſepties ante præfatos iudices, & ante prædeceſſores *Joannis* comitis



z.) Sicuti *talionis* pœna, pœnam reciprocam, ita talionis debitum, debitum reciprocum, ſeu vicarium, vel reciprocum pœnæ genus ſignificat. conf. du FRESNE *Gloſſar.* voce *Talionis pœna.*

a.) DOMINICA Palmarum, ſeu *in ramis palmarum*, denominationem ex textu accepit euangelico.

b.) Præter cardialgicas, hyſtericas, vterinas, & quæ punientium manu accidunt, ſuffocationes violentas; obſeruantur in *Hungaria*, inter *Serbios*, aliasque gentes, nocturnæ *Vampirorum* ſuffocationes, quo nomine, exſanguium in ſepulchro cadauerum, vmbræ, intelliguntur. Sed de *Vampiriis*, viderint alii.

c.) TRINAM forenſem proclamationem, tum demum adhibitam fuiſſe: quum ſepties ad iudicium citatus, non comparuiſſet, ex hac §. luculenter colligitur.

d.) Pro-

comitis non veniſſet; *Joannes* itaque curialis comes, & *Tupſa Bilotus*, ipſum furti reum condemnaſſent.

§. CCXL. *Andreas*, filius *Scerben*, dicens ſe habere votum eundi *Jeroſolimam*, & nunquam inde reverti, abſoluit (d) vxorem ſuam, dans ei nubendi licentiam alii marito, & dans ei duo capita hominum. Vxor autem ſua conteſtata eſt per fratrem ſuum *Stephanum*, abſoluiſſe maritum ſuum a coniugio ſuo, & ab omni dote omnique debito, in quo maritus eius ei tenebatur, aſſerens ſe contentam eſſe, duobus illis capitibus hominum, quos maritus ſuus ei contulit.

§. CCXLI. *Tuno*, & *Legyn*, caſtrenſes *Bichorienſes*, de villa *Gyan*, coadiuuantibus *Luca*, Principe exercitus, & *Matthia* centurione, impetierunt libertinos *Forkos* & *Kelemen*, ſcilicet: *Iseput*, *Bulſubut*, *Chimont*, *Sasbat*, *Meduet*, *Ilobarut*, hos omnes cum filiis ſuis. Item, *Belad*, *Egidut*, *Tadeuſut*, pro conciuibus ſuis. *Kelemen* autem & *Forcos*, dixerunt eosdem ſuos eſſe libertinos, & accepto iudice a domino rege ANDREA, *Smaragdo* comite, & Priſtaldo *Jula*, filio *Vacæ*, inter multos adduxerunt *Micam* comitem, in teſtimonium, cuius teſtimonio, cum præfatus iudex eſſet contentus, ex præcepto regis, poſuit ſuper iuramentum ipſius *Micæ* comitis, vt ſcilicet: ipſo ſuper ſepulchrum *Sancti Ladislai regis* iurante, prænominati libertini, prænominatis *Kelemen* & *Forcos*, redderentur. Cumque *Mica* comes ſtaret ad ſanctum ſepulchrum iuraturus, prædicti caſtrenſes reconciliati ſunt, cum *Kelemen* & *Forcos*, ita ſcilicet: quod ipſi reddiderunt prænominatos libertinos præfatis *Kelemen* & *Forcos*, ſcilicet: in puritate promiſſa; compromiſerunt enim *Kelemen* & *Forcos*, quod receptos libertinos ſuos, in inferiorem conditionis ordinem non deprimerent, ſed in eodem ſtatu, ſcilicet: libertinorum retinerent, generaliter de ipſis quoque caſtrenſibus alia ablata, non requirerent.

§. CCXLII. Vniuerſus Varadinenſis Eccleſiæ conuentus, vniuerſis, præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Anno Domini *Milleſimo Ducenteſimo Decimo ſexto*, in ſeptimana *Omnis terra*, *Farcaſius* filius *Gyama*, veniens cum *Martino* de villa *Guerdei*, Priſtaldo *Gyula* comitis Palatini, ad iudicium ferri candentis, contra *Martinum* de villa *Zobolſu*, raptorem ſcilicet: filiæ ſuæ, & contra coadiutores illius, ſtetit per totam ſeptimanam illam, ſed nullus de aduerſariis ſuis comparuit, præter quendam nomine *Scegium*, qui ſe nobis & poſtea iudici coadiutorem præfati *Martini* fuiſſe confeſſus, exoculatus eſt. Memoratus itaque *Forcaſius* ad præfatum iudicem reuerſus, renuntiauit cum Priſtaldo ſuo, aduerſarios ſuos ad iudicium ferri non veniſſe: iudex igitur condemnauit illos. Nam per eundem Priſtaldum ſuum, & *Farcaſium*, tales nobis remiſit literas. *Gyula* DEI gratia (e) comes Palatinus, cuncto capitulo Varadinenſis Eccleſiæ ſalutem & dilectionem. Notificamus vobis, quod aduerſarii *Forcos*, quorum nomina hæc ſunt: *Mortun*, *Zobolchi*, cum ſeruientibus eorum, *Moruc*, *Joanus*, *Niclous*, *Stephan*, & frater eius *Joud*, & ſeruus ſuus *Scimad*, *Gyomoltb*, *Tyod*, *Petka*, & unus germanus eorum *Bena*, *Gyurg*, *Mogud*,

---

d.) Proficiſcentibus in *Palæſtinam*, propter votum vltra marinum, ad liberandam terram ſanctam, diuortium ad thorum, iure conceditur Canonico, *c. ex multa. §. In tanta. de Vot. & Voti redempt.* per ingreſſum autem religionis, etiam quoad vinculum. *Conc. Trid. ſeſs. 24. can. 6. c. ex publico 7. de Conuerſ. Conjug.*

e.) De caſtrenſibus, *vid ad* §. II. *not. y.* de principe exercitus *ad* §. 133. *not. d.* de centurione *ad* §. 110. *not. g.* de libertinis autem *ad* §. 208. *not. g.*

f.) Juran-

*Mogud*, *Abel*, *Olberth*, & seruiens suus *Chyma*, *Matthæus*, *Cecur*, *Scenter*, *Abram*, *Vece*, *Toluoy*, *Buc*, *Scumud*, in præsentia nostra remanserunt, & eos ferrum leuare in locum *Varadinum* misimus, quos termino præfixo, Pristaldus noster non dixit venisse: quod, si verum est, & vos scitis, quod prædicti homines ibi non fuerint, iam dicti *Farcasii* causam literis assignate, & omnes prænominatos remansisse. Nos autem, sicut prædiximus, huius rei testes sumus, quod prænominati homines, in prædicta septimana, *Omnis terra*, Varadini non comparuerunt, præter iam dictum *Scegium*.

§. CCXLIII. *Paul*, de villa *Beltuk*, impetiit omnes *Flandrenses* (f) de *Batar*, pro occisione fratris sui *Benedicti*. Quod, cum prædicti *Flandrenses* non diffiterentur, sed dicerent se illum in latrocinio occidisse; *Esau* comes de *Hugosa*, ex præcepto regis discutiens, per Pristaldum, nomine, *Martinum*, misit Varadinum ad candentis ferri iudicium; vbi *Paul* portato ferro, iustificatus est.

§. CCXLIV. *Pousa*, requisiuit duos seruos vxoris suæ, filiæ *Hudus* comitis, scilicet: *Tutan*: & filium eius *Lucam*, coram *Neuka* comite Bichoriensi a Canonicis de *Sancto Protomartyre*: illi autem dixerunt, eosdem seruuos donatos esse ab vxore ipsius, pro (g) remedio animæ prioris mariti sui, scilicet: *Boc*. Præfatus itaque iudex posuit super iuramentum vxoris *Pousæ*, quod scilicet: ipsa iuraret cum duobus filiis suis in ecclesia *Sancti Protomartyris*, & illos seruos positos in eadem ecclesia auderet educere de ecclesia. Assignato itaque termino, præfata mulier, cum filiis suis non venit, neque procuratorem (h) causæ suæ misit. Præmemoratus itaque iudex, condemnauit eam, & maritum eius *Pousam*, & per Pristaldum nomine *Samam*, de villa *Bursa*, nobis contestari, & præsenti pagina fecit æternari.

§. CCXLV. *Michael*, filius *Deda*, impetiit *Vitalem*, de genere *Aba*, (i) dicens, quod per filium ipsius passus esset damnum, ad æstimationem duarum marca-

Qqq

---

f.) FLANDRENSES, e Flandria oriundi, iidem sunt, quos THÚROTZIVS *Chron.* *P. II. cap.* 22. RHENENSES nominat.

g.) Pro remedio animæ, serui, *Dusenici* vocabantur. §. 132. de quibus sæpius dictum.

h.) Quem *Hungari*, caussæ *Procuratorem* adpellant, *Patronus*, vel *Aduocatus* apud Romanos dicebatur. Procuratores enim ærarii, aurariarum, officinarumque præfecti erant, ad quos, vel ærarii, vel aurarium, vel baphiorum, ceterarumque rerum, cura, pertinebat. vid. SAMVEL PITISCVS *Lexico Antiquit. Roman.* voce *Procurator.*

i.) Ex peruetusto genere de ABA, illustris de REDE stirps, succreuit: sicuti nobis, MICHAEL TELEKI de Szék S. R. I. Comes, Hungariæ & Transiluaniæ rerum peritissimus, ex diplomatibus demonstrauit. Scilicet: prostant inclytæ familiæ de REDE litteræ gentilitiæ, quibus, in iudiciis, iure postliminii institutis, euicta est illustris stirpis, ex genere ABA, origo. Testantur id litteræ, Dominarum Annæ & Claræ, de genere ABA diuisionales, a LADISLAO Duce Apuliæ, & regni Hungariæ Palatino, exhibitæ. Hinc, regnante CAROLO I. tres, ex genere ABA floruere: *Petrus*, cui CAROLVS I. anno 1338. nundinarum priuilegium, & anno 1340. iu *Zólyio*, venationis loco, donationem super possessione T. concessit. *Demetrius*, cui, idem rex, nundinarum hebdomadalium peræque priuilegium, in oppido T. anno 1330. largitus est; & *Magister Nicolaus*, *Petri de genere Aba*, filius, quod indicat, CAROLI I. priuilegium nundinarum, in possessione T. in comitatu T. anno 1338. datum, priuilegium item iuris gladii, Ordinum regni nomine, eidem *Nicolao* tributum. Hos vero, ex *Vitali*, de genere ABA, & ex eodem, illustrem de REDE stirpem, prognatam esse, pronum est colligere. Suffragantur litteræ precum, pro animabus familiæ REDEI vtriusque sexus, anno 1456. con-

*Decad. I. Monumentum V.* scriptæ

marcarum & dimidiæ coram arbitris, videlicet, *Duda*, *Petro*, & *Tugza*, de villa *Vnga*. Qui diſcutientes eos, miſerunt per Priſtaldum, nomine *Zekeü*, ad examen ferri candentis *Varadinum*, vbi homo prædicti *Vitalis*, portato ferro iuſtificatus eſt.

§. CCXLVI. *Roma*, de villa *Beu*, impetiit *Paulum*, de villa *Numchuny*, de damno vnius marcæ & dimidiæ, quos (k) *Laurentius*, iudex curiæ, & Comes *Nitrienſis* diſcutiens, miſit per Priſtaldum, nomine *Petrum*, de villa *Kér*, ad examen ferri candentis *Varadinum*: vbi homo *Romæ*, portato ferro, mundatus eſt.

§. CCXLVII. *Zabaria*, filio *Joannis*, de villa *Jarum*, ſine omni hærede mortuo, vxor eius nupſit *Mico* filio *Nicolai*, qui *Mico* & *Paulus* frater vxoris eius, traxerunt in cauſam nominatum *Joannem*, & fratrem ipſius *Iromom* ſacerdotem, pro dotaliciis, præfatæ mulieris, ante *Alexandrum* (l) Varadienſem Epiſcopum. Ipſe autem eandem cauſam delegauit *Stephano* Archidiacono & Oeconomo (m) ſuo, debito fine decidendam. Illi vero coram illo conſtituti reſponderunt: ſe dotes illas totaliter perſoluiſſe coram idoneis teſtibus, de prouincia ipſorum: quod, cum iam dicti actores negarent; *Joannes*, & *Iromus* iuſſi ſunt teſtes ſuos exhibere. Quibus exhibitis, præfatus iudex delegatus, poſuit ſuper iuramentum ipſius *Joannis*, & *Iromi*, & præterea decem teſtium, ſcilicet: *Lodi*, Abbatis de *Cholt*, (n) *Heſce*, de villa *Carol*, *Apae*, *Micæ*, *Joannis*, *Dominici* & *Balad*, de genere *Borſa*, *Leonardi*, de genere *Zuord*, *Beliamin*, ſacerdotis, de villa *Zigholm*, & *Pauli* comitis de genere *Smaragdi*, qui omnes, cum ad *ſepulchrum S. Ladislai* regis iuraturi acceſſiſſent, ſæpe iam dicti actores non auſi ſunt eos adiurare, ſcilicet: aduerſarios ſuos, pro iuſtis dimittendis: pacem eorum, interuentu amicorum, impetrarunt, præſente Priſtaldo ipſius cauſæ, *Beniamin* Vicearchidiacono de villa *Nadan*.

§. CCXLVIII. Multitudo caſtrenſium de *Burſod*, & quidam ioubagiones (o) eiusdem caſtri, ſcilicet; *Petrus*, & *Colman*, vociferati ſunt, contra *Demetrium*

---

ſcriptæ, & ſummi Romanorum Pontificis delictorum venia, *Paulo* de *Réde*, eiusdemque filio *Johanni*, ſicut & conſorti, ceterisque prolibus ac hæredibus, conceſſa.

k.) Lavrentii, iudicis Curiæ & Nitrienſis Comitis, nulla fit in Jongellini *Catalogo Iudicum Curiæ, ad calcem Monarch. Hungar. de* Reva, mentio. Inſerendus itaque eſt iisdem, & inter Dominicvm, anno 1190. atque Marcellvm, an. 1221. iudices Curiæ, ad annum 1217. referendus.

l.) Alexandrvm Præſulem Varadienſem, ab anno 1220. ad annum 1235. floruiſſe, obſeruat. Martin Szentivany *Diſſert. Paralip. catalog.* 22.

m.) Vt, in vnaquaque eccleſia cathedrali, Oeconomvs e clero illius eccleſiæ, eligendus, inſtitueretur; ſtatutum eſt, in concilio *Chalcedonenſi*, *can.* 22. & *Nicæno II. can.* 11. ne cura rerum redituumque eccleſiaſticorum, Epiſcopos, Presbyteros & Clericos, a diuinorum officiorum exſecutione, quodammodo auocaret. Qui, non tantum eccleſiarum bona, ſuperſtite Epiſcopo adminiſtrabat, ſed etiam illo excedente e viuis, eorum curam gerebat, de iis, Epiſcopo ſucceſſuro rationem redditurus. *Concil. Chalcedonens. can.* 25. *Concil. Valentin. can.* 2. *Synod. Spalenſis II. can.* 9. *Toletan. IV. cap.* 47. Id autem muneris fuit *Archidiaconorum*, de quibus *ad* §. 249. Confer. Actor. cap. VI. ver. 2. ſeqq.

n.) Abbatia de Cholt, quæ anno 1217. floruit, cuiuſnam fuerit ordinis, incertum eſſe ſcribit, *Cardin.* Pázmány *Append. II. p.* 107. & Martinvs Szentivány *Diſſert. Paralip. Catal.*

o.) Joubagiones exemtos, bellatores caſtri fuiſſe, oſtenſum eſt, *ad* §. 80. *not. z.* §. 179. *not. p.*

p.) Tho-

*trium* comitem ipſorum, Regi ANDREAE, dicentes, quod iniuſtis iudiciis, & indebitis exactionibus eos aggrauaſſet; præfatus autem comes, negauit hoc, quin imo adiecit, quod illi multa ei damna & iniurias intuliſſent, & hoc ipſum omnes alii ioubagiones, tam exempti, quam *liberi Sancti Regis*, & quadraginta homines de caſtrenſibus, aſtruxerunt. Memoratus itaque Rex, delegauit cauſam eorum, *Thomæ* (p) Agrienſi Epiſcopo, & *Salomoni* (q) *Bano* decidendam. Qui verbis vtriusque partis diligenter inquiſitis, poſuerunt ſuper iuramentum comitis *Demetrii*, vt præſtito ſacramento, probaret ſe in nullo populum ſuum aggrauaſſe, immo per contrarium, ſibi eundem populum iniuriam & damnum intuliſſe. Cum itaque comes, & *Demetrius* paratus eſſet iurare, memorati aduerſarii ſe ipſos recognoſcentes, non auſi ſunt ipſum adiurare, & coram Priſtaldo huius cauſæ, nomine *Bas* de villa *Harca*, reddiderunt ſe culpabiles, & damnum comitis ſui reſtaurare compromiſerunt. Comes vero eorum, ad preces noſtras indulſit eis, vt tantum duas marcas, & dimidiam, de toto damno ſuo ei perſoluerent. Nominati quoque duo ioubagiones, carcerem intrare tenerentur, ibi, quoadusque vellet comes, moraturi.

§. CCXLXIX. Caſtrenſes de *Orod*, ſcilicet: *Matthias*, & *Sorloudam*, impetierunt coram (r) *Deſiderio* Epiſcopo, iudice a Rege ANDREA delegato, *Nicolaum* Archidiaconum & canonicum Chanadienſem, dicentes, quod terram eorum nomine *Burſorog*, violenter occupaſſet; ille autem reſpondit, eandem terram, titulo emptionis poſſediſſe, dicens, quod quidam liber homo, nomine *Kelemen*, filius *Vgni*, eam ſibi vendidiſſet. Qui, cum adductus ante iudicem eandem terram eidem *Nicolao* Archidiacono ſe vendidiſſe non negaret; ſed eam hæreditariam ſibi aſtrueret conſtanter, iuſſus eſt a præfato iudice, ferrum candens, contra memoratos caſtrenſes Varadini portare, quo portato, iuſtificatus eſt.

§. CCL. *Stephanus*, de villa *Thepa*, cepit ſeruum fugitiuum ſuum, nomine *Morodeku*, apud *Benſam*, de villa *Tura*, qui *Benſa* reſpondit eundem ſeruum fuiſſe ſororis ſuæ, nouercæ ipſius *Stephani*, coram arbitris ſcilicet: Dominico *Comite*, & *Belus*; ſed cum neutra pars ſufficiens teſtimonium poſſet adducere, nominati iudices, per Priſtaldum, nomine *Albertum*, ad examen ferri candentis miſerunt Varadinum, vbi talis inter eos facta eſt conuentio; quod præfatus *Stephanus*, præfato *Benſa* daret, viginti & duo pondera, *Benſa* vero, & ſeruum fugitiuum redderet, & nihil de cognatione ſerui illius a *Stephano* requireret.

Qqq 2 §. CCLI

p.) THOMAS I. Agrienſis Præſul anno 1217. regnante ANDREA II. Epiſcopatui præfuit, quod ad MART. SZENTIVANY *Diſſert. Paralipom. Catal. Epiſcop. Agriens. p.* 69 addendum eſt.

q.) Cuius prouinciæ Banus fuerit *Salomon*, regnante ANDREA II. diuinari nequit. Plures namque tum Banatus, fuere in Hungaria, regnorum *Croatiæ Dalmatiæ* & *Slauoniæ* primus; ſecundus *Boſniæ*; tertius *Sirmii*. Quorum prior in Regni, poſterior in *Ducatus* conditionem tranſiit; quartus *Machouienſis*, Regis & Ordinum Regni auctoritate, & quintus *Seuerienſis*, Turcorum impetu, abrogatus. vid. SZENTIVÁNY l. c. *Catalog.* 99. *p.* 227. 228. Ab hoc, *Comitatui*, *Temeſvárienſi*, axioma BANATVS, hæſit, nuſquam adhuc lege publica, adfirmatum, quæ *Comitatum* huc. uſque adpellauerunt.

r.) DESIDERIVM, Cſanadienſis eccleſiæ epiſcopum fuiſſe, euidentibus ex cauſis, colligitur. Huius enim nominis Præſulem, anno 1222. *Cſanadini*, neque alibi, vixiſſe, cum ex clauſula Decreti ANDREAE II. tum ex chartis vetuſtis, cognoſcitur. vid. MART. SZENTIVÁNY l. c. *Catal.* 23. Adde, hiſtoriam noſtram, *Comit. Cſanadienſis*, Partis ſpecial. Memb. I. §. V. num. IV.

s.) Simon

§. CCLI. *Marcha*, de *Scylü*, impetiit *Dedum*, de villa *Thepa*, pro clandestina traductione duorum ſeruorum ipſius, valentium ſex marcas, coram *Stephano*, comite de *Zobolch*. Qui diſcutiens eos miſit ad examen ferri candentis Varadinum, vbi prænominatus *Dedus*, portato ferro, mundatus eſt. Priſtaldo *Pous*, de villa *Paul* exiſtente.

§. CCLII. Domina *Paulia*, vxor *Perrus*, cum requiſiuiſſet a fratre ſuo, *Cuſtodia* ſacerdote, ancillam ſuam *Marguetam*, & ille non redderet eam, dicens, illam eſſe ſuam. *Joachin*, iudex ex præcepto (s) Simonis Varadinenſis Epiſcopi, poſuit eos ad iudicium ferri candentis, qui præſente *Saph* Priſtaldo eorum, taliter conuenerunt; quod Domina *Paulia* daret fratri ſuo, *Cuſtodiæ* ſacerdoti, marcam vnam. Ille autem daret ei ancillam, nomine *Huldbol*, pro *Marguet*a; quia *Marguetam* dederat marito, & non potuit eam ſeparare de iure a viro ſuo, & dare ſorori ſuæ.

§. CCLIII. *Gyobou*, *Gabrian*, *Buda*, *Tencus*, *Niclo*, ioubagiones caſtri *Zounuc*, impetierunt quendam nomine *Angelus*, de villa *Gyou*, filium *Durſi*, fratrem *Martini*, & *Micæ*, dicentes, quod eorum eſſet contribulis, & caſtri *Zounuc* ioubagio. Ille autem contendebat ſe filium (t) *Latini* hoſpitis eſſe & abſolute liberum, & (u) defendebat eum Petrus conuillanus eius. Tunc *Poul*, curialis Comes de *Zounuc*, ex præcepto Domini ſui *Smaragdi* comitis, eos diſcutiens ad (vv) *Praudam* per Priſtaldum nomine *Georgium*, de villa *Babud*, miſit Varadinum. Vbi cum eſſet prædictus *Angelus*, portare ferrum paratus, quidam nomine *Lengeü*, vt ipſe dixit, de villa *Zumtou*, ex parte prænominatorum ioubagionum ſe ad hoc miſſum aſſerens, iudicio ferri candentis renunciauit, dicens, præfatos ioubagiones, per ipſum mandaſſe, quod ſupradictum *Angelum*, de coniobagionatu iniuſte impetiiſſent.

§. CCLIV. Caſtrenſes de *Cius*, de (x) centurionatu *Agad*, ſcilicet: *Sunad*, *Vardou*, *Apa*, & alii, coadiuuantibus eos ioubagionibus eiusdem caſtri, ſcilicet: *Egeben*, Principe exercitus, *Isaac* centurione, *Beda* Hadnogy, *Bela* & *Vadaſa*, impetierunt quosdam ioubagiones, *Nicus*, filii *Nidus*, ſcilicet: *Vedam*, & fratrem eius *Hyſcem*, dicentes eos ſuos eſſe conciues. Illi autem dixerunt ſe eſſe liberos omnino, & adduxerunt defenſorem libertatis eorum videlicet: *Stephanum*, de villa *Natztha*. *Chriſtophorus* itaque, *Comes de Clus*, per

---

s.) Simon Varadienſis Præſul, legum doctor alibi nominatur. conf. Mart. Szentiványi l. c. *Catal.* 22.

t.) Latinorum nomine, Italos intelligi, cognoſcitur ex Thurótzii. *Chron. P. II. cap.* 22. & S. Ladislai *Decr. lib. I. cap.* 31.

u.) Quando nullus aduena, ſine fideiuſſore in ciuitatem recipiebatur Hungaricam: Colom. *Decret. Lib.* 1. *cap.* 4. fideiuſſorem, adeſſe oportuit, vel aduocatum, qui hoſpitum defendebat libertatem. conf. *ad* §. 197. *not. u.*

vv.) Judicium ad Praudam, idem videtur fuiſſe, quod iudicium priuatum, in quo, iudex, cauſſas litigantium, ſimpliciter, ſine vllo iudicario ordine, & ſine teſtibus, ad ſolam actoris reique fidem interpoſitam, diſcutiebat: Iudicii priuati apud *Francos*, quod cum iudicio ad *Praudam*, conuenire videtur, meminit Dagobertus *in Charta pro Monaſt. S. Dioniſi.* Eſt autem vocabulum Pravvda, Slauicum, quod *veritatem*, quin & *iuſtum iudicium* quandoque ſignificat: vti in ea phraſi: *Podle Pravvdy ſaudit*, id eſt: *iudicare ex æquo & iuſto.* vt pronum ſit exiſtimare, iudicii hoc genus, a *Slauis*, gente, æqui ac recti ſtudioſiſſima, noſtros accepiſſe.

x.) Hungariam, in Comitatus, & Comitatum, in centuriatus, pro cenſus ratione, fuiſſe ſubdiuiſam, ex Colomanni *Lib. II. cap.* 79. elucet. Hinc, qui *Comitatui* præerat, *Comes*, qui centurionatui, *Centurio* dicebatur. conf. *ad* §. 110. *not. g.* §. 147. *not. a.*

y.) Præ-

per Priſtaldum nomine *Ela*, de villa *Zupur* miſit eos ad candens ferrum Varadinum, quo *Nicus*, & ioubagiones eius, cum defenſore libertatis, eorum & Priſtaldo, venerunt ſtare iudicio. Aduerſarii autem eorum non comparuerunt, nec per aliquem excuſationem miſerunt. *Nicus* itaque ad iudicem reuerſus, iuſtitiam ſibi de aduerſariis fieri poſtulavit, quos iniuſtam impetitionem ſuam confitentes, iudex præfatus per iam dictum Priſtaldum, mittens Varadinum iniuſtitiam ſuam conuentui fecit proteſtari, venientes enim *Bela*, *Vadaſa*, & *Vardou*, pro ſemetipſis & pro coadiutoribus ſuis, vt ipſi dixerunt confeſſi ſunt, prænominatos ioubagiones, *Nicus*, non eſſe ſuos conciues, ſed iniuſte illos eſſe impetitos.

§. CCLV. Paul Comes (y) venatorum impetiit *Feberam*, , de villa *Solumus*, pro veneficio, iudice *Nicolao* vicearchidiacono de *Zatmar*, Priſtaldo *Joanne*. *Febera*, itaque, portato ferro, Varadini iuſtificata eſt.

§. CCLVI. *Buchud*, de villa *Jánuſt*, impetiit *Mecam*, de villa *Genta*, pro furto, *Paulo* curiali Comite de *Bichor*, & *Teca* Biloto, iudicibus, Priſtaldo nomine *Voſos*, de villa *Januſt*. *Meca* itaque, portato ferro Varadini, iuſtificata eſt.

§. CCLVII. *Mathel* impetiit, Dominam *Genuruch*, de veneficio, iudice *Nicolao*, (z) comite Tranſiluani Epiſcopi, ex præcepto Domini ſui, Priſtaldo *Mada*. *Mathel* vero renuntiauit *Varadini* iudicio candentis ferri.

§. CCLVIII. *Boſur* (a) Archipræco *Békeſienſis*, de villa *Ica*, dum poneret rationem ex conſuetudine ſui officii de (b) bobus regiis, dixit ſe à *Joanne*, Præcone, de villa *Sceueü*, quattuor boues nondum accepiſſe. Ille autem dixit ſe ei ſcilicet *Boſur* dediſſe. Iudice *Damiano* curiali comite de *Békes*. *Boſur* itaque, iudicio ferri candentis conuictus eſt.

§. CCLXIX. *Bothſa* curialis comes ſancti Protomartyris, impetiit duos ioubagiones *Laurentii*, ſcilicet: *Paulum*, & *Kemam*, de bobus furtim ablatis, & oſtenſa præſumptione, ſcilicet: carnibus in domibus illorum copioſe

Rrr

y.) Præcipua in palatio Regum Hungariæ dignitas fuerat, comitis venatorum: ſicuti apud Francos, quatuor principales, venatores regii. vid *Chartam* HENRICI *Imp. an.* 1014. apud VGHELLVM *tom. IV. p.* 1008.

z.) Comes curialis epiſcopi Tranſiluaniæ eſt intelligendus. Quo nomine, curiæ epiſcopi præfectus, & aulicorum iudex iudicatur. conf. *ad* §. 6. *not. l.* §. 9. *not. b.*

a.) Prætoris vices interdum ſubibat præco, quod elucet, ex SPECVL. SAXONIC. Lib. 3. art. 55. *Super vitam Bannitorum condemnatorum, nullus, niſi verus præco iudicabit*; interdum, prætore erat inferior. Sicuti GAVTERIVS de bellis Antiochenis p. 443. *Dux igitur Vicecomitem ad ſe vocari iubet, Vicecomes, Prætorem, Prætor, Præconem, Præco iudicem.* cet. Anne vero, accepta hoc ſenſu voce præconis, archipræco, idem ſit, qui *öreg biró*, id eſt *prætor ſuperior*, præco autem, qui apud Hungaros *kis biró*, *iudex inferior*, aliis diſquirendum omittimus.

b.) Reges Hungariæ, priuatam habuiſſe, ex re pecuaria oeconomiam, non minus ex hoc, quam ex 167. §. vbi bubalorum regiorum fit mentio, luculenter patet. conf. legem ANDR. II. *art.* 15. de equis, *art.* 22. de porcis regiis. Ceterum, boues, quorum hoc loco fit mentio, regii, ii ſunt, qui tributi, vel doni nomine, regi, ex quolibet caſtro, & comitatu, vt peculio regio, dabantur. Elucet id ex ANDR. II. art. 29. *Comites, iure comitatus ſui tantum fruantur, cetera ad regem pertinentia, ſcilicet, cibriones, tributa, boues, & duas partes caſtrorum, rex obtineat.* Ita *Siculi*, *Cumani*, & *Jazyges*, peculio adiecti regio, propterea, quod rem exercebant pecuariam, bouem vnum, naſcente filio regio, pro familiarum domuumque numero, regi mittebant. ISTVÁNFIVS *Hiſt. Lib. IV. p. m.* 53.



c.) MEDIA-

ſe inuentis. *Nuetlen*, curialis comes de *Bichor*, ſine talione, vt *Priſtaldus* dixit, nomine *Lucas*, miſit Varadinum, vbi *Paulus* iuſtificatus eſt. *Kema* vero confugit ad eccleſiam.

§. CCLX. *Rabina*, impetiit conuillanum ſuum, *Zaman*, de villa *Huruat*, pro furtiuo dolabro, iudicibus *Gabriele* Biloto, & *Sebe* curiali comite de *Caraſna*, Priſtaldo *Cuca*, Varadini *Rabina* ſubterfugit iudicium ferri candentis, dicens ſe iniuſte *Zamam* impetiiſſe.

§. CCLXI. *Golſa*, de villa *Ban*, impetiit conuillanum ſuum, *Sedun*, de combuſtione domus, & damno ſex marcarum, iudice *Agya* comite de *Caraſna*, Priſtaldo *Luca*, de villa *Kouácbi*. *Sedun* itaque portato ferro Varadini, iuſtificatus eſt.

§. CCLXII. *Georgius*, de villa *Buht*, coadiuuante eum *Simone* ſacerdote de villa *S. Martini*, impetiit *Micoum*, de villa *Katar*, de violento raptu filiæ ſuæ *Margarethæ*, & hoc ipſum illa aſtruxit; *Micou* vero dixit illam *vxorem* ſuam legitime ductam eſſe, & habere nuncium (c) mediatorem, nomine *Deſc*. Qui cum fateretur ſe fuiſſe mediatorem & adduxiſſet ſuper hoc & ipse quosdam teſtes, *Oltuman* Archidiaconus de *Zathmar*, per Priſtaldum nomine *Echireh*, miſit Varadinum, vt *Deſc* portaret ferrum, vbi taliter conuenerunt, quod prædicta mulier, redderetur a patre ſuo Domino *Micou* in vxorem, *Deſc* ſatisfaceret iudici, *Georgius* Priſtaldo.

§. CCLXIII. *Dema*, de villa *Solumus*, impetiit *Vrbanum*, de villa *Gyonta* de furto, iudicibus *Paulo* curiali comite de *Bichor*, & *Teca* Biloto, Priſtaldo *Honos*. *Vrbanus* itaque Varadini combuſtus eſt.

§. CCLXIV. *Clemens*, comes filius *Haben*, impetiit quosdam caſtrenſes ſcilicet: *Odun*, *Thomam*, *Thomum*, & *Ecuſt*, pro duabus marcis. Iudice *Codaba* centurione illorum, Priſtaldo *Comad*, Prænominati itaque *Caſtrenſes* Varadini iuſtificati ſunt.

§. CCLXV. *Kalad*, de villa *Geſt*, cepit aliquot oues ſuas apud *Betum*, de villa *Scecul*, dicens, triginta & vnam oues ſe amiſiſſe per furtum; *Beta* autem dixit ſe emiſſe a *Maſa*, de villa *Sorou*. Quos *Mica* comes *Bicorienſis*, & *Teca* Bilotus, diſcutiens per Priſtaldum nomine *Hoils*, miſerunt *Varadinum*. Vbi *Maſa* portato ferro, combuſtus eſt.

§. CCLXVI. *Simon*, filius *Zela*, frater *Sebaſtiani*, comitis, impetiit Libertinos, *Ina*, & *Jouanc*, filiorum *Joannis*, ſcilicet: *Budam*, *Checham*, *Checlen*, *Pouſam Dan* & *Dubam*, de furto, & ipſos dominos eorum, fautores & protectores eſſe furum. (d) *Banc* itaque *Palatinus Comes*, miſit eos Varadinum vt, pro *Ina* & *Johanc*, quattuor de genere ipſorum, quos *Simon* eligeret, iurarent ibi quod ipſi neſcirent, *Juan* & *Johanc* conſocios furum, & defenſores eſſe. Ipſi autem ad locum non venerunt, ſed (e) excuſatorem mittentes, dixerunt

---

c.) Mediator, idem, qui præs, & ſponſor, inter coniuges, cum nuptiarum conciliatore, non eſt confundendus. du Fresne *gloſſar. voce* Mediator. Hungaris, *Náſznagy* hodie dicitur.

d.) Bánko ſive Bánk, regni Hungariæ Palatinus & comes Köiönienſis, ad annum 1221. apud Jongelinum *in Catalogo Palat. f.* 153. locatur. *conf.* §. 48.

e.) Hoc loco, non reus, ſed rei procurator, qui reum, vel a crimine, vel a iudicii contemtu, propter abſentiam, excuſabat, eſt intelligendus. Hinc excuſati, iidem, qui in iudicio abſoluti, vel libere dimiſſi, rei, dicebantur. du Fresne *gloſſar.* vocab. *excuſare*.

f) Exer-

xerunt se esse in (f) exercitu & ideo *Varadinum* non potuisse venire; prædicti vero libertini, nec ipsi comparuerunt nec excusatorem absentiæ miserunt. Quod cum præfatus iudex resciuisset, missis litteris suis per Pristaldum suum, nomine *Laurentium*, de villa *Libeci*, mandauit illos libertinos pro condemnatis describi; & factum est ita.

§. CCLXVII. *Zounuc*, impetiit *Gallum*, & *Valentinum*, de decem marcis, iudice *Simiragdo*, comite. Pristaldo *Chikou*, *Gallus* itaque combustus est, *Valentinus* autem iustificatus.

§. CCLXVIII. *Dirsig*, de villa *Dirsig*, impetiit *Georgium*, filium *Ponota*. Item *Gyulam*, & *Forcos*, filios *Casta*, de violentia. Iudice *Agya* comite de *Carasna*, Pristaldo *Lépe*. homo itaque *Dirsig*, portato ferro Varadini, iustificatus est.

§. CCLXIX. *Andreas*, de villa *Vitan*, impetiit *Georgium* ioubagionem *Ypoliti*, de villa *Hlap*, dicens; quod cum *Georgius* prius ioubagio ipsius fuerat, duodecim marcas pro causa eius, scilicet: *Georgius* expenderit, quos *Paul*, curialis comes de *Bichor*, ad iudicium ferri candentis per Pristaldum nomine *Gyugea* misit Varadinum: vbi taliter conuenerunt; quod *Ypolitus* daret *Andreæ*, pro iobagione suo, tres fertones, & capitulo quattuor pondera, & dimidium, & idem *Ypolitus* pro eodem *Georgio*, iudici satisfaceret, Pristaldo autem *Andreas* teneretur.

§. CCLXX. *Joannes*, de villa *Vansud*, impetiit *Andream* conuillanum suum, & *Tumen*, de villa *Guizar*, & *Georgium*, de villa *Viloc*, seruum *Samsonis* de combstione domorum suarum, & matris suæ, cum sex capitibus hominum, iudice *Mice* Comite *Bichoriensi*, Pristaldo nomine *Don*, de villa *Gurba*. *Georgius* itaque portato ferro Varadini iustificatus est; *Andreas* vero, & *Tumen* sentientes se combustos esse, (g) confugerunt ad ecclesiam.

§. CCLXXI. *Mortun*, de villa *Dyuna*, accusauit conuillanum suum *Petrum*, de furto, iudice *Heym*, comite de *Borsoba*, Pristaldo *Milosth*, filio *Albei*. Petrus itaque Varadini portato ferro, iustificatus est.

§. CCLXXII. *Quidol*, de villa *Gyan*, impetiit *Tumpam* conuillanum suum de furto. Iudicibus *Mica* comite de *Bichor*, & *Teca* Biloto, Pristaldo *Halalus*, de villa *Sceuleus*. *Tumpa* itaque Varadini, iustificatus est.

§. CCLXXIII. *Stephanus*, de villa *Terepes*, impetiit conuillanam suam, nomine *Dedubam*, & filiam suam, scilicet: *Penam*, & filium suum *Pousam*, de maleficio. Iudicibus *Abel*, Archidiacono de *Herdeud*, & *Job* comite assessore, Pristaldo *Toma* de *Herdeud*. *Deduba* & *Pena* & *Pousa* portato ferro, iustificata est.

§. CCLXXIV. *Paulo*, filio *Hecy*, furtim bos est sublatus, quem dum in vestigasset, inuenit in domo *Vnicæ* de villa *Dusunic*, prædio monasterii sancti *Joannis Baptistæ*, qui *Vnica* citatus ad iudicem cum conuillanis suis, absoluit

Rrr 2 con-

f.) EXERCITVS nomine, nobilium indicantur banderia. Namque, *exercitum debere*, dicuntur vasalli: cum dominorum expeditionibus bellicis, interesse, ac pro iis dimicare tenentur. GARIELLVS in Episcop. Magalon. p. 276. *Exercitum faciant D. Regi, sicut & ceteri, de parte regia.*

g.) Adparet hinc, sacrum hunc ignem, quo candefiebat ferrum, non in atrio, multo minus in ipso templo, sed extus, forte intra ambitum cœmeterii, focum habuisse; vbi prænsari portarique debuit. Inde vero, qui se combustos sentiebant, in ecclesia capiebant perfugium, dum litem, qua ceciderunt, cum aduersariis, per Pristaldum, dirimerent.

h.) Obser-

conuillanos ſuos, & ſtatuit quendam nomine *Egiud*, de villa *Tztharii*, prædio *Michaëlis*, dicens, quod ille cognatus ſuus eſſet, & ipſe declinans in domum ſuam, ex conſuetudine conſanguinitatis, adduxiſſet illuc bovem illum. Quod cum ille negaret, *Demetrius*, curialis comes de *Bichor*, & *Tupſa* bilotus, per Priſtaldum, nomine *Cozmam*, miſerunt ad ferrum iudicabile Varadinum. Vbi *Egyud*, portato ferro, combuſtus eſt.

§. CCLXXV. *Boynuc*, de villa *Voſuarii*, impetiit generum ſuum, nomine *Tecus*, de villa *Catar*, pro occiſione vxoris ſuæ, ſororis ſcilicet eius. Iudicibus *Hiſce*, curiali comite de *Zathmár*, & *Gabriele*, Vicearchidiacono, Priſtaldo *Forcos*, de villa *Gylian*, *Tecus* portato ferro, combuſtus eſt.

§. CCLXXVI. *Sama*, caſtrenſis de *Zounuc*, de villa *Sugu*, impetiit *Pouſam*, filium *Pauli*, de villa *Zolos*, dicens, illum quod ſuus eſſet conciuis, & vt ipſe *Sama*, & Priſtaldus ſuus *Abſolon*, dixerunt, iuuerunt ipſum *Samam* in hoc ioubagiones caſtri *Zounuc*; ſed ſolus *Sama* fuit in executionem huius cauſæ Varadini. Ille autem dixit ſe eſſe liberum & *Teutonicum* genere, quos *Angelus* curialis comes de *Zounuc*, per prædictum Priſtaldum miſit Varadinum. Vbi præfatus *Sama* ſubterfugit candentis ferri iudicium, dicens, quod falſo impetiiſſet *Pouſam* pro ſuo conciue.

§. CCLXXVII. *Varou*, de villa *Petri*, dum quidam mercatores ſalis de prouincia *Zala*, cepiſſent bouem apud eum pro furtiuo & (h) *Tributarii* reginæ, cauſam mercatorum illorum tenendam ſuſcepiſſent. Iudice *Angelo*, curiali comite de *Zounuc*, Priſtaldo *Rogero*. *Varou* miſſus a præfato iudice Varadinum, venit cum ſuo Priſtaldo, Aduerſarii eius non venerunt.

§. CCLXXVIII. *Vitalis*, de villa *Vedu*, impetiit *Saulem* de villa *Fegyeyunc*, pro furto. Iudice *Mica* comite, Priſtaldo *Zouislou*, de villa *Tulka*. *Saul* combuſtus eſt.

§. CCLXXIX. *Forcos*, de villa *Tauarnuc*, impetiit conuillanum ſuum *Suka*, pro furto, iudice *Iſeph* (i) *Tauarnicorum* curiali comite, Priſtaldo *Petus* de villa *Chemey*. *Suka* portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCLXXX. *Tomas*, *Buga* & *Sumug* impetierunt, *Syguert*, *Scemus*, & *Votam*, de duabus marcis & vno fertone, iudice *Martino*, filio *Tumpæ* comitis, Priſtaldo *Bratus*. *Scemus*, & *Vota* portato ferro, pro ſe & *Sigvert*, iuſtificati ſunt.

§. CCLXXXI.

---

h.) Obſervat Cuiacius *ad tit. Cod.* de Agricolis, cenſitis, & colonis *Lib. II.* tributarios eſſe adſcriptitios, id eſt capitis cenſum ſiue capitationem præſtare ſolitos: colonos vero non eſſe tributarios; licet reditus certos & penſiones, domino terræ præſtant in pecunia, vel in ſpeciebus, pro ſolo. Aeuo medio, tributarii ſeu tributares, coloni erant liberi, obnoxiæ licet conditionis: vt qui ad tributa & ſeruiles operas tenerentur. Hinc, in Lege Salica *tit.* 43. §. 8. & in *Recapitulat. ejuſdem legis* §. c. 4. vetus Galliæ incola, *Romanus* dicitur *tributarius*, ſcilicet, Francorum reſpectu, qui, ab omni tributo erant immunes. Apud Hungaros tamen, tributarii idem erant, qui *publicani*, & *vectigaliarii*, ſeu *teloniatores*, & *triceſimatores*. Sigism. *Decret. VI. ad an.* 1435. *art.* 22. 23. Vladisl. *Decret. I. ad an.* 1492. *art.* 87. qui, pro dominorum in bonis diuerſitate, alii erant regis, alii reginæ, alii comitum, nobiliumque tributarii. vid. leges Colom. *Lib. I.* art. 78. 82. Sigismvndi item & Vladislai II. l. c. In diplomatibus certe regum Hungariæ, vectigal, naulum, portorium, *Tributum* dici ſolet.

i.) Comes cvrialis Tauarnicorum a Magiſtro Tauernicorum regiorum, probe eſt diſtinguendus. Hic namque inter *Barones* regni connumeratus, ſummam in regios, vel reginales Tauernicos, poteſtatem exercuit Lvdovic. I. *Decret. art.* 25. illum, ſubalterna præditum auctoritate, ius Tauernicis regiis dixiſſe, ex §. hac colligitur.

k.) Dici-

§. CCLXXXI. *Vilmos*, & *Temes*, de villa *Burs*, impetierunt conuillanos ſuos, *Scicum* & *Fitam* pro quattuor marcis. Iudice curiali comite Epiſcopi Varadinenſis, Priſtaldo *Dekeu*. *Scicus*, & *Fita* iuſtificati ſunt.

§. CCLXXXII. Joubagiones *Petri*, filii *Pou*, ſcilicet: *Bulſu*, *Echi*, *Scemera*, *Loctu*, *Cheka*, *Suluc*, *Michaël*, cum miſſi eſſent pro latrocinio, *Abeym* iudice eorum, Varadinum ad iudicium ferri candentis, per Priſtaldum nomine *Catonem*, dato termino in ſeptimana: *Dominus fortitudo*: non venerunt; ſed *Petrus*, Dominus illorum, tulit literas ex parte *Abeym* iudicis eorum, in quibus iubebatur Priſtaldo, quod differet cauſam illam ad feſtum *Sancti Regis*, ad regem.

§. CCLXXXIII. *Demetrius*, de villa *Nazalas*, impetiit *Joancam*, de villa *Simonis*, & *Vrbanum*, de villa *Ebes*, dicens, quod cum *Gloten* ſuam, mortuo marito ſuo recepiſſent, etiam pecuniam ſuam, triginta marcas valentem, ei abſtuliſſent. Quos *Simeon* Voiauoda, per Priſtaldum nomine *Andream*, de villa *Chengua*, ad iudicium ferri candentis miſit Varadinum, vbi taliter conuenerunt, quod *Joanca*, & *Vrbanus*, de tribus, quas acceperat redderet *Demetrio* vnam (k) *Pediſequam*, nomine *Jobacecu*, & ſeruum nomine *Muncam*. *Gloti* autem ſuæ traderent pediſequam, nomine *Ticuram*, & idem Priſtaldo ſatisfaceret. Iudici autem Demetrius teneretur, pro (l) *Dotalitiis* vero, glotis *Demetrii*, nullus a modo, cum *Demetrio* agere poſſet, ſed eſſet omnino abſolutus, & ſi aliquis requireret, *Joanca*, frater glotis ſuæ, & *Vrbanus* maritus eius, tenerentur *Demetrium* expedire. Præterea *Demetrius* dederat gloti ſuæ (m) æquatiam, quæ furto ſublata eſt illi, quam ſi *Vrbanus* inuenerit, *Demetrius* tenetur ex condicto eum iuuare in requirendo, ſi *Vrbanus* requiſiuerit.

§. CCLXXXIV. Nouerunt vniuerſi, quod *Antonius*, de villa *Zupur*, cum eſſet citatus Varadinum, ad candentis ferri iudicium, dato termino in ſeptimana *Dominus fortitudo*, *Salamone* comite de *Nitra*, iudice a rege delegato, Priſtaldo *Nicolao*, *Antonius* non venit, *Heme* vero, & *Gyoma*, aduerſarii eius & Priſtaldus venerunt.

Sss §. CCLXXXV.

---

k.) Dicitur etiam ſequipes, quia alium, pedibus ſequitur. ANASTASIVS, in *S. Hadriano*, *pag.* 103. quo nomine, ſectatores & diſcipuli, interdum vocantur. Vita S. SVLPITII Pii. Epiſcop. Bitur. c. 6. *Addebat etiam Beati ſequipeda.* cet. conf. *ad* §. 104. *not. c.*

l.) DOTALITIVM eſt merces (rectius donatio) feminarum legitime coniunctarum, ob debitum matrimonii, de bonis & iuribus poſſeſſionariis maritorum, iuxta ſtatus illorum exigentiam dari conſueta. Si enim maritus officium *Baronatus* geſſerit: tunc mulier ipſa, centum marcas; ſin vero *Magnas*, vel *Baro*, ſolo nomine fuerit, & officio *Baronatus* caruerit, aut inſignis *Nobilis*, vel miles exſtiterit, & quinquaginta ſeſſiones iobagionales populoſas, vel plures, habuerit: relicta eius, quinquaginta marcas, pro dote ſua conſequitur, *marcam* quamlibet, per quatuor *florenos Hungaricales*, aut quadringentos denarios, præſentis monetæ, computando. Relictæ autem inferioris ſtatus & conditionis nobilium, de bonis & iuribus maritorum poſſeſſionariis, ſecundum magis & minus, iuxta ſcilicet bonorum quantitatem, æſtimatione communi mediante, dotes ſuas rehabere poterunt. TRIPART. *P.* 1. *tit.* 93. 94. conf. *ad* §. 139. *not. q.*

m.) ÆQVATIA, videtur eſſe æqualis ablatæ rei retributio, ſeu compenſatio; ſicuti *æquatio* tributum erat, quod domino, pro rei *æquitate* præſtabatur, CONCILIO TOLETAN. I. cap. 10. & *æqualentia* hæreditatis, vel bonorum, per æquales partes, æqua lance, facta diuiſio. MARCVLF. *Lib. II. form.* 14. Forte, EQVA fuit, ſtabulo, aut armento equino, ſubducta.

 n.) CON-

§. CCLXXXV. *Georgius*, de villa *Babud*, veniens cum Priſtaldo ſuo, nomine *Cubuchi*, dixit ſe litigaſſe coram *Angelo*, curiali comite de *Zounuc*, pro violenta ablatione ſerui ſui, cum *Somu*, de villa *Gyou*, qui *Somu* veniens in ſexta feria eiuſdem ſeptimanæ, dixit, non ſtare ſe iudicio præfati iudicis in cauſa iſta, eo quod alius eſſet iudex & Priſtaldus eorum.

§. CCLXXXVI. *Egyud*, & *Smaragdus* comites, miſerunt (n) contubernarium ſuum *Andream* & *Zomlun*, impetierunt *Laurentium*, de villa (o) Latinorum Varadinenſium pro occiſione ſeruorum eorum, iudice *Joachin* (p) Oeconomo, Priſtaldo *Fulco* clerico; ſed cum *Laurentius* paratus eſſet portare candens ferrum, *Andreas* renuntiauit iudicio ferri candentis, dicens illum eſſe innocentem.

§. CCLXXXVII. *Ægidius* de villa *Lazd*, impetiit (q) peliparium eccleſiæ, de *Igyed*, nomine *Kana*, de villa *Sasbad*, pro furto, iudice *Paulo*, curiali comite de *Bichor*, Priſtaldo *Orochi*, de villa *Boclu*. *Kana*, portato ferro iuſtificatus eſt.

§. CCLXXXVIII. *Somzou*, *Sama*, *Chegur*, de villa *Gyagya*, impetierunt quosdam, de villa *Orobag*, ſcilicet: *Cogy*, *Sceman*, *Ballum*, *Vros*, *Votam*, & de villa *Tuca*, *Vſam*, pro damno decem marcarum, arbitris *Georgio*, *Jano*, *Ambroſio*, *Guthmar*, *Joachin*, Priſtaldo autem *Bata*, in ſeptimana *Ecce DEVS*: *Cogy*, *Scema*, *Balu*, *Vtros*, *Vota*, & *Vſa*, non venerunt; ſed dominus eorum miſit excuſatorem, pro eis dicens, & quod ipſe in prædicto termino debuit eſſe apud Palatinum, & ideo ioubagiones ſui prænominati, ſine ipſo venire Varadinum non potuiſſent.

§. CCLXXXIX. *Beche*, de villa *Tarian*, impetiit prædictos *Balum* & *Scemam*, de damno vnius & dimidiæ marcæ, coram eisdem arbitris, & eodem exiſtente Priſtaldo, & eodem termino, ſed vt prædictum eſt, *Balu* & *Scema*, non venerunt.

§. CCXC. *Volura*, litigauit cum *Petro*, dicens, quod *Petrus* debebat ei marcam vnam argenti, & cum repeteret illam, *Petrus* negaſſet ſe in aliquo ei teneri, inſuper & vituperaſſet eum, & gladium ſuper ipſum euaginaſſet. Quos *Joachin*, vicarius iudex *Ladislai* (r) comitis venatorum bubalinorum diſcutiens per Priſtaldum, nomine *Stephanum*, miſit Varadinum, vbi taliter pacificati ſunt; quod *Volura* dimiſit *Petro* totum quicquid requirebat, & idem ipſe dabit *Petro* vnum fertonem. *Petrus* autem ſatisfaceret iudici & priſtaldo, & ambo ſemper eſſent in pace.

§. CCXCI.

---

n.) CONTVBERNARIVS, idem, qui contubernalis, ex eodem contubernio, quod ſummum decem militibus conſtitiſſe dicitur. vid. GLOSSAR. RIGALTII conf. *ad* §. 146. *not. y.*

o.) LATINI Varadienſes, hoſpites erant Itali, de quibus THVRÓTZIVS *Chron. P. II. cap.* 22. conf. *ad* §. 253. *not. q.*

p.) De Oeconomo eccleſiæ vid. *ad* §. 246. *not. b.*

q.) PELLIPARII, qui pelles parant, præparant, vendunt, Latinis ſunt pelliones. Ita *Iter* CAMERARII *Scotic. cap.* 23. *Pelliparii ſeu pelliones - - corrumpunt pelles, ſiue coria in aquis.* Hinc *Fratres Pelliparii* in Monaſteriis, quibus pellicearum Monaſticarum cura incumbebat, in *ſtatutis Ordinis de Sempringhan* p. 715. Inter Archiabbatiæ S. Benedicti de S. Monte Pannoniæ miniſteria, & pelliparii numerantur, conf. *ad* §. 7. *not. m.*

r.) PAVLLO comiti venatorum bubalinorum, de quo §. 167. LADISLAVS ſucceſſiſſe videtur.

s.) Arun-

§. CCXCI. *Misca* , *Joannes* , *Buctu* & *Abraam* , filii *Bucanis* de *Boiano* , impetierunt *Joannem* filium *Opoy* de *Rabay* , & *Bichorienses* de alio *Boiano* , scilicet : *Chemem* & *Temem* , & omnes castrenses de eadem villa , dicentes , quod nullum haberent consortium cum eis, de (s) arundineto & insulis & paludibus & locis piscationis, illi econtra dixerunt se in omnibus prædictis vsibus , ex æquo esse consortes , (t) *Gyula* igitur Palatinus comes, discutiens eos per Pristaldum nomine *Gyurc* , filium *Moysa* de villa *Heldus* , misit ad examen ferri candentis Varadinum , vbi taliter conuenerunt , quod *Joannes* , & *Bichorienses* , de *Boiano*, æqualem haberent proprietatem & consortium generale de arundineto, in arundinibus & locis piscationum, cum filiis *Buctonis* , de alio *Boiano*. Sed de insulis tantum duæ , scilicet : insula *Myskae* & *Fecel* , quæ videlicet in interiori parte sunt arundineti prædicti *Joannis* , esset & *Bichoriensium* ; aliæ vero insulæ , quæ in exteriori parte arundineti sunt filiis *Buctonis* attinerent , in præmittendis autem extraneis , ad percipiendum aliquem vsum de arundineto sic commune ius & æquale haberent , vt neutra prædictarum villarum plures de aliis villis , sine consensu reliquæ , ad sumendum aliquid de arundineto permittendi fas haberet. De villa autem talis facta est compositio, quod quæcunque via arundinetum esset filiorum *Buctonis* , eidem *Joannis* quoque & conuillanis eius *Bichoriensis* , sine contradictione teneretur.

§. CCXCII. *Varou* , de villa *Bud* , impetiit conuillanum suum *Emericum*, pro una marca & dimidia. Iudice *Leustachio* domino eorum , Pristaldo *Michaële*. Varadini taliter conuenerunt, quod *Varou* satisfaceret iudici, *Emericus* vero teneretur Pristaldo , & daret aduersario suo quindecim pondera.

§. CCXCIII. *Barabas*, impetiit ioubagionem *Agya* comitis, nomine *Thomam* , dicens quod filium suum nomine *Sub* , qui fuit apud *Barrabam* in (u) seruitute pro pecunia , ipse *Thomas* furtim fugere ab eo fecisset. Quod cum *Thomas* negaret , præfatus *Agya* discutiens per Pristaldum nomine *Cosmam*, misit Varadinum ad candentis ferri iudicium. Vbi iam dictus *Barrabas* accepit vnam marcam & fertonem a *Thoma* , & absoluit *Thomam* a causa sua , & filium eius a seruitute.

§. CCXCIV. Quidam, nomine *Luc* cum Pristaldo suo nomine *Santo* , veniens in septimana *Dicit Dominus* : Dixit se esse missum a iudice eorum , scilicet : *Bodum* filio *Bodum* ad portandum ferrum pro tribus marcis, contra quendam nomine *Christianum*, sed *Christianus* in prædicta septimana Varadini non comparuit.

§. CCXCV. *Furman* , accusatus de furto , non venit Varadinum , de quo tales literas misit iudex suus. (vv) Ego *Venceslaus* , DEI gratia sum Comes

 Zoth-

s.) Arundineta , insulæ , paludes , & loca piscationis , pertinentiarum nomine , in prædio , veniunt apud Hungaros. TRIP. *P. I. tit.* 24.

t.) GYVLA , seu *Jula* , filius *Borz* , comes Bodrogiensis fuit anno 1222. Regni Hungariæ Palatinus, cui , anno 1225. post *Philippum* comitem de Sepesujvár , dignitas hæc , iterum fuit restituta. vid. JONGELINI *Catalog. Palat. ad an. cit.* Diuersusne ab eo fuerit *Gyula* comes de Keve , anno 1221. Iudex curiæ , de quo ad §. 87. not. l. aliis decidendum relinquimus.

u.) SERVI mercenarii , a mancipiis, de quibus ad §. 13. 20. probe sunt distinguendi. Ea namque eorum fuit apud heros conditio , quæ hodie , seruorum.

vv.) Hæc est litterarum sententionalium & adtestatoriarum, in iudiciis æui medii , formula apud *Hungaros*.

x.) Co-

Zothmariensis. *Tobol*, filius *Peta*, litigauit in præsentia mea cum *Furman* filio *Ber*, biloti *Hodosdiensis* asserendo ipsum esse furem. Iudicio inter eos constituto, misit eos ad locum Varadinensem per Pristaldum *Petrum*, filium *Marc. Tobol*, cum Pristaldo suo iuit & fuit in termino Varadini præfixo, sed *Furman*, contrarius suus, non iuit illuc. Istis literis nos istud addicimus, quod prænominatus *Furman*, in septimana *Exaudi Domine*, non comparuit Varadini, sed *Tobol* & *Pristaldus* fuerunt.

§. CCXCVI. *Forcos*, centurio, impetiit *Pousam*, filium *Matthiæ* de villa *Soluban* de tribus marcis, dimidia minus, violenter ablatis, iudice *Nuetlen* curiali comite de *Zaránd*, Pristaldo *Jacob*, filio *Forcos*. Qui Varadini taliter conuenerunt, quod *Pousa* daret præfato actori vnam marcam & dimidiam, idemque iudici satisfaceret ac Pristaldo.

§. CCXCVII. *Nenecy*, de villa *Sum* impetiit conuillanum suum, scilicet: *Volotcu* de furto. Iudicibus *Mocud*, & *Johanca* Pristaldo *Horogus*, filio *Suda*. *Nenecy* itaque & *Horogus*, fuerunt Varadini per totam septimanam *Exaudi*. *Volutcu* vero venit in die veneris, in eadem septimana, dicens, quod in sequenti septimana esset terminus ipsius.

§. CCXCVIII. *Kelian*, de villa *Beseneud*, impetiit *Budam*, *Petrum*, *Vendec*, *Borozlou*, *Poucam*, & *Buntam*, de villa *Vosian*, prædio *Simonis*, item *Pousam*, de villa *Numen*, prædio *Sebus*, de pecunia violenter ablata, iudicibus *Heymu*, (x) comite a rege dato, & *Alexandro*, Pristaldis *Minos* & *Dazlou*. Varadini autem talis inter eos facta est conuentio, quod *Keliano* darent aduersarii sui quinque marcas, & iudici idem satisfacerent, Pristaldo autem *Heim*, comiti *Kelian*, teneretur.

§. CCXCIX. *Forcos*, ioubagio *Laurentii*, de villa *Cups*, impetiit conuillanum suum *Pousam* libertinum eiusdem *Laurentii*, de combustione *Domus* & damno trium marcarum, iudice præfato *Laurentio*, Pristaldo *Gregorio* de prædicta villa. *Pousa*, portato ferro, iustificatus est.

§. CCC. Castrenses de *Carasna*, de villa *Ban*, scilicet: *Damang*, *Dub*, *Nusata*, & omnes alii de eadem villa, coadiuuante eos *Tumpa* centurione, vt Pristaldus astruxit, impetierunt quendam scilicet: *Jecur*, filium *Redea*, *Sol* & *Boudun*, filios *Sacicu*, *Sytecy* filium *Babuci*, dicentes, quod conciues essent eorum. Illi autem dixerunt, se esse liberos & genere *Ruthenos*, & adduxerunt defensorem libertatis suæ, nomine *Chedur*, genere *Ruthenum* ioubagionem *Barnabæ*, qui dicens illos cognatos suos esse, tenuit libertatem eorum, iudice *Tupa* curiali comite de *Carasna*, Pristaldo *Donca*, de villa *Bogus*. *Chedur* itaque portato ferro iustificatus est, probauit illos liberos esse.

§. CCCI. *Roda*, de prædio *Beken* impetiit conuillanum suum *Vreund*, de vna marca & dimidia, iudice Domina *Eufemia*, Pristaldo *Toca*. *Vreund* portato ferro, combustus est.

§. CCCII. *Micicu*, de villa *Bogus*, cum diceret (y) fideiussorem *Rusdonis* in venditione equi, qui furto sublatus esse dicebatur domini *Rusdonis*. *Dursa* dixit esse maleficium, iudice *Comploto* Archidiacono de *Carazna*, Pristalgo *Buda*, de villa *Bogus*. *Micicu*, portato ferro, iustificatus est.

§. CCCIII.

x.) COMES a rege datus, iudex est delegatus; de quo ad §. 9. *not. t.*

y.) Rutheni, qui partim sub S. STEPHANO, partim sub ANDREA I. S. LADISLAO & COLOMANNO regibus, in Hungariam, ex *Russia* rubra demigrarunt. THVRÓTZIVS *Chron. Part. I. cap.* 22. Hospites sunt liberi, eadem, qua vel Slaui, vel Latini hospites, libertate donati.

z.)

§. CCCIII. *Petrus*, & *Bosu*, de *Alba*, vt Prisłaldus dixit, impetierunt quendam de villa *Mon*, nomine *Vluen*, viginti & quinque marcis violenter ablatis, & plaga gladii. Iudice *Pris*, curiali comite de *Zounuc*, Pristaldo *Forcos*, de villa *Tuka*. *Pangracii* seruiens, *Petrus*, & *Bosu*, combustus est.

§. CCCIV. Cum *Voiouoda*, comes de *Doboka*, peruideret exercitum suum, quidam ex ioubagionibus eiusdem castri, nomine *Hereust*, stetit in ordine iobagionum naturalium, qui scilicet: (z) ioubagiones *Sancti Regis* nuncupari solent. Tunc accesserunt quidam de ioubagionibus *Sancti Regis*, videlicet: *Vanoy*, & *Bocya*, & reiecerunt illum de ordine suo dicentes, quod ipse non esset de ordine & gradu *ioubagionum Sancti Regis*, & hæc idem dixerunt *Keuerug Hodunogio*, & *Kereu* ioubagiones. Prænominatus itaque comes, discutiens eos per Pristaldum nomine *Bocy*, de villa *Boscu*, misit Varadinum ad examen ferri candentis, vbi præfati, *Vanoy*, & *Bocya*, se recognoscentes coram Pristaldo & *Theodoro*, qui dixit se vice *Keuerug Hudunogionis*, & *Kereu* ioubagionis venisse, coram capitulio Varadinensi confessi sunt, iam dictum *Hereust*, iniuste de ordine *ioubagionum Sancti Regis*, expulisse.

§. CCCV. *Vrcund*, portato ferro contra dominum *Rodam*, combustus est, iudice domina *Eufemia* & Pristaldo *Tica*.

§. CCCVI. *Miros* de villa *Dereg*, impetiit conuillanos suos, scilicet: *Elam*, *Poznanum* & *Enderem*. Item, de villa *Vndou Martinum*, & de villa *Fodot*, *Sumb* & *Scegam*. Impetiit autem de duabus marcis & dimidia. Iudice *Basu*, curiali comite de *Clus*. Pristaldo *Lka*. *Miros* portato ferro, iustificatus est.

§. CCCVII. *Pomel*, de villa *Pechey*, impetiit vt Pristaldus dixit, conuillanos suos, scilicet: *Domum*, & *Tumpam*, & idem de villa *Saicu*, *Basam*, pro latrocinio, iudicibus *Tupa*, curiali comite, & *Ruben* biloto de *Crazna*. Pristaldo *Andrea*. *Basa*, & *Domus* iustificati sunt ferro portato. *Tumpa* vero non venit in septimana qua ferrum portare debuit; sed venit postea in Dominica die *Resbice*, dicens, iustificatum ante iudices se, & ideo non venisse.

§. CCCVIII. *Pousa*, de villa *Nadal*, impetiit conuillanum suum, scilicet: dominum *Forcos*, pro damno quinque marcarum. Iudice *Boc*, comite, domino eorum Pristaldo *Matu*. Inter quos talis facta est conuentio, quod *Forcos* daret dimidiam marcam *Pousa*, & in tertia parte satisfaceret iudici & Pristaldo.

§. CCCIX. Vxor *Laurentii*, de villa *Dolman*, impetiit quosdam de villa *Colosa*, scilicet: *Naluc*, *Cecam*, & *Vid*, de furto, iudice *Neuetlen* curiali comite de *Zaránd*, Pristaldo *Teca*, de villa *Seigueti*. *Vid*, portato ferro, iustificatus est. *Naluc* & *Ceca* manus non sunt inspectæ, quia *sigilla* eorum fracta sunt inuenta.

§. CCCX. *Virbar*, de villa *Fansol*, ioubagio *Barnabæ*, impetiit Dominum *Bosz*, de villa *Ziloch*, pro furto. Iudice *Pers*, curiali comite de *Zonnuc*. Pristaldo *Sceraka*. *Bozc* portato ferro, iustificatus est.

§. CCCXI. *Deus*, filius *Sancti*, de villa inferioris *Quer*, impetiit conuillanum suum *Johannem*, ioubagionem *Hus* pro furto. Iudice *Paulo* curiali comite de *Bichor*, Pristaldo *Gyuge*. *Joannes* portato ferro incombustam habuit manum, sed sigillum fractum.



z.) De JOVBAGIONIBVS Sancti Regis, dictum est, ad § 146. *not. vv.* conf. §. 322.

§. CCCXII. *Michaël*, de villa *Musou*, impetiit *Gyunam*, de villa *Euse* pro furto. Iudice *Mica* comite de *Bichor*. Priſtaldo *Micusa*, de villa *Gyoroc*. Dominus *Gyuna* combuſtus eſt.

§. CCCXIII. *Joannes*, filius *Turdis* comitis, impetiit ioubagiones eccleſiæ de *Clus*, ſcilicet: *Scelam*, & *Pousam* & *seruum* ſcilicet *Posu*, de prædio *Her*, pro latrocinio, iudice *Mica* curiali comite de *Bichor*, Priſtaldo *Joanne*. *Sela* itaque & *Posu* iuſtificati ſunt. *Pousa* combuſtus eſt.

§. CCCXIV. *Vadu*, de Otodibus ſiluæ *Beregu*, impetiit conuillanum ſuum *Vulcanum* pro occiſione filiæ ſuæ per potionem. Iudice *Mescu* comite de *Beregu*, Priſtalgo *Andrea*. *Vulcanus* iuſtificatus eſt.

§. CCCXV. *Martinus* (a) Archidiaconus, impetiit *Beluen*, & *Matthiam* de villa *Joubag*, & item *Gekam*, de villa *Zor*, & *Kelemen* de villa *Segu*, pro occiſione filii ſui, quos (b) *Nicolaus* comes Palatinus per Priſtaldum nomine *Gougar* miſit Varadinum ad candentis ferri iudicium, vbi *Kelemen*, portato ferro iuſtificatus eſt. *Belue* vero & *Matthias* taliter conuenerunt, quod darent aduerſario ſuo viginti & quinque marcas, & iidem iudici ſatisfacerent & Priſtaldo, & ſi compotes ſui exiſterent, ieiunarent pro homicidio. Item *Geka* conuenit dare aduerſario ſuo quatuor (c) marculas, & ſatisfacere iudici & Priſtaldo.

§. CCCXVI. *Bolosi*, de villa *Bulkan*, coadiuuante patruo ſuo, ſcilicet: *Kyna* & aliis cognatis ſuis, videlicet: *Elur*, *Bot*, *Benedicto* & *Georgio*, impetierunt quosdam de alio *Bulkan*, ſcilicet: *Poth*, *Vilman*, *Detreb*, *Laurentium*, *Mazam* & *Thomam*, de occiſione patris ſui, ſcilicet: *Zudæ*, iudice *Michaële*, curiali comite de *Zobols*, Priſtaldo *Matthæo*, de villa *Bozt*. *Both* combuſtus eſt, reliqui iuſtificati.

§. CCCXVII. *Gyuna*, de villa *Dabra*, cœpit duos boues ſuos apud *Vosos* de villa *Torsa*, prædio *Angyolus*, dicens illos furto ſibi ſublatos. Ille reſpondit ſe emiſſe a quodam conuillano ſuo, nomine *Sogyon*. Qui cum negaret, *Vosos* impetiit alium conuillanum ſuum *Sumptam* nomine de fideiuſſione, qui cum

---

a.) Archidiaconus, primus inter Diaconos, Epiſcopi Vicarius dicitur, in ordine Romano, vt qui vices epiſcopi in illa diœceſi exſequitur, & eccleſiarum viſitandarum curam, ipſius loco ſuſcipiat. Ad eum olim ſpectabat eccleſiaſtica theſauri cuſtodia, illiusque diſpenſatio, quod ex Isiodoro, Prudentio, aliisque luculenter elucet.

b.) De Nicolao Comite Palatino, expoſitum eſt ad §. 4. not. 1. conf. §. 321.

c.) Marca, marcula, nomen eſt germanicum. Quæ tametſi ſolidis ac denariis conſtiterit: non ideo tamen exiſtimandum videtur, *Marcam* ſeu *marculam* fuiſſe numum caſum ac ſignatum. Solidi enim & denarii, qui hic ſubinde recenſentur, pondera ſunt, quæ nusquam mutabantur. Quod de *marcæ argenti* atque *auri* pretio, dici non poteſt; id enim pro lubitu Principum, minuebatur ac creſcebat, pro ratione pretii, quod monetæ imponebatur. Ceterum aliud fuit, *Marcæ auri* aut *argenti* ſignati, aliud infecti pretium. Pluris enim ſemper valuit *Marca ſignata*, quam *infecta*, idque propter tributum, ſeu vectigal, quod Princeps ex vnaquaque, monetæ ſignatæ, aut cuſæ marca percipit. *Marca infecti auri* aut *argenti* duplicata, libram efficit, quæ diuiditur in 16. vncias, vncia in octo drachmas, vel 24. ſcrupulos, ſeu denarios; drachma, ſiquidem 24. conſtat denariis, & in 72. grana ſecatur, quorum 24. continet denarius. du Fresne *gloſſar.* voce *Marca*. Signati metalli marcam, triplicem fuiſſe apud *Hungaros*, ex §. 3. not. g. elucet. quarum *minimam*, leuioris ponderis, quæ vnum tantum adpendit florenum, *marculam* dictam fuiſſe, ex hac §. eſt colligere.

d.) Incer-

cum & ipse negaret, *Vingizlou* comes de *Zothmar*, per Priſtaldum nomine *Chentu*, miſit Varadinum, vbi *Voſos*, portato ferro, combuſtus eſt.

§. CCCXVIII. *Achus* & *Butha*, de villa *Cheuſci*, impetierunt *Gabum*, *Nicolaum*, *Tekum*, *Petrum*, & alium *Petrum* de *Humuroc*, pro latrocinio. Iudice *Paulo* curiali comite de *Bichor*, & Biloto *Cibout*, Priſtaldo *Martino* de *Curmusd*. Varadini autem prædicti impetitores ſubterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes, ſe falſo petiiſſe illos de latrocinio.

§. CCCXIX. *Mogus*, & *Scegu*, de villa *Vduori*, coadiuuantibus conuillanis eorum, impetierunt *Janum* conuillanum ſuum de furto. Iudice *Martino* comite. Priſtaldo *Vois*. *Janus*, cum ſolui deberet, confugit ad eccleſiam, dicens ſe combuſtum.

§. CCCXX. *Paulus*, de villa *Zuna*, impetiit conuillanam ſuam, nomine *Scemam* de veneficio. Iudice *Farcaſio* Archidiacono de *Zounuc*, Priſtaldo *Stephano*. Varadini *Paulus* abſoluit illam, ſpondens ſe ſatisfacere iudici. Illa vero ſatisfaceret Priſtaldo, & Capitulo.

§. CCCXXI. Vxor *Teleguen*, & filius ejus *Cumpert*, impetierunt duos ſeruos *Olodarii*, videlicet: *Sal*, & *Bodun*, & duos ioubagiones *Joannis*, ſcilicet: *Sudan* & *Volcu*, & totidem ſeruientes *Beli*, ſcilicet: *Joannem* & *Petrum*, pro latrocinio, iudice *Nicolao* comite Palatino. Priſtaldo *Philippo*, & illi quidem ſex, Varadini portato ferro, iuſtificati ſunt; ſed præter illos prænominati accuſatores, impetierunt *Albeum*, ioubagionem *Johannis*, & Dominum *Scenezeü*, ioubagionem Abbatis (d) de *Heuiuz*. Quorum *Albeus*, ſentiens ſe eſſe combuſtum, confugit ad *Eccleſiam*. *Sceuezeü* vero combuſtus eſt.

§. CCCXXII. *Adam*, filius *Boloſoy*, de villa *Jeneu*, impetiit conuillanum ſuum nomine *Paulum*, dicens, quod unum ſeruum ſuum, nomine *Votam*, & alteram ancillam ſuam ſcilicet: *Scencam* ſororem eiusdem, vi ab eo abſtuliſſet. *Paulus* reſpondit, ſe emiſſe ab eo, non vi abſtuliſſe illos, & adduci teſtes. Quos *Paulus* curialis comes de *Bichor*, diſcutiens per Priſtaldum nomine *Ducam*, miſit Varadinum ad iudicium ferri candentis: interea conuenerunt cum licentia iudicis, a quo etiam Varadinum transmiſſi, conteſtati ſunt coram Capitulo, & Priſtaldo, ſe ita conueniſſe, quod *Adam* ſatisfaceret iudici, *Paulus* vero Priſtaldo, & idem *Paulus* daret, *Adæ* vnam marcam & dimidiam.

§. CCCXXIII. Filii ioubagionum *Sancti Regis* de villa *Gyan*, ſcilicet: *Tchu*, *Vnicus*, & *Matthias*, & filii ioubagionum deſcenſum comiti perſoluentium de alia *Gyan*, ſcilicet: *Dionis*, *Forcos*, *Joachin*, *Vruz*, *Endus*, *Fuc*, *Sypeü*, *Tſou*, & alii, & item de tertia *Gyan*, caſtrenſes, ſcilicet: *Sama*, *Meckad*, *Obud*, *Medue*, *Ficed*, *Cibrian*, *Kidol*, & aliis coadiuuantibus caſtri Bichorienſis ioubagionibus, ſcilicet: *Luca* (e) Principe exercitus, *Forcaſio*, filio *Symoud*, *Vros* filio *Sicou*, *Bibo* filio *Paſchæ*, & *Tegek* centurionibus, *Petro* quoque maiore (f) præconio, impetierunt clericum nomine *Magnum*, de eadem villa filium



d.) Incertum eſt, cuiusnam ordinis Abbas de *Heuiuz* fuerit, vid. PETRVS PÁZMÁNY *Card. in Append. ad Synod.* & SZENTIVÁNY *Diſſert. Paralip. l. c.*

e.) De Principe exercitus, videſis, ad §. 133. *not. i.* de Centurione, & de *Maiore*, *ad* §. 110. *not. f. g.* adde COLOM. *Lib. III. cap.* I.

f.) MAIOR PRAECONIO, præconatus, vel maioratus, prætor, ſeu iudex fuiſſe. ex du FRESNE *gloſſario* colligitur.

g.) EXTRA-

filium *Galdu*, dicentes ipſum extorrem, nec habere aliquod (g) ius fundi nec agri. Ille autem reſpondit, ſe habere ſeparatum ius fundi & ius agri ad tria aratra, & ſuper hoc ſe iuſtificatum eſſe etiam alias, iudice (h) *Moch* comite Palatino & Bichorienſi, & Priſtaldo nomine *Tupa* filio *Pauli* de villa *Gurbey*, quod cum aduerſarii negarent, *Paulus* curialis comes de *Bichor*, ex præcepto domini ſui *Micæ* comitis, hujus cauſæ iudex conſtitutus, iuſſit *Magno*, prænominatum Priſtaldum huius cauſæ adducere, qui dato termino adductus & inquiſitus, perhibuit teſtimonium iuxta omnia quæ *Magnus* aſſerebat. Tunc aduerſarii obiecerunt ei vitium falſitatis, dicentes, ipſum falſum eſſe Priſtaldum. Paulus itaque iudex eorum præcepit (i) aſſeſſores iudicis, cuius ſe Priſtaldum aſſerebat, adducere. Dato igitur termino, adduxit *Joancam* comitem, filium *Johannis* comitis, *Clementem*, cum fratre ſuo *Saul*, de genere Epiſcopi *Budlu.* Item alium *Clementem* de genere *Borſa*, *Germen* de villa *Siſol*, de Parochia *Sumugienſi*, *Salomonem* de ponte *Cepan*, & *Fira*, curiales comites Dominæ *Euſemiæ*, *Nicolaum* filium *Vgra*, *Pos* de villa *Vndocb*, & alios. Ex his itaque omnibus electi ſunt ſecundum optionem aduerſantium. *Johanca*, filius *Johannis* comitis, & *Salomon*, vt illi cum prænominato Priſtaldo in monaſterio *Vgra* iurantes, Priſtaldum veracem eſſe comprobarent, ad prædictam autem eccleſiam venientes, Priſtaldo & teſtibus iurare volentibus, aduerſarii eorum noluerunt eos adiurare. Supradictus ergo iudex, ſerie totius cauſæ domino ſuo *Micæ* comiti recitata, & auctoritate ipſius firmiorum accepta, ſæpe iam memoratos homines de villa *Gyan*, iudiciali ſententia condemnauit, & præfatum *Magnum*, in poſſeſſione terræ ſuæ confirmauit. Dato Priſtaldo nomine *Dionyſio* filio *Ompud*, de prouincia *Zarínd*, de villa *Voſian.* Ipſe quoque præfatus iudex, cum eisdem aduerſariis Varadinum deueniens, coram ipſis, *Simone* Epiſcopo, totique Capitulo, totam exquutionem huius cauſæ exaratam ſuperius, oretenus fuit conteſtatus.

§. CCCXXIV. *Galaldu* & *Titoc*, de villa *Tuluoy*, item, *Ega*, de villa *Tka*, & *Teka* de villa *S. Georgii* vt Priſtaldus dixit, nam ſolus *Teka* de illis fuit Varadini in executione huius cauſæ, impetierunt dominum *Bogui*, de villa *Tca*, pro homicidio. Iudice *Paulo* comite de *Békes*, & Priſtaldo *Pochiu*, de villa *Zucur.* *Boguir* itaque portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCCXXV. *Teulegyn*, *Trebus*, & *Voſos*, cum occiſus eſſet quidam cognatus eorum, ſcilicet: *Somoc*, impetiit quosdam, ſcilicet: *Man* & *Budam*, de occiſione illius; ſed & *Pudu* & *Banalc* ſuſpectui habiti ſunt, quod & ipſi conſcii occiſionis extiterint. *Rachaël* igitur comes de *Kuckelluu*, per Priſtaldum nomine *Moncu*, miſit Varadinum, vbi *Pudu* & *Banalc*, portato ferro iuſtificati ſunt.

§. CCCXXVI. *Alexander* filius *Theodori* de *Tomoi*, impetiit *Paulum* fratrem *Heim*, de deſtructione trium prædiorum, id eſt damno ſexaginta marcarum, iudice *Salomone* comite de *Bachu*, ex præcepto Regis *Andreæ*, Priſtaldo *Timodeu* de *Zala.* Homo itaque *Alexander*, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCCXXVII.

g.) Extraneis omnibus, cum primis vero *Polonis* atque *Venetis*, ius fundi in agro Hungarico, lege publica negatur.

h.) Moch Comitis Palatini, nulla fit in catalogo Palatinorum mentio. Poſt Nicolaum ergo, ante Dionysium de *Vialka*, adeoque inter annos 1228. & 1233. floruiſſe oportuit.

i.) Adsessores ſunt in tribunalibus, partim ſupremis, partim ſubalternis, prætori additi iudices. Vlad. *Decr. VI. art.* 3. Const. 1655. *art.* 51.

k.) Paro-

§. CCCXXVII. *Jacou*, filius *Pata*, impetiit *Chekam* ioubagionem *Andreæ*, de abſconſione cujusdam fugitiuæ ancillæ ſuæ, cum quinque marcis, & pro *Cheka* fecit dominus ſuus *Andreas*. Damno itaque octo marcis (k) appretiato, *Paulus* curialis comes de *Bichor*, miſit Varadinum, dato Priſtaldo, nomine *Amando*, vbi homo *Jacou* portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCCXXVIII. *Paul*, de villa *Sciguetü*, portato ferro iuſtificatus, probauit ſe duos equos in vadio acceptos, ſeruo *Micæ* comitis, ſcilicet: *Scemel*, cum conſcientia *Ereu* procuratoris, tradidiſſe. Iudice *Mica* comite, Priſtaldo *Keue*.

§. CCCXXIX. Joubagiones de *Zobosló*, ſcilicet: *Igeben*, dux (l) exercitus *Bedæ*, *Bela*, *Vodoſa*, *Iſaac* centuriones, item *Cicolou*, *Varnogio*, & *Peter* Archipreco, impetierunt *Cotlobam* & *Cepanum* de violenta occupatione terræ caſtri. *Cotloba* autem reſpondit, ſe terram eandem pro aliquo forefacto prius amiſiſſe, & adepta venia, cum Rex reddi ſua per *Cepanum* (m) Palatinum comitem præcepiſſet, nullus ei in eam terram redintranti contradixiſſet. *Niolaus* itaque Palatinus comes, iudex eorum, præcepit ei adducere Priſtaldum reſtitutionis; & ille adduxit *Azariam*, de villa *Nechemér*, cui teſtimonium de reſtitutione perhibendi, ſupradicti aduerſarii contradicere non audentes, condemnati ſunt. Iudex itaque terram, de qua, ſcilicet, agebatur, prædictis *Cotlobæ* & *Cepano* fecit confirmare, dato Priſtaldo nomine *Farcaſio*, de villa *Loc*. Qui terra illa confirmata legitime, cum centurione *Iſaac* nomine, qui ſe a ſociis ſuis centurionibus transmiſſum eſſe perhibuit, rem geſtam Varadienſi Capitulo conteſtatus, præſentibus literis fecit æternari.

§. CCCXXX. Venatores bubalorum (n) de villa *Ypu*, citauerunt filios *Gunter*, ſcilicet: *Ananiam*, *Azariam*, & *Michaëlem*, ante Regem ANDREAM, dicentes, quod terra nomine *Deudas*, iuris eorum eſſet, & illi violenter occupaſſent; Rex autem commiſit cauſam eorum *Nicolao* comiti, ſcilicet, curiali & *Poſonienſi*, diſcutiendam. Ante quem prædicti venatores ſe recognoſcentes, confeſſi ſunt, ſe præfatos fratres de terra illa iniuſte impetiiſſe. Iudex itaque, dato Priſtaldo nomine *Topazio*, de villa *Satar*, prædictam terram metari fecit & iam dictis fratribus confirmari. De terra autem eadem habet *Jacob*, filius *Opſa*, ius unius (o) funiculi ad dimidium aratrum. Vt autem excuſatio hujus cauſæ ſciatur a poſteris, idem iudex, eodem Priſtaldo miſſo & literis, coram *Mert* decurione (p) illorum venatorum, Capitulo Varadienſi fecit ſeriem hujus cauſæ, prædicto ordine conteſtari.

Uuu §. CCCXXXI.

k.) PRETIVM, mulcta eſt pecuniaria, homini impoſita, qui alium occiderat, ſecundum eius deſtinationem, ſeu ſecundum eius natales. Hinc, appretiare eſt, pretium ponere vel æſtimare. du FRESNE *Gloſſar.* vocab. *Pretiare.*

l.) De duce exercitus, conf. *ad* §. 147. *not.* z. de centurionibus, *ad* §. 110. *not.* g. de archiprecone. *ad* §. 258. *not.* x.

m.) CHEPANVS Hungariæ comes Palatinus de Hedervara, ex comite Bachienſi, floruit ſub ANDREA II. anno 1206. JONGELINVS. *Catal. Palat.* p. 153. ad an. cit.

n.) De bubalorum venatoribus, euolue, *ad* §. 167. *not* k. Bubali, ſeu bufali, bufli, boues ſuut ſiIueſtres, de quibus, EBRARDVS *in græciſmo c.* 9.

*Bos eſt camporum, bubalus eſt nemorum.*
*Bubalus eſt magnus, buculus eſt minimus.*

o.) FVNICVLVS, *hoc eſt, diuiſio quædam, quam faſciam vocant, in qua, miles quidam, habebat terræ tertiam partem.* Ita Charta an. 1141. apud du FRESNE, vocab. *Funiculus.*

p.) DECVRIO, decanus decennæ, ſeu decuriæ, id eſt, qui decem virali contubernio, vel collegio, præerat. vid. THVRÓTZ. *Chron. P. II. cap.* 2. COLOM. Decr. lib. III. cap. 1.

 q.) PRAECO-

§. CCCXXXI. *Simon*, de villa *Siptul*, impetiit *Medeum*, *Farcasium* & *Ludugerum*, de villa *Botcu*, dicens, quod duas pedisequas eius, scilicet: *Mariam* & *Daragam*, & octo boues aratores, & triginta oues, & vnum equum, violenter ei abstulissent. *Tumpaica*, curialis comes (q) preconum Regis, ablata decem marcis apprecians, misit illos per Pristaldum nomine *Duntia*, de villa *Chegyen* ad iudicium ferri candentis Varadinum; vbi taliter conuenerunt, quod *Medea*, *Farcasius*, & *Ludugerus*, darent *Simoni* marcam & fertonem, & idem iudici satisfacerent, partem autem Pristaldi *Simon* persolueret.

§. CCCXXXII. *Cupes*, de villa *Neueg*, impetiit conuillanum suum dominum *Bubus*, de tribus fertonibus. Iudice *Apa* comite, Pristaldo *Peta*, de prædicta villa. *Bubus* autem, cum ferrum portare deberet, posuit (r) Corpus Domini de ore in manum, & reus est hinc iudicatus.

§. CCCXXXIII. *Antoneu*, iobagio de nouo castro, impetiit *Laurentium* & *Stephanum* de *Pon*, pro violentia & damno septem marcarum, iudice *Petro* (s) curiali comite Reginæ, Pristaldo *Acy*, de villa *Vsa*. Homo itaque *Antboneu*, portato ferro, combustus est.

§. CCCXXXIV. *Martinus*, filius *Grege*, impetiit ioubagiones *Ethæ*, filii *Achillis* comitis, scilicet: *Cheym*, *Tumpam*, *Olbrub*, *Olferib*, *Pacam*, *Tusam*, pro centum porcis violenter ablatis. Iudice *Mica* comite de *Bichor*, Pristaldo *Janou*, filio *Siluestri*. *Martinus* itaque & Pristaldus eius in prima septimana; *Domine in tua*: fuerunt Varadini, prænominati autem ioubagiones non fuerunt. Sed quidam sacerdos veniens, dixit: quod dominus illorum esset in (t) curia, & sine domino eorum ipsi non essent iussi venire. *Martinus* itaque, & Pristaldus eius, vt ipsi dixerunt, ad iudicem præfatum redierunt, & a iudice ad nos reuersi dixerunt, quod iudex condemnavit illos, & etiam a Capitulo pro condemnatis haberi mandauit.

§. CCCXXXV. *Martinus*, filius *Cochid*, impetiit *Nunam*, de villa *Vosuarii*, pro quattuor marcis, iudice *Dumeno* comite de *Bodolou*, Pristaldo *Gusü* de villa *Solumus*, qui Varadini taliter conuenerunt, quod *Numa* daret *Martino* vnam marcam & dimidiam, & idem iudici satisfaceret, partem autem Pristaldi, *Martinus* daret.

§. CCCXXXVI. *Voda*, filius *Farcasii*, impetiit ioubagionem *Lamperti*, scilicet: *Hegun*, de (u) occisione patris sui, qui cum iudicati ab *Eraclio* Yconomo Varadiensi, cum Pristaldo ipsorum *Micone*, starent ad iudicium ferri candentis, reconciliati sunt ita, quod nominatus actor dimisit, nominatum aduersarium suum pro innocente, iudici autem & Pristaldo, conuenerunt simul satisfacere.

§. CCCXXXVII.

q.) Precones Regii, iidem sunt, qui hodie apparitores, viatores, vel circulatores. du Fresne, vocab *Præco*.

r.) Ferro ignito, innocentiam suam testaturus reus, Sanctissimum Domini Corpus sumebat primum. vid. §. 403. & 412. seq.

s.) Curials Comes Reginae, iudex fuerat aulicus, scilicet Comes curialis regius, Andreae II. Decr. an. 1222. art. 6. conf. *ad* §. 6. *not. l. ad* §. 85. *not. h.*

t.) Curia Regis intelligenda. Quo nomine, partim forum sæculare, seu tribunal, partim regius comitatus, vel solemnis regni conuentus, exprimitur, & præsidio rustico seu possessioni opponitur. Consule du Fresne *Glossar.* voce *Curia*. Alias Aula regia dicitur sæpius

u.) Parricidae, olim, notam infidelitatis incurrebant. Nunc pœna capitis arbitraria puniuntur. *Const.* 1723. *art. II.*

vv.) De

§. CCCXXXVII. *Forcos*, filius *Ina* comitis, requiſivit ante (vv) *Ladislaum* comitem de *Bách*, & iudicem curiæ, quosdam, ſcilicet: *Albeum*, *Petrum*, *Endum & Abarcum* filios *Cepani*, dicens ipſos ſuos eſſe libertinos; Illi autem reſponderunt; ſe omnino eſſe liberos, & adduxerunt (x) aſſertorem libertatis ipſorum & defenſorem, nomine *Stanunz*, filium *Joannis* cuiusdam hoſpitis. Qui cum & ipſe liberos conſtanter aſſeret, nominatus iudex dato Priſtaldo, nomine *Michel*, de *Vrbay*, miſit vtramque partem ad examen ferri candentis Varadinum, vbi, cum iam dictus *Stephanus* ferrum portare acceſſiſſet, talis inter eos facta eſt conuentio, quod ipſe *Stephanus*, prædicto *Forcaſio*, daret duas marcas, *Farcaſius* autem illos quattuor, quos requirebat pro libertinis, reliquit pro liberis omnino, iudici autem & Priſtaldo, communiter ſatisfacere conuenerunt.

§. CCCXXXVIII. *Petrus* filius *Moraz* de villa *Kad*, impetiit *Buſu* ſacerdotem, & fratres ejus, ſcilicet: *Jacob*, *Tibam*, & *Clianum* de villa *Kenesü*, dicens, quod dimidietas terræ, quam ipſi iure hæreditario inſidebant, hæreditaria eius portio eſſet: quod cum illi negarent, *Ladislaus* comes Bachienſis & iudex curiæ, diſcutiens, per Priſtaldum, nomine *Voſos*, filium *Boch* de villa *Pun*, miſit eos ad examen ferri candentis Varadinum, vbi pacificati ſunt. Iudicia, in quibus mutuo ſibi tenebantur, inuicem ſibi omnino indulgentes, & talem te terra fecerunt conuentionem, quod terram quam nominatus *Petrus* requirebat, remiſit prædicto ſacerdoti, & cognatis eius memoratis. Sacerdos autem & cognati ejus, dederunt ei vnam marcam. Iudici autem & Priſtaldo, conuenerunt ſimul ſatisfacere.

§. CCCXXXIX. *Bodum* comes, quendam nomine *Chebam*, traxit in cauſam, coram (y) arbitris parochitanis, ſcilicet: *Adam*, *Farcaſium* decanum, & *Zounuc*, dicens, quod vnum ioubagionem ſuum occidiſſet, & alium crudeliter flagellaſſet. Qui *Cheba*, cum peccatis illorum exigentibus hoc eis ſe feciſſe affirmaſſet, prædicti arbitri, miſerunt vtramque partem ad examen ferri candentis Varadinum, vbi homo *Bodun* comitis, portato ferro iuſtificatus eſt.

§. CCCXL. *Vſi*, (z) procurator villæ *Scaldubag*, ſtatuit ante nos *Petenad*, & *Mih*, ex vna parte; *Andræam*, *Michaëlem*, *Butham*, *Scukam*, *Herceg*, *Gabrielem*, *Boton*, *Tekam*, *Scekam*, & *Benam*, ex alia, dicens: quod prænominati *Petenad* & *Mih*, dixiſſent coram Domino ſuo, *Ladislao* comite, iudice videlicet, hujus cauſæ, ſeipſos (a) conterraneos, cum prænominatis eorum aduerſariis in terra *Kereky*. Aduerſarii autem prædicti dixiſſent eos eſſe extorres, qui tandem ſeipſos recognoſcentes, habita iudicis licentia, recepiſſent eos in conſortium terræ prædictæ, excepto virgulto, de quo *Petenad*, & *Mih*, partem non habent.



vv.) De Ladislao Comite Bachienſi & iudice Curiæ, vid. *ad* §. 125. *not. x.* & §. 338. 340. 345. 346. 347. 351. 356. 356. *ſequ.*

x.) Adsertor, idem erat, qui tutor libertatis, vid. *ad* §. 197. *not. z.*

y.) Arbiter, iudicum iudicio, per legem opponitur, in Lvitprandi *Regis Longob. Legibus tit.* 21. §. 23. Rectius *Arbitris Parochianis:* quippe qui, ad *Bodun* Comitis Parochiam, ſeu diſtrictum, ſpectabant.

z.) Procvrator villæ, qui pro domino villam curat, hodie *Prouiſor* dicitur. conf. *ad* § 16 *not. o. ad* §. 127. *not. a.*

a.) Conterranei, vel conterrati, ex eadem *contrada*, ſeu *terra*, du Fresne vocab. Conterranevs.

§. CCCXLI. *Tecus* , filius *Dionyſii* artificis, qui aperuit in (b) eleuatione ſepulchrum *Sancti* LADISLAI *Regis* , & a glorioſiſſimo rege BELA , dato pro eo artifice, perpetua libertate donatus eſt , cum omni generatione ab eo ſucceſſura , ſentiens diſſolutionem ſui corporis imminere, quendam ſeruum ſuum, nomine *Vrug* conſtituit (c) Duſinicum exequialem, quam ipſum, tam omnem eius hæreditatem virilem , ita, vt ſingulis annis apud eccleſiam de *Beſeneu*, celebrarent exequias cum duabus Miſſis , vna oue , triginta panibus, vno anſere , & vna gallina , & duabus (d) *Chybrionibus* cereuiſiæ , & decimas , juxta conditionem ſervilem , det ſacerdoti , ſcilicet : duos cubulos frugum ſuarum, & vnam gallinam.

§. CCCXLII. *Vs*, filius *Tump* ,de villa *Hoth*, ioubagio caſtri *Bichor*, vendidit ſeruum ſuum , nomine *Zumbot* , & vxorem eius *Gerquenam* , & filium eiusdem *Boxam* , *Theodoro* filio Dionyſii , pro ſex marcis , & vna vacca, præſente *Jacob* cognato ſuo, filio *Hurt* , & non contradicente ; & *Theodorus* perſoluit ſex marcas illas, & vaccam, nobis præſentibus, ad manus prædicti *Jacob.*

§. CCCXLIII. *Vſu* , filius *Pouſæ* de *Sucuroi* , impetiit *Martinum* , & *Petrum* fratrem eius, dicens, quod (e) hoſpes eorum habuiſſet damnum, ad æſtimationem octo marcarum , quod cum illi negarent, cognati vtriusque partis , ſcilicet : *Nicolaus* , *Aba* , *Ambroſius* , vna cum *Bodun* comite , vtramque partem in ipſos arbitros conſentientem , diſcutientes miſerunt per Priſtaldum *Petrum*, filium *Morodec* de villa *Bodun* , ad examen ferri candentis Varadinum. Vbi portato ferro, homo prædictorum *Martini* & *Petri* , mundatus eſt.

§. CCCXLIV. *Matthæus* de *Surcud* , impetiit cognatos *Pueri* ſacerdotis ſcilicet : *Matthiam* & *Texam* , pro libertinis vxoris ſuæ , coram (f) *Deſiderio* Epiſcopo Chanadienſi, qui tradidit eos iudicandos *Scumcho* comiti, procuratori prædiorum ſuorum. Deinde præfatus *Matthæus* , ſeipſum recognoſcens , reſignauit illos , quos requirebat pro liberis , cum omni generatione ab eisdem ſucceſſura.

§. CCCXLV. Anno Dominicæ Ircarnationis *Milleſimo* , *Ducenteſimo vigeſimo nono*. Tales a *Ladislao* comite Bachienſi , & iudicæ curiæ , litteræ nobis ſunt deſtinatæ. Vniuerſitati veſtræ ſignificamus , quod inter *Gyopol* ex vna parte , & filios *Abſolonis* ex altera , ſcilicet : *Joannem* , *Martinum* , *Paulum*, & *Abſolonem* , talis facta eſt conuentio : quod prædium nomine *Letha* , iuxta *Berucioü* , dederunt fratri ſuo *Gyopol* comiti , ipſi autem in concambium illius prædii acceperunt prædium campeſtre , nomine *Jobogi* , cum ſexaginta marcis , quas memoratus *Gyopol* comes , nobis præſentibus , & coram Priſtaldo

b.) LADISLAVM regem , regnante BELA III. in ſanctorum relatum fuiſſe numerum , ex hac §. poſſis quodam modo colligere. Quo tempore , ſepulchro aperto , oſſa eius ſunt collecta , eaque VARADINI , in baſilica , conſeruata , e quibus, diui Regis caluaria , JAVRINVM , temporis decurſu , eſt translata. Vbi hodiedum, in epiſcope , conſeruatur.

c.) De DVSINICO lege *ad* §. 132. *not. f.*

d.) CHYBRIONES, amphoræ ſeu hydriæ cereuiſiæ, *vid.* §. 353. forſan ab Hungarico , CSÖBÖR , quod capacem amphoram , aut menſuram ſignificat. vid. FRANC. PARIZ PAPAI, *Diction. Hung. voce in eadem.*

e.) HOSPES eſt , ex Slauis, Germanis, Latinis. de quibus ad §. 5. *not. k.*

f.) DESIDERII Epiſcopi Chanadienſis meminimus §. 249.

g.) DE

do huius causæ, nomine *Tuba*, persoluit in die Natalis Domini totaliter, nominatis filiis *Absolonis*, & ita absolutus ab omni cambio, appropriauit sibi soli prædium, quod *Letba* vocatur. His ita gestis, utraque pars, præstito sacramento super sepulchrum & reliquias S. Regis LADISLAI, inuicem sibi iurauerunt, quod de cætero sint pacifici, nullum penitus malum vnquam illaturi.

§. CCCXLVI. Vniuersus Varadiensis Ecclesiæ Conuentus, vniuersis Ecclesiæ sanctæ filiis, salutem in salutis Auctore. Innotescat omnibus præsens scriptum inspecturis, *Ladislaum* comitem de *Bach*, iudicem aulæ Regiæ, talia nobis per literas suas, auctoritate iudiciali præcepisse, quod ea, quæ de exitu causæ *Simonis*, & fratris eius *Vodasii*, filiorum *Chenke* in (g) Parochia *Bichoriensi*, ex vna parte, & filiorum *Natus*, scilicet: *Egidii*, & *Stephani*, in Parochia *Békes* ex altera. *Michaël* clericus eius, viua voce ediceret nobis, nos in registro nostro pro rato scriberemus, *Michaël* autem in præsentia vtriusque partis asseruit, prænominatos filios *Chenka*, a prænominatis filiis *Natus*, nouem capita hominum requisiuisse, videlicet: *Lench*, cum duabus filiabus suis, scilicet *Beda* & *Nuz*, & item *Iacam* cum duabus, scilicet: *Choma* & *Michaele*, *Tumpam* quoque cum filia sua, scilicet: *Mica* & *Penteca*, & cum causa eorum ad examen ferri candentis, a prænominato iudice, per Pristaldum, nomine *Micou* de villa *Cundurus*, in Parochia *Békes*, fuisset *Agriam* destinata. Filii *Natus*, seipsos recognoscentes, *Simoni* & fratri eius, *Vadasi* se culpabiles reddidissent. Illi autem consilio & petitione proborum hominum inducti & inclinati, vnam ancillam de IX. capitibus, scilicet: *Pentekam*, præfatis eorum aduersariis dimisissent, reliquis in ius eorum deuolutis.

§. CCCXLVII. *Cesar*, princeps erat de *Békes*, *Petrus*, *Beda*, *Vse*, *Tiburtius*, *Laurentius*, *Paulus*, *Geysa* centuriones, litigauerunt pro quadam terra nomine *Kechen*, cum *Martino*, filio *Misca*, coram *Ladislao* comite Bachiensi & iudice Curiæ, dicentes terram *Kechen* esse terram Castri de *Békes*; *Martinus* autem respondit, eam esse terram suam hæreditariam, affirmans, quod eandem terram antecessores ipsorum, scilicet: *Chab*, *Sicund*, *Isumgut*, *Buus*, & reliqui cum ciuibus eiusdem castri, à patre suo *Myska*, & cognatis eius, coram (h) *Gyula* comite Palatino, pro terra castri requisiuissent, & iudicio ferri candentis *Orodini* fuissent condemnati, mediante Pristaldo nomine *Eusii*, filio *Eliæ* de villa *Dran*, & hoc ostendit testimonialibus literis *Orodiensis* Capituli. Quibus, cum prænominati aduersarii eiusdem *Martini* contradicere non auderent, præfatus iudex ipsos condemnauit, & vt huius causæ exitus indelebilis existat, vtramque partem, ad nos, per Pristaldum nomine *Menget*, filium *Cocbu* de genere *Tét*, Varadinum destinauit, & executionem causæ, secundum omnem descriptionem, testimonio nostro fecit æternari.

§. CCCXLVIII. *Pangratius*, filius *Petae*, de villa *Cupa*, traxit in causam quosdam conuillanos suos, scilicet: *Aruad*, & filios eius, scilicet: *Chicham* & *Monost*, coram (i) *Alexandro* Varadiensi Episcopo, discretissimo & vero iudice, dicens, quod fures essent Regis, eo quod (k) *Thesaurum inuentum*, cum deberent



g.) De PAROCHIA, diximus supra: hoc loco, *Comitatum* significat.
h.) De GYVLA comite Palatino, confer antecedentia.
i.) ALEXANDRI Episcopi Varadiensis mentio facta est *ad* §. 247. *not. l.*
k.) INVENTVM THESAVRVM, sicuti detectas in solo *Hungarico* mineras, olim, ad Principis *regalia* pertinuisse, ex hac §. elucet. Hodie, detectus thesaurus, ad fundi pertinet dominum, secundum communem regni consuetudinem, parte quadam, repertori, præmii loco, adtributa.

berent Regi, non indicaſſent. Quorum cauſam prædictusEpiſcopus diſcutiens, miſit per Priſtaldum & ſeruientem ſuum, nomine *Tiburtium*, ad examen ferri candentis Varadinum, vbi præfatus *Monos*, filius memorati *Aruad*, portato ferro, mundatus eſt.

§. CCCXLIX. Cum ignoraret homo finem dierum ſuorum, *Mauritius* ſacerdos, ſe & omnia ſua, Varadienſi eccleſiæ protectioni, dum adhuc viueret, commiſit, & facultates ſuas taliter (l) ordinauit, & ſeruum ſuum nomine *Aruam*, conſtituit, vt poſt mortem ſuam ſit (m) *pulſator Eccleſiæ* Varadienſis. Mulierem autem quandam emptitiam, nomine *Scepam*, dedit Eccleſiæ, vt poſt mortem ipſius det eccleſiæ maſſam ceræ, ponderantem duas marcas, Filius vero eiusdem mulieris, & duæ filiæ, quinimo, ſi quos ipſa eadem pareret, liberi forent omnino.

§. CCCL. *Dionyſius Tſou*, & *Puk*, Patroni Eccleſiæ *Sancti Andreæ* de *Zobodian*, traxerunt in cauſam *Duſinicos* eorum exequiales, ſcilicet: *Mour*, *Paulum*, *Laurentium*, *Ereuſt*, *Petam*, & alios, coram *Eraclio Yconomo* & cuſtode Varadienſi, dicentes, quod prædicti *Duſinici*, cum minoribus expenſis, qui deberent, ſeruitium eorum celebrarent. Denique coram Capitulo Varadienſi, ſcilicet: *Joanne* Præpoſito, *Michaele* Cantore, & aliis, & præſente *Micou* Priſtaldo, & vicario nominati iudicis, controuerſia prædictarum partium ſic eſt ſopita, quod ſæpedicti *Duſinici*, manere circa prædictam eccleſiam deberent, & annuatim in feſto *S. Michaëlis* ſeruirent, inſimul, quotquot eſſent, cum trienni boue, centum panibus, XII. Idris cereviſiæ, & ſingulæ manſiones, ſingulas miſſas celebrari facere tenerentur.

§. CCCLI. Nos Conuentus Varadienſis, conteſtamur omnibus, *Ladiſlaum* comitem de *Bách*, talia nobis auctoritate iudiciali mandaſſe, quod cauſam *Benjamin*, ſecundum tenorem litterarum, quas ſub duplici ſigillo nobis transmiſit, in regeſtro ſcriberemus. Eſt itaque tenor literarum talis: LADISLAVS comes Bachienſis, & iudex curiæ, omnibus, ad quoscunque præſentia peruenerint. Salutem in Domino. Vniuerſitati omnium notum eſſe volumus, quod cum *Jeremias*, *Bocou*, *Tocus*, & *Gegus*, citarent *Chomam*, pro quodam homine *Beniamin*, filio *Cuſoy*, in præſentia noſtra, dixerunt eundem *Beniamin* ſeruum eſſe eorum, & filium ancillæ ſuæ; ſupradictus *Choma* reſpondit, ſuum eſſe cognatum, & de genere ſuo. Adiudicauimus itaque, quod dictus *Choma* veritatem ſui ſermonis atteſtationibus ſuorum cognatorum, oſtenderet, quod & honeſtiſſime probaret. Intelleximus igitur, vt ſacramento duorum cognatorum eius, dictum *Beniamin* defenderet, iurauerunt inquam *Choma* & *Azarias*, ſuper altare (n) *Sancti* LADISLAI Varadini, & *Beniamin* liberatus eſt. Vnde, dedimus ſuper hoc noſtrum ſigillum, cum litteris præſentibus, Priſtaldo exiſtente *Marco* de *Cheph*.

§. CCCLII. *Clemens*, de villa *Irug*, oretenus nobis eſt conteſtatus, quod cum ipſe cum Priſtaldo *Ladislai* comitis, quendam libertinum ſuum fugitivum,

---

l.) SACERDOTIBVS, facultas, de bonis, ſua conquiſitis diligentia, non autem, de rebus eccleſiæ, teſtandi, iure competit canonico.

m.) PVLSATOR, ſeu exequialis, apud INNOCENT. III. P. P. lib. 15. ep. 7. monitor eſt & mandator funerum, qui æra campana pulſat. Dicitur etiam *Matricularius* in eccleſiis, & *æditųus*. du FRESNE vocab. *Pulſator*.

n.) JVSIVRANDVM, ſuper Sancti LADISLAI reliquiis, ante eleuationem eiusdem, ad ſepulchrum, poſt eleuationem vero, ad altare, in quo beati regis oſſa conſeruabantur, ritu consueto, peragebatur. conf. ad §. 110. *not. h.*

o.) FRV-

gitivum, nomine *Tadeum* vxoratum inueniſſet, & nominatus iudex eundem libertinum, cum vxore ſua ei appropriaſſet, ipſe ſcilicet: *Clemens*, pro ſalute animæ ſuæ, taliter de vxore præfati libertini ordinaſſet, vt ipſa libera fieret, & quicquid fœminini ſexus de ipſa (o) naſceretur, liberæ conditionis eſſent, & quicquid maſculini ſexus fieret, conditionem Patris ſequeretur.

§. CCCLIII. *Auguſtino*, filio *Schemcha*, ſine omni hærede mortuo, ſeruus ipſius nomine *Paul*, quem ipſe *Auguſtinus* (p) *Duſinicum* exequialem, monaſterio Sancti *Joannis Baptiſtæ*, reliquerat, vt ſingulis annis daret eccleſiæ vnam ouem competentem, triginta panes, quinque idrias ceriuiſiæ, & in nullo penitus alio, vel eccleſiæ, vel cuiquam alii ſervire teneretur; ille inquam *Paulus*, vxorem ſuam, nomine *Bud*, & filiam nomine *Huga*, quæ in portionem duarum ſororum iam dicti *Auguſtini*, ſcilicet: *Annæ* & *Mariæ* ceſſerant, & illis mortuis, ad tertiam ſororem præfati *Auguſtini*, nomine *Magdalenam* deuenerant, cum ſororem præfati *Auguſtini* conſenſu *Cumpurdini* & *Gocholini* cognatorum Domini ſui, redemit a præfata *Magdalena*, non tam pro pretio tanto, quam pro anima ſororum ſuarum, dimiſit redimendas, quia ſorores eius prædictas ancillas liberas reliquerant.

§. CCCLIV. *Joannes*, filius *Abſolononis*, conteſtatus eſt oretenus, quod vendidiſſet quendam (q) fugitiuum libertinum ſuum, nomine *Sanam*, filium *Beg*, fratri ſuo *Paulo*, pro marca, vncia minus.

§. CCCLV. *Vſian* de villa *Pulgar*, litigauit coram *Ladislao* comite Bachienſi, & iudice curiæ, cum *Anthonio*, de villa *Bola*, pro clandeſtina traductione ſerui ſui, nomine *Michaëlis*, & duorum equorum. Quod cum ille negaſſet, nominatus iudex miſit eos per Priſtaldum, nomine *Gabrielem*, de villa *Gab*, Varadinum, ad examen ferri candentis: vbi talis facta eſt inter eos conuentio; quod memoratus *Anthonius* daret aduerſario ſuo nominato, in feſto *Sanctæ Mariæ Magdalenæ*, in villa *Vduori*, duas marcas fertone minus; iudici autem & Priſtaldo ſimul ſatisfacerent. Si tamen ſupradictus *Vſian*, ſeruum ſuum fugitiuum illum alibi inuenire poſſet, pecuniam, quam acceperat, *Anthonio* reddere teneretur.

§. CCCLVI. *Stephanus*, de villa *Chueytora*, impetiit *Paulum* de villa *Paul*, & *Petrum* fratrem eius, coram *Betlem*, & *Stephano*, vicariis *Ladislai* comitis de *Bách*, & iudicis curiæ, de damno ad æſtimationem duarum marcarum. Quod cum illi negarent, memorati iudices per Priſtaldum nomine *Marcum*, miſerunt Varadinum ad examen ferri candentis, vbi nominatus *Petrus*, portato ferro, pro ſe & fratre ſuo, iuſtificatus eſt.

§. CCCLVII. Cum hæreditaria portio *Nicolai*, filii *Endus*, de terra *Borozlou*, in ius *Petri*, filii *Petri*, ordine iudiciali ceſſiſſet, idem *Petrus* aſtruxit, quod prænominatus *Nicolaus*, in terra eadem, partem (r) emptitiam haberet, præter hæreditariam. Quod cum cohæredes eiusdem *Nicolai*, videlicet: *Cepanus* comes, *Petrus*, *Joannes*, & *Paulus* negarent; *Ladislaus* comes poſuit

 ſuper

o.) Frvctvs iure Romano, ventris ſequitur conditionem. Jvstiniani *imp. Inſtitut. Lib. I. tit.* 4.

p.) Dvsinicvs exequialis, quis fuerit, euolue *ad* §. 132. *not. f.*

q.) Libertini, vtut ex ſeruili conditione fuerint exemti; in dominorum tamen erant clientela, qui fugitiuos, non ſolum in poteſtatem ſuam redigere, verum donare, & etiam vendere, aut durius quiddam, de iis ſtatuere potuerunt.

r.) Bona *hæreditaria*, iure *Hungarico*, auitica; *emptitia* autem, *adquiſita*, dicuntur. vid. Cynosvra *Juris Hung. vocab. Bona.*

s.) Procv-

ſuper iuramentum eorundem condiuiſorum, & dato Priſtaldo nomine *Becha* filio *Petri*, miſit eos Varadinum, vbi cum iurare fuiſſent parati, (s) procurator *Petri*, nomine *Hubec*, iuſtitiam aduerſariorum Domini ſui recognoſcens, non adiurauit eos, dimittens eis terram, quam Dominus eius *Petrus*, pro emptitia parte requiſierat, conuenit etiam ille *Hubuc*, iudici ſatisfacere in toto, Priſtaldo vero in parte. Præterea, ſupradictus *Petrus*, requiſiuit duas villas, ſcilicet: *Gurbuc*, & *Feketbe*, pro terra *Nicolai* ex donatione Regis, patri ſuo *Endo* collata; cui, cum prænominati quatuor homines contradicerent, aſſerentes eas ipſi *Nicolao*, cum ipſis eſſe hæreditarias, & hoc teſtimonio multorum bonorum hominum comprobaſſent, prædictus iudex, per iam dictum Priſtaldum, miſit eos *Varadinum* ad examen ferri candentis: vbi homo ipſorum, portato ferro, iuſtificatus eſt.

§. CCCLVIII. *Mog*, de villa *Poca*, cum aliis ioubagionibus caſtri *Clus*, ſcilicet: *Erdeu* (t) Principe exercitus, *Chicolou*, *Tenqueu*, *Pouca*, Archipræcone, *Cheycimam* & *Bulchu*, videntes de prædicta terra caſtri partem ad duo aratra, a quibusdam alienis, videlicet: *Gotfredo*, *Farcaſio*, *Vilo*, *Olberto*, *Petro*, *Andrea*, & *Fila*, iniuſte occupari, citauerunt illos ante *Sebaſtianum* comitem de *Clus*, iudicem a Rege *Bela* delegatum, qui auditis reſponſis vtriusque partis, per Priſtaldum nomine *Forcos*, filium *Choka*, de villa *Seldeu*, miſit ad examen ferri candentis Varadinum. Vbi prænominati actores fecerunt portari ferrum; ſed aduerſarii eorum ſeipſos recognoſcentes, ſubterfugerunt prædictam terram caſtri prænominatis actoribus, & idem actores conuenerunt ſatisfacere iudici & Priſtaldo, & vt exitus huius cauſæ indelebilis exiſtat, prædictæ partes, terram quæſitam, metis circumpoſitis fecerunt ſeparari; quarum metarum vna eſt in monte nomine *Burſors*, inde per vallem *Kuſol*, vadit ad *Agosholm*, & inde per vallem nomine *Er*, vadit ad metam *Viſata*. Sed præterea extra metas illas, verſus ſeptentrionalem plagam, ſupradictus Mog habet ius ſeſſionis ad ſpatium viginti iugerum.

§. CCCLXIX. *Abſolon*, filius *Hurtu*, oretenus eſt nobis, ſcilicet: Capitulo Varadienſi conteſtatus, quod vendidiſſet dominæ *Juſtinæ*, vxori videlicet: *Micæ* comitis, ſeptem (u) capita hominum, quorum nomina hæc ſunt, *Mathka*, vxor eiusdem *Fœlicitas*, & filii eorum *Thomas*, *Tanalchu*, & filiæ eorundem, *Maged* & *Ilegu*.

§. CCCLX. Ciues (vv) caſtri *Bolondus*, de villa *Leginer*, *Motcu*, *Vnuca*, *Hertugug*, *Luchy*, *Vgud*, *Baldu*, *Bila*, & alii, impetierunt quosdam de eadem villa, filios (x) ioubagionis Sancti Regis, ſcilicet: *Serkenteü*, *Marcel*, *Acel*, *Mogya*, & *Vs*, dicentes, quod eorum eſſent conciues, ſimili officio, id eſt debito caſtrenſium ſubiacentes. Illi autem dixerunt, ſe eſſe filios *ioubagionum Sancti Regis*, & hoc idem dixerunt, vt Priſtaldus eorum perhibuit, ioubagiones eiusdem caſtri, videlicet: *Matha* princeps exercitus, *Chichur*, *Sceret*, *Mogy*, *Peremus*, *Thomas*, *Ind*, *Albeus*, *Gyurca*, *Poula*, *Budius*, *Henchu*

s.) Procvrator Petri, in iudiciis idem eſt, qui mandatarius ſeu plenipotentiarius.

t.) De Principe exercitus, vid. *ad* §. 133. *not. i.* & §. 360. De Archipraecone *ad* §. 258. *not. a.*

u.) Septem capita, id eſt, ſeptem perſonas, quod ſupra monuimus.

vv.) Ciues caſtri, caſtrenſes item, qui fuerint, expoſitum eſt ad §. 133. *not. g. ad* §. 11. *not. y.*

x.) *Jobagionum* S. Regis conditionem, deſcripſimus *ad* §. 146. *not. vv.*

y.) Actor

*Henchu*, centuriones & alii, quorum teſtimonio *Martinus* comes eorum non contentus per Priſtaldum nomine *Nuetlen* de villa *Olſuc*, miſit ad examen ferri candentis Varadinum, vbi prænominati (y) actores ſeipſos recognoſcentes, candentis ferri ſubterfugerunt iudicium, dicentes prædictos aduerſarios ipſorum eſſe filios ioubagionum Sancti *Regis*, & aſſerentes ſe falſo de ciuili ſeruitio illos impetiiſſe.

§. CCCLXI. Humilis Conuentus eccleſiæ Varadienſis, omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quod Anno Dominicæ Incarnationis, *Milleſimo Dueenteſimo vigeſimo primo*, cum eſſet (z) edictum a Rege ANDREA, quod terræ caſtrenſium requirerentur, ciues *Békeſienſes* de villa *Mébes*, ſcilicet: *Otmar*, *Juan*, *Berta*, *Toma*, & alii, coadiuuantibus eiusdem caſtri ioubagionibus, ſcilicet: *Sungud*, *Hyſce*, *Jordan*, *Petro* filio *Simonis*, & aliis, impetierunt *Solt*, filium *Solt*, dicentes, quod terram caſtri, nomine *Scilos*, cum prato & virgulto, cum medietate paludis, nomine *Fas*, violenter occupaſſet. Hanc cauſam *Tiburtius*, *Gyula*, *Alexander*, & *Helias*, comites, (a) vice Regia, diſcutiens per Priſtaldum nomine *Paulum*, de villa *Terecha*, filio *Calanda*, direxerunt ad examen ferri candentis Varadinum, vbi prænominatus *Juan*, portato ferro, pro ſe & conciuibus ſuis, combuſtus eſt.

§. CCCLXII. Conuentus eccleſiæ Varadienſis, omnibus præſentes literas inſpecturis, æternam ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quod cum *Becea*, de *Fokebeuu*, impetiiſſet quendam nomine *Heyma*, de damno quadraginta & duarum marcarum, facto per violentiam, *Bocha*, vicarius (b) *Pauli* Vayuodæ, diſcutiens eos, per Priſtaldum nomine *Ceku*, miſit ad examen ferri candentis Varadinum: quo cum veniſſet nominatus *Becea*, cum Priſtaldo ſuo, quidam aſſerens ſe eſſe *Heymonem* illum, de quo res agitur, ferri candentis ſubterfugit iudicium, dicens, quod *Bocha* non eſſet iudex ſuus. *Bocha* itaque remandauit nobis per litteras ſuas, quod ipſe & iudex huius cauſæ, & prænominatum *Heymon*, ſicut decet, reum condemnaſſet. Huius rei teſtes ſumus.

Y y y §. CCCLXIII.

y.) ACTOR, in praxi iuris Hungarici, litera A. reus autem charactere I. ſolet exprimi; quod iſte ſit IN. CAVSSAM ADTRACTVS, ab ACTORE, quæ demum formula, & in ſermone, & in ſcribendo, non raro in compendium mittitur, vt *accuſatus* dicatur, INCATTVS.

z.) Edicto ANDREAE II. anno 1222. ſancitum eſt: ne comes caſtri, ſeu caſtrenſes opprimat, ſeu bona eorum occupet. Alioquin conuictus in tribunali, coram regno, dignitate ſpoliabatur, cum ablatorum reſtitutione. DECRET. *an.* 1222. *art.* 14.

a.) REX, quia eſt ſummus in regno *Iuſtitiarius*, TRIP. *Prolog. tit.* 5. vicarios habet in regni tribunalibus iudices: quorum quidam ſunt *ordinarii*, vt Palatinus, Iudex curiæ, Secretarius Locumtenens, MATTH. *Decr. III. art.* 12. *& VI. art.* 68. quidam *pedanei*, vt Vice-comites, Iudices nobilium, & ciuium, cet. KITTONICH. *Direct. methodica Iuris Hung. cap.* 10. *quæſt.* 14. Priores, vel per ſe, vel per ſui vicem gerentes, iudiciis ſolent intereſſe. CONST. *an.* 1645. *art.* 34.

b.) PAVLLVS Vaiuoda, ad annum 1214. & ſequentes, inter Tranſiluaniæ Vajuodas eſt referendus. Nullam eius mentionem facit SZENTIVÁNY *Diſſert paralip. Catal.* 98. inter Tranſiluaniæ Præfectos.

§. CCCLXIII. Joubagiones caſtri *Sumptey*, ſcilicet : *Nicolaus*, *Valentinus*, *Chug*, *Forcos*, *Ozorc*, & *Chunad*, cum comite eorum *Zobozlou*, impetierunt ioubagiones *Tauornicos* Reginæ, qui ſunt in villa *Monunya*, ſcilicet: *Wot*, *Euzud*, *Vermet*, *Chunoz*, *Ilia*, *Teka*, *Coſma*, *Hata*, *Petrum*, *Micou*, *Vrbanum* & *Tholomer*, dicentes, ipſos ciues caſtri *Sumtey*. Illi autem, & præterea ioubagiones Tauornicorum, ſcilicet: *Jardus* & *Caza*, dixerunt eosdem eſſe ioubagiones (c) *Tauornicos* Reginæ, quos *Gyula* (d) curialis comes Reginæ, diſcutiens per Priſtaldum *Servus DEI*, de villa *Teſa*, ad examen ferri candentis direxit Varadinum, vbi prænominati ioubagiones ſeipſos recognoſcentes, iudicium ferri candentis ſubterfugerunt, dicentes, ſe prænominatos *ioubagiones Tauornicos*, falſo de ciuili conditione impetiiſſe.

§. CCCLXIV. Humilis conuentus eccleſiæ Varadienſis, omnibus præſentes litteras inſpecturis, æternam ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ conteſtamur, quod veniens ad nos, quidam nomine *Zoba* (vt ipſe dixit) ſe vocari, ſtatuit coram nobis duos ciues *Ferrei caſtri*, ſcilicet: *Miculam*, & *Crachium*, vt idem *Zoba* dixit de illis, aſſerens illos, & omnes eorundem conuillanos, de villa *Thozar*, impetiiſſe quoſdam (e) miniſtros Regis, ſcilicet: *Czunam* & *Gregorium* de villa *Caku*, pro iniuſta occupatione terræ caſtri. Cuius terræ, N. eſt. Ipſos autem miniſtros Regis reſpondiſſe, eandem terram eſſe hæreditariam. *Nicolaum* vero comitem Palatinum, miſiſſe vtramque partem, ad examen ferri candentis per Priſtaldum nomine *Simeonem*, filium *Vid* de villa *Ság*, cuius ipſe *Zoba* eat ſeruiens Varadinum, vbi taliter conuenerunt: Quod prænominati miniſtri ſatisfacerent iudici & Priſtaldo, aduerſariis autem eorum darent quartem partem terræ prædictæ, tres vero partes, in quinque portiones ita diuiderunt, quod tres de quinque acciperet, *Gregorius*, cum condiuiſoribus ſuis ſuperius; duos vero inferius, *Czuna*, cum conſortibus ſuis.

§. CCCLXV. *Micula*, *Crachun*, & alii, de villa *Thazar*, traxerunt in cauſam *Obulganum*, de villa *Saden*, pro (f) *Fenili*, coram iudice *Nicolao* comite Palatino, qui diſcutiens vtramque partem miſit per Priſtaldum, nomine *Symeonem*, de villa *Ság*, ad candens ferrum Varadinum, vt homo *Obulgani* ferrum portaret. In die autem leuationis ferri, prædicti *Micula*, & *Crachun*, ſubter-

c.) Inter reginæ miniſteria, numerantur, TAVERNICI, procurando reginæ ærario deſtinati, quibus *Tauernicalium reginalium magiſter*, cum auctoritate, præerat. vid. LVDOVICI I. *Diploma confirmat. ad an.* 1351. *art.* 25. vid. *ad* §. 17. *not. r.*

d.) Eadem in Reginæ, quæ in Regis curia, peragebantur olim miniſteria. Supremo namque munere defungebantur illic: IVDEX Curiæ, ſeu curialis comes, *Tauernicorum* item, *Pincernarum*, *Dapiferorum*, *Agazonum*, & *Janitorum* reginalium Magiſtri. vid. LVDOVICI I. *Dipl. cit. art.* 25. Inter eos, prætoria gaudebat poteſtate, CVRIALIS *Comes*, qua ſummus, in reginæ, ſicuti alter, in regis curia, prætor. ANDR. II. *Decr. ad an.* 1222. *art.* 9.

e.) Diuerſa fuerant in curia regis *miniſteria*, eaque partim ſuprema, partim ſubalterna. *Supremo* munere defungebantur: PALATINVS Comes, IVDEX Curiæ, (*Vaiuoda*, & *Bani*, inter regnorum gubernatores referuntur) *Tauernicorum* item, *Pincernarum*, *Dapiferorum*, *Agazonum*, & *Ianitorum* regalium, magiſtri. *Subalterna* erant miniſteria: Tauernicorum, Pincernarum, Dapiferorum, Agazonum, Ianitorum, Venatorum, Lanceatorum, ſeu corporis regii cuſtodum, *Buttiniſerorum*, ceterorumque, de quibus, ad §. 83. *not. c. d. g.* & 96. *not.* 5.

f.) FENILIS nomine, non tam locus, quo fœnum ponitur, quam fœniſecium, eſt intelligendum. De quo COLVMEL. 2. 18. 19. VARRO *de RR.* 1. 17.

g.) IOVBA-

ſubterfugerunt iudicium ferri, dicentes: quod non obſiſterent, absque ioubagionibus caſtri abſentibus, cum quibus cauſam leuauerant.

§. CCCLXVI. Cum eſſet edictum a Rege ANDREA, quod caſtrenſes diſperſos caſtri recolligerent. *Bichorienſes*, cum ioubagionibus eorum, ſcilicet: *Luca*, *Paulo*, *Tita*, & aliis, impetierunt quosdam (g) inſeparabiles ioubagiones eccleſiæ, *Tedam*, ſcilicet: *Bellum*, *Fib*, & *Boguan*, de villa *Apathi*, dicentes, quod ciues eſſent *Bichorienſes* (h) *Abbas* autem de ſupradicta eccleſia, & *Vilc*, (i) patronus eccleſiæ eiusdem, cum *Petro*, cognato *Vilc*, dixerunt quod ioubagiones eſſent Monaſterii *Tordenſis* inſeparabiles. quos *Tiburtius*, *Gyula*, & *Helias* comites, auctoritate Regis, huiusmodi cauſas iudicantes, poſuere ſuper iuramentum memorati *Abbatis*, & prædicti patroni, cum prædicto cognato ſuo. Qui veniens coram Priſtaldo eorum *Dominico*, de genere *Rusd*, iurauerunt ſuper (k) ſepulchrum Sancti *Ladislai* Regis, & ſic probauerunt quod eſſent ioubagiones prænominati, de iure eccleſiæ prædictæ.

§. CCCLXVII. *Koeta*, de villa *Chokoba*, & *Churna*, de villa *Vmany*, ciues de *Burſod*, coadiuuantibus eiusdem caſtri ioubagionibus, ſcilicet: *Zadur*, *Petro*, *Dedo*, & aliis, impetierunt quosdam de villa *Pelg*, *Cikam*, & item de villa *Tornua*, *Nonam & Belcheam*, hos inquam omnes impetierunt pro conciuibus ſuis. Illi autem dixerunt, ſe eſſe liberos & filios (l) hoſpitis *Boëmorum*, quorum libertatem cum tenerent *Puſka*, de villa *Simon*, & *Nuubu*, de prædicta villa *Mochuale*, prænominati caſtrenſes dixerunt ipſos quoque ſuos eſſe conciues, quorum cauſam iudices a Rege *Andrea* delegati, ſcilicet: (m) *Tomas* Epiſcopus, (n) *Pouſa*, *Panus*, *Symeon* comes, per Priſtaldum *Gutman*, ad examen ferri candentis miſerunt Varadinum, vt præfati libertatum defenſores, iudiciale ferrum pro ſe, & pro illis, quos liberos eſſe decertabant, portarent. Quo cum veniſſent, peracto triduano ieiunio, prædicti actores, candentis ferri ſubterfugere iudicium, dicentes, quod omnes prænominatos aduerſarios eorum, iniuſte pro conciuibus ſuis, impetiiſſent.

§. CCCLXVIII. Humilis conuentus eccleſiæ Varadienſis, omnibus ſanctæ eccleſiæ filiis, æternam ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quod, anno Dominicæ Incarnationis, *Milleſimo Ducenteſimo vigeſimo primo*,



g.) IOVBAGIONES eccleſiæ inſeparabiles, iure perpetuo, beneficio eccleſiaſtico obſtringuntur. Hinc, collata eccleſiæ bona, nullo vnquam modo alienari S. LADIS. *Lib. I. cap.* 23. COLOM. *Lib. I. cap. I.* alienata, contra ea, reſtitui debent. S. LAD. Lib. I. cap. 24. CONST. *an.* 1550. *art. art.* 17. *an.* 1604. *art.* 22.

h.) ABBAS de ſupradicta eccleſia, quisnam fuerit, haud liquet. Nulla eius inter Abbates Hungariæ, apud SZENTIVÁNYIVM l. c. veſtigia: niſi *Tordenſis* monaſterii, cuius hoc loco fit mentio, fuiſſe, ex hac §. adfirmaueris.

i.) De patrono eccleſiæ, conf. ad §. 9. *not. r.*

k.) De iureiurando, ſuper S. LADISLAI regis ſepulcrum, vid. ad §. 110. *not. b.*

l.) Inter hoſpites, Boëmi pariter, atque Itali, & Teutones referuntur, apud THÚRÓTZIVM *Chron. P. II. cap.* 22. De eorum conditione, vide ad §. 5. *not. k.*

m.) THOMAS, Epiſcopus Agrienſis dicitur infra §. 373.

n.) POVSA Banus, cuinam prouinciæ præfuerit, lector ex his verbis nequit diuinare: niſi vetuſta Regum diplomata in ſubſidium vocauerit. Quinque, hoc libello, BANI adlegantur, vtpote: *Benko* §. 47. *Ocyus* §. 116. *Gyula* §. 186. *Salamon* §. 148. & *Pouſa* §. 367. 373. quos diuerſis regnis, cum poteſtate regia, præfuiſſe, alibi eſt obſeruatum.

o.) AN-

*mo*, cum eſſet (o) edictum a Rege ANDREA, quod terræ caſtrorum, a quocunque violenter occupatæ, caſtris reſtituerentur. *Tiburtius*, *Gyula*, & *Helia* comitibus a præfato Rege in (p) parochia *Bichorienſi* delegatis, villani de *Vruz*, & de *Kolond*, & de *Gontoy*, coadiuuantibus eiusdem caſtri ioubagionibus, ſcilicet: *Luca* (q) Principe exercitus, *Tegeegu*, *Paulo*, & aliis, impetierunt filios *Bocion*, ſcilicet: *Georgium*, *Gylianum*, & alios omnes; dicentes, quod terram caſtri ad ipſos pertinentem iniuſte occupaſſent. Illi autem reſponderunt, eandem terram eſſe ſibi hæreditariam, & hoc teſtimonio comprouincialium probauerunt. Prænominati itaque iudices, vtramque partem, per Priſtaldum nomine *Andream*, de *Pulos*, direxerunt ad examen ferri candentis Varadinum, vbi per triduanum ieiunium, cum deberet ferrum portari, ſupradicti actores, conuenerunt cum aduerſariis ipſorum, dare eis terram metatam.

§. CCCLXIX. *Dominicus*, de genere *Sentemacus*, impetiit quendam (r) iuris militarem, nomine *Latibar*, dicens, quod ſex capita ſeruorum, qui ab ipſo fugerunt, apud ipſum inueniſſet, & ipſe eos occultaſſet: quod cum ille negaret, *Mauritius* (s) Vice-Palatinus per Priſtaldum, nomine *Martinum*, de villa *Scilos*, ad examen ferri candentis miſit Varadinum. Vbi homo *Dominici*, portato ferro pro Domino ſuo, mundatus eſt.

§. CCCLXX. *Ilabar*, & *Andreas*, ioubagiones *Laurentii*, filii *Pot*, impetierunt *Stephanum*, ſeruientem *Joancæ*, de furto. Iudice *Zakaria* (t) curiali comite de *Zathmar*. Priſtaldo *Buchiba*, de villa *Euru*. Prædictus itaque *Stephanus*, portato ferro Varadini mundatus eſt.

§. CCCLXXI. *Joannes*, de villa *Iſepu*, impetiit quandam mulierem, de villa *Potoc*, pro (v) veneficio, iudice *Zuga*, curiali comite de *Potoc*, Priſtaldo *Petro*. Prædicta itaque mulier, portato ferro Varadini, combuſta eſt.

§. CCCLXXII. *Andreas*, de villa *Volcaz*, impetiit *Laurentium* de villa *Bolu*, pro furto, coram *Mauritio* vice *Palatino*, Priſtaldo *Stephano*, de villa *Kopri*. Præfatus itaque *Laurentius*, portato ferro Varadini, iuſtificatus eſt.

§. CCCLXXIII. *Scorcomer*, filius *Vrbani* Comitis, impetiit *Micum*, filium *Alexandri*, & præterea quosdam de genere *Miſca*, ſcilicet: *Michaëlem*, *Chepa-*

o.) ANDREAE II. regis edictum, quo violenter ablatæ terræ, caſtris reſtitui, diſperſique, ſub expeditione Hyeroſolimitana, caſtrenſes, colligi, §. 366. iubentur, ante annum 1222. adeoque, ante latam legem fundamentalem promulgatum eſt.

p.) PAROCHIA, eſt diſtrictus iudicis, S. LADIL. Lib. III. *cap.* 16. Hinc, qui in vno diſtrictu, ſeu comitatu, iurisdictionem exercet: comes, ſeu iudex parochialis dicitur. vid. §. 323.

q.) PRINCEPS exercitus, quinam fuerit, expoſitum eſt ad §. 133. *not. I.*

r.) Qui principi, in quolibet officio, ſeu in qualibet dignitate palatina, ciuili, aut militari, deſeruiebat, *ei militare* dicebatur, eiusque eſſe miles. ABBAS FLORIAC. in Canon. c. 51. S. AVGVST. *de Ciu. DEI Lib. V. cap.* 6, Hinc, pro militiæ ratione, duplicia ſunt inter Hungaros peculia, caſtrenſia ſeu per militaria exercitia, & litterali ſcientia, conquiſita. TRIP. *P. I. tit.* 5. Liquet hinc, *iuris militarem*, eundem fuiſſe, qui & Iure conſultus, ſeu Cauſidicus dicitur. conf. du FRENE *Gloſſar.* voce *Militare.*

s.) Iudices regni ordinarii, ſuos habent in iudiciis vicarios, quales ſunt: Vice-Palatinus, Vice-Iudex Curiæ, Vice-Banus *cet.* CONST. 1545. *art.* 34. conf. ad §. 15. *not. k.*

t.) COMES curialis comitatus, quinam ſit, dictum eſt ad §. *VI. not. l.*

u.) VENEFICIVM, ſpecies eſt magiæ illicitæ, quæ cum magia naturali, occulta quippe Phyſicæ ſcientia, non eſt confundenda. De veneficio, conf. ad §. 68. *not. b.*

vv.) De

*Chepanum*, *Vrbudinum*, & alios, de prædicto genere, dicens: quod currus ipsius inuadentes, duos de seruientibus suis, occidissent, & res ipsius ad æstimationem triginta marcarum abstulissent, illis autem se innocentes esse fatentibus, *Thomas* Agriensis Episcopus, *Simon* quoque, & *Pousa*, atque *Mauritius* comites, (vv) Vice Regis iudices constitui, miserunt vtramque partem per Pristaldum, nomine *Paulum*, de villa *Galya*, ad examen ferri candentis Varadinum, vbi homo prædicti *Scorcomer*, portato ferro, pro domino suo combustus est.

§. CCCLXXIV. Anno incarnationis Domini M.CC.XIV. regnante gloriosissimo Rege ANDREA, (x) *Simone* Varadiensi Episcopo existente. *Jacou* filius *Pata*, emit a *Bodun* comite, filio *Eustachii*, tertiam partem terræ *Solomun*, portionem scilicet: ipsius *Bodun* comitis, loco (y) sessionis, & parte nemoris, ad eandem portionem pertinente distinctis, agro autem ab vna, tertia quidem parte data, sed indistincta, a parte *Petus*, filii *Chuley*, ad quem videlicet pertinent duæ partes eiusdem terræ. Idem etiam ab eodem emit super eandem terram, duos libertinos, scilicet: *Crachinum*, & fratrem eius *Bucham*; prænominatus autem *Bodun* comes testatus est, se vendidisse illa, & accepisse precium eorum taliter, videlicet viginti & septem marcas.

§. CCCLXXV. *Abram*, de villa *Kaba*, impetiit conuillanos suos, scilicet: *Chekam* & *Modu*, de furto, iudice *Smaragdo*, comite de *Zounuc*, Pristaldo *Som.* Sed *Cheka* & *Modu*, portato ferro, iustificati sunt.

§. CCCLXXVI. *Echy*, de villa *Moyzun*, impetiit conuillanos suos, scilicet *Gyudus* & *Suncud* de furto, coram *Zakeo*, curiali comite de *Doboka*, & idem matrem eorundem de veneficio, coram *Joanne* (z) Archidiacono, qui missi Varadinum per Pristaldum vnum nomine *Adam*, portato ferro iustificati sunt. Matrem vero eorum præfatus *Echy* subterfugit, dicens se falso illam impetiisse de veneficio.

§. CCCLXXVII. *Erricus*, de villa *Moyzun*, impetiit Dominum *Sumbug*, de furto, iudice *Zakeo* prædicto, Pristaldo *Christophoro*. *Sumbug* mundatus est.

§. CCCLXXVIII. *Vs*, Hodnogy impetiit *Maraz*, *Stephanum*, *Albertum*, *Petrum*, & *Vz*, de violentia, dicens se per eos septem plagis vulneratum, & quinquaginta marcas valens sibi esse ablatum. Quos (a) *Katapanus* Agriensis Episcopus, ex mandato Regis ANDREÆ, discutiens, ad candentis ferri iudicium, per Pristaldum nomine *Leus*, de villa *Scenues*, misit Varadinum: vbi taliter conuenerunt; quod prænominati aduersarii darent *Vs* Hod-

Zzz nogy,

vv.) De VICE-REGE, obseruatum est ad §. 124. *not. vv.* de Vicario regis iudice, ad §. 79. *not. x.* Anne is, sub ANDREA II. idem, qui *Comes Palatinus*, vel alter ab illo fuerit, ex §. §. citatis, est colligere.

x.) De SIMONE Varadiensi Episcopo, lege ad §. 252. *not. o.*

y.) SESSIONIS nomine, non tam synodi actio, sicuti du FRESNE *voce Actio*, vel ius suffragii in comitiis, de quo, CONST. 1715. *art.* 73. quam, pars prædii rusticani, in quo colonus sedet, hoc loco, est intelligenda.

z.) Habebant Archidiaconi iurisdictionem suam, quæ Audientia Archidiaconi dicitur. CAPITVL. *Lib. V. cap.* 174. Nam, vt ait ISIDORVS iunior. Epist. ad *Leufred. Solicitudo parœciarum & ordinatio, & iurgia, ad eius pertinent curam.* Vnde, ab eorum sententiis adpellatio procedebat, ad Episcopum, ab Episcopo, ad Archiepiscopum. &c.

a.) KATAPANVS, locandus est, post THOMAM I. cui successit, inter Episcopos Agrienses. SZENTIVÁNY, *Dissertat. Paralip. Catalog. XIII.*

nogy, coram Capitulo Varadinensi in Dominica Reminiscere, decem & septem marcas, & idem iudici & Pristaldo satisfacerent, & si hæc non facerent, portarent regale iudicium.

§. CCCLXXIX. *Bubus*, ioubagio castri *Zathmar*, impetiit ioubagionem de genere *Cupulon*, scilicet: *Crachinum* de villa *Malca*, pro furto. Quos (b) *Banc* comes Palatinus & Posoniensis, discutiens ad (c) *Praudam*, per Pristaldum nomine *Luger*, misit Varadinum: vbi *Crachinus* portato ferro, iustificatus est.

§. CCCLXXX. *Philippus*, de villa *Vulchoi*, impetiit ioubagionem *Stephani*, filii *Moruc*, scilicet: Dominum *Tochi*, de tribus marcis. Quos *Christophorus* curialis comes de (d) *Clus*, discutiens ad *Praudam*, per Pristaldum, nomine *Chepanum*, misit Varadinum: vbi homo *Philippi*, nomine *Geus*, portato ferro pro Domino suo, iustificatus est.

§. CCCLXXXI. *Mox*, ioubagio *Cosume*, impetiit hominem *Bartholomæi*, scilicet: dominum *Sorlout* pro vno equo, duas marcas valente, vt Pristaldus dixit, quos *Bosou*, vice curialis comes de *Zobolcz*, discutiens ad *Praudam*, per Pristaldum, nomine *Micu*, misit Varadinum. Vbi Dominus *Mox* combustus est. Amen.

§. CCCLXXXII. *Sicu*, de villa *Perceu*, impetiit conuillanam, suam nomine *Benedictam*, vxorem *Vendég*, pro veneficio, iudice *Beniamin* (e) Vicearchidiacono, Pristaldo *Perta*. Benedicta combusta est.

§. CCCLXXX. *Solomun*, de villa *Achya*, impetiit conuillanum suum, nomine *Vendég*, de duabus marcis argenti & dimidia, iudice *Beken*, curiali comite, Pristaldo *Ela*. *Solomun*, portato ferro iustificatus est.

§. CCCLXXXIV. *Chekez*, curialis comes (f) *Misca* comitis, impetiit ioubagiones *Iordani*, filii *Ilarii*, scilicet: *Tecum*, *Dedemerum* & *Sumpou*, de duodecim marcis, singulos de quattuor. Quos *Iordanus* discutiens ad *Praudam*, per Pristaldum, nomine *Fyod*, misit Varadinum. Vbi *Tecus* conuenit dare aduersario suo marcam vnam, & idem iudici satisfacere, ita quod partem Pristaldi *Chekez* persolueret. *Dedemer* autem mundatus est. Dominus vero *Sumpou* combustus est.

§. CCCLXXXV, Ioubagio *Ioannis*, filii *Absalonis*, impetiit *Zamam*, vitricum *Absalonis*, dicens: quod vxorem suam, & ancillam suam, & vestes vxoris suæ, vi abstulisset. Iudice *Banco* comite Palatino, Pristaldo *Leger*. Cum autem ventum esset Varadinum, talis facta est inter illos conuentio; quod *Zama*, in festo *Sancti Georgii* redderet aduersario suo vxorem suam, in fide *Adæ*, filii *Pata*, quod nihil mali inferretur mulieri illi, redderet & ancillam suam, & tres vestes, & insuper vnam marcam, idem etiam satisfaceret Pristaldo. Iudici vero *Kaluz*.

§. CCCLXXXVI.

---

b.) Banc, seu Bancus, comes fuit Palatinus, & Posoniensis, vid. *ad* §. 266. *not. a.* §. idem 379. 385. 389.

c.) Ivdicivm ad Pravdam explicuimus ad §. 253. *not. s.* de quo conf. §. 380. 381. 384. 388.

d.) Christophorvs, comes curialis, *Sebastiani* comitis, de castro *Clus*, iudicis a rege Bela delegati. §. 358.

e.) Vice-Archidiaconvs, Archidiaconi vices, partim in ecclesia, partim in iudiciis, subibat. vid. du Fresne *Glossar.*

f.) Comes curialis comitis quinam fuerit, vid. ad §. VI. *not. l.*

g.) Bilo-

§. CCCLXXXVI. *Honod*, impetiit ſeruum *Karolly*, nomine *Petrum*, de villa *Hot* pro furto. Iudice *Nuethlen* curiali comite de *Bichor*, & *Marca* (g) Biloto, Priſtaldo vero *Stephano*. *Honod* renuntiavit actioni, cum ventum eſſet Varadinum, dicens: quod falſa opinione ducta, illum impetierat.

§. CCCLXXXVII. *Seraphin* de villa *Kourongy*, impetiit *Farſiu*, filium *Petii* conuillani ſui, de quattuor ovibus, iudice *Iula*, filio *Vatæ*, domino eorum, Priſtaldo *Dica*, taliter conuenerunt; quod iudici, Priſtaldo, & *Loco* ſimul ſatisfacerent, & domino ouium illarum, etiam ſimul ſatisfacerent.

§. CCCLXXXVIII. *Agya*, iobagio *Ceſari*, filii *Legi*, impetiit Dominum *Engues* de *Kalatha* pro furto. Quos *Nuethlen*, curialis comes de *Bichor* diſcutiens ad *Praudam*, per Priſtaldum nomine *Lucum*, de villa *Lomb*, miſit Varadinum. Vbi *Engues* iuſtificatus eſt.

§. CCCLXXXIX. *Quid*, filius *Olibrii* comitis, duxit in cauſam fratrem ſuum *Herbortum*, dicens: quod non deberet ipſe *Herbortus* eſſe particeps cuiusdam (h) prædii nomine *Neuegy*, cum illud prædium pecunia matris ſuæ, ſcilicet: *Nouercæ Herborti*, ſit emptum, & ab eadem in morte ſua, coram patre ſuo, *Olibrio*, & fratribus patris ſui, nec non aliis cognatis eius, ſibi ſoli, vtpote vnico matris ſuæ, fuerit relictum, & adduxit in teſtimonium *Bos*, comitem, fratrem videlicet patris ſui, aliosque cognatos & notos, & *Micam* comitem *Bichorienſem*. Quibus teſtimonium vnanimiter ſibi perhibentibus, *Banco*, comes Palatinus, poſuit ſuper iuramentum *Bos* comitis, dato Priſtaldo, nomine *Gyopol*, filio *Nicus*. Qui *Bos*, cum Varadini paratus eſſet iurare, prænominatus *Quid*, cum frate ſuo *Herborto*, taliter conuenit, quod ipſe portionem ſuam in prædio *Fegyuernuch*, quæ hæreditario iure ipſum contingit, fratri ſuo *Herborto* relinqueret, & ita prædium *Fegyuernuch*, a modo ipſius *Herborti* foret ſine participe; ita tamen, quod ſi quis de iam dicto prædio quicquam requireret, ipſe *Quid*, datam a' ſe partem tueri non teneretur. Præterea, idem *Quid* dimidium ſuæ portionis in terra *Baluc*, verſus *Neſmer*, retento ſibi iure molendini, dedit etiam *Bertoldo*, & ita pro his omnibus ſæpe iam dictis, *Quid*, recepit ſolus conſenſu & pace fratris ſui prædium *Neueg* totaliter. Amen.



g:) Bilotus, vel Bilochus, iudex erat nobilium. vid. *ad* §. 57. *not. e.* §. 149. *not.* 6.

h.) De prædio, conf. *ad* §. 100. *not. x.*





§. CCCXC.

## Sequitur (i) Benedictio Epiſcopalis, ſuper nouum Ferrum, ad manifeſtandum verum Judicium præparatum.

*Oratio.*

(k) BEnedic Domine Pater omnipotens! æternæ DEVS! per inuocationem ſanctiſſimi Nominis tui, & per aduentum vnigeniti filii tui, Domini noſtri JESV CHRISTI, atque per donum Spiritus Sancti, ad manifeſtandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, vt ſit ſanctificatum & conſecratum, vt omni dæmonum falſitate procul remota, fidelibus tuis, veritas veri iudicii tui, manifeſta fiat, per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM &c, &c.

§. CCCXCI.

*Oratio.*

DEUS Abraham, DEUS Iſaac, & DEUS Jacob, DEUS omnium bene viventium, DEUS origo & manifeſtatio omnis iuſtitiæ, qui ſolus eſt iuſtus iudex, fortis & patiens! dignare exaudire nos famulos tuos orantes ad te, pro benedictione huius ferri. Vnde rogamus te Domine, iudicem vniuerſorum, vt mittere digneris ſanctam & veram benedictionem tuam ſuper hoc ferrum, vt ſit refrigerium illud portantibus & habentibus iuſtitiam, & credentibus in tuam iuſtitiam, & fortitudinem. Et ſit ignis ardens iniquis & facientibus iniqua, & ſperantibus in iniuſtitia ſua, & pompa diabolica. Conuerte Domine incredulitatem iniuſtorum, per uirtutem & benedictionem tuam, & per inuocationem ſanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et mitte in hoc ferrum vim virtutis ac veritatis tuæ, vt in eo ſemper per miſericordiam & veritatem tuam, veriſſima iuſtitia, quæ tibi ſoli cognita eſt, fidelibus tuis, ad emendationem iniquorum, manifeſtiſſime declaretur, de quacunque quæſtione ratio fuerit agitata, & nullam poteſtatem habeat diabolica virtus, veritatem tuam aut occultare, aut deprauare; ſed ſit ſeruis tuis in monimentum fidei, ad credulitatem diuinæ Maieſtatis tuæ, ad certificationem miſericordiæ ac veriſſimæ tuæ veritatis, per Dominum &c.

§. CCCXCII.

*Tunc* (l) *aſpergatur ferrum aqua benedicta, & dicat Epiſcopus.*

BEnedictio DEI Patris & Filii & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper hoc ferrum, ad diſcernendum Judicium DEI. Amen.

§. CCCXCIII.

*Sequitur* (m) *Benedictio ad locum, vbi ignem accendere, & conſecrare debent.*

BEnedic Domine! per inuocationem ſancti Nominis tui, hunc locum ad manifeſtandum verum iudicium, vt omni dæmonum falſitate procul remota, fidelibus tuis, veritas iudicii tui manifeſta fiat. Per CHRISTVM Dominum noſtrum, Amen.

§. CCCXCIV.

---

i.) Poſt accuſationem legitime factam, & triduum in ieiuniis & oratione conſumtum, ſacerdos veſtibus ſacris, præter cauſiam, indutus, ferrum ante altare poſitum, forcipe accepit, & hymnum trium puerorum: *Benedicite omnia opera &c.* decantans, illum ad ignem detulit, benedictione, ſuper ferrum, ſuper locum, & ſuper ignem prius recitata, M. ZVERIVS BOXHORNIVS, Hiſt. Vniuers. p. 582. 583. edit Lugd. 1652. ex MS. codice Anglicano.

k.) Benedictio ſuper ferrum, iuxta ritum *Anglicanum*, poſt benedictionem ſuper locum, & ignem, recitabatur, verbis propemodum iisdem: *Benedic Domine, Sancte Pater, omnipotens DEUS, per inuocationem Sanctiſſimi nominis tui, & per aduentum filii tui, atque per donum Spiritus paracleti, ad manifeſtandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, vt ſit ſanctificatum, vt omni dæmonum falſitate remota, veritas veri iudicii tui, fidelibus tuis, manifeſta fiat, per eundem Dominum &c.*

l.) Hoc ritu, ferrum conſecratum, iniiciebatur in ignem, §. 394. & poſt, aqua adſpergebatur benedicta. §. 490.

m.) Benedictio ad locum, *Anglicana*, hunc in modum recitabatur: *Benedic Domine DEUS, locum iſtum: vt ſit nobis in eo ſanitas, ſanctitas, caſtitas, virtus & victoria, & ſanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas, ex plenitude legis, & obedientia, DEO Patri & Filio & Spiritui Sancto. Hæc Benedictio, ſit ſuper locum iſtum, & omnes inhabitantes in illo.* RITVAL. Anglic.

n.) Bene-

## §. CCCXCIV.

*Benedictio ignis.* (n)

DOmine Sancte Pater omnipotens æternæ DEVS, benedic hunc ignem, quem in nomine Filii tui Domini nostri JESV CHRISTI, & Spiritus Sancti, benedicimus & sanctificamus. Qui viuis & regnas. (o)

## §. CCCXCV.

*Sequitur* (p) *Missa iudicii candentis ferri.*

*Introitus.*

IUstus es (q) Domine! & rectum iudicium tuum, fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri &c.

## §. CCCXCVI.

*Oratio.*

ACtiones (r) nostras, quæsumus Domine! & aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta operatio, omnis oratio, & a Te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum &c.

## §. CCCXCVII.

*Lectio* (s) *Esaiæ Prophetæ.*

IN diebus illis, locutus est Esaias Propheta, dicens: Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Dominum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

## §. CCCXCVIII.

*Grad:*

CUstodi me Domine! vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me. ℣. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. *Alleluja!* Deus Iudex iustus, fortis & patiens, nunquid irascetur per singulos dies? *Alleluja!*

## §. CCCXCIX.

*Euangelium secundum Marcum.* (t)

IN illo tempore, respiciens JESVS in Discipulos suos, ait illis: Habete fidem DEI. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, tollere, & mittere in



---

n.) Benedictionis super ignem, formula, secundum ritum Anglicanum, fuit diuersa. Ita vero ea exprimitur: *Domine DEVS, Pater omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos: quia tu es conditor omnium. Benedic Domine hoc lumen, quod ante sanctificatum est, quo illuminasti omnem hominem, vel mundum, vt ab eo lumine, igne accendamur claritatis tuæ. Et sicut igne illuminasti Moysen: ita nunc illumina corda nostra, & sensus nostros, vt ad vitam æternam mereamur pervenire, per Christum &c.*

o.) Absolutæ precationi super ignem, *Angli* subiiciebant, cum oratione dominica, breuia suspiria hoc modo: *Pater noster &c. Saluum fac seruum &c. Mitte ei auxilium DEVS &c. De Sion tuere eum. &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c.* RITVAL. *Anglic.*

p.) Interea, dum ferrum incalescebat, sacerdos Missæ peragebat officium. BOXHORNIVS l. c.

q.) Conuenit cum introitu, qui, in Anglicano legitur rituali.

r.) Oratio, secundum rirum Anglicanum, aliis verbis fuit concepta, hunc in modum: *Absolue quæsumus Domine, tui delicta famuli: vt a peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur. Et in hoc iudicio, quoad meruit, iustitia tua præveniente, ad veritatis censuram peruenire mereatur, per Christum Dominum.* RITVAL Anglic.

s.) De lectione ESAIAE Prophetæ, ex *Cap. LV.* 6. 7. nihil in rituali Anglicano.

t.) Euangelium, quod apud Hungaros recitabatur, depromtum erat, ex MARCI XI. 22. 23. 24. quod autem apud *Anglos*, ex Marc. X. 17. 18. &c. *In illo tempore, cum egressus*

mare, & nõn hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei: propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fient vobis.

## §. CCCC.

*Offertorium.*

DE profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam!

## §. CCCCI.

*Secreta.*

OMnipotens sempiterne DEVS, qui non sacrificiorum ambitione placaris, sed studio piæ deuotionis intendis; da famulis tuis, fidem rectam, spem inconcussam, & cor mundum, vt fides hæc tibi dona conciliet, & humilitas commendet. Per Dominum nostrum &c.

## §. CCCCII.

*Communium.*

AMen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.

## §. CCCCIII.

*Tunc communicet Sacerdos criminatum* (u) *seu accusatum,*
*his verbis:*

COrpus (vv) Domini nostri JESV CHRISTI, sit tibi hodie ad comprobationem veri Iudicii. Amen.

## §. CCCCIV.

*Oratio* (x) *post Communionem.*

FIdeles tuos DEVS! perpetua dona confirment, & vota nostra, quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere. Per Dominum &c.

## §. CCCCV.

*Peracta Missa pergat Sacerdos cum cruce, & aqua benedicta, & plebe ad locum, vbi probatio fieri debet: imprimis dicantur VII.* (y) *Psalmi pœnitentiales cum Litania, in qua interserantur hi duo versiculi:*

VT iustitiæ non dominetur iniquitas, sed subdetur nunc, & semper falsitas veritati tuæ. ℟. Te rogamus audi nos. Vt verum iudicium hodie nobis manifestare digneris. ℟. Te rogamus &c. Agnus DEI. Christe exaudi nos. Kyrieel. X. K.

§. CCCCVI.

---

*esset JESVS, in via quidam præcurrens, genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? JESVS autem dixit ei: Quid me dicis bonum. &c.* RITVAL. Anglic.

u.) Sacerdos sumta EVCHARISTIA, hominem probandum, ad communionem prouocauit, &, ne eandem, in condemnationem sui, si reus erat, ausu temerario acciperet; iureiurando prius obstringebat, hoc modo: *Adiuro te, per Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, & per veram Christianitatem, quam suscepisti, & per Sanctas Reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per baptismum, quo te Sacerdos regenerauit, vt non præsumas vllo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecisti, aut consensisti. &c.* RITVAL. Anglic.

vv.) Præmisso examine, cum adiuratione, sacra eucharistia, his exhibeatur verbis: *Corpus hoc, & Sanguis Domini nostri JESV Christi, sit tibi ad probationem hodie.* RITVAL. Anglic.

x.) Oratio post communionem, apud Anglos, his verbis recitabatur: *Perceptis, Domine DEVS noster, sacris muneribus, supplices deprecamur, ut hujus participatio Sacramenti, a propriis nostris reatibus expediat, & in famulo tuo veritatis sententiam declaret. &c. Kyrie eleison. &c.* RITVAL. Anglic.

y.) Deinde *Kyrie eleison*, & *Letania*, & Psalmi. RITVAL. Anglic.

z.) Oratio-

## §. CCCCVI.

*Postea dicantur Orationes ad ferrum.*

BEnedic (z) Domine Sancte Pater, per inuocationem sanctissimi nominis tui, & per aduentum vnigeniti Filii tui, Domini nostri JESV CHRISTI, atque per donum Spiritus Sancti, ad manifestandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, vt sit sanctificatum, & consecratum ad manifestandum verum iudicium tuum, vt omni dæmonum falsitate procul remota, fidelibus tuis veritas veri iudicii tui, manifesta fiat, per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

## §. CCCCVII.

*Alia Oratio.*

DEVS iudex iustus, qui autor pacis es, & iudicas æquitatem, te suppliciter exoramus, vt hoc ferrum ignitum, ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam, benedicere & sanctificare digneris. Ita, vt si innocens sit homo iste, de prænominata causa, vnde purgatio quærenda est, hoc ferrum ignitum, cum manu acceperit, illæsus appareat; & si culpabilis sit, iustissima sit ad hoc virtus tua, vt in eo veritas declaretur, quatenus iustitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur somper falsitas veritati. Per Dominum &c.

## §. CCCCVIII.

*Alia Oratio.*

OMnipotens DEVS! te suppliciter rogamus pro huius negotii examinatione, quod modo inter nos ventilamus, vt iustitiæ non dominetur iniquitas, sed subdetur falsitas semper veritati, & si hanc præsentem examinationem aliquis per aliquod maleficium, aut per herbas tegere, & impedire voluerit, tua sancta dextera, iustissime Iudex, euacuare digneris, per Dominum nostrum. &c.

## §. CCCCIX.

*Tunc aspergatur ferrum aqua benedicta.*

BEnedictio DEI Patris & Filii & Spiritus Sancti, descendat super hoc ferrum, ad (a) manifestandum verum iudicium. Amen.

## §. CCCCX.

*Oratio.*

OMnipotens sempiterne DEVS! qui tua iudicia incommutabili dispositione iustus vbique iudex discernis, Tu clemens in hoc tuo iudicio, ad inuocationem sancti tui nominis, quod a te fidelium intentio deplorat, tua iustissima examinatione declara. Per Dominum &c.

## §. CCCCXI.

*Alia Oratio.*

DEVS Iudex iustus, fortis & patiens, qui sedes super thronum, & iudicas æquitatem, quoniam iustus es, & rectum iudicium tuum. DEVS, qui Susannam de falso crimine liberasti, & tres pueros *Sydrak*, *Misach*, & *Abdenago* de camino ignis arden-



z.) Orationem hanc, aliis exponit verbis, *Rituale* ANGLICANVM: *DEVS, qui per ignem signa magna ostendis, Abraham puerum tuum de inceudio Chaldæorum, quibusdam pereuntibus eruisti, qui rubum ardere ante conspectum Mosis, & minime comburi permisisti. DEVS, qui incendio fornacis, Chaldaicis plerisque succensis, tres pueros tuos illæsos eduxisti. DEVS, qui incendio ignis populum Sodomæ inuoluens, Loth famulum tuum, cum suis salute donasti. DEVS, qui in aduentu S. Spiritus tui illustratione ignis, fideles tuos ab infidelibus secreuisti, ostende nobis in hoc prauitatis nostræ examine, virtutem eiusdem Spiritus &c. & per ignis huius feruorem, discernere fideles & infideles, vt a tactu eius, cuius inquisitio agitur, conscius exhorrescat, & manus eius comburatur, innocens vero penitus illæsus permaneat, &c. DEVS, cuius notitiam nulla vnquam secreta effugiunt, fidei nostræ, tua bonitate responde, & præsta, vt quisquis, purgandi se gratia, hoc ignitum tulerit ferrum, vel absoluatur innocens, vel rei noxius detegatur.*

a.) Ad discernendum rectum iudicium Dei. RITVAL. Anglic.

b.) No-

ardentis per Sanctûm Angelum tuum illæsos eduxisti, quique per aduentum vnigeniti tui Filii Domini nostri IESV CHRISTI, mundum saluasti, & per eius passionem, humanum genus redemisti; DEVS Pacis amator & auctor, qui respicis terram, & facis eam tremere, respice quæsumus ad fidem, & preces supplicum tuorum, qui querimoniæ suæ causas, ad tui iudicii examinationem deferre, & super hoc ferrum igne candens, ad dissoluendas eorum lites gratiam tuæ benedictionis infunde, vt per illius ministerium, & iustitia patefacta clarescat, & iniquitas victa succumbat. Tuam ergo omnipotentiam Domine! supplices deprecamur, & mente deuotâ fideliter imploramus, vt sicut olim supramemorati pueri, de succensa fornace illæsi, tua sunt dextera liberati, ita, quicunque innocens de hoc crimine, vnde nunc iudicium agitur, in hoc ferrum igne candens, manum miserit, sanam inde atque illæsam, tua adiutus inuicta potentia reducat, nec habeat ignis virtutem lædendi, in eius corpore, quem de consensu huius facinoris conscientia non accusat, in mente. Ita etiam Dominator Domine! quicunque culpabilis incrassante diabolo, cor habens induratum, Maiestatem tuam tentare, & male sibi conscius, hoc ferrum ad tui iudicii examinationem paratum, manu sua attingere præsumserit, aut per aliqua maleficia, vel herbas diabolicas se tueri, & crimen suum celare, fidemque credentium illudere tentauerit, tua quæsumus Domine! inuicta veritas, per virtutem sanctæ crucis tuæ, quam apponimus, hoc totum euacuet, & manifesto vstionis signo, occulti facinoris crimen detegat, vt reus hic per pœnitentiam correctus, in futuri iudicii tui examine, a culpa inueniatur penitus absolutus. Per Dominum &c.

§. CCCCXII.

*Postea (b) communicet eum Sacerdos, his verbis:*

INterdico tibi, o homo! coram omnibus astantibus, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per tremendum diem iudicii, per Mysterium Baptismatis, per venerationem omnium Sanctorum, vt, si de hac re culpabilis es, aut fecisti, aut sciuisti, aut baiulasti, aut consensisti, aut propter actam culpam denominatam, sciens factoribus iuuisti, vt ecclesiam non introeas, Christianæ societati non miscearis, si reatum nolueris confiteri admissum, antequam iudicio examineris publico.

§. CCCCXIII.

*Tunc interrogetur sceleratus a Sacerdote, his verbis.*

FRater! es iustus ab hoc crimine, de quo accusaris? ℟. Justus sum. Interrogetur, mundus? ℟. mundus sum.

§. CCCCXIV.

*Tandem accusatus (c) accipiat ferrum ignitum, hæc verba sequentia dicendo.*

PEr illud Corpus Domini nostri JESV CHRISTI, quod hodie sumsi, non confidens in vllum (d) maleficium, nec in virtutibus herbarum, accipio hoc ferrum.

*F I N I S.*

Impressum Colosvarini, per G. H. ANNO
SALVTIS HVMANAE.
M. D. L.

b.) Nouum sequebatur examen, ante ferri candentis contrectationem, cum eo, quod, ante *Sacra Eucharistiæ* sumtionem, fiebat, §. 403. haud confundendum.

c.) Mox accusatus, ad nouem pedum mensuram, ferrum perferrat. BOXHORNIVS l. c.

d.) Ad omnem fraudem euitandam, manus sigillo munita, triduum obuelabatur, &, si sinus crudescens, in ferri reperiebatur vestigio, reus, sin minus, iustus esse iudicabatur, propterea que laus DEO, iustissimo referebatur. BOXHORNIVS. *Hist. Vivers. p.* 584.

*Additamentum. ad* §. CXXXI.

FILII ECCLESIAE dicuntur, potissimum Imperatores, ac Principes, qui *Sedi Apostolicæ* venerationem quandam peculiarem impendunt, qualem filii patribus. Hinc, AMBROSIVS epist. 32. ad VALENTINIANVM Imp. *Quid enim honorificentius, quam vt imperator, Ecclesiæ filius esse dicatur.* Hoc nomine, Raphael Thomæ filius, ecclesiæ Varadiensis filius nominatur, & quidem *denotus*; hoc est: qui se DEO uouerat, sicuti feminæ & virgines, quæ castitatem vouerunt, vt est in *Concilio Valentino sub Damaso* Cap. 2.



# DIARIVM
# JOHANNIS CVSPINIANI,
DE CONGRESSV MAXIMILIANI I. CAESARIS,
Cum VLADISLAO, LVDOVICO, ET SIGISMVNDO,
Hungariæ, Bohemiæ ac Poloniæ
REGIBVS;
Et inita, ex gemino fœdere matrimoniali,
Anno MDXV. ad XXII. Iulii
ADFINITATE.
Acceſſit
JOHANNIS LISTHII
De INAVGVRATIONE MAXIMILIANI II.
COMMENTARIOLVS
*ex coæuis Schedis*
nunc primum in lucem editus.

ADPARATVS AD HISTORIAM HVNGARIAE
DECADIS I. MONVMENTVM VI.

*EXCELLENTISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE DOMINO COMITI,*

# DOMINO CAROLO ZICHY, DE VÁSONYKŐ,

Hæreditario in Oroſzvár Comitatus Moſonienſis Supremo Comiti, S. R. Maieſtatis Actuali Intimo, & Conſilii Locumtenentialis Regii, Conſiliario, nec non, Cubiculariorum per Hungariam Regalium Magiſtro, & Sacræ Regni Hungariæ Coronæ DVVMVIRO.

Domino ſuo longe gratioſiſſimo.

FELICITATEM!

# EXCELLENTISSIME COMES, DOMINE ILLVSTRISSIME!

IN more id positum habeo, vt Hos, quorum benignitate, in honestissimis quibusque destinationibus, releuatum me aduerto; non colam modo, priuati officii testificatione; sed venerer etiam publice, atque in eum modum, ne ignoret posteritas, quorum olim fauore ac patrocinio, in laboriosissimo, quod in collustrandis rebus patriæ sector, studiorum genere, fuerim sustentatus.

TE profecto, EXCELLENTISSIME DOMINE, COMES ILLVSTRISSIME! multis retro annis, & cum primo manum, innoxiis, vastis tamen conatibus his, admoliri cœpi, nullo meo merito; sed TVA solius beneuolentia, & in meliores litteras, mirifica propensione quadam, adductum, in iis semper fuisse, pluribus documentis comperi, qui pulchrum ducunt honestumque, cum se dat opportunitas, viros, bene de patria mereri cupientes & tueri publice, & priuatim ornare beneficiis, in commune profuturis.

Atque his equidem auctoramentis inuitatus, eo iam prouehor audaciæ; si tamen audacia dicenda est, grati animi contestatio: vt nihil dubitem, TVAM, Excellentissime Domine! bonitatem illam, incomparabili cum munificentia coniunctam, tenuibus his monumentis, non modo propalam deuenerari; sed transcribere etiam, ad seram, memoremque beneficiorum, posteritatem.

Suscipe proinde, EXCELLENTISSIME DOMINE, COMES ILLVSTRISSIME! meam hanc, erga TE obseruantiæ significationem deditissimam, fronte placida, menteque, ad porro fauendum, prona. Ita TE ipsum, & quam a natura accepisti, beneficentissimam indolem, præclare æmulaberis; mihi contra stimulum subdes, vti animum inducam, cum se occasio dabit lautior congruentiorque, iterum, atque id adparatu exquisitiore, contestari, quam sim TVI, EXCELLENTISSIME DOMINE! ingenuus ac demissus æstimator. Vale, diu optimeque! quod animo obsequentissimo precatur,

EXCELLENTISSIMI COMITIS
DOMINI ILLVSTRISSIMI,

*Cliens deuinctissimus*
MATTHIAS BELIVS.

# AD LECTOREM.



CVm IOHANNIS CVSPINIANI, viri, sua ætate doctissimi, & ob rerum præclare administratarum vsum, apud MAXIMILIANVM I. Cæsarem, in primis gratiosi, DIARIVM istud, inter monumenta, *Adparatus* mei, *ad Historiam Hungariæ*, refero, & TIBI, amice Lector! quasi in manus trado: eius quidem instituti, in promptu mihi, & rationes sunt, & inuitamenta.

Præterquam enim, quod inusitatum trium, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæque, VLADISLAI puta, LVDOVICI & SIGISMVNDI, Regum, in *Pisoniensi* hac vrbe, congressum; cuius similem, a CAROLI I. temporibus, (a) haud suspexit *Hungaria*; fide optima, adcuratione summa, stilo simplici & aperto, retulit; præclare omnino de rebus *Hungaricis* meritus est: quando, momentosum illud, geminati matrimonii, fœdus, cuius demum iuribus (b) in AVSTRIACORVM principum hæreditatem, auspicato concessit *Hungaria*, aperte expromsit, & ex vero.

Atque id sane, vnus omnium, qui in grauissimo hoc negotio, quidpiam elaborauerunt; elaborauerunt autem plurimi; CVSPINIANVS facere poterat exquisitissime: quippe qui, obitis, totis quinque annis, *Budam*, XXIV. legationibus, tamdiu lapidem hunc, iussu MAXIMILIANI, voluit; dum res omnis, masculе ac prudenter, superatis, quæ se iniiciebant, remoris, magna cum CAESARIS, tum REGVM, adprobatione plausuque, feliciter consummaretur.

Depromsimus vero, DIARIVM ipsum, ex Cæsaribus CVSPINIANI, Basileæ apud *Oporinum* folio, impressis; sed rarioribus iam, ac fere locupletes etiam bibliothecas, fugientibus. Cum enim, vitam MAXIMILIANI sui, bonus ille, enarrauisset: pretium operæ futurum existimauit, si hunc eius actum, ad perpetuitatem, Serenissimæ DOMVS AVSTRIACAE in primis adtinentem, eidem illi CAESARIS vitæ, subtexeret.

Iam equidem, tunc, in rem meam verteram, hanc CVSPINIANI diligentiam; dum vrbis PISONIENSIS historiam, pro eo, ac decuit, expromerem: (c) tamen, quia id a me ita factum est, vt, & in compendium mitterem, singulorum dierum actus; & orationem *Cuspinianeam*, non vndiquaque perpurgatam, ad meæ dictionis modum reuocarem; ita statui, æquitati maxime congruum fore, si, eodem hic habitu compareat libellus, quo, ab auctore suo, relatus fuit in litteras. A qua honesta destinatione, & istud fluxit; vt noluerim, notis haud forte inutilibus futuris, onerare scriptorem ex se ingenuum.

Adtexui porro, IOHANNIS LISTHII COMMENTARIOLVM, de MAXIMILIANI II. Inauguratione, quæ prima omnium, *Pisonii* concelebrabatur. Prodit autem, ex coæuis schedis, quas, laudatus, ad monumentum V. ANDREAS CZEMANKA, vir doctus, ante hæc tria lustra, locupletandis notitiis, atque adparatibus nostris, mecum, & lubenter communicauit, & liberaliter. Proinde, vtrumque, quod edimus, opusculum, ita comparatum est, vt multum inde lucis rebus nostris, sicuti se nunc habent, adfundatur.


Vltimum est, quod Te, Lector, *Hungaricarum* rerum cupide! obnixe rogarim; velis, tenui hac, ad ADPARATVM meum, accessione, ad eum modum perfrui, vti simul HVNGARIAE, nouam nunc periodum, QVOD DEVS BENE VERTAT, inituræ; atque in primis, Serenissimæ Reginæ, MARIAE THERESIAE, & IOSEPHO, PRINCIPI IVVENTVTIS, DELICIO NOSTRO, ex animo, bene preceris. Vale. *Pisonii*, Anno MDCCXLI. XV. Cal. Maii.

IACO-

a) Vide BONFINIVM, Decade II. Libro IX. p. 323. 23. Et operis nostri Tomum III. in Historia WISSEGRADI, §. VII. p. 479.

b) Vetera iam ante, & publicis vtrinque tabulis adfimata AVSTRIACIS iura in *Hungariam* fuere; quæ videsis, apud BONFINIVM, Dec. IV. Lib. VIII. p. 655. Et in Appendice IOH. SAMBVCI, p. 742. sq. Sed hinc tamen omnis eorum firmitas manauit. Vide, eadem Appendice, CONTRACTVM horum MATRIMONIORVM, p. 738. dum, anno MDCCXXIII. Articulo II. etiam SEXVI FOEMINEO, in solidum adtribuerentur.

c) Tomo I. Operis nostri, Historiæ vrbis Pisoniens. Cap. III. §. XLIX. p. 147. seq.



# IACOBO VILLINGER, CAESARIS MAXIMILIANI THESAVRARIO,

## Ioannes Cvspinianvs Præfectus Viennensis, felicitatem, ac S. P. D.



Emini inter Philosophos magnam esse altercationem: an conueniat sic viuere, vt nemo te vixisse sentiat, vt ille dixit: Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit. Et illi potissimum qui ceteris volunt esse religiosiores, hoc suadent; quasi sic videantur humanam contemnere gloriam: cum ipsi sint ambitiosissimi & gloriæ auidissimi. Hi, qui etiam libellos de contemnenda gloria scripserunt, cum suum nomen proponunt, nunquid ipsi gloriam affectant? Nemne, hoc sudamus, ob hoc laboramus, ob hoc mille pericula & in mari, & in terra, subimus, vt quasi merces laborum gloria nos sequatur. Cur gitur arbitrantur illi, sic esse viuendum, vt nemo nos vixisse sentiat? quasi omnia debeant ignorantia & tenebris occultari, cum nihil magis exoptet homo, quam scientiam, & natura scire desideret, & animi etiam nobilior pars sit lux ac lumen: quandoquidem planè omnibus insita est cupiditas cognoscendi, non modo mundana, sed & quæ supra nos sunt, ac quæ vix capere intellectu nostro possumus. Sed ex plebe nemo est tam excors, qui non velit aliorum regnorum ac prouinciarum non libenter indagare, & ritus, & mores, & res gestas, si habere copiam possit. Ob id, cum Plutarcho sentio; hominem nihil omnium æque refugere, ac ignorantiam & tenebras: atque ideo non esse viuendum, vt nemo nos vixisse sentiat; sed ita potius viuere, vt aliquo momento, si fieri potest, nos vixisse testemur. Hic post se liberos, hic libros relinquit, hic prædia, hic possessiones, hic ædificia, hic bonam famam: omnes bonum nomen conemur post nos relinquere, alioquin vita nostra mors potius est. Ego ita pro virili semper elaboraui, vt me vixisse testarer, quibusdam monimentis, quæ exstant. Nec passus sum illud etiam ignorari, quod hic nobiscum iam actum est, quod certo scio, multi homines vtriusque sexus, libenter etiam in remotissimis regionibu vehementissime exoptabant. Quis enim bono ingenio præditus, nollet scire, quomodo ille celeberrimus Regum conuentus inchoatus, ac perfectus esset? & quo pacto mutuo sese amplexi essent, clementissimi illi Principes, qui se de facie prius non nouerant, etsi sanguinis vinculo prius erant astricti? Licet autem TV mi IACOBE! tanquam consiliarius Cæsaris, non inter postremos numerandus, affueris, & oculata fide omnia intellexeris; tamen aliquando ea, quæ faciliora sunt, e memoria labuntur, quæ libenter in senectute relegimus. Amore tui omnia collegi, quæ & vidi, & quibus interfui. Quinque enim annis, vt scis, voluo hoc saxum, quibus vigesies & quater in Hungariam orator iui, atque hæc negotia tractaui. Quantum igitur potui, rem verissime, simpliciter tamen, sine turgida oratione, perscripsi. Quicquid id est, boni consules, & me, vt soles, amabis. Ex Vienna, vigesima Augusti.



# DIARIVM IOHANNIS CVSPINIANI,

## De Congreſſu Cæſaris MAXIMILIANI I. & trium Regum, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ.

### §. I.



CAESAR MAXIMILIANVS, vt eſt ingenio ſingulari, ac prope diuino, animo voluens, nihil eſſe præclarius bono principi, quam prouincias & regna ſua, ſolido aliquo robore ſtabilire: in omnes orbis angulos oculos ſuos coniecit, & nobiliſſimum quemque regem affinitate ſibi deuinxit; vt inde prouinciis ſuis (a) perpetuam relinqueret quietem. Sic filium PHILIPPVM, in Hiſpaniam mittens, regem Aragonum ſibi coniunxit. Cum autem diuus ille PHILIPPVS, numeroſam poſt ſe prolem relinqueret, noluit Cæſar quamcunque amittere occaſionem, ex quatuor filiabus, quæ ſecunda eſt poſt *Leonoram*, cui nomen ISABELLAE, regi deſponſauit (*Daciæ*) Daniæ: ſed hoc aliquanto poſt. Ex ſeptentrione, Cæſar, in orientem migrauit, vt ſemen eius vndiquaque coaleſceret. Vidit pientiſſimum Hungariæ & Bohemiæ regem, VLADISLAVM, nobiliſſimis liberis a DEO optimo maximo donatum, LVDOVICO & ANNA. Mox animo concepit, illosque ſibi deuincire, Auſtriæque prouincias inferiores, robuſtiſſimo muro circumuallare. LVDOVICO Hungariæ & Bohemiæ regi, tertiam neptem MARIAM, in vxorem, & ANNAE vnum ex nepotibus, aut CAROLVM, aut FERDINANDVM, in maritum dare cogitauit; vt prouinciæ illæ contiguæ & regna, mutuis viribus robuſtiores eſſent, contra impetum *Turcorum*, & quorumcunque hoſtium. Id conſilio & opera, tunc MATTHAEI *Epiſcopi Gurcenſis*, hodie vero *Cardinalis*, qui & extremam manum huic operi impoſuit, & *Iohannis*, *Varadienſis Epiſcopi*, profeſſi ordinis S. FRANCISCI, primum inchoatum eſt. Acceſſerunt dehinc plerique oratores, quos Cæſar aliquot hinc annis in *Hungariam* miſit. Qui inter cetera negotia, matrimonia hæc duplicia ſimul ſollicita-

a) Ob hanc, dignam CAESARE, curam atque ſtudium, merito, alterum *Sereniſſ. Domus Auſtriacæ*, parentem, auctorem, ſtatoremque, poſſis MAXIMILIANVM I. conſalutare. quippe qui, partam, a RVDOLPHO Habſpurgico, dominationem *Auſtriacam*, per nobiliſſimam *Europæ* partem, his iſtiusmodi artibus, feliciter propagarit.

citarunt, *Ianus Mraxii* miles, præfectus arcis *Dronsdorff*, Comes *Leonardus de Hag*, *Wolfgangus de Rogendorff Baro*, *Ioannes de Pucham*. Hinc annis quinque continuis orator iuit in Hungariam, *Cuſpinianus*, præfectus Senatus Viennenſis, qui vulgo *Anabaldus* dicitur: poſtremo & *Laurentius Saurer*, vice dominus Auſtriæ, orator cum ceteris iuit. Interim *Cæſar*, licet grauiſſima bella gereret, & annis iam fere octo, ſuperbiam *Venetorum* caſtigaret, nullam occaſionem omittens, vt ſuum ſortirentur finem, concepta iam dudum matrimonia, ex *Flandria*, in *Auſtriam* miſit chariſſimam ſuam neptem Mariam, Sponſam Lvdovici regis, quæ Viennam appulit, duodecima die Iunii, anno *milleſimo quingenteſimo decimo quarto*, honorificentiſſime excepta, non tam a clero, quam vniuerſo populo Viennenſi, & deducta ad arcem Viennenſem, vbi hodie adhuc habitat.

§. II.

Prius autem *Cæſar*, in Auſtriam deſcenderat, animo conueniendi regem Hungariæ Vladislavm, & tractandi, non tam de liberorum communium matrimoniis, quam de ceteris ſuarum prouinciarum, & regnorum neceſſitatibus. Sed inſperato erupit quædam incondita ruſticorum multitudo, quæ *Cruciatorum* appellabatur. Proximis enim ante menſibus, Cardinalis Strigonienſis, Legatus Apoſtolicus, *Cruciatam* detulerat in *Hungariam*, cum pleniſſimis indulgentiis, e qua re, vnde ſubſidium ſperabatur, crudeliſſimum venenum ortum eſt. Nam, longe lateque deſæuiit in *Hungaria*, hæc crudeliſſima peſtis, & omni peſtilentia ſæuior, in vtrumque ſexum indiſcriminatim venenum iniiciens. Rapiebantur liberi ex matrum ſinubus, truncabantur vt feræ, & abiiciebantur. Stuprabantur paſſim virgines, & matronæ, in parentum & maritorum conſpectu. Sacra profanabantur, ſpoliabantur templa, ciuitates, oppida, arces, villæ, euaſtabantur & incendio corruebant: denique, nihil tam ſanctum, quod ab iis *Cruciatis* non defœdaretur. Horum dux *Georgius* quidam *Ceculus* (gentis nomen eſt, (b) *Ceculi* enim prope Tranſiluaniam habitant) adſciuit hic ſibi comitem *Laurentium* Presbyterum, qui crudelitate omnes ſuperauit. Erat etiam ex ducibus quidam *Michael monachus*; ita hæc peſtis nullum ordinem intactum reliquit. Ex minoribus ducibus multi erant, quorum nomina ſcribere eſt ſuperuacaneum. Hi, quoscunque nobiles apprehenderant, palis affixerunt, mulieres ac liberos eiecerunt, prius tamen ſtupratis, bona ſurripuerunt. Erat animus illorum, vniuerſam delere nobilitatem, & in toto regno, quod quatuor & decem habet Epiſcopales ſedes, vnam ſolam relinquere. Scribi non poteſt, qua crudelitate vſi ſunt. Hoc ſatis ſit indicii, cum auxilio diuino rabies hæc exſtincta foret, ductu Ioannis Comitis Zepuſienſis, Veiuodæ Tranſiluaniæ (qui ducem illorum, nouo quodam tormenti genere, a ſuis dentibus laniari iuſſit) & hinc decollari. Et de menſe Nouembri illius anni, facta eſſet regnicolarum in Buda congregatio, patria lingua *Rakuſch* appellatur. Hic publice narratum eſt, hoc tumultu ruſticorum, qui vix quadrimeſtris erat, deſiderata eſſe in Hungaria vtriusque ſexus, ſeptuaginta millia hominum, in quibus quadringenti fuerunt nobiles. Quod ſeculum mihi narrabit ſimile facinus? Quis vnquam talia aut legit,



b) Noſtri, latine *Siculos*, Hungarice, *Székely* adpellant: nefandum autem ducem hunc, Székely György. Habitant vero Siculi, non prope Tranſiluaniam, ſed in Tranſiluania. De his vide Lavrentii Toppeltini, Originum Tranſiluanicarum. Cap. V. p. 45.

legit, aut audiuit; ſed longe maiora ſunt, quam quæ ſcribuntur: multa enim ob pudorem ſcribere nemo audet. (c)

§. III.

Fuit in iſta congregatione ſiue conuentu, nomine Cæſaris, orator *Cuſpinianus*: nomine Regis Poloniæ, ChriſtophorusSchidlouiczki. Et cum illic etiam de concordia Cæſaris & Regis Poloniæ, inter cetera negotia, ageretur, viſum eſt oratoribus differentias illas, facile non poſſe complanare, niſi ſimul coirent *Cæſar*, & vterque *Rex Hungariæ* & *Poloniæ*, fratres. Nam Cæſar iam a Rege *Hungariæ*, pro ſuo fratre rogatus, indulſerat, quæ in eum fecerat, & ipſum arbitrum & mediatorem differentiarum delegerat, pro ſedandis diſcordiis, quæ inter illos erant.

Remiſſus eſt itaque *Cuſpinianus* a Buda ad Cæſarem, qui tum in *Ponte Oeni*, Inſprugk vulgo dicitur, morabatur; vt Cæſarem ſollicitaret, pro conuentu tam ſancto horum regum: qui non modo vtilis ſuis regnis & prouinciis; ſed etiam hoſtibus plurimum formidoloſus futurus erat.

*Cæſar* tum pluribus occupatus, venire ad finem *Februarii*, in Poſonium, vt deliberatum erat, non potuit: tum propter *Heluetiorum* formidabilem inconſtantiam; tum propter ſubitam & inſperatam mortem regis Franciæ Lvdovici, qui prima Ianuarii Pariſiis, anno decimo quinto, exſpirauit; tum etiam propter Carolvm, Archiducem Auſtriæ ac Burgundiæ, nepotem, quem ex annis tutelæ Cæſar emancipauerat. Aliis quoque multis de cauſſis Cæſar nequibat, quod vterque rex petebat, adimplere.

Decreuit itaque Cæſar, reuerendiſſimum in Chriſto D. Matthaevm S. Angeli *Cardinalem Gurcenſem*, & coadiutorem *Saltzburgenſem*, mittere, qui cum pleno mandato, cum vtroque rege, omnia agenda perageret & tractaret.

Præmiſſus eſt itaque *Cuſpinianus* Budam, qui hæc regi renunciaret. Et vt dies conuentus in diem Dominicam *Quadrageſimæ*, qua in Eccleſia Romana cantatur: *Lætare Hieruſalem*, differretur. Placuere omnia regi Hungariæ, qui illico nuncium expediuit, *Cracouiam* verſus, vt hæc fratri regi *Poloniæ* referret. Ne tamen res tam ſancta, vllius fraude interciperetur, D. *Ladislaus de Sternberg*, Cancellarius Bohemiæ, iter arripuit, & regem eduxit, perſuaſitque, vt nullis litteris inceptum iter deſereret; ſed ad Poſonium vsque continuaret, exſpectaretque fratris regis & Cæſaris aduentum.

Narrauit mihi *Georgius Thurſo*, vir ſpectatæ fidei, & integritatis haud contemnendæ, regis Hungariæ Camerarius Montium: egreſſuro regi Poloniæ Sigismvndo, qui Cracouiam quinta Martii deſeruit, *Matthiam Mechouitam*, ſingularem, tam in medendo, quam in prognoſticando, magnæ eruditionis virum, annunciaſſe: ipſum neque viſurum Cæſarem, neque expediturum quidpiam. Quod cum miraretur rex, vt eſt animi inconcuſſi & firmi, conſtantiſſime perſeuerauit in propoſito: *Eundum*, inquit, *eſt, quo DEVS & fortuna vocat, promiſi, promiſſum ratum ſeruabo, nemo me a propoſito alienabit. Videbo Cæſarem, ſi DEVS volet, fratrem conueniam.* Nihilominus interim per quosdam ſecretarios mandat, vt diligentius ab eodem doctore inquirant, ſerio ne? an ioco locutus fuerat. Aſſerit idem *Mechouita*, regem non viſurum Cæſarem, niſi exſpectare velit Iunium. Et ante

c) Fuſe, ſanguinolentiſſimam hanc tumultuationem, deſcripſit Nicolavs Istvánfivs, Libro V. toto, qui excutiendus eſt omnino. Adde huic, Stephani Tavrini Olomucenſis Stauromachiam, ſiue, Cruciatorum Seruile Bellum, Libris V. carmine Heroico, decantatum, ad Georgivm Marchionem Brandeburg. Lvdovici II. tutorem. Prodiit anno MDXIX. fol. quadrip. eſtque in adparatibus noſtris.

ante festum diui *Ioannis Baptistæ*, Cæsarem omnino non visurum: cum rex se rediturum, in mensibus duobus ad summum, speraret. Exiuit igitur rex bonis auibus, & cum tam longa mora traheretur; sæpe illius doctoris memoria subiit. Hoc idem *Mechouita*, Andreæ Kostilitzki thesaurario perscripsit, regem scilicet suum, vix Cæsarem ante festum *Alexii* visurum, quod & euenit, vt paulo post scribemus: decimo sexto enim Iulii, hoc est, in profesto *Alexii*, mutuo sese viderunt.

§. IV.

VIGESIMA igitur *tertia Februarii*, anno præsenti MDXV. reuerendissimus dominus Cardinalis Gurcensis, applicuit *Viennam*, quam honorifice, ab vniuersa nobilitate, plebeque Viennensi susceptus: parumque quiescens, genio indulsit ad triduum: tum ad *Nouam ciuitatem* profectus, conuentum prouincialium indixit, iussu Cæsaris. Interea, vt sui aduentus certior redderetur, rex Hungariæ, mittit D. Cardinalis, *Doctorem Vitum de Furst*, Budam, vt regem excitaret ad *Posonium*, locum conuentus designatum. Nam quidam ex nobilioribus refragabuntur, ex quo Cæsar non veniret, facilius posse *Budam* conuenire regem Poloniæ & Cardinalem asserentes: sed sanior pars præualuit, & rex se Posonium venturum promisit. Continuato igitur itinere, firmatus iam animo rex Poloniæ, *Cracouiam* deserit, & *Posonium* versus pergit.

*Cardinalis* interim *Gurcensis*, conuocatis Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæque prouincialibus, res sibi a Cæsare commissas, strenue exsequitur; sed perficere non potuit, audiens regem Hungariæ *decimo* octauo *Martii*, Posonium venisse, crebris nunciis die noctuque singula indagat, vt est diligentissimus, nullam voluit occasionem amittere.

Tum XXII. *Martii*, ne vlla re indiligentiæ culparetur, mittit oratores ad regem Hungariæ, *Posonium*, qui se suaque offerrent, & aduentus sui diem exquirerent: Dominos, *Marquardum de Stein*, Præpositum Bambergensem; *Ianum Mraxii de Nascau* militem; *Cuspinianum* doctorem; *Wolfgangum Hemerle* secretarium Cæsaris. Hi iussa exsequuti, per nuncios singula *D. Cardinali* adaperiunt, & eidem in *Hamburgo* XXVII. *Martii* occurrunt, de singulis ipsum certiorem facientes, quæcunque viderint aut intellexerint. Nam ante, vigesimo quarto scilicet die, Sabbatho illius dominicæ, qua canitur in Ecclesia: *Iudica me Domine*; rex Poloniæ, SIGISMVNDVS, cum celeberrima pompa ingressus est *Posonium*, quem ex *Ternauia* vsque conduxerunt, Episcopus Quinque ecclesiensis *Georgius*, & GEORGIVS *Marchio Brandenburgensis*, iussu regis Hungariæ. Ipse autem rex Hungariæ VLADISLAVS, in curru ei, cum filio LVDOVICO, occurrebat, sequentibus ipsos Episcopis, *Colocense*, *Vaciense*, *Bosnense*, *Sirmiense*, & vniuersa eius nobilitate, quæ ornatissime, more patrio, est instructa. In campo, vbi vidit fratrem aduentantem, iussit se ex curru in terram ponere in sella, quem rex Poloniæ fraterne amplexus, prouocauit in lacrymas. Rex LVDOVICVS, miræ indolis, patruum exosculatus, benignissime excepit: repositus in currum, senior rex, filius *Ludouicus* equum ascendit, & in latere sinistro, cum patruo, vrbem ingressus est, magno cum fastu, præcedentibus innumeris equitibus, nobilibus & curribus. Ducebat autem rex Poloniæ, plus mille quingentos equites, & partim more *Hungarorum*, quos *Hussarones* appellant, vestiebantur; partim habitu *Alemannico* ornati erant. Sed erant

præter *Polonos*, *Ruteni*, *Pruteni*, *Moſchi*, *Turci* captiui, & *Tartari*, in ſuo equitatu, cum multis tibicinibus, qui tubas amplas ſonoras, & a noſtris diſſonas, non ſine horrore ſtridentes, vt in magno æſtu ſolent veſpæ & crabrones, inflabant. Erat & *Turcus* quidam cum tibia, qui nobis inauditam harmoniam & auribus noſtris inacceptam, edebat, cum puero, tympanum ambabus violenter manibus percutiente. Sed & noſtrates habebant tibicines, qui belle ſonabant, & noſtram muſicam referebant.

Erat ſecum magna nobilitas, qui partim in equis anteibant deaurati, & torquibus aureis redimitti, partim peditibus ipſum cingebant, equo inſidentem & veſte purpurea amictum: *Veivoda Valachiæ*; D. *Nicolaus Virla*, Palatinus Sandomirienſis; *Nicolaus*, Palatinus Vilnenſis, Palatinus Liblienſis *Andreas*; Cancellarius *Schidlouiczki*; *Nicolaus* Palatinus Marburgenſis; Theſaurarius *Andreas Coſtiliczki*; *D. Lucas* capitaneus Poloniæ, dominus *Raphael*, & multi alii, inſignes & viri egregii vtriusque ordinis. Comitabantur vero illum tres Epiſcopi: *Matthias* Vladislauienſis, trium regum *Alberti*, *Alexandri* & *Sigiſmundi*, olim cancellarius; *Ioannes* Poſnanienſis, & *Petrus* Premislienſis, cum præpoſitis, ſecretariis & aliis prælatis.

Durabat hic ingreſſus, ab octaua, vsque ad primam horam, nam ſummo mane ingrediebantur currus, qui feruntur fuiſſe pene quingenti, in quibus quandoque quatuor niuei equi, quandoque rubei, quandoque alterius coloris, nunc ſex, nunc octo in eodem curru vehebantur: immixtæ erant & bigæ, licet paucæ erant.

§. V.

Vigesima *octaua Martii*, Cardinalis Gurcenſis ex Hamburgo ſoluit naui, & venit *Poſonium*, horam circiter nonam. Cui omnis multitudo obuiam egreſſa, ripam Danubii ita adimpleuit, vt eques vix ſubſiſtere poſſet. Inceſſit ipſe in habitu Cardinalium, quem Archiepiſcopus Colocenſis *Gregorius*, Comes de Frangepanibus, regni Hungariæ Cancellarius, in latere regis Lvdovici, obuiam Cardinali, nomine patris & patrui miſſi, benigna & pulchra oratione ſuſcepit. Ipſe vero Cardinalis humaniſſime reſpondit. Aderant hic vtriusque regis proceres, & conſiliarii, Epiſcopi & nobiles, ac ſummo cum honore ipſum quam honorificentiſſime, vsque ad hoſpitium conduxerunt, cum ingenti tubarum ſonitu ac plauſu.

Sequenti die, hoc eſt, XXIX. *Martii*, ingreſſus eſt vrbem reuerendiſſimus Cardinalis Strigonienſis *Thomas*, legatus de latere: cui & D. Cardinalis *Gurcenſis*, cum omni curia ſua (ductabat autem electam nobilitatem Auſtriæ & Styriæ) & vtriusque regis proceres, occurrebant. Ipſe ſexingentos habuit equos, demptis curribus: magnæ vndique factæ ſunt cerimoniæ; quandoquidem maior pars omnis ætatis humanæ, in iis conteritur, Occurrebat & clerus cum pueris, & reliquiæ ſanctorum deferebantur obuiam tanquam *Metropolitano*.

*Prima Aprilis*, quæ erat ſolennis illa dies *Palmarum*, omnibus Chriſtianis veneranda, Cardinalis Strigonienſis in Eccleſia maiori *Diui Martini*, præſentibus tribus regibus, & *Anna* reginula, ſacerdotale expleuit officium, cum cerimoniis debitis, ac cum indulgentiis plenariis; Cardinalis autem *Gurcenſis* huic officio intereſſe non potuit, aduerſa valetudine detentus: alia vniuerſa nobilitas erat congregata.

Altera die, iterum conuenerunt in hoc templo tres reges, cum *Cardinalibus* ambobus: Strigonienſis celebrauit officium de *Spiritu Sancto*. quo fini-

finito, admonita est plebs per suffraganeum *Strigoniensem*, vt deuotissime pro concordia Cæsaris & Regum, DEO supplicarent: lingua Latina, Hungarica, Bohemica, & Alemannica: pronunciatæ sunt interim *indulgentiæ plenariæ*.

Recta inde via, tres reges, duo *Cardinales*, *Archiepiscopi* & *Episcopi*, proceres & consiliarii, in domum regis Hungariæ profecti sunt, & facto magno consilio, *Cardinalis Gurcensis*, oblatis litteris suæ credentiæ de more, latissime & profusissime, cur, & ob quam caussam venerit, in summo silentio locutus est, bene audientibus regibus & consiliariis Cæsaris, ac vtriusque regis, qui omnes erant plus quinquaginta. Cui finita oratione, benignissime simul & elegantissime respondit, *Cardinalis Strigoniensis*. Durauit hoc consilium, ad horam circiter secundam, post meridiem.

§. VI.

TERTIA *Aprilis*, Cardinalis *Gurcensis*, comitante ipsum curia sua, & pulchra nobilitate, venit ad hospitium regis *Poloniæ*, qui ei egressus obuiam, humanissime ipsum excepit in plateis; ac vbi ambo in præsentia consiliariorum resederunt, *Cuspinianus* iussus, litteras Cæsaris, cum quadam salutatione obtulit breuiuscula: ambo dehinc mutua colloquia, sed non diu, fecerunt.

Eodem die venit triste nuncium de obitu illustris ducis *Bartholomæi* de *Münsterberg*, qui a Cæsare festinans ad hunc conuentum, in Danubio, haud longe a *Hamburgo*, ab fluctibus obrutus, submersus est. Quod in primis affecit VLADISLAVM regem, & in lacrymas excitauit: Deinde *Cardinalem Gurcensem*, qui eum vnice amabat, vtpote virum bonum & strenuum. Ex cuius morte, quidam male de futuro conuentu augurbantur. Nam & pridie magnificus *Iohannes de Messeritz*, capitaneus Morauiæ, qui etiam sæpius orator in hoc negotio fuit, subita morte exspirauit. Et *Vitus de Furst*, qui regem plurimum ad hunc conuentum sollicitauit, *Viennæ* mortem oppetiit. Ita tres oratores sese ex iis negotiis liberarunt, & superum conuentum adierunt.

Hinc iterum in hospitium regis *Hungariæ* conueniunt, omnes hi principes, & tractatum incipientes; inueniunt rem esse morosam, in tanta multitudine, per tot suffragia esse consulendum; redigunt itaque ad minorem numerum singulorum regum consiliarios. Et D. *Cardinalis Gurcensis* accipit secum consiliarios Cæsaris, *D. Ianum Mraxii*, *Laurentium Saurer*, Vice dominum Austriæ, *Cuspinianum Doctorem*, & *Gabrielem Vogt*, secretarium Cæsareum: nomine vero regis *Hungariæ*, erat *Cardinalis Strigoniensis*, *Archiepiscopus Colocensis*, *Episcopus Quinqueecclesiensis*. Rex autem *Poloniæ* misit, *Petrum* Episcopum Premisliensem, *Christophorum Schidlouiczki* cancellarium, & Palatinum Vilnensem *Nicolaum*.

Hi, quoties articuli propositi fuerunt, referebant ad reges; sed plene concordari non poterant, licet plerosque dies consumerent, & consilium, in tertiam vsque horam post meridiem sæpius pertraherent.

*Vndecima Aprilis*, institutus est ludus pro cursu equorum. *Primus* brauium accepit argenteum deauratum poculum: *secundus* pannum aureum pro veste: *tertius* simplicem pannum pro tunica. Cucurrerunt vndequadraginta equi velocissimi & pulcherrimi; sed *Georgius* Comes *Zepusiensis* omnes præcessit.

Visa est hic res memoratu digna: quidam *Moschus* insidebat equo *Tur*-

*co*, & de more ducebat alterum in manu dextra, cum autem vehementiſſime curreret cum ambobus equis, ſaliit ex vno equo in alterum, in medio curſu, ſemper alterum manu ſeruans, ne diſcurreret. Erat pulchrum ſpectaculum, coram regibus & principibus. Nam tres reges egrediebantur pulchro ordine: ſimiliter & *Cardinalis Gurcenſis*, ac omnes Epiſcopi, cum vniuerſa nobilitate. *Moſchi*, tum etiam, ac *Tartari*, artem ſuam iaculandi ſagittas in aerem, miro ingenio oſtentabant.

§. VII.

DVODECIMA *Aprilis*, concluſerunt interim, quædam eſſe renuncianda Cæſari. Et ideo data & accepta ſalute cum ſumma reuerentia, & exhibita munera regia, *Cardinalis Gurcenſis*, Poſonium relinquit; cum prius ex ſuis præcipui aulici, frater eius vterinus *Iohannes Lang*, magiſter domus *Ioannes Schenk*, *Wolfgangus de Keutſchach*, & *Chriſtophorus Graff de Rattſtat*, in die Paſchæ, expleto diuino officio, quod a *Cardinale Strigonienſi* celebrabatur, eſſent militari cingulo & honore ornati a tribus Regibus, in tanta diei feſtiuitate.

Reuerſus *Cardinalis Gurcenſis* Viennam, mox duos conſiliarios Cæſaris, *D. Wilhelmum de Rogendorff*, & *Laurentium Saurer* vice dominum, per poſtam mittit ad Cæſarem, qui licet quatuor diebus aſcenderint feſtinanter Auguſtam vsque, tarde tamen reuerſi ſunt, ob negotia emergentia quotidie: & interim vrbs *Poſonium* inopinato & ſubito incendio, plus media, (d) comburitur.

VNDECIMA *Maii*, D. Cardinalis *Gurcenſis* cum ſex Cæſareis Conſiliariis: *D. Marquardo de Stein* Præpoſito Bambergenſi, *Wilhelmo de Rogendorff*, *Iano Mraxii*, *Laurentio* Vice domino, *Cuſpiniano*, & *Gabriele Vogt* ſecretario, iterum in naui deſcendit *Poſonium* ad vtrumque regem, tractaturus & concluſurus, tam matrimonia, quam fœdera pacis & concordiæ. Et licet clam ſine pompa intrare vellet vrbem, mox tamen certiores facti antiſtites & principes, LVDOVICVM regem eduxerunt Cardinali obuiam, cum omni vtriusque regis familia. *Cardinalis* etiam *Strigonienſis*, quaſi omnia neglexiſſet, feſtinabundus circa portam vrbis, cum omni ſua familia, occurrit. Similiter & alii Epiſcopi & Archiepiſcopi, ſomno exciti, obuiam prodierunt.

Septem hinc diebus ardue diſputatum & tractatum eſt de ſingulis, & mature omnia deliberata ſunt, in articulos redacta & ſcripta, ac vltro citroque penſitata. Nunc enim conſiliarii vtriusque regis, in hoſpitio *Cardinalis* tractauerunt & conſultarunt; nunc vero Cardinalis regem *Poloniæ* adiit, & ſecretius quædam, amotis arbitris, tractauit; nunc viciſſim dominum *Cardinalem* de ſuis negotiis ſollicitant: nulla quies, nullum ocium, omnia labore plena erant.

VIGESIMA *Maii*, mane a ſeptima hora, vsque in primam poſt meridiem, vterque Rex, cum duobus *Cardinalibus* & conſiliariis deliberarunt, & deliberatis omnibus in præſentia conſiliariorum, *Cæſaris*, & amborum Regum articulos legi fecerunt, qui fuerant ipſorum manibus ſubſcripti & ſigillis muniti, cum omni fauore & plauſu.

Sequenti die, *Rex Hungariæ* inſtituit conuiuium regale, quo regaliter & opipare accepit fratrem ſuum *Regem Poloniæ*, Cardinalem *Gurcenſem*, & præfatos ſex conſiliarios *Cæſaris*.

§. VIII.

d) Deſcripſit incendium hoc, & captata inde omnia, ISTVÁNFFYVS, Lib. VI. p. 78. II. & nos, operis noſtri, Tomo I. p. 181. in huius congreſſus hiſtoria.

§. VIII.

Reuersus *Viennam* Cardinalis *Gurcensis*, XXIII. & XXV. *Maii*, exiuit, vt prælocuta Cæsari narraret, ipsumque abduceret. Interim, ambo Reges, non sine ingenti fastidio, longam moram traxerunt in *Posonio* per totum Iunium; licet crebræ mitterentur litteræ, nunc a Cæsare, nunc a Cardinali Gurcensi. Quas Vice dominus, vt est suarum rerum diligens exsecutor, & nocte & die, mox regibus transmisit, vt impatientiam eorum leniret crebris litteris mittendis.

Sed, non contenti Reges, quod Cardinalis iuisset ad Cæsarem, miserunt ambo oratorem *Hieronymum Balbum*, Præpositum Posoniensem, vt per eum intelligerent, si Cæsar esset venturus, nec ne certo. Is Cæsarem in *Insprugk* apprehendit, sed responsum in *Rottenburg* ab eo accepit. Subsecutus est, hunc alius orator regum (tam impatienter longam hanc moram tulerunt) dominus *Protesilaus de Schmihau* Bohemus, quem Cæsar secum detinuit.

Post hunc alii duo missi, *Nicolaus Ceculus* (e) Hungarus, & *Petrus Polonus*, milites, ab vtroque Rege ad Cæsarem, vt eius aduentum sollicitarent. Quibus honeste expeditis, promisit se venturum: & vt bono animo essent Reges, eosdem litteris & responsione hortatus est, fraterne & quam humanissime.

Vbi ergo Reges iam animo firmati, aduentum *Cæsaris* crediderunt, honestatis & emerendi fauoris gratia, oratores sex, singuli tres insignes viros miserunt. Rex Hungariæ, Episcopum Quinque ecclesiensem *Georgium; Ladislaum de Sternberg* Cancellarium Bohemiæ; & *Moysen de Buslai*, magistrum curiæ. Rex Poloniæ item tres, Episcopum *Ioannem* Posnaniensem; dominum *Lucam*, capitaneum regni Poloniæ; *Christophorum Schidloviczki* cancellarium, qui Viennam ingressi sunt, equis pene quingentis phaleratis, & more suo ornatis compte & eleganter, sexta *Iulii*: cum antea Casimirvs *Marchio Brandenburgensis*, cum *Comite Bertholdo de Henn.berg*, cum equis centum & quadraginta sex cataphractatis, & nobilissime armatis, a *Cæsare* præmissus, vrbem introisset splendidissime ornatus cum pinnulis, armis, simul etiam cum vexillis albis, paruis, ac maioribus; & *Thomas Fuchs*, cum centum quinquaginta equis, bene armatus more Germanico; Ioannes Iacobus item de Landau cum totidem, & alii multi nobiles ac aulici, qui Cæsarem præuenerunt & ibi eum exspectarunt.

*Octaua Iulii*, rediit Cardinalis *Gurcensis*, cum Archiepiscopo Bremensi D. *Christophoro*, Ducibus Bauariæ *Guilhelmo* ac *Ludouico*; Duce *Alberto de Meckelburg;* Duce *Vldalrico de Würtenberg*. quibus ad ripam Danubii occurrerunt, *Ioannes* Episcopus Ratisbonensis, Palatinus Rheni; Episcopus Patauiensis *Vigileus*, qui pridie aduentarunt, & quorundam principum oratores ac legati.

§. IX.

Decima *Iulii*, Cæsar, circa horam noctis decimam, *Viennam*, sine pompa ingressus est. Cum biduo fere quieuisset, fatigatus ex itinere, in castro quodam, circa siluam Viennensem, cui nomen est *Hecking*.



e) Hungarice, Székely Miklós, præcipuæ, cum nobilitatis, tum dignationis vir; cum infausto illo homine, cuius supra meminit Cvspinianvs, haud confundendus.

*Vndecima Iulii*, Cæſar, præfatos ſex oratores Regum, in arce *Viennenſi* audiuit in præſentia principum & conſiliariorum, & *Epiſcopus Quinqueecclesienſis*, (f) longa oratione pro expeditione contra Turcos cohortatus eſt ampliſſimis verbis. Quibus benigne Cæſar, per doctorem *Petrum Mottam* Hiſpanum, reſpondit breuiter ac ſimul eleganter, illisque dimiſſis, iuſſit corpora ſua curare, ac in hoſpitia redire.

*Duodecima Iulii*, vocatis in arcem oratoribus, eos abſoluit ac abire iusſit. Sunt cum ſummo honore per Epiſcopos ac Principes extra portam deducti quam honorificentiſſime ſequenti die mane, hoc eſt XIII. *Iulii*.

Eodem die Cæſar, ad excipiendos Reges, miſit obuiam oratores ſuos, Archiepiſcopum Bremenſem, *Chriſtophorum*, Marchionem *Caſimirum*, *Wilhelmum* de Rogendorff, & *Cuſpinianum* Regi Hungariæ, qui XIV. die Iulii inuenerunt regem Hungariæ *Vladislaum*, cum liberis ſuis, in quodam caſtro *Kottſee*, (g) cui adiacet villa, prope Danubium; & facta ſalutatione, mandata ſua exſecuti ſunt, inuitaruntque vt *Viennam* veniret.

Similiter ad regem Poloniæ, Cæſar miſit oratores ad Hamburgum, (illic enim traiecerat Danubium rex Poloniæ, vt erat ordinatum, quo expeditius equi & currus Danubium in diuerſis vadis ſuperarent,) Ducem ſcilicet Bauariæ *Wilhelmum*, Epiſcopum Labacenſem *Chriſtophorum*, Præpoſitum *Balthaſarem Mercklin de Waldkirch*, & *Mraxii*, qui ſimiliter vt ſuperiores exſequentes ſua mandata, regem, nomine Cæſaris exceperunt ac inuitarunt.

*Decima quinta Iulii*, exiit Viennam, ac prodiit obuiam Cæſar Regibus, in lectica adornata, inſtructiſſimo & electiſſimo exercitu, cum multis equis cataphractariis, cum ſplendidiſſimis militibus, ac nocte, quinque milliaribus a *Vienna* in caſtro quodam *Trautmansdorff* pernoctabat. Cum Rex Hungariæ in oppido *Prugk*, prope Leyttam fluuium; Rex vero Poloniæ in *Hamburgo* eam noctem conſumerent.

Nocte fere media, venit *Cuſpinianus* ad Regem Hnngariæ, a Cæſare miſſus, qui dabat ordinem conueniendi, ne fieret confuſio. Iuſſus eſt rex manere in ſua lectica: nam & ipſe quoque vehebatur lectica, quam Cæſar pulchre adornatam, cum optimis equis regi donauerat pridie. Et reuerſus, iuſſus eſt a Cardinale *Gurcenſe*, ire ad regem Poloniæ, vt idem ei narraret, quem reperit in campo haud longe a tentoriis, quæ illic extenſa erant. Arbitrabantur enim nonnulli, Cæſarem, id quod maxime recuſauit, diſputaturum de prælocutis in tentoriis aut ſub diuo. *Cæſar* autem arborem excelſam iuſſit in planitiem latam (*defigi*) quæ poterat ab longe conſpici, ſub hac voluit conuenire Reges. Et quaſi felici captato augurio, ſub diuo aperte voluit alloqui fratres Reges, & eos ſalutare, ac mutuis complexibus exoſculari.

§. X.

Mane itaque horam circiter ſextam, *XVI. Iulii* egreſſus eſt *Cæſar* cum omni ſuo exercitu a *Trautmansdorff*, ad locum illum deſignatum, in planitie quadam, iuxta ſiluam, cui nomen eſt patria lingua *Hart*. Hic erat collis

f) Ita Istvánfyvs quoque, Lib. VI. p. 28. 29. 35. Fuit autem, Georgivs Sacmári, præcipuæ, poſt Thomam Cardinalem, in Clero Hungariæ, exiſtimationis.

g) Vetus, & genuina apud Germanos Köptsinii, Moſonienſium oppidi, adpellatio, a cœnoſo ſitu, quem Danubii olim diluuia, talem faciebant, deducta: iam Kitseé vocant. Vide Operis noſtri Tom. V. in Hiſtoria Comitatus Moſonienſis, Parte Spec. Memb. I. Sect. I. num. IV.

collis intumescens aliquantisper, a dextris silua, a sinistris vepribus ac modicis spinis conspersus monticulus. Ab hoc descendens Cæsar, poterat, tam ab *Hungaris*, quam a *Polonis*, latissime conspici, armis illuc escentibus, in meridie præsertim, iaculante sole radios vibrantes in exercitum.

Processit autem hoc ordine *Cæsar*: Capitaneus Nouæ ciuitatis *Melchior de Mansmunster* in equo cataphractato, & sui armati, rubeis vestibus induti, ipsum sequentes, ductabat aciem. Quem sequebantur in primis aulici & familiares Cæsaris inermes, ac prouinciales, ceterique nobiles, & qui ad hoc spectaculum concurrerunt ciues & mercatores; sed ornati & bene vestiti ac elegantes; alioquin excludebantur & eiiciebantur. Multi aureis torquibus redimiti, & variis monilibus, conspectum reddebant amœniorem. In singulis membris quinque equitabant. Hos sequebantur *Ducis Wirtenbergensis* familiares armati, & sagitarii. Nec non domini reuerendissimi *Cardinalis Gurcensis* aulici, sine armis quidem, sed honeste vestiti, fuerunt circiter octingenti,

Pulchra dehinc serie progrediebantur equi *Cæsaris* tredecim, quos tredecim pueri equitabant, nigro veluto vestiti, perquam elegantes.

Post quos equitabant *Erhaldi*, (h) suo peculiari habitu amicti, cum duodecim tibicinibus, & duobus tympanis magnis.

Tum sequebantur Antistites: Archiepiscopus Bremensis *Christophorus*, ex domo Ducum de Braunschweig; Episcopus Ratisbonensis *Ioannes*, ex domo Palatinorum; Episcopus Patauiensis *Vigileus*; Episcopus Labacensis *Christophorus*; Dux Bauariæ *Ludouicus*; Dux de Mecklenburg *Albertus*.

Post hos succedebant *Cæsaris* Ianitores, cum albis virgis in manu, de more, præcedentes *Cæsaream* maiestatem.

Tum ferebatur in lectica CAESAR; quæ panno, & purpureo de scarlaco, & nigro veluto, forma quadrata erat cooperta: eodem habitu pueri & seruus, qui equos ducebant. Prope lecticam in latere dextro, *Cardinalis Gurcensis*, habitu suo ornatissime equitabat; in sinistro orator regis *Angliæ*. Multi vero nobiles, omnes veluto nigro vestiti, de equis descendentes, pedites circa lecticam ambulabant. Hos sequebantur in equis, pariter nigro veluto vestiti, aulici proceres, *Wilhelmus de Rapolstein*, magister curiæ; *Cyprianus de Serentein* Cancellarius; *Iacobus Villinger* thesaurarius; *Ioannes Schnaydpek*, Austriæ Cancellarius; & consiliarii, & regentes *Iacobus Fucarus*, *Balthasar Mercklin*, Præpositus in Waldkirch; *Marquardus de Stein*, Præpositus Bambergensis; *Melchior Phintzing*, Præpositus Nurenbergensis, cum fratre *Vdalrico*, Præposito, & pluribus consiliariis & aulicis Cæsareis qui omnes, sericeis vestibus, & torquibus aureis, ac pretiosis monilibus, erant compti & ornati.

Tandem, ornata phalanx splendidissime incedebat, tota armis cooperta, cum tibicinibus & tubis ductilibus. Præibat cum equo cataphractato *Leonardus Rauber*, Cæsaris marscallus, ducens secum familiares nigro habitu vestitos; quibus rota in brachio pro insigni erat: auream ipse vestem supra arma gerens. Tum serie pulchra sequebantur: *Wilhelmus* Dux Bauariæ, æreus totus cum equitibus suis, suo peculiari colore vestitis, qui canem in brachio pro insigni ferebant. Hinc *Casimirus*, Marchio Brandenburgensis, in equo cataphractato, veste aurea & rubea, cum electissima familia, quæ rubeis vestibus erat ornata, & pluribus aureis catenis ac pretiosis pinnulis, cum gemmis ac monilibus. Penes eum erat *Bertholdus Co-*



h) Latinis *Caduceatores*, Germanis hodie *Heroldt*, dicti.

*mes de Hennenberg*, & nobilitas *Franconiæ* inſignis, equites, cuſpides albis vexillis paruis ornatas, duo pueri alba vexilla lata & pulchra, gerentes. Subſequebantur deinde *Comites*, ſuo quisque colore ornatus, ſed cataphractatis equis; *Comes Georgius de Montfort ; Comes Georgius de Schaunberg ; Comes Hoyr de Mansfeld ; Comes N. de Veſterburg*, *Comes Iohannes de Hardeck* ; qui mirum in modum margaritis ac gemmis adornatus reſplendebat: coopertus erat equus gemmis & perlis, & ſuperbiſſime incedebat. Dehinc, nobilitas *Auſtriæ*, ſupra *Onaſum*, electiſſimo inſtructa exercitu, ſubſequebatur. Cataphractariis ſimiliter equis, *Wolfgangus Iörger*, capitaneus in *Lyntz*, *Sigismundus*, *Ludouicus de Polham*, *Ciriacus de Polham*, *Rudolphus* & *Sebaſtianus* fratres *de Hohenfeld*, *Ioannes Iacobus de Landau*, *Thomas Fuchs*, qui omnes erant excellenter ornati. Et agebant equos plus quam octingentos, in quibus erant cataphractarii LXXX. circiter. Hoc ordine inceſſit *Cæſarea* maieſtas, & vbi appropinquauit arbori terræ infixæ, circa iactum bombardæ, acceſſerunt Reges propius, cum ſuis cateruis & militibus, qui more ſuo erant ſimul ornati.

Hos antecedebat immenſa multitudo *Huſſeronum*, qui vexillis bipartitis, rubeo & albo colore, præibant.

Subſequebantur *Moſchouitæ*, ſiue *Moſchi*, cæruleo colore veſtiti, cum albis longis pileis, ac arcubus armati. Tum *Tartari*, in quibus multi captiui, cum tubicinibus ſuis, de quibus ſuperius ſcripſimus, qui ſonabant horrendum.

E regione ſeorſum immenſa multitudo *Huſſeronum*, qui Regis *Hungariæ* erant, pariter de more ſuo, albis & rubeis vexillis armati.

Quos ſuccedebant vtriusque Regis tubicines, in aëra vsque clangentes, more Germanico, ornati & veſtiti, cum tympanis ſonoris.

Tum incedebant ornatiſſime inſtructi, veſtibus, & torquibus aureis, & equis phaleratis multo argento, domini *Barones* ex *Hungaria* & *Bohemia*, in quibus erat: *Marchio Brandenburgenſis Georgius*, frater *Caſimiri*, habitu *Huſſeronum*. Dux *Carolus de Münſterberg*, tres fratres *de Schmihau*. *Ambroſius Stherko*, *Michael Paluci*, magiſter cubiculariorum, *Petrus Carlaczki*, (i) *Franciſcus Ortzag de Gotz*, Banus Nándoralbenſis, & *Emericus Ortzag*, magiſter cubiculariorum regis LVDOVICI; *Ioannes Pethen de Gerſe*, magiſter curiæ sereniſſimorum liberorum; *Stephanus Perén*, *Ioannes Bornamiſſa*; *Moſes de Bulſai*, cum filio *Ladislao*, magiſtro curiæ; *Ladislaus de Caniza*; *Ioannes Bánffy de Lindua*, pincerna regis; *Ioannes Déczy*, cubicularius regis, & plerique alii nobiles ac magnifici ex Hungariæ & Bohemiæ regno. Qui mihi magis de facie, quam nominibus ſunt noti; quandoquidem nomina horum, vix memoria teneo, quia difficile ſcribuntur hæc nomina.

Poſt hos ſequebatur LVDOVICVS rex iunior, aurea veſte, rubea intertexta purpura, ornatus, capillis extenſis, bireto ex veluto fuſco, capite tectus, pulchro & phalerato equo inſidens: quem vndique cingebant, ex vtroque regno, *Barones* & domini pedites incedentes ad obſequium.

Comitabatur hunc regina ſoror eius ANNA, aurea veſte, & pulcherrima torque, mirum in modum, multis gemmis & monilibus, ornata, quæ in

i) Cum fateatur auctor, difficilem, Hungarica nomina, ſcriptionem habere, emendabimus ea. Leges itaque: Petrus *Korláthköi*; Franciſcus & Emericus *Orſzág de Guth*; Iohannes *Pethew* de Gerſe; Iohannes *Bornemiſza*, quod Hungaris abſtemium ſignificat; Moſes *Buſzlai* de Gergellaca; Iohannes de *Kaniſa*.

in amplissimo curru deaurato, ac imaginibus exornato, octo equis candidis trahebatur, quam multi etiam nobiles pedites cingebant vndique. Inter quos erat, *Marchio Georgius Brandenburgensis*, & *Comes Petrus de Pösing*, qui de equis descenderant pedites.

Tum rex Poloniæ SIGISMVNDVS, purpuratus & serico pileo tectus, pulchro equo vehebatur, vndique nobilioribus proceribus amictus, qui pedites circumdabant ipsum, vestibus & ornamentis splendidi.

Postremo, Rex Hungariæ, pariter vt *Cæsar*, lectica ferebatur, quæ veluto rubeo nobilissimo erat cooperta; quemadmodum pueri, qui hanc cum equis gestabant. Hæc nuper erat donata regi a *Cæsare*, cum equis & instrumentis.

Aderat hic ingens Prælatorum & Procerum caterua ex Hungaria, Archiepiscopi & Præsules, Cardinalis *Thomas* Strigoniensis, Archiepiscopus Colocensis, *Gregorius*; Quinqueecclesiensis *Georgius*; *Ladislaus* Vaciensis; *Michael* Posnensis, cum suffraganeis, Præpositis, & Archipresbyteris multis. Ex Polonia, *Matthias* Vladislauiensis, *Ioannes* Posnaniensis, *Petrus* Premisliensis, cum Capitaneo, Cancellario, Thesaurario, Palatinis & Veiuodis, quos superius nominaui, spectabilis & elegantissima caterua.

Vndique strepitus & hinnitus equorum audiebatur, tubarum concentus, tympanorum sonitus: spectaculum sane dignum, quod omnis mirabitur posteritas.

## §. XI.

CÆSAR, vt appropinquare viderat Reges, iussit cooperimentum lecticæ deponi, quo palam ab omnibus videretur, & aperte omnes conspiceret: data dextra Regibus & Reginæ, perquam concinne inquit: *Hæc est dies, quam fecit DOMINVS, gaudeamus, exultemus, & lætemur in ea!* Rex item Poloniæ respondit: *Vtinam felix ac faustus sit ille noster conuentus vniuersæ Reipublicæ Christianæ!* Paucula verba in similem sententiam rex Hungariæ prolocutus, quæ vix sine lacrymis efferre potuit. LVDOVICVS vt erat institutus, ex equo, summa cum reuerentia *Cæsari* dixit, & tamquam patrem salutauit, nec auertere faciem a facie *Cæsaris* potuit, quasi aspectu non posset saturari. Regina in curru surrexit, nam altus erat, & obseruantiam in *Cæsarem*, verbis, vultu, & gestis ostendit.

Fuerunt tum nonnulla disputata ab iis, qui inuiti ibant *Viennam*, & aliqua mora facta est, donec *Cæsar* inuitatis principibus ac Regibus, iussit secure secum migrare *Viennam*. Rex autem Poloniæ, vt est summæ dexteritatis princeps, suis & *Hungaris* dixit: *Sub confidentia* Cæsaris, *quem mihi multi grauissimum hostem prædixerunt, huc veni; sub confidentia ipsum sequar* Viennam: *quisquis mihi confidit, me sequatur: si quis timet, remaneat!* Fratremque cohortatus Regem *Hungariæ*, vt tuto simul veniret, qui alioquin *Cæsarem* semper amauit, incunctanter *Viennam* eundum esse concluserunt. *Cæsar* intelligens, tam promptam regis Poloniæ in se voluntatem: *Hic*, inquit, *Rex me compellit, vt quandoque* (k) *vros, siue bisontes, amore eius, in venatione videam.*

Eeee Disso-

k) Voluit, his ferarum animantium nominibus, quæ tunc forte *Poloniæ* filiis fuerunt familiaria, istud significare: redditurum se, pro hac comitatis facilitate, vicem, in *Polonia*; & vros bisontesque, cum SIGISMVNDO rege, venaturum, vbi eius visitandi caussa, eo venerit.

Diſſoluta conuentio forte poſt horam cum media, itum eſt ad venationem, capti aliquot cerui, iterum ingens excitus tubarum clangor. Plures enim erant tubicines, tot regum, principum, ac præſulum.

Ordinatum eſt, vt Rex *Hungariæ* cum liberis, iret *Trautmansdorff*, vbi priore nocte *Cæſar* decubuit; Cardinalis Strigonienſis ad ſanctam *Margaretham*; cæteri Epiſcopi ac proceres, ad *Suddorff;* Rex vero Poloniæ cum ſuis deceſſit ad *Entzesdorff;* Cæſar ad *Laxendorff*, cum Cardinale *Gurcenſi.* Multa ſunt caſtra & villæ adiacentes, quæ familiares vtriusque regis capiebant, pars vero *Viennam* petebat, vt hoſpitia diſponeret. Erat dies ille calidiſſimus & amœniſſimus, pro hujusmodi ſpectaculo aptus, licet mane pluviam minaretur nubecula quædam.

§. XII.

Sequenti die, hoc eſt, *XVII. Julii*, Cæſar, ex *Laxendorff* verſus oppidulum quoddam venit, cui nomen *Scheuchat*, (Schwechet) opperiendo illic Reges. Rex *Poloniæ* citius, tardius Rex *Hungariæ* venerat.

Ingrediebantur toto die *Viennam*, currus, quadrigæ, & bigæ *Hungarorum* & *Polonorum:* vehebantur multi in curribus illis velocibus, quibus nomen eſt patria lingua, *Kottſchi*, magnaque omnium fuit expectatio illius ingreſſus, tot regum ac principum. Sed ne omni careret infelicitate, ſuborta eſt pluuia, quæ paulatim incepit, & primum tenuis, tota dehinc pene die durauit.

Ex vrbe ſunt obuiam egreſſi *Cæſari*, & Regibus, electiſſimi pedites mille quingenti, quorum magna pars rubeis veſtibus decorata fuit, ex ciuibus & filiis *Viennenſium*, quos præceſſerunt in equis ſex ſenatores armati. Hos vrbs *Viennenſis*, ante Cæſaris aduentum, diu in eius honorem præordinauit. Poſt hos trecenti alii pedites, quos *Cæſar* ex imperio huc præmiſerat, fere omnes lanceati: pauci ſecures, aliqui bombardas manuales geſtabant; ſed electiſſimi erant omnes, & ſingulari ordine decori.

Ad portam vrbis vſque egreſſus eſt vniuerſus Clerus. *Primum*, quatuor ordines mendicantium, Canonici regulares apud S. *Dorotheam*, monachi ordinis S, *Benedicti*, qui omnes reliquias Sanctorum deferebant. *Exinde* parui ſcholaſtici, ciuium *Viennenſium* liberi, in magna multitudine, ſinguli deferebant vexilla, cum armis & inſignibus, hi arma imperii, aquilas, hi inſignia regis *Hungariæ*, hi inſignia *Poloniæ*, hi inſignia *Bohemiæ*, illi arma *Auſtriæ*, illi *Burgundiæ*. Hos ſequebantur ſacerdotes ſeculares, ſingulorum templorum vrbis Viennenſis.

Tum, immenſa multitudo ſtudentum, ſtudii generalis Viennenſis: primum ſcholares; poſthac baccalaurei; dehinc magiſtri; tum doctores ſingularum facultatum, medicæ, iuridicæ, ac theologicæ; poſtremo rector Vniuerſitatis Doctor Theologiæ, *Chriſtophorus Kulber.*

Egreſſa ſunt etiam omnium artificum collegia, quæ *Zeche* vulgo dicuntur, ſingulæ cum vexillis ac cereis, quæ numero ſunt, *ſexaginta* circiter, omnis generis artifices, qui vſpiam in vna ciuitate reperiri poſſunt: fabri lignarii omnis generis, fabri ferrarii item omnis generis, ſeratores, fibulatores, acufices, & qui ferrum ac cuprum, & qui aurum argentumque fabricant, ſetarii & qui pectines faciunt, fullones, pileatores, piſtores, molitores, piſcatores, lanii, cerdones, ſutores, phitigiones, calceatores, inſtitores, vinitores, triplice ordine, calones, aurigæ, carbonarii, pelliones, venatores, pannifices, figuli, obſonarii, raſores, rotarii, menſarii,

sarii, tornatores, balneatores, funifices, chirothecarii, & qui peras ac marsupia consuunt, fusores, gladiatores, tinctores, pictores, & lapicidæ, & lathomi, muratores, corarii, sufferratores, & id genus alii opifices, qui latinis vocabulis vix exprimuntur.

Pluuia autem effecit, ne omnes ordine pulchro ingrederentur vrbem. Nam quandoque inualuit & multos coegit relicta statione sua ingredi: præterea, interuenerant currus, qui iter aliorum impediebant; tamen nihilominus, post quintam horam ingressa est: primum familia *Cardinalis Gurcensis*; deinde Ducis Bauariæ *Wilhelmi*, circiter centum sexaginta bene armati; post *Husserones*, tum tibicines, dehinc *Casimirus* Marchio, cum Comite de *Hennenberg*, ac suis familiaribus; tum equites lanceati Domini *Wilhelmi de Rogendorff*, & familiares *Leonardi Rauber* Marescalci. Post hac familia *Cæsaris*, Comites prænominati, de *Montfort*, de *Schaunberg*, de *Mansfeld*, de *Vesterburg*, de *Hardeck*. Qui omnes, vt supra scripsimus, fuerunt elegantissime ornati vestibus, gemmis, aureis torquibus, & monilibus. Hos sequebantur nobiles vtriusque Austriæ, cum trecentis & quinquaginta equis. Et *Johannes Jacobus de Landau*, cum nonaginta, ac *Thomas Fuchs*, cum centum quinquaginta, & alii plures.

Tum ingressi sunt vrbem *Husserones*, cum equis tectis, & *Moschi* sagittarii, cum suis tibicinibus, ac *Tartari*. Post *Hungari*, cum suis vexillis, vt scripsimus, tum habitu *Turcali*, quidam rubeis vestibus vestiti, familiaque utriusque Regis, ac episcoporum, principumque, qui numerari non poterant, quod pluuia ordinem destruxit. Nunc enim *Alemanni*, nunc *Hungari*, nunc *Poloni*, nunc *Bohemi*, nunc *Moschouitæ*, & *Tartari*, promiscue ingressi sunt: quamuis certe magnus vndique ornatus visus fuit. Multi pueri visi, qui brachia perlis onusta gesserunt. Multi *Poloni* habitu Germanico vestiti, a nostris nosci non potuerunt. Diuersus post habitus visus est, & magna caterua equitum regis *Poloniæ*; sed immixti & *Germani*, quoniam LVDOVICVS Dux Bauariæ, cum suis adequitabat. Iterum *Husserones* Hungarici, & tubicines Hungarici, post equi Cæsaris, & tredecim illi pueri, quos superius scripsimus, nigro veluto vestiti. *Leonardus Rauber*, Cæsaris Marescalcus in equo cataphractato, quem pone sequebantur: Archiepiscopus Bremensis; Episcopus Patauiensis; Episcopus Labacensis; Episcopus Kyemensis; Episcopi quoque *Hungarici* prædicti: Colocensis, Quinqueecclesiensis, Vaciensis; & *Polonici*, Vladislauienses, Posnaniensis, & Premisliensis; *Ludouicus* Dux Bauariæ, & *Vdalricus* Dux Würtenbergensis. Subsequebantur oratores summi Pontificis, Episcopus Veltrensis, & regis Arragonum. Post duo ministri *Cardinalium*, quos vulgo *Matir* appellamus, qui sceptra horum deferebant. Tum *Cardinales*, Strigoniensis & Gurcensis, simul in rubeo habitu Cardinalium. Strigoniensem, tanquam *Legatum de latere*, præcedebat quidam sacerdos cum cruce argentea deaurata (l), vndique cingebantur ambo, suis parafrenariis & ministris.

Hinc ante reges, primores consiliarii ex vtroque regno, optime ornati, tum *Cæsaris Erbædi*, cum tubicinibus optimis.

Hos sequebantur duo reges, SIGISMVNDVS Poloniæ, a dextris, & LVDOVICVS Hungariæ & Bohemiæ, a sinistris, cincti *Baronibus* & nobilibus, qui pedites circa eos ambulabant.



l) Est hoc in præcipuis Archiepiscopi Strigoniensis prærogatiuis: id quod, ex bulla NICOLAI Papæ constat, quam exhibet PÁZMÁNY Cardin. Append. III. p. 149.

Hinc CAESAR, & REX Hungariæ, duabus lecticis ferebantur, & multa nobilitas circa hos ambulabat, optime tam veſtibus, quam monilibus ornata.

Deinde ANNA, filia regis vehebatur in pulcherrimo deaurato curru, in quo octo candidi equi incedebant. A latere eius equitabat *Marchio GEORGIVS*, & *Comes Petrus de Pöſingen*. Currum antecedebat dominus *Prothesſilaus de Schmihau*, magiſter domus, cum fratre. Sequebatur hunc alius currus deauratus, cum ſex niueis equis, & quatuor alii currus, in ſingulis quatuor equi vnius coloris, repleti virginibus & matronis, quæ reginæ ſeruierunt.

Comitabantur octoginta equites bene veſtiti, in diuerſis coloribus viridi, croceo & fuſco, familiares *Marchionis Georgii*. Poſt quos, multi currus, varii equites, ſine ordine, nam pluuia creuit, & quisque hoſpitium quærebat, iam madidus, neceſſe ideo fuit, ordinem interturbari.

Quando iam *Cæſar* cum Regibus, attigit templum *S. Stephani*, prætereiens arcum domus, in qua quotannis ſolent oſtendi reliquiæ ſanctorum, ſtabat in ſummitate huius Antiſtes Viennenſis *Georgius*, in habitu Epiſcopali cum plerisque ſacerdotibus, & dicens quasdam orationes, dedit benedictionem regibus & principibus. Capella autem Cæſaris concione cantabat ſuauiſſimis concentibus canticum illud, *Te DEVM laudamus.* Aſcenderunt itaque ſimul ad arcem. Sed rex *Poloniæ* declinauit ad ſiniſtrum & in hoſpitium ſuum, inſignem domum, quæ vulgo *Leporum Domus* (m) dicitur, diuertit. Nam Rex *Hungariæ* cum liberis, recta via ingreſſus eſt arcem; *Cæſar* autem per hortum intrauit. Omnibus enim viribus *Cæſar* laborauit, vt ſummum honorem regibus oſtenderet, nec vllis vnquam pepercit expenſis, vbique ſollicitus & circumſpectus.

Durauit hic ingreſſus horis duabus, & numerati ſunt equitum qui in ordine intrarunt, *tria millia quingenti;* præter hos, qui paſſim & ſparſim ingreſſi ſunt, qui plures fuerunt *ſexingentis*. Nimirum, pulcherrimus ingreſſus & raro viſus, etiam in pluribus ſeculis, ſi non pluuia ordinem conturbaſſet, & hanc ſolam felicitatem abſtuliſſet.

§. XIII.

DECIMA *octaua Iulii*, quieuerunt: ſed CAESAR, qui paruam quietem habuit, vndique anxius & ſollicitus, apertis ciſtis ſuis, theſauros ſuos recognouit, quos pretioſiſſimos aduexerat, regique *Poloniæ*, regi LVDOVICO ac ANNAE ſorori, primum nobiliſſimum pannum aureum, hactenus raro viſum, ſingulis pro veſte ampliſſima, muneri mittit, vt eodem habitu omnes incederent.

*Decima nona*, mane circiter octauam, Reges, ſimul cum *Cæſare*, in arce conuenerunt cum ſuis conſiliariis, & locatis tribus ſellis ornatiſſimis, quibus duo reges, *Cæſar* vero in medio ſedit, LVDOVICVS autem a latere patrui regis Poloniæ; in feneſtra duo *Cardinales*; tum oratores ſummi Pontificis ac Regis Arragonum; tum Archiepiſcopi & Epiſcopi vtriusque regis; deinceps proceres regni *Hungariæ*, *Poloniæ* ac *Bohemiæ*; a dextris principes & conſiliarii Cæſaris: erant omnes plus centum. Occurrebat mihi aſpectus, qualis olim ſenatus Romanus, ex centum patribus fuit. Vbi factum eſt ſilentium, CAESAR loqui incœpit, & præter omnium exſpectatio-

m) Superat hodieque, domus hæc, in vico *Carneriano*, confertiſſimas leporum picturas referens. Ludicrum opus eſt: quippe quod, nihil non actionum humanarum, leporibus adtribuit, faceta geſticulatione, quaſi delirantibus.

tionem Reges ita commouit, vt eos sibi maxime deuinciret. Gratias enim illis amplissimas egit, quod tantam moram, tam patienter tulissent, donec aduentaret: licet hoc DEO acceptum referret, qui voluisset eos tam diu exspectare, quoad conuenirent, pro communi vniuersæ Re publicæ Christianæ commodo & tranquillitate. Deinde, aduersus impios *Turcos*, pro sumenda expeditione, prudentissime locutus, de modo & via, & nonnulla alia, quæ nunc referre importunum est. Tota autem fere hora loquebatur, non tam (*minus*) honeste, quam prudentissime, omnium in se ora atque oculos conuertit, eosque ita demulsit, vt multi, qui non boni Cæsareani fuerunt, sed ab eo multum alienati, iam se submitterent, palamque faterentur, eam humanitatem, prudentiam ac dexteritatem, nunquam in *Cæsare*, tanto principe, expectasse. Aperteque Cæsarem extollebant, ac eminentissime laudabant, non tam eius egregie res gestas; sed singula dicta factaque. Vbi perorauit *Cardinalis Strigoniensis*, vtrumque Regem adiens, & simul *Colocensis*, item *Quinqueecclesiensis*, vt ab eis, quid respondendum foret, intelligerent. Ac mox dehinc *Cardinalis Strigoniensis*, amborum Regum nomine respondit elegantissime, vt homo est, raræ prudentiæ & doctrinæ. Iussus est dehinc a Cæsare *Cardimalis Gurcensis*, vt verba faceret, qui etiam elegantissime diu loquutus eotum Cæsare, Regibus, & vuiuerso senatu. Et reuera potuit hic senatus comparari, centum patribus Romanis, dum olim Roma floruit: tam honestus erat senatorum ac principum aspectus. Dimisso senatu, quisque in ædes suas diuertit.

Eodem die, post cœnam hora sexta, facta est chorea in arce. Iussit CAESAR, vt singuli reges quinquaginta tantum secum afferrent, viginti quinque spectatores, & totidem qui choreas ducerent; ne ex multitudine nimia fieret perturbatio. Sed principes indiscriminatim cum suis irruebant, & maxima, præter spem, conuenerat multitudo; licet omnes ianuæ diligentissime custodirentur. Fuit autem hæc chorea instituta, vt domina MARIA Archiducissa Austriæ, filia regis PHILIPPI, & Cæsaris neptis, susciperet reges & dominam ANNAM, quos nondum viderat. Vbi ergo CAESAR, Rex *Hungariæ* & *Poloniæ*, tribus sellis consederant, Rex LVDOVICVS, & soror domina ANNA, seorsum suas habuerunt sedes. Tum ingressa est domina MARIA, præcedentibus principibus, Ducibus Bauariæ, & aliis quotquot, hic erant cum, Comitibus & Baronibus, & magistro curiæ domino suo *de Rottal*, quam multæ nobilissimæ matronæ, Comitissæ & Baronum vxores, cum multis virginibus sequebantur. Quæ postquam regiam Cæsaris, vbi eam opperiebantur, intrauit (nam extra arcem tum habitabat, in domo *Comitis Ciliæ*) decoro motu flexis genibus, vt est morigeratissima, & a cunabulis recte instituta, primum Cæsarem auum, tum ceteros Reges, ac dominam Annam salutauit. Locata illi sedes erat prope regem *Vladislaum* a dextris, ad quam accessit, sed non sedit, donec *Valthazar Mercklin*, Præpositus in Valdkirch nomine suo, reges & sponsum suum benignissime exciperet, pulchra ac affabili comitate. Rex Poloniæ, accersito suo Vicecancellario *D. Petro* Episcopo Premisliensi, illi mandauit, vt nomine fratris & nepotis LVDOVICI, ac ANNAE responderet, quod & factum est. Nam *Petrus* Episcopus, vir haud contemnendus, siue ex tempore oporteat loqui, siue præmeditate, bonarum litterarum optimus patronus.

Peractis ceremoniis, post mutua colloquia, chorea est incepta, clangentibus

Ffff

tibus tubis & bene sonantibus, quas Cæsaris tubicines inflabant. Primamque choream duxit LVDOVICVS, cum sorore sua ANNA, præeuntibus duobus Comitibus, *de Mansfelt* & *de Vesterburg*, ac duobus principibus, *Casimiro* & duce de Mechelburg, cum quatuor cereis, comitantibus duobus magistris curiæ, *Protbesilao de Schmihau* & *Petro Carlaczki*. Secundam choream duxit Dux Bauariæ *Wilhelmus*, cum domina MARIA Cæsaris nepte, cui duo Comites præibant, *de Hennenberg*, & *Hardeck*. Tertiam choream iterum rex LVDOVICVS, cum magistra curiæ dominæ reginæ MARIAE, domina *Rottalerin* vxore domini *Georgii de Rottal*. Post cæteri domini Comites & Barones choreas duxerunt. Et circiter decimam horam noctis, quisque domum suam reuersus est.

Duobus sequentibus diebus, consultatum est super negociis, pro quibus conuenerant, & semper vsque ad horam secundam post meridiem & longius protractum est consilium, vt prandium consiliariorum & principum fieret circa tertiam. Nobiliores vero in militia, interea sese exercebant in palæstra, *Marchioque Brandenburgensis Georgius*, cum hastis *concurrebat*, *cum Comite de Hennenberg*; in arce Viennensi cum duobus aliis militibus.

§. XIV.

VIGESIMA *secunda* die, quæ erat *D. Mariæ Magdalenæ*, institutus est dies pro contrahendis sponsalibus inter Principes & Reginulas; ideo vniuersa nobilitas simul cum Regibus, ad arcem confluxerat, in obsequium quisque, vt potuit exquisitissime ornatus, non tam vestitu, quam preciosis monilibus ac clinodiis, vt dicitur. Cæsar cum Regibus ac consiliariis secretiora quædam tractauit in priuato, que referre non est operæ pretium. Tum accersita ANNA, eam corona aurea donauit, & capiti suo imposuit: quæ res seniorem regem VLADISLAVM prouocauit in lacrymas; vicissim ipsa Cæsarem preciosissimo serto exornauit. Elegantissimo igitur ordine Cæsar cum Regibus *Poloniæ*, & LVDOVICO, in equis, seniore vehente in lectica, & reginulis in curribus, præcedente & comitante nobilium caterua insigni, post nonam horam descendit ad templum *S. Stephani*, quod erat elegantissime ornatum. Chorus aulæis aureis & sericeis contectus. In dextra stabant CAESAR, Rex VLADISLAVS, Rex SIGISMVNDVS, omnes aureis vestibus ornati. Cæsar maxima torqui ex margaritis, lapidibus pretiosissimis, conspicuus omnibus erat. In bireto monile ex adamantibus pretiosissimum gestabat, æstimabatur eius ornatus *vna millione* auri. Post LVDOVICVM stabat orator regis *Angliæ*, orator Archiducis *Caroli* Austriæ & Burgundiæ, Dux *Wilhelmus*; Marchio *Casimirus*, Dux de Mechelburg, Dux Würtenbergensis, orator Ducis Ferrariæ, & dehinc insigniores ex regnicolis Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ. In medio chori duo erant pulpita aureis pannis contecta, in quibus duæ reginæ stabant, ANNA, & MARIA, circa quas a lateribus orator regis Aragonum, & *Ludouicus* Dux Bauariæ, *Marchio Georgius*, & Comes *Petrus de Pösing*, cum plerisque aliis nobilibus inseruiebant ANNAE. Pone stabat ingens multitudo matronarum & virginum, quæ reginis subsequebatur, sedula ad obsequium. A sinistris locati erant, primum *Cardinalis Thomas Strigoniensis* Legatus Apostolicus, *Cardinalis Gurcensis Matthæus*, nuncius Apostolicus, Episcopus Veltrensis, Archiepiscopus Colocensis *Gregorius*, Archiepiscopus Bremensis Christophorus, Episcopus Quinqueecclesiensis *Georgius*, Episcopus *Matthias* Vladislauiensis, Episcopus Olomucensis *Stanislaus*, Episcopus Ratisbonensis *Iohannes*, Episcopus

ſcopus Vacienſis *Ladislaus*, Epiſcopus Poſnanienſis *Iohannes*, Epiſcopus Patauienſis *Vigileus*, Epiſcopus Labacenſis *Chriſtophorus*, Epiſcopus Premislienſis *Petrus*, Epiſcopus Boſnenſis *Michael*, Epiſcopus Kiemenſis *Bertholdus*, cum multis Prælatis & Præpoſitis. Epiſcopus Viennenſis celebrauit ſummum officium, quod cum ſumma reuerentia, & amœniſſimis concentibus diuerſorum muſicorum peragebatur.

Quotusquisque enim princeps eſt hodie in orbe noſtro, qui ſingularia ingenia muſicorum ita veneratur & appreciat, ſicut CAESAR? ſub eo itaque noua inſtrumenta muſices excogitata atque inuenta ſunt, quæ vetuſtas non habuit, ſeculum noſtrum non vidit, ſicut in diuerſis generibus fiſtularum patet. Et in illo ipſo inſtrumento quod *regale* appellatur, ſine fiſtulis & chordis ab auri fabro inuentum: & in illo mirabiliori, quod nuper *monachus* excogitauit, quod fiſtulas nullas habet, ſed quasdam concauitates in latum lignum excìſas, in modum ſerpentum ambulantes, quod ſonorum admodum edit concentum: & ex *Rheno* nuper allatum eſt inſtrumentum, quod voces auium repræſentat. Quæ omnia *Paulus* muſicorum princeps, cum illo ſimul quod ipſe reperit ex cornibus, aptiſſime tangebat, & ſimul cum cantatoribus diuerſis vocibus.

Finito officio *Richardus Peruſinus* (n) reuerendiſſimi Cardinalis Gurcenſis Capellanus, dicere incoepit, vt eſt eloquentiſſimus; ſed ſtrepitu nobilium, quia audiri non potuit, in medio deſtitit. Hic etiam tribus libris, quos *Odeporicon* vocat, conuentum hunc celebrauit. Interea Imperator quodam ſecretiori loco regalibus amictus & coronatus: vt CÆSAR introiuit chorum, cui deſponſata (o) eſt domina ANNA, per reuerendiſſimum *Cardinalem Strigonienſem*, per annuli ſubarrationem. Tum LVDOVICVS rex, & domina MARIA, per eundem dominum *Cardinalem*, copulati & coniuncti ſunt.

Reſidente tunc CÆSARE in ſolio maieſtatis: a lateribus cingebatur tribus præfatis Regibus, quibus ſingulis nudus eſt datus enſis, vt milites inſignirent. Accurrebat vniuerſa nobilitas, in qua intermixti etiam fuerunt nonnulli noui homines & plebei. Creati ſunt tum a CÆSARE & tribus Regibus plus quam ducenti milites ſiue *equites aurati*, vt vulgus loquitur. Quo perfecto, aſcendit *Cardinalis Strigonienſis* ad ſummum altare, dans benedictionem, cuius ſuffraganeus ſua & domini *Gurcenſis* autoritate, pronunciauit plenariam indulgentiam. Mox omnes inflatæ ſunt tubæ, & mirabilis auditus eſt concentus: ſimul cantores, *Te Deum laudamus*, pronunciabant. Et in organis magiſter *Paulus*, qui in vniuerſa Germania ſecundum non habet, reſpondit. Vſque in primam horam poſt meridiem durauit hæc feſtiuitas. Quiſque dehinc in ſuum hoſpitium diuertit ad ſumendum meridianum cibum.

## §. XV.

Poſt prandium ad ſpectaculum haſtiludii omnes conuenerunt, & Cæſar



n) GERHARDVS *de* ROO, Hiſtoriæ Auſtriacæ Lib. XII. p. 467. edit. Oenipontanæ fol. RICHARDVM hunc, BARUSINVM adpellat.

o) Nepotis FERDINANDI vices hac cerimonia, obibat MAXIMILIANVS. Sunt, qui VLADISLAVM, filiæ coniugium, Cæſari prius obtuliſſe adfirmant; eumque reſpondiſſe: auditum ſibi aliquando ex parente FRIDERICO; Principi ætate confecto, mitius non poſſe adferri mortem, quam ſi ei iuuencula coniugetur. Itaque, conſultius videri, vti ANNA, nepotum alteri collocetur. Vti eſt apud GERH. de ROO, loco citato.

ſar & Reges, reginulæque eadem habitatione proſpectabant concurſum eorum, qui haſtis luſerunt. Erant autem primi, *Comes Johannes de Harteck*, & *Dauid de Kneringen*, dehinc *Caſimirus Marchio*, & *Joannes Jacobus de Landau*: poſt *Georgius Marchio*, & *Adolphus de Bibrach*.

In principio noctis, conueniunt omnes Reges, cum Cæſare, ad cœnam; quia nuptias hac nocte celebrabant, dominus *Sigismundus de Dietterichſtain*, & *Barbara* virgo, filia domini *Georgii de Rottal*. Parata erat cœna regia innumeris dapibus. Collocabatur in principio tabulæ, Rex *Hungariæ* VLADISLAVS, dehinc ſponſa BARBAAA, tum CÆSAR, poſt domina ANNA, tum Rex *Poloniæ*, tum domina MARIA, poſt Rex LVDOVICVS, tum eius magiſtra curiæ, poſt Archiepiſcopus Bremenſis, tum Ratisponenſis præſul, tum ceteri duces ſæpius nominati, quibus ſemper immiſcebantur matronæ & virgines, tum vtriusque Regis conſiliarii & familiares, ſemper immixtis puellis. Durauit hæc cœna in horam decimam noctis ſplendidiſſima & oppipara. Qua finita *Cæſar* & Reges, in aliud deſcendentes palatium, choreas duxerunt. Et hinc quisque diuerſorium ſuum petiit.

*Vigeſima tertia Iulii*, Cæſar virginibus, dominæ ANNAE, plus ſexingentis vlnis de veluto, & alterius generis ſerici, pro veſtibus, muneri miſit; Regi autem *Poloniæ*, duos equos cataphractatos. Quorum vnus armatus erat vsque ad vngulas, quod a paucis alias eſt viſum; quos cum tanta gratitudine acceperat, vt illum totum æneum equum inſpiciens, cum animi iucunditate diceret ipſe ſine interprete: *Accipio hunc equum gratiſſimo animo a Cæſarea maieſtate, in quo promptus ero ad mandata illius, quando mea vti voluerit opera, & comparebo vbi volet, donec hæc mihi vita ſupererit.* Cantharum deinde argenteum faberrime factum, cuius labor æquabat pretium, & in quo admirabilis erat veneranda vetuſtas, VLADISLAO regi. Regi vero LVDOVICO, equum cataphractatum & arma, pro corpore ſuo deaurata, & ingenioſiſſime fabre facta, a paucis hactenus ſimilia viſa.

*Vigeſima quarta*, ante prandium conſilium habebatur: poſt prandium CAESAR & Reges, ad ſpectaculum haſtiludii conuenerunt, quod horis bene quatuor durauit. Rex *Poloniæ* ad ſuum hoſpitium, *Cæſar*, cum aliis duobus Regibus & reginulis, ad arcem diuertit, & ſimul cœnam duxerunt lætiſſimam: qua finita, allata ſunt numiſmata aurea & argentea, magna, præter ſolitum, cum imagine *Cæſaris*, quæ Cæſar Regibus & reginulis diſpartitus eſt, & ad *chartam* ludere cœperunt. Sed rex LVDOVICVS, domina ANNA, & MARIA maiorem partem numiſmatum abſtulerunt, *Cæſar* nihil, VLADISLAVS rex, parum lucratus eſt. Fuerunt multa iocoſa in hac cœna prolata.

## §. XVI.

VIGESIMA *quinta Iulii*, inſtitutus eſt ludus militaris, *Torneamentum* vulgo dicitur, antiquus ludus Troianus, ſimulacrum veri belli. Fuerunt in eo triginta duo in equis cataphractatis toti ærei, optime armati. In galeis criſtati, cum ſuis inſignibus, cuilibet lancea & enſis erat. Primum fuit concurſus cum lanceis, deinde abiectis haſtis & clipeis, concurrebant cum enſibus, ſeſe mutuo verberantes, donec qui ad hoc ordinati erant ſectores, bellum dirimebant. Fiebat hoc in latiſſimo foro, prope templum fratrum Carmelitarum, vbi quondam HENRICVS, filius S. LEOPOLDI, Marchionis Auſtriæ, primus dux a FRIDERICO Eneobarba Imperatore creatus, qui *cœnobium Scotorum Viennæ*, hic ſepultus, fundauit, arcem & curiam habuit. Vnde

Vnde & hodie adhuc, locus ille, *Curia* appellatur. Circa hoc templum, exſtructum erat theatrum temporarium latiſſimum, ad quod aſcenderant Cæſar, Reges & reginulæ, duo Cardinales, Archiepiſcopi, & alii Prælati, cum principibus & baronibus, cum magna & inſigni nobilitate. E regione huius erat alia domus, in qua clypei & arma perduellionum pendebant, & vbi tibicen triplici concentu ter concurrentes prouocabat. *Erhaldi* quoque hic proſpectabant, qui victoriam & palmam merebantur. Erat locus hic quadratus & duplicibus palis circumuallatus, in medio ſtabant armigeri & lanceati, ciuium Viennenſium mille quingenti, qui bene ornati, vt ſuperius ſcripſimus, hic excubabant. Erat & tertia domus exſtructa, in qua vxores & filiæ ciuium, hoc quoque ſpectabant ſpectaculum. Nam omnium domorum adiacentium feneſtræ non modo replectæ erant, ſed tecta quoque hominibus cooperiebantur; tam ingens hominum frequentia hic aderat. Magna tamen vndique habita diligentia & cuſtodia, ne qua ſeditio, neue tumultus aliquis inter tot homines, tam diuerſas nationes, tam diuerſas ſectas, exoriretur. Prouiderant hæc multo ante, ſingulari prudentia, ſenatores Viennenſes, qui cuſtodiam in portis vrbis, nocturnas ac diurnas vigilias in ſingulis turribus vrbium, in monaſteriis, ordinauerunt, &, ſi forte incendium oriretur, artifices cum inſtrumentis ſufficientiſſimis adhibuerunt, ac in tumultu, ſi forte excitaretur, præſto eſſent. Nihil itaque iis omnibus diebus, aut publice, aut priuatim ortum eſt. Timebant omnes incendium, aut ſeditionem aliquam inter tam diuerſas gentes; quia hic *Alemanni*, *Itali*, *Hiſpani*, *Franci*, *Hungari*, *Poloni*, *Bohemi*, *Moraui*, *Sleſitæ*, *Moſchi*, *Tartari*, & *Armeni*, & *Tuſci*, ſimul iuncti fuerunt; ſed Deo optimo duce, tranquilliſſime omnia peracta ſunt.

Durauit enim hoc ſpectaculum plus duabus horis. Quo finito, Cæſar in eodem theatro multos milites, in præſentia Regum & principum inſigniuit, lanceati autem & armigeri ciuium Viennenſium, facta pulchra ordinatione & circuitu in orbem, de more ſuo, abierunt.

Fuerunt autem hi in Torneamento, qui hoc pacto primum bini, & bini concurrerunt, & tandem omnes ſimul vno impetu:

Dux Wilhelmvs Bauariæ & Marchio Casimirvs Brandenburgenſis.
Dux de Mechelburg Albertvs, & Georgivs Marchio Brandenburg.
Comes Wolfgang. de Montfort, & Comes Bertholdvs de Hennenberg.
Dominus de Verona debuit concurrere cum domino Iohanne Comite de Hardeck; ſed neſcio, qua cauſſa idem dominus fuit abſens, ideo eius locum ſuccedebat, dominus Leonardvs de Lichtenſtain, qui bis concurrebat.
Dominus de Rapoldſtain, & Sebastianvs de Hohenfeld.
Dominus Hieronymvs de Stauffen, dominus in Ernſels, & Iohannes de Schwartzenberg.
Vdalricvs Marſcalcus de Pappenhaim, & N. de Geroltzek.
Wolfgangvs de Schellenberg, & Sebastianvs de Weittmul.
Caspar Vintzerer, & Sigismvndvs de Heſperg.
Albertvs Pencker, & N. Bellitzki.
Wilhelmvs de Greis, & Georgivs Kongel.
Valthasar Tanhauſer, & N. de Emerſzhofen.
N. de Loſenſtain, & Dorle Polonus.
N. Kielſcher, & Wolfgangvs Groswein.
Leonardvs de Lichtenſtain (bis vt dixi congreſſus eſt duello) & Christophorvs Mindorffer.
Dominus de Dana.

 Inui-

Inuitati sunt omnes principes & barones post cœnam ad choream. Ad quam facta cœna, venerunt Reges & principes, cum vniuersa nobilitate. Erat curia arcis mundata, & auleis pulchris exornata, tot cereis illuminabatur, vt tenebræ noctis vincerentur cereis splendoribus. Sedebant longa serie nobiliores matronæ & virgines, ex vna parte. In alia Cæsar, tres Reges, duæ reginulæ, magnus principum & nobilium numerus. CAESAR, cum domina ANNA choream duxit, LVDOVICVS, cum domina MARIA, post rex item Poloniæ, cum domina ANNA. Post sunt serta & munera donata principibus & nobilibus, qui illo die in torneamento duellum fecerunt. Dehinc post aliquot choreas, Cæsar ascendit cubiculum. Reges autem in quoddam palatium cum reginulis, principibus & virginibus, vbi parata erat regalis collatio, mellariis & fructibus, illic omnis generis potus & abundantia. Sic vsque in horam pene secundam post mediam noctem, deductum erat illud conuiuiolum; dehinc quisque in suas ædes diuertit.

§. XVII.

Maturabant dehinc singuli suum discessum; diu enim vterque rex aberat a regno suo: & Cæsar ab Heluetiis sollicitabatur, sed nondum conscriptæ erant litteræ contractus. Biduum igitur, hoc est, XXVII. & XXVIII. *dies Iulii*, consumptum est in scribendis litteris, & dandis vicissim muneribus. Sed ne Cæsar vllum humanitatis officium omitteret, nemine sperante, cum suis consiliariis & aulicis, descendit ad hospitium Regis Poloniæ, & ipsum visitauit; nam Rex HVNGARIAE erat secum in arce; & tum ad ædes *Cardinalis Strigon.* quem etiam sua præsentia honorauit, vt est clementissimus & humanissimus princeps. Præterea, cursus equorum etiam factus est: habuit primus pulchrum argenteum deauratum poculum, quod faberrime factum erat.

Hinc Rex *Poloniæ*, de nobilissimis pellibus *Zobelinis* honorauit Cæsarem, dehinc Cæsaris consiliarios, & eos præsertim, qui his negotiis inter, fuerunt. Cæsar vicissim largissima munera ordinauit vtriusque Regis consiliariis liberalissime, de auro, argento, poculis, vasis omnis generis, torquibus & sericeis vestibus. Iudico ego, & puto me non falli, Cæsarem in hac festiuitate exposuisse pro impensis (nam vtrumque regem suis alimentis liberalissime cum liberis quoque aluit) & muneribus, supra *centum quinquaginta millia nummum*, erogasse: tanta liberalitate vsus est erga Reges, & principes, & consiliarios.

*Vigesima octaua die*, de nocte post cœnam, hora pene septima conueniunt Reges Cæsarem (iam enim de singulis erat conclusum) & postquam tribus sellis locati erant, in quarum medio CAESAR, in latere LVDOVICVS, post duo *Cardinales*, dehinc ceteri principes & consiliarii residebant. CAESAR, vt est humanissimus, alloquutus Reges, suauissimis sermonibus, tandem iussit *Cuspinianum* pronunciare, quod decreuisset. *Cuspinianus*, debita inclinatione flexus, ad latus Regum, stans alta voce, Latina & Germanica lingua, vt ab omnibus intelligeretur, in hanc formam proclamauit cunctis bene audientibus:

De mandato Sacratissimæ CAESAREAE Maiestatis, ex Serenissimorum VLADISLAI, & LVDOVICI Hungariæ & Bohemiæ, ac SIGISMVNDI Poloniæ regum. Notum sit vniuersis, quod ad laudem omnipotentis DEI, & gloriosæ virginis MARIAE, & totius curiæ cœlestis, nec non ad incrementum & conseruationem totius Reipub. Christianæ, & præcipue regnorum, dominiorum, & subditorum suorum, inter se inierunt, contraxarunt, concluserunt, & confirmarunt, veram, synceram & inuiolabilem atque firmam concordiam, amicitiam, vnionem & intelligentiam confœderationis, perpetuo & indissolubiliter duraturam. Ad mutuam protectionem & defensionem contra eorum hostes quoscunque, & præsertim contra hostes infideles,

les, & ad hostium suorum futurorum perniciem. Et quo magis hæc vnio inter eos stabiliatur, vltra necessitudinem, quæ alias inter hæreditates eorum intercedit, etiam nouam affinitatem (p) & connubium inter se, & nepotes, & liberos eorum contraxerunt. Quod felix faustumque maiestatibus præfatis, regnis & dominiis eorum sit, Amen!

§. XVIII.

VIGESIMA *nona Iulii*, horam circiter nonam: Cæsar in equo cataphractato, ornatissimis armis a capite ad pedes tectus, & pretiosissima torque, ex vnionibus & gemmis, cum LVDOVICO Rege iisdem armis & equo cataphractato ornatus, quibus a Cæsare donatus erat, cum omni exercitu principum, baronum ac nobilium, vrbem Viennam egressus, ad *Nouam ciuitatem* perrexit, eodem pene ordine, qui superius scriptus est, comitantibus peditibus Viennensibus. Sed LVDOVICVS Viennam repetit: Cæsar nouam ciuitatem ingressus est.

*Trigesima Iulii*, Cuspinianus, munera Cæsarea, quæ pridem Cæsar ordinauerat, ex manibus Thesaurarii, domini *Iacobi Villinger* acceperat, Regis vtriusque consiliariis detulit, quæ plurima ac pretiosa erant, ac singulis, vt iussus erat, distribuit.

*Vltima Iulii*, tres Reges, duæ reginulæ, duo Cardinales potiores ex curia Regis *Poloniæ*, vniuersi vero *Hungari*, simul a *Vienna* ad *Nouam ciuitatem* profecti sunt, & recepti in arce, humanissime a Cæsare tractati.

*Prima Augusti*, mane ante prandium, LVDOVICVS, domina ANNA & MARIA, ingressi sunt viuarium prope arcem, vbi innumeri hinnuli, cerui, damæque aluntur, & sagittis iaculati damam ac ceruam; patri suo Regi VLADISLAO obtulerunt, quasi prædam a se captam. Post prandium vero, Rex *Poloniæ*, & VLADISLAVS, egressi *Nouam ciuitatem*, ad Cæsarem, qui iuxta syluam illos exspectabat, pulcherrimam venationem ceruorum illis exhibuit, ac ea finita illos ad *Nouam Ciuitatem* reduxit, ac ibi cœnauit. Post egressus est in *Egenfurt*, vbi honoris caussa pernoctare solebat, vt integram arcem Regibus relinqueret.

*Secunda Augusti* ingressus *Nouam ciuitatem* Cæsar, facto ibi prandio, ad sese conuocauit vtrosque Reges seniores, & adhibitis duobus *Cardinalibus*, & paucissimis consiliariis, tribus continuis horis cum iis tractauit, ac post valedixit: dehinc ad Gynæceum descendens, LVDOVICVM amplexus, optime valere iussit, MARIAM, osculo patrio more salutauit, dominam ANNAM brachiis amplexus, deseruit, multisque post se desiderium reliquit. Dehinc, conscenso equo, rediit in *Egenfurt*, & sequentibus diebus per *Austriam*, versus *Lintzyum* iter arripuit.

*Tertia Augusti*, Rex *Poloniæ*, fratrem VLADISLAVM & nepotem LVDOVICVM, ac duas reginulas valedixit. Post subscriptas manu sua, & fratris, ac sigillatas literas, iter ad *Viennam* resumpsit. Rex autem VLADISLAVS, cum maximo gemitu ac lachrymis filiam ANNAM salutauit. Ortus est vtrobique ingens eiulatus, hinc pater, hinc filius, hinc filia, etiam adstantibus lachrymas excusserunt: coacti sunt consiliarii vi patrem abducere, qui una cum filio eo die adhuc *Supronium* cum omni sua curia concessit. *Sempronium* iudico appellari debere, quod Romani illic duce *Sempronio*, præsidia habuerunt; sed omnia ea loca nominibus corrupta. Hodie enim *Posonium* appellatur, quod *Pisonium* a *Pisone* rectius vocabitur: & *Scaurinum*, hodie *Iaurinum*, voce nihili, dicitur: & *Strigonium*, quod etiam teste adhuc patria lingua *Istroganum* vocabitur; sed de his alias: Nos ad nostra redeamus. Rex autem *Poloniæ* Viennam dehinc concessit.



p) Lege Contractum Matrimonial. in Appendice SAMBVCI p. 738.

Volebat hinc Rex *Poloniæ* traiicere *Danubium*; sed violentia aquæ pons ruptus, coactus est manere vsque in *sextam Augusti*, qua die egressus est Rex, comitante *Cardinale Gurcense*, & ceteris ducibus, qui supererant. Sed priori die, hoc est, *quinta Augusti*, castrum & arcem Viennensem ingressus est ad salutandum & valedicendum ANNAM, & MARIAM, cum quibus choreas duxit, & vniuersa eius nobilitas. Mutuis dehinc amplexibus sese salutarunt, & valedixerunt. Alteraque die mane *Viennam* egressus est. Dehinc & *Cardinalis*, & duces, Cæsarem sequuti sunt.

Sic summa cum tranquillitate, solutus est celeberrimus ille Regum conuentus, sine dissidio, (q) sine rancore, sine tumultu, sine seditione: quod felix faustumque sit! DEVS optimus maximus, largiatur sua gratia, vt Rex LVDOVICVS, ac reginulæ, ætatem sortiantur debitam, qua numerosam de se prolem relinquant; & CAESAR hostes suos castiget, & vnionem cum omnibus Christianis principibus faciat, quo possit facilius sumi expeditio contra immanissimos *Turcos*, & fidei Christianæ perfidissimos hostes! Amen.

## *AD LECTOREM.*

HAbetis, candidi lectores! rem, vt gesta est, syncere & simpliciter scriptam, non affectate, aut tumide, nec phalerata oratione, aut verborum aliquo lenocinio; sed, vt vicinus etiam intelligat, qui & numisma noscit, cui publica forma est: atque ideo necesse est, in quotidianum & vsitatum loquendi modum, etiam vsque ad barbariem quandoque descendere. Malui enim rem aperte proponere, quam propositam a multis abscondere & velare. Namque, haud video, qua ratione res illæ sint nimium exornandæ, quæ per se sunt ornatissimæ & insignes. Reuoluat aliquis multorum seculorum annales, chronica & historias, dicat, si quando viderit simul congregatos Cæsarem Romanum, tres coronatos Reges, duas reginulas, ac duos *Cardinales*, cum tot principibus, proceribus, ac nobilibus diuersarum nationum. Nunquid hoc pulchrum sympofium & excellens? & apud posteros memorandum? sed quod magis laudandum est, & admirandum; quod inter tot diuersas nationes & sectas religionum, nullus est ortus tumultus, nulla seditio, nullum incendium, ex magnatibus ac proceribus nullus mortuus est. Cum omni felicitate coierunt, cum eadem separati sunt: & quod amicissimum, nullus rancor interuenit, nullum dissidium. Fuerunt ab initio nonnullæ friuolæ suspiciones, quæ sublatæ sunt, visa vera integritate & amicitia: omnium rerum copia, nullus defectus, nec impensæ difficiles, licet inundatio Danubii obstitit, quod non omnia fuerint longe vberiora & copiosiora. Hæc enim Austriæ pars, quæ trans Danubium est, & Marchiæ adiacet, vnde & nomen habet, horreum nostrum est. Sed quanquam sola hæc felicitas nobis defuit, quod crebræ erant pluuiæ; sperandum est tamen DEVM O. M. gratiam suam pluuiæ influxisse, ne altercatio aliqua suboriretur. Omnia acta sunt feliciter ac tranquille, non sine ingenti gaudio ac tripudio. DEVS O. M. faxit, vt is conuentus, exemplo sit omnibus Christianis principibus, quo redeant in mutuam vnionem, ac concordiam, ad exstirpandum fidei hostes, & vt religio CHRISTI longius, latiusque per vniuersas illas, nuper inuentas regiones, propagetur & extendatur, ac semen *Mahumeti* exscindatur radicitus & euellatur, vt vno ore omnes laudes altissimi decantemus, per vniuersum dicentes; TV SOLVS DOMINVS, TV SOLVS ALTISSIMVS, IESV CHRISTE! Amen.

F I N I S.


IO-

q) De Palatino R. H. vide ISTVÁNFFIVM, Lib. VI. p. 79. 40.



# IOHANNIS LISTHII COMMENTARIOLVS DE CORONATIONE MAXIMILIANI II.

§. I.



REbus, ad coronationem, ritu patrio obeundam, rite conſtitutis; debuerat enim, ad diem XXII. Augu?i qui S. STEPHANO ſacer eſt, ſolemniter peragi, vt nemo, grauiori, qu?m par eſſet, pretio rerum venalium, grauaretur, hæc, per Dominos, *Locumtenentem*, & *Conſiliarios* ſuæ Maieſtatis, omnium rerum ad victum pertinentium, facta fuit, vti ſequitur, (a) limitatio, & conſtituti quoque præcipui ex Nobilitate viri, qui ſuperintenderent, vt victualia ipſa, limitato pretio venderentur, & inter tot, & tam diuerſas nationes, æqualiter diſtribuerentur.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Tritici puri in farina cubulus - | den. 20. | Butyri libram - - - | 7. |
| Auenæ cubulus - - - | 15. | Oua quinque - - - | 1. |
| Hordei cubulus - - - | 13. | Candelarum libra - - - | 4. |
| Siliginis cubulus - - - | 10. | Panem pro tribus perſonis ſufficientem | 1. |
| Caponem antiquum - - - | 6. | Caponis libram - - - | 4. |
| Caponem præſentis anni - - | 5. | Vſonis, & ſturnionum libram - - | 6. |
| Pullum Gallinaceum maiorem - | 3. | Lucii libram - - - | 6. |
| Minorem - - - | 2. | Siluri, ſiue Bardi libram - - | 4. |
| Gallinam - - - | 4. | Plauſtrum fœni ſex bobus inuectum - | 60. |
| Anſerem bonum & pinguem - - | 6. | Plauſtrum fœni quatuor equis inuectum | 40. |
| Porcellum bonum - - - | 8. | Stramen medio pretio fœni. | |
| Lardi antiqui libram - - - | 4. | Media pinta piſorum - - - | 1. |
| Lardi noui libram - - - | 3. | Lentium - - - | 1. |
| Carnis bouinæ libram - - - | 2. | Vini optimi pinta - - - | 4. |
| Carnis vitulinæ libram - - - | 2. | Mediocris - - - | 3. |
| Carnis ouinæ, & veruecinæ libram - | 1. ½ | Mellis pinta - - - | 5. |
| Caſei boni libram - - - | 3. | Plauſtrum lignorum, quatuor bobus inuectum | 25. |

Et vt victualium, vadum in *Danubio*, moram non iniiceret, tot etiam, & tantorum apparatuum exercitus, & cateruæ recto itinere, *Danubium* tranſirent, curarunt (b) ſuæ Maieſtates, fluuium, ponte ex nauibus compacto, & validis anchoris firmato, duplici ordine ſternendum, vt currus, vel equites ab vna tranſeuntes ripa, ex altera occurrentes, non remorarentur.



a) Dedimus, eandem hanc, annonæ & commeatus tabellam, Notitiæ Hungariæ Nouæ, Tomo I. in Hiſtoria vrbis Poſonienſis, Cap. V. Artic. I. De Inauguratione Regum Hungariæ, §. II. p. 282. Tu Lector! vilitatem mirare, & patriæ noſtræ, multis nunc modis egentiori, bene precabere.

b) Ex eo tempore, dum prima hæc inauguratio PISONII fieret, ſuæ id eſſe munificentiæ, Cæſares Regesque optimi, exiſtimauerunt, vti amnis vndoſiſſimus, nauali ſemper ponte, conſterneretur. Vide ISTVÁNFIVM Lib. XXI. p. 423 25. Idem, & concelebratis anno MDCCXIV. & ſequentibus poſtea, comitiis, factum fuiſſe, meminimus.

§. II.

Postquam vero dies Conuentui præfixus appropinquaret, Reuerendissimus Dominus Archi-Episcopus Strigoniensis Locumtenens, cum ceteris Sacræ Cæsareæ Maiestatis Consiliariis, DD. Prælatis & Baronibus, aliisque ex nobilitate viris præcipuis, illum aliquot ante diebus anteuertit, & Posonii præsto fuit, consultandi gratia, de modo, & ordine excipiendæ nouæ Maiestatis Regiæ: atque interea, aduenere ceteri quoque, omnium statuum, & ordinum Regnicolæ, frequenti valde numero. Quibus, cum in Ciuitate, & suburbio locus ad hospitandum esse non posset, assignato præcipuis quibusque DD. Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium, in vna parte ciuitatis, hospitio; reliquis datus est in campo (c) locus, qui statim prope suburbium ad ripam Danubii, late patet. In eo, & Dominorum Equites, cum suis apparatibus, & reliqua Nobilitas, fixis in formam castrorum multis tentoriis, consederunt. Et vt in progressu futuræ exceptionis omnia rite, sineque tumultu, & confusione procederent, delectus est omnium Regnicolarum suffragio, supremus Capitaneus, *D. Comes* NICOLAVS *a* ZRINIO, qui Exercitum venturæ Regiæ Maiestati, obuiam progressurum, duceret, & ordinaret, ac equites DD. *Prælatorum*, *Baronum*, reliquorumque *statuum*, lustraret. Quorum quidem equitum lustratorum catalogus est iste:

| | |
|---|---|
| R. D. ARCHI-EPISCOPI Strigoniensis, equites - - | 150. |
| D. Episcopi Iaurinensis, *Paulli Gregorianczii*, equit. - | 54. |
| D. Episcopi Nitriensis, *Paulli Abstemii*, equit. - - | 40. |
| D. Episcopi Vesprimiensis, *Andreæ de Kevesd*, equit. - | 26. |
| D. Episcopi Vaciensis, *Ioannis ab Vylak*, equit. - - | 28. |
| Abbatis de *Borsmonostra* - - - - | 12. |
| Abbatis de *Zalavvár* - - - - | 26. |
| Abbatis *S. Martini*, & S. Benedicti. - - | 19. |
| Præpositi de *Lelesz.* - - - - | 10. |
| Præpositi de *Saág.* - - - - | 9. |
| Præpositi de *Chorna.* - - - - | 6. |
| D. *Petri Erdödi*, Bani Croatiæ & Sclauoniæ. - - | 160. |
| DD. *Andreæ* & *Nicolai* de *Báthor.* - - - | 209. |
| D. Comitis *de Zrinio.* - - - - | 168. |
| D. *Gabrielis Perény.* - - - - - | 118. |
| D. *Christophori Orzágh.* - - - - | 75. |
| D. *Francisci Nádasdi.* - - - - | 150. |
| D. *Francisci Battyáni.* - - - - | 56. |
| DD. *Ladislai*, & *Stephani Bánffy.* - - - | 72. |
| D. Stephani Dobo. - - - - - | 132. |
| D. Francisci Zay. - - - - | 100. |
| DD. Ioannis & Balthesaris Balassa. - - - | 96. |
| Ioannis Gyulai. - - - - - | 25. |
| Gasparis Seredy. - - - - - | 26. |
| Georgii Bebete. - - - - | 25. |
| Stanislai Thurzo. - - - - | 72. |

Fran-

c) Retulerunt, nempe, comitia hæc, campestrium illorum speciem, quæ in Pestiensium campo, RÁKOSCH, olim cogebantur. Hodie, quia cultius est Pisonium, atque ædibus exaggeratius, vtramque gentem, ciuitate, & laxis suburbiis accipi, moris est.

| | |
|---|---|
| Francifci & Ioannis Perény. - - - | 58. |
| Stephani Dersffy. - - - - - | 26. |
| Ioannis Petheö. - - - - | 40. |
| Michaelis Byrödi. - - - - - | 21. |
| Georgii Thwry. - - - - - | 31. |
| Ladislai Gywlaffy. - - - - | 25. |
| Stephani Thelekeffi. - - - - | 12. |
| Gafparis Magochy, & Gafparis Draskovith. - - | 72. |
| Ioannis Alágy. - - - - - | 28. |
| Emerici Czobor. - - - - - | 10. |
| Nicolai Homonnay. - - - - | 30. |
| Michaelis, Ioannis & Francifci Réway. - - | 36. |
| Nicolai Dóczy. - - - - - | 21. |

Summa itaque (d) omnium horum equitum fuit 2331. Et maior longe numerus concurriffet, nifi iam antea, præcipui quique locorum finitimorum præfecti, & *Capitanei*, ferio mandato fuiffent prohibiti, ne quis eorum, vel vnicum equum fuum, in quem ftipendium accipit, fecum, ad hanc folennitatem afferret. Voluit hoc fuo mandato S. Cæf. Maieftas cauere, ne, fi confinia, bona parte militum nudarentur, aliquid periculi a *Turcis* accideret, interea, donec *Coronationis* pompæ vacaretur. Si tamen qui comparuere, fplendide (e) admodum omnes inftructi fuere, veftibus auro intertextis, & fericeis diuerfis, vt plurimum ornati. Apparatus autem fuit bellicus, is qui folet effe equitum *Hungarorum* leuis armaturæ, omnes enim lorica, galea, framea, enfe, clypeo, fuere militariter armati, criftati non folum galeas, fed & clypeos, criftis varii generis elegantiffimis, gemmis, & auro



d) Subduximus, eundem hunc militis Hungarici numerum, loco, nunc admodum citato, idque LISTHIO præeunte.

e) Iuuat hic, STEPHANI VINANDI PIGHII, verba, quibus in HERCVLE PRODICIO, p. m. 119. faftofum equitatus Hungarici cultum, qualem, in inauguratione filii, MAXIMILIANI huius, RVDOLPHI nimirum II. cum CAROLO fuo, Pifonii, A. MDLXIII. præfens fpectauit, & fcite depinxit, fubtexuiffe. „ ATTILAE, inquit, „ prouinciarum domitoris. victrices copias, repræfentare videbantur, armis atque „ veftitu. Equorum nobilium colores, atque picturæ variæ, gemmis auroque ni„ tentes phaleræ. Martiorum hominum adparatus Scythicus, feri vultus, capi„ ta, vsque in verticem rafa; virgatæ tunicæ, thoraces & loricæ bilices, trilices„ que, clauis aureis argenteisque diftinctæ: Ithyrei arcus inaurati, & encaufto pi„ cti: nec non onuftæ fagittis pharetræ, cocco, purpura, pellibusque peregrinis „ ac raris tectæ, & ornatæ: lanceæ, coloribus variis depictæ; item, ex ferro fa„ bricatæ clauæ, mallei ponderofi, (Hungaris, *Csákány*, *Bozogány*.) atque in„ aurati, fpectantium oculos fatiare non potuerant. Atque inter cetera, gene„ rofæ nobilitatis, virtutisque infignia, præeminebant expenfæ aquilarum alæ in„ gentes, vaftis clypeis, inharentes, vel auratis galeis impofitæ: vetuftum decus, „ nobilis apud Hungaros familiæ, & precipua fortitudinis bellicæ, apud pefteros, „ infignia. Maxima enim his habentur victoriæ præmia, ac veluti laureæ quædam „ eximiæ, pro fingulis occiforum hoftium capitibus ex acie relatis, fingulas aqui„ larum pennas accipere, atque eas crebris victoriis multiplicare. Gloriofum, „ plurimas clypeis caffidibusue affixas, aut e lanceis haftilibufue dependentes, re„ ferre in prælium: pulchrum eft, easdem per caftra, atque vrbes in capite gefta„ re; immo etiam, cute perforata, temporibus, ac fronti propriæ infixas, often„ dere poffe. Hæc ille, de eius pompæ faftofo equitatu. Adde ISTVÁNFIVM, Lib. XX. p. 423., 47. Dubito autem, cuti perforatæ, infinuaffe vnquam Hungaros, criftas iftiusmodi aquilinas.

auro diſtinctis. Videre autem erat, præcipuos quosque, quorum plurimi erant, galeis deaurato argento obductis, calcaribus item, & balteis, nodulis, & circulis argenteis deauratis, quibus latiſſimis, & ponderoſis, ad vmbilicum balteo affixis, veteres olim *Hungari*, ornatus cauſa vtebantur, conſpicuos, generoſis, & elegantiſſimis inſidere equis. Quos & ipſos, ſtragulis aureis, & ſericeis, ephippiis præterea, & collariis, ac frænis, catenisque aureis, & argenteis, ornarant.

§. III.

Poſtquam demum vnanimi voto omnium concluſum eſt, vt adueniens noua Maieſtas Regia in campo illo, qui eſt vltra *Danubium*, cis caſtrum *Kepchén*, cum tota pompa, a Statibus & Ordinibus Regni opperiretur, ibidemque exciperetur; præmiſſi fuerunt Viennam, domini Epiſcopi *Agrienſis*, & *Cſanadienſis*, ex Baronibus vero *Ioannes Petheö*, & *Franciſcus Zay*, qui & Cæſarem, & Regem, de omnibus futuræ exceptionis apparatibus edocerent; & quando earum Maieſtates aduenire vellent, intelligerent. Per quos, vbi ſignificatum fuit, Regiam Maieſtatem velle præcedere, & *vltima* (f) menſis *Auguſti*, POSONIVM ingredi; Cæſarem vero, poſtero ſtatim die ſecundo *Danubio* eſſe ſecuturum: ſummo mane eius diei, quo Rex venturus erat, datum fuit, iuſſu *ſupremi Capitanei*, tympano & tuba, ſignum, quo audito, ſeſe omnes equites, in campum exceptioni deſtinatum, transferrent, ibique mandatum ipſius Capitanei exſpectarent. Quod vbi ab omnibus diligenter factum eſſet, *Capitaneus* ipſe ex ordine locauit vniuscuiusque domini *Prælati*, vel *Baronis* turmam, proprio banderio recognoſcibilem, ordine, pro vniuscuiusque dignitate & præeminentia; niſi D. *Banus Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ*, cum ſua turma alios omnes præceſſit ex veteri priuilegio, quo ſemper Regnorum illorum Bani, in exercitibus regiis, belli, & pacis tempore, præcedere ſunt ſoliti.

§. IV.

His quidem turmis ita ordine collocatis, domini *Prælati & Barones*, omnisque nobilitas, ſecuti ſunt & ipſi, ſumtoque ibidem in campo militari prandio, venientem Regem, qui, præcedenti, illam diem, nocte, in *Hamburg*, pernoctarat, ſeorſim ab exercitu, non procul a ponte, qui ad *Kepchén* eſt, expectarunt, ad horam vſque meridiei ſecundam. Poſtquam autem omnium nationum equites, qui pro honore Suæ Maieſtatis venerant, & in proximis paſſim villis conſederant, iuſſu Suæ Maieſtatis, ad deſertam (g) Eccleſiam, quæ paulo vltra *Kepchén*, in colliculo quodam viſitur, in vnum conueniſſent, venit ad eos quoque Maieſtas Regia, quæ iam ſeſe Hungaris excipiendam offerre volens; præmiſit exercitum equitum circiter trium millium, ex Baronibus & nobilitate regni ſui *Bohemiæ*, & prouinciarum ſibi hæreditariarum conſcriptum, qui omnes, atro quidem colore, pro vſitato gentis more; multis tamen torquibus aureis ornati, optimisque equis inſtructi, tranſiere.

Hos ſecuta eſt ipſa Maieſtas Regia, comitantibus eam multis principibus, atque inprimis duobus ſuis fratribus germanis, Sereniſſimis videlicet Archiducibus FERDINANDO, & CAROLO, duobus item Suæ Maieſtatis filiis RVDOL-

f) Moræ huius cauſſas; nam ad XXII. Auguſti dies inaugurationi fuit præſtitutus; lege apud ISTVÁNEYVM Lib. XXI. p. 423. 10.

g) Vico, ad quem templum id adtinet, *Am-Berg*, nomen eſt, intra fines Auſtriæ reducto.

RVDOLPHO, & ERNESTO, etiam *Auſtriæ Archiducibus*; deinde Archi-Epiſcopo Zalczpurgenſi, Epiſcopo Vratislauienſi, Ducibus præterea Lygnicinenſi, Münſterburgenſi, Theſſinienſi, & de Plaw. Secuta eſt illico Suam Maieſtatem, Sereniſſima Regina MARIA, curru vecta, cum duabus filiabus *Anna* & *Eliſabetha*, totoque Gynæceo.

Atque vbi Meieſtas ipſa Regia, ad locum, vbi a Statibus, & Ordinibus Regni præſtolabatur, appropinquaret, Reuerendiſſimus D. Archi-Epiſcopus Strigonienſis, pallio Archi-Epiſcopali indutus, & argentea eum, tanquam Metropolitanum, cruce præcedente, Epiſcopis vero omnibus, in Epiſcopali habitu, exiſtentibus, cum vniuerſis Regni Ordinibus, Suæ Maieſtati obuiam progreſſus, hac illam, nomine totius Regni excepit oratione. (h)

§. V.

Mirari fortaſſe quiſpiam poſſet, SERENISSIME, & EXCELLENTISSIME REX, Domine clementiſſime! quod ex inclyto hoc Regno Hungariæ, ab initio originis ſuæ, per totum orbem terrarum, magnis & præclaris nominibus celebrato, tam exiguo numero Sacratiſſimæ Maieſtati TVAE obuiam prodierimus: mirari tamen, procul dubio, omnes deſinent, ſi cogitauerint, equitum, & militiæ Hungaricæ, a tot, & tam grauibus diuturnisque bellis adhuc reliquias, maiorem partem, in finibus contra Turcas, hoſtes, fidei noſtræ ſacroſanctæ, crudeliſſimos, ad defenſionem regni, & ad præſidia arcium finitimarum relictas eſſe, ac minimam ſaltem nobiſcum huc veniſſe. Vnde perſuaſum nobis habemus, Sacram Maieſtatem TVAM, & omnes alios, animum potius noſtrum magna exuberantem lætitia, ſincerumque, & TIBI addictiſſimum, clementiore, & gratiore ſuſceptarum animo, quam copiarum noſtrarum miraturum paucitatem. Quem quidem hunc optimum animi noſtri affectum, haud ſatis ſcio, quomodo explicare debeam. Non eſt enim mihi tanta dicendi copia, SERENISSIME, & EXCELLENTISSIME REX! vt eam lætitiam, gaudium, ac omnium noſtrum exultationem, quam in felici Sacratiſſimæ Maieſtatis TVAE aduentu, maximam concepimus, dicere, & referre queam. Tanto autem gaudium, & lætitia hæc noſtra facta eſt amplior, quanto maiore Sacræ Maieſtatis TVAE, iam a multo tempore, (i) tenebamur deſiderio: cumulatiorem etiam reddidit hanc animi noſtri exultationem, Sereniſſimorum Principum DD. Archiducum Auſtriæ, fratrum TVORVM chariſſimorum, ac Sereniſſimæ Reginæ, coniugis TVAE liberorumque veſtrorum communium, & amantiſſimorum, TECVM vna felix & fauſtus aduentus, nobis certe omnibus exoptatiſſimus, & gratiſſimus. Veſtro itaque felici aduentui, ex animo, totoque mentis noſtræ affectu, congratulamur; DEVM Opt. Max. ſummis precantes votis, vt Maieſtatem TVAM, cum Sereniſſima piiſſimaque Regina, & liberis veſtris communibus, chariſſimis quoque fratribus TVIS, ac Reuerendiſſimis, & Illuſtriſſimis principibus, Ducibus & Proceribus, nunc hic præſentibus, ad plurimos annos felices, & incolumes, *idem* (k) *piiſſimus DEVS, alere, & protegere*, ac TVAM præter hæc Maie-

Iiii

h) Dedimus eam quidem, Operis noſtri Tom I. loco citato, §. VI. p. 287. ſeq. hic tamen, eo minus omittendum putauimus; quo magis noſtra inter eſt, integrum LISTHII commentariolum, poſteritati adſerere.

i) Aliter ſenſit dum viueret, THOMAS NÁDASDI, Regni Hungariæ Palatinus; apud, ISTVÁNFFIVM, Lib. XX. p. 407. 12.

k) Deſunt hæc loco citato, p. 288. inſerenda ergo illic, linea *decima tertia*. Ibidem, linea *vigeſima ſecunda*, lege: *tam præſente, quam obſcute*, reliqua.

Maieſtatem Regiam, in omnibus ſuis actionibus, ad diuini nominis ſui gloriam, & ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Catholicæ, noſtramque, & totius reipublicæ Chriſtianæ defenſionem, animæque TVAE ſalutem, fortunatiſſimam glorioſiſſimamque ſemper conſeruare dignetur. Nos vero Prælati, Comites, Barones, Proceres, Nobiles, ac omnes ſtatus Hungariæ, quos hic præſentes aſpicis, imo etiam alios omnes abſentes Hungaros fratres noſtros, TIBI, EXCELLENTISSIME, & PIISSIME REX, humiliter commendamus. Et quoniam antea quoque, pro pietate, & clementia TVA in nos ſingulari, tam præſente, quam abſente, Sacra Cæſarea Maieſtate, Patre TVO chariſſimo, Domino noſtro clementiſſimo, in omnibus rebus, & negotiis, tum apud eandem Maieſtatem Cæſaream, tum alibi, vbi pro ſumma TVA prudentia, opus eſſe animaduertiſti, clementer adiuuare, fouere, & omni benignitate, nos ſemper complecti dignatus es: vnanimiter omnes ſupplicamus, vt quod antea quoque, non ſine magna vtilitate & commodo noſtro, TVA ſponte feciſti, id nunc quoque, & in reliquum tempus, benigne facere velis nosque Sacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtati, Parenti TVO chariſſimo, Domino noſtro clementiſſimo, commendare, ac iura, priuilegia, immunitates, & libertates noſtras, ac omnium ſtatuum & ordinum, noſtram item, & patriæ huius noſtræ chariſſimæ ſalutem, apud eandem Maieſtatem Cæſaream, omni loco & tempore promouere, omnique ope, & auxilio clementer ſemper proſequi digneris. Quam Sacræ Maieſtatis TVAE Regiæ, in nos, clementiam, omni ſtudio, officio, ac obſequio noſtro, ab EADEM, omni vitæ noſtræ tempore, diligenti cura humiliter promereri curabimus. *Dixi.* (l)

Ad hanc, nomine omnium Statuum & Ordinum Regni, habitam orationem, vbi Sacra Maieſtas Regia, per Reuerendiſſimum D. Epiſcopum Vratislauienſem, (m) breuius reſpondiſſet, cœptum continuando iter, exercitum *Hungaricum*, qui ſecus viam, qua illius Maieſtas tranſibat, conſtiterat, prætergreſſa eſt, eundemque poſtea ſeſe mouentem, per ſingulas vniuscuiusque Dominorum turmas, ipſamet luſtrauit.

## §. VI.

Quo peracto, verſus ciuitatem proficiſcebatur, præcedente exercitu *Hungarorum* prædicto, & poſtea DD. Prælatis, Baronibus, Proceribus, & nobilitate Hungarica. Sequebantur autem illius Maieſtatem a tergo, quatuor vexilla peditum Germanorum, eleganter ornatorum, quos ciuitas *Viennenſis*, pro maiori parte ex ciuibus ſuis conſcriptos, partim pro cuſtodia corporis, partim vero in honorem Sereniſſimi ipſius Regis, proprio ære miſerat.

Ciues quoque *Poſonienſes*, vt Maieſtatem Regiam, maiori, quo poſſent, honore exciperent, ex ciuibus ſuis conſcripſerant, ad tria vſque vexilla peditum Germanorum, & Hungarorum, quibuscum more Germanico, militariter inſtructis, & decenter ornatis, ſeſe, venienti Maieſtati Regiæ, cis pontem Danubii obuios tulerunt. Maieſtas autem ipſa Regia, ducentibus eam omnibus, qui cum ipſa venerant, Principibus, Prælatis quoque & Baronibus, nobilitateque, tam Hungarica, quam aliarum nationum, ciuitatem

l) De hac oratione ISTVÁNFFYVS inibi p. 324. 6. quam, ætate ſua, adhuc ſuperaſſe ait.

m) Fuerat is CASPARVS LOGVS, ſuæ *a Logaus*, filiorum autem FERDINANDI I. præceptor. De eo lege, NICOLAI HENELII Sileſiographiam Renouatam, Cap. VIII. p. 138. ISTVÁNFFYVS, erronee *Georgium* vocat.

tem, inter crebros & ingentes bombardarum ſtrepitus, tubarumque continuos clangores, ingreſſa, hoſpitio eſt excepta, in domo Reuerendiſſimi D. Archi-Epiſcopi Strigonienſis, ſimul cum Seeeniſſima Regina & liberis. Duo autem *Archiduces*, Suæ Maieſtatis fratres, ad arcem Poſonienſem diuertentes, ibidem manſiones habuere. Germani & Bohemi equites, in campo illo, qui vltra Danubium verſus *Kepchén* tendit, fixis tentoriis ſuis, caſtrorum modo conſederunt. *Archiducis* vero FERDINANDI, & Aulicorum ſuorum tentoria, eodem in campo, a reliquis ſeorſim, ad ipſum ferre Danubii pontem erant fixa. Pro aulicis, cum Sacra Maieſtate Cæſarea venturis, deputata fuit inſula, (n) quam Danubius recte infra (lege *ſupra*) arcem Poſonienſem efficit. Cautum fuit hac ratione, vt Danubius, caſtra Hungarorum, & aliarum nationum interſecans, contentionum, rixarum, indeque omnis tumultus tolleret anſam.

§. VII.

Sequenti poſtea die, quæ *prima* erat menſis *Septembris*, Maieſtas Cæſarea, ob imbecillitatem corporis, diuturna iam febri afflicti, *Viennæ*, nauim cum tota ſua curia conſcendens, ſecundo Danubio, recta *Poſonium* nauigauit, eoque, ad veſperum, paulo poſt horam ſextam, feliciter appulit: exſpectantibus eum in ripa. Sereniſſimo Rege, duobus Archiducibus, ceterisque Principibus, omnibus denique Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus, aliarumque nationum Baronibus, & nobilitate vniuerſa; Maieſtatem autem de naui exeuntem, Reuerendiſſimus D. Archi-Epiſcopus Strigonienſis, nomine totius Regni, hac excepit (o) oratione:

Non eſt tanta mihi facultas dicendi, Sacratiſſime Imperator, REX, & Domine clementiſſime! vt eam animi noſtri exultationem, quam in felici, & fauſtiſſimo Maieſtatis tuæ, in hanc SVAM HVNGARIAM reditu, concepimus, verbis explicare vllo modo poſſim. Tanto enim ea facta eſt amplior, quanto maiore reditus Sacratiſſimæ Maieſtatis TVAE, iam a longo tempore tenebamur deſiderio, quæ per duos fere iam annos, rebus grauiſſimis totius Reipublicæ Chriſtianæ ita exigentibus, Sua nos orbos fecerat præſentia, nobis omnibus ſemper iucundiſſima. Maxima itaque lætitia, & animi noſtri exultatione, TIBI Sacratiſſime IMPERATOR! congratulamur. Quid enim potuiſſet nobis fidelibus ſubditis, contingere gratius, iucundius & optabilius, quam Sacratiſſimam Maieſtatem TVAM, de nobis omnibus & tota Republica Chriſtiana quoquo tempore optime meritam, iam tandem ad nos incolumem rediiſſe, & eius præſentia, vultuque clementiſſimo, coram perfrui. DEVM itaque Opt. Max. ſummis precamur votis, vt Sacratiſſimam Maieſtatem TVAM, vna cum Sereniſſimis & Excellentiſſimis filiis TVIS, Dominis noſtris clementiſſimis, ac nepotibus, ad plurimos annos ſanam, & incolumem ſeruare dignetur. Nos vero, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, & omnes Status, ac Ordines, Regni huius TVI Hungariæ, quos hic præſentes conſpicis, & etiam alios abſentes *Hungaros* fratres noſtros, in gratiam Sacratiſſimæ Maieſtatis TVAE, humiliter commendamus, ſupplicamusque, digne-



n) Hodie, a Germanis, *Die Pétſchen*, detorto, ex *Bétſi*, quod Hungarico vocabulo, *Viennenſem* ſignificat, adpellari audiis. Pinximus eam, forte non ineleganter, Operis noſtri Tomo I. in Hiſtoria vrbis Piſonienſis, Cap. VI. Artic. IV. §. VI. p. 685. Huic certe congruit, quod de ea ISTVÁNFFYVS; fructiferarum arborum plenam eſſe ſcribit.

o) Noſtram, hanc quoque oratiunculam, fecimus, eodem illo, quem iam indicauimus, loco, §. V. p. 289. ſeq.

gneris, pro TVA folita in nos pietate, benigne habere commendatos, & defenfionis noftræ, atque huius Regni TVI Hungariæ, ex cuius permanfione, alia TVA regna & prouinciæ, non minima ex parte pendent, clementem habere curam, iuraque, priuilegia, libertates & immunitates noftras vetuftiffimas, veluti iuftus & pius REX, & Dominus, imo Pater nofter clementiffimus, benigne femper obferuari facere; vt fub vmbra alarum TVARVM quieti, & fecuri, DEVM Opt. Max. fummis laudibus extollentes, TIBI vero omnia profpera, & felicia comprecantes, permanere poffimus: quod TVAM Sacratiffimam Maieftatem benigne facturam, fperamus.

Ad hanc, nomine omnium Hungarorum, habitam orationem, Sacratiffima Maieftas Cæfarea, per Aulæ fuæ Vice-Cancellarium, D. Doctorem (p) *Georgium Seldium*, paucis benigne refpondit, confcenfoque (q) equo, profecta eft ad videndum exercitum *Hungaricum*, qui non procul ad pontem Danubii, fefe Maieftati Suæ Cæfareæ, ad videndum explicauerat: quo perluftrato, & collaudato, contulit fe recta ad arcem Pofonienfem, comitantibus illam, Rege, Archiducibus, ceterisque principibus.

## §. VIII.

Poftera die, quæ *fecunda* erat menfis *Septembris*, conuocatis fummo mane, in arcem *Pofonienfem*, vniuerfis Regni Hungariæ Statibus, & ordinibus, illisque frequenti admodum numero comparentibus, Sacratif. Maieftas Cæfarea, audito prius *Miffæ facro*, confcendit folium fuum Imperiale, quod in aula arcis ampliore, cum alio ad dextrum latus, pro Sereniffimo Romanorum Rege, erat erectum, aureoque panno ftratum, Regina quidem vna cum Regia Maieftate, & duobus Archiducibus, filiis fuis chariffimis confidente. Præter Status vero, & Ordines Regni Hungariæ, multis aliorum quoque regnorum Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilitate, aftantibus, Vice-Cancellarius Aulæ, *D. Doctor Seldius*, iuffu fuæ Maieftatis Cæfareæ, verba fecit referendo: *Qualiter Maieftas ipfa Cæfarea grato, & clementi animo accipiat, quod eius fideles Hungari, tam obedienter, & tam frequentes ad mandatum fuum conuenerint, & licet caufam generalis ipforum conuocationis ex litteris ad ipfos datis, iam antea cognouerint; offerre tamen eis fcriptum, ex quo pleniorem fuam mentem, atque voluntatem effent cognituri, hortando illos, vt fcriptum illud perlegere, & antequam ad tractatus aliorum Regni negotiorum tranfeatur, fefe in peragendo fuæ Maieftatis voto, de coronando Sereniffimo Romanorum Rege, faciles, & beneuolos declarare velint.*

Hac, per Maieftatem Cæfaream propofitione peracta, & omnibus domum dilabentibus, eadem adhuc die, a prandio, conuenerunt ftatus, & ordines Regni, pro audiendo fcripto, a Cæfarea Maieftate exhibito. Prælati quidem, & Barones ad hofpitium Reuerendiffimi D. Archi-Epifcopi Strigonienfis, Nobiles autem, in Monafterio Fratrum Francifcanorum. Tranfactis autem, inter Prælatos & Barones, ac Nobilitatem, per varias difputationes aliquot diebus, Nobilitate videlicet ante coronationem, electio-

p) Sigifmundum ISTVÁNFFYVS vocat. quod nihil moramur.

q) Currum fuiffe, ISTVÁNFFYVS fcribit; luftratum a Rege exercitum, filet: tametfi, fuam, inaugurationis huius hiftoriam, ex LISTHII hoc commentariolo, eius fimul verbis vfus, depromferit: folo eo adparatu neglecto, quem prolixe defcribit, fequente §. IX. LISTHIVS nofter.

ctionem *Palatini* postulante; quod sine illo *Coronatio*, nec peragi, (r) neque satis firma esse possit: tandem, in vigilia Festi Natiuitatis Beatissimæ Virginis MARIAE conclusum, & concordatum fuit; non esse eam necessitatem, vt absque Palatini præsentia, *Coronatio* ipsa peragi non possit; quando ex chronicis Hungaricis pateat, raro fuisse *Palatinum* tempore Coronationis superiorum Regum, eiusque præsentiam, non alio casu de necessitate requiri, quam quo Regiam stirpem deficere, & exterum aliquem Principem eligendum contingit. Atque ita decretum est, hanc ipsam *Coronationem*, sequenti die, qui Natiuitati Beatissimæ Virginis MARIAE sacer erat, solenniter, & consuetis de antiquo ceremoniis, & ritibus, esse peragandam.

§. IX.

Adornatis itaque, in templo S. MARTINI singulis, quæ ad solennitatem istam spectabant, atque in primis constructo iam antea, ex vtroque latere, & in vltima quoque parte ipsius templi, ligneo tabulato, aulæis perelegantissimis obducto, de quo in primis gynæceum, & nobiles matronæ, deinde populus quoque, *Coronationem* ipsam, inspicerent. *Sanctuarii* quoque pauimentum, & stallum, rubeo panno fuit stratum. Thronus autem pro Maiestate Cæsarea, fuit erectus a dextra parte altaris, paullo eminentior, & infra eum locus, præparatus pro duobus quoque Austriæ Archiducibus *Ferdinando*, & *Carolo:* pro serenissima vero Regina, eiusque liberis, duobus videlicet Archiducibus, (*Rudolpho* & *Ernesto*) & duabus filiabus, in anteriori parte dextri tabulati, quod ex vtroque templi latere constructum diximus, præparata erat camera, a reliquo tabulati corpore aulæis separata.

Pro Serenissimo autem Rege coronando, constructus fuit, in media parte sanctuarii, thronus, valde superbus, super impendente illi, ex aureo panno, vmbella. Ex opposito huius, sub ipsis gradibus summi Altaris, paratum fuit *Reclinatorium*, ad quod eius Maiestas, initio *Sacræ Missæ*, quoadusque inthronisandus esset, permansit.

OCTAVO itaque *die* mensis *Septembris*, in ipsa solennitate, festi Natiuitatis Beatissimæ Virginis MARIAE, mane, circa horam septimam, Reuerendissimus D. Archi-Episcopus Strigoniensis, & ceteri Hungariæ Prælati, cum numeroso Clero, templum *S. Martini* ingressi, habitibusque suis induti, venientes Cæsaream, & Regiam Maiestates, expectabant, ipso D. Archi-Episcopo ad medium altare, ceteris vero Episcopis, Agriensi, Transiluaniensi, Varadensi, Vesprimiensi, Iauriensi, Chanadiensi, Vaciensi, & Modrusiensi, ad vtrumque altaris latus, per disposita sedilia, pari numero sedentibus. Interea primum, sacra quoque Imperatoria Maiestas, cum totali sua curia, ex arce descendit, atque ingressa templum *S. Martini*, conscendit solium, pro se paratum, circumstantibus illam, cum stricto gladio, *Barone a Papenhaim;* cum sceptro Imperiali, *Comite ab Eberstain;* cum pomo vero, *Comite a Lobenstain.* Secuta est deinde Serenissima Regina, cum duobus filiis, & duabus filiabus, suoque gynæceo, & longa nobilium matronarum caterua.

Tandem, & Serenissimus Romanorum Rex, de hospitio, cum tota sua curia prodiens, a proceribus & tota nobilitate regni deductus, est in idem



r) Ad hanc Statuum & Ordinum, disputationem, de PALATINI, ad Coronationem, necessitate, scite ac salse TIMON: *supra tamen* ISTVÁNFFYVS *scripserat; vitiosam fuisse coronationem* IOHANNIS, *quod sine* Palatino *acta fuerit.* *Decad. I. Monumentum VI.*

templum. Quo, postquam peruenit, ingressus est *Capellam S. Trinitatis* in fine templi sitam, in qua quidem, asseribus interclusa, *Sacra Regni Hungariæ Corona*, cum reliquis insigniis regalibus, habebatur reposita. In hac *capella*, induit se primum Rex ipse, pallio *Diui* STEPHANI Regis, ac inde postea deducentibus cum duobus Episcopis senioribus, *Agriensi* scilicet, & *Transiluaniensi*, cum pompa, quæ sequetur, & magno tubarum clangore, processit versus summum altare. Portauere (s) autem:

D. Franciscus Battyáni, vacante Officio Palatini, cuius est hoc Officii. CORONAM.
D. Andreas Báthori, Iudex Curiæ. SCEPTRVM.
D. C. Nicolaus Zrini, Magister Tauernic. POMVM.
D. Franciscus Forgách, Episc. Varadiensis. PACEM.
D. Petrus Erdödi, Reg. Dal. Cro. & Scl. Banus. CRVCEM.
D. Franciscus Thahy, Magister Agazonum. GLADIVM nudatum.
D. Gabriel de Perén. Reconditum in vagina.
D. Nicolaus Báthory. Ensem S. STEPHANI.
D. C. Georgius de Zrinio. Vexillum HVNGARIAE.
D. Ladislaus Bánffy, Magister Ianitorum. Vexillum DALMATIAE.
D. Stephanus Dobó. Vexillum CROATIAE.
D. Ladislaus Kerechéni. Vexillum SCLAVONIAE.
D. Comes Thersaczki. Vexillum SERVIAE.
D. Matthias Kegleuich. Vexillum BOZNAE.
N. Vexillum BVLGARIAE.

Ceterum, CORONA, SCEPTRVM, POMVM, PAX, & ENSIS Diui STEPHANI Regis, per Episcopos, de manibus Baronum accepta, deposita sunt ad altare; *Magister* vero *Agazonum*, cum stricto gladio, & *Barones*, cum vexillis, circumstabant Regem.

## §. X.

Postquam autem Serenissimus Rex, super *reclinatorium* illud, quod sub ipsis summi altaris gradibus, erectum diximus, flexis genibus procubuisset, cœpta est cani *Lætania*. Qua peracta, *Missæ* deinde *Sacrum* fuit inchoatum, & reliquæ etiam ceremoniæ, quæ in *Pontificali* continentur, decenter fuerunt peractæ. Vbi autem ad id ventum fuit, vt post Sacram Vnctionem, Corona, capiti Regio, esset imponenda, FRANCISCVS de *Batthyán*, cui hoc muneris, vacante Officio Regni Hungariæ Palatini, communi regnicolarum consensu, delegatum fuit, circumstantes, omnium statuum & Ordinum, regnicolas, clara voce, lingua Hungarica, interrogauit: Num SERENISSIMVM PRINCIPEM DOMINVM MAXIMILIANVM, filium Regis ipsorum primogenitum, in Regem ipsorum vellent coronari? acclamarunt itaque omnes alta voce: AKARJUK! id est, *volumus*. Hac interrogatione iterum, & tertio repetita; singulis vicibus, ab omnibus, alte responsum est: VOLVMVS! Quo facto, *Reuerendissimus D. Archi-Episcopus Strigoniensis*, cui hoc officii de iure, (t) veterique & approbata consuetudine, in Coronationibus diuo-

s) Aliter hæc munia dispertit ISTVÁNFFYVS, loco toties citato, p. 425. Liberum ergo fuerit, Lectoribus, cuius fidem sequi velint: nobis LISTHII, coæui spectatoris, placet. quam & TOMO I. Operis nostri, p. 293. sequuti sumus. In eo concordant vterque; quod vexilliferos *septem* numerent; cum alias *decem* fuerint.

t) Audiendus est in eam rem, PETRVS PÁZMÁNY Card. Append. III. ad Synod. Tyrnau. §. II. p. 147. Priuilegium fuit: quod ipse, (ARCHIEPISCOPVS) & non alius,

diuorum olim Hungariæ Regum, ſemper obſeruata, incumbit, eleuatam de altari Coronam, ſuis & aſſiſtentium ſibi Epiſcoporum manibus, noui Regis capiti, ſolita cum benedictione impoſuit, ſuamque Maieſtatem Corona Regia inſignitam, ab altari deducens, in Thronum collocauit. Cœpto dehinc cantari hymno: Te DEVM Laudamus: ſecutus eſt omnium applauſus, & ingens tubarum, & tympanorum ſonitus.

Perſecuto, & peracto *Miſſæ ſacro*, quemadmodum olim *Albæ Regali* (quæ ciuitas, vti ſepulturæ, ita etiam coronationi Regum Hungariæ, ex antiqua obſeruatione deputata fuit) a Primario templo, ad Eccleſiam S. Petri; ita hic Poſonii, a templo Cathedrali, ad Eccleſiam Fratrum Franciſcanorum, indutus pallio, & præcinctus gladio Diui Stephani Regis, Coronam autem capite geſſans, ſceptrum vero, & pomum cum gladio, & vexillis præferebantur a Baronibus, qui ſupra nominati ſunt: præcedente & ſequente vniuerſa Prælatorum, & Baronum, omniumque regnicolarum pompa. Sequebantur etiam ſuam Maieſtatem a tergo, duo nobiles, in equis, qui copioſam in populum pecuniam ſpargebant. Pannus quoque, per quem Rex progrediebatur, non ſine iucundo altercantium ſpectaculo, in prædam fuit conuerſus.

In Eccleſia Monaſterii, exſtructus fuit altus & latus thronus, aureo panno ſtratus. In hoc REX conſedit, per hoc, de more ab antiquo obſeruato, demonſtrare volens; ſe paratum omnibus, omni tempore, iudicium & iuſtitiam adminiſtrare. Euaginato deinde S. STEPHANI gladio, & multos egregios milites, rebus contra Turcas ſtrenue geſtis, inſignes, tangendo, equeſtri illos inſigniuit dignitate. Accurrentibus autem poſtremo ad accipiendam hanc dignitatem, dignis pariter & indignis magno numero, ceſſatum eſt.

### §. XI.

De throno Rex conſurgens, aſcendit equum, quemadmodum & Prælati, Barones ac regnicolæ quique, potiores omnes, & expanſis prædictorum Regnorum vexillis, egreſſus eſt ciuitate, per eam portam, (v) quæ monaſterio proxima eſt. Erectum autem fuit in foro ſuburbii, tabulatum, ſeu locus quidam editus, aulæis exornatus, & panno rubro ſtratus, quem nouus ipſe Rex, Regno Iuramentum præſtiturus aſcendit. Tanta autem ad hoc forum multitudo, cum Hungarorum, tum externorum confluxerat, vt non niſi per ſolos, quos a Viennenſibus conſcriptos ſupra docuimus, milites Germanos, ex vtroque latere, ordine in armis ſtantes, via, & hæc quidem ſatis anguſta, pateret. Inſigniores autem, & præcipui



alius, poſſit & debeat, Reges Vngariæ coronare. Qua de re, exſtat priuilegium originale, inter Archiepiſcopales litteras, *Capſula* K. *n.* 30. Similiter, quando Regina coronanda eſt, Vnctionem, & reliqua omnia, ex præſcripto Pontificalis, peragit Archiepiſcopus Strigonienſis; & Regiam Coronam, (quæ capitibus feminarum, non imponitur) humero Reginæ applicat. Eodem vero tempore, Reuerendiſſimus Epiſcopus Veſprimienſis, accedens ad Altare, imponit Reginæ Coronam, quam ipſa ſibi Regina procurauit. Ita factum Sopronii, in Coronatione modernæ Maieſtatis Reginalis; & Poſonii, dum Regis Matthiæ II. coniux coronaretur. *Hæc ille.* De Reginis ita reor: deſcriptum hunc Inaugurationis ritum, tunc obtinere, cum maritus Rex, in conſortium regiminis adſciſcit coniugem; at, vbi Regina ſola, ſicuti olim MARIA, Ludouici I filia, in Reginam inauguratur, easdem eſſe poſſe, quæ fiunt, in coronandis viris, cerimonias.

v) Porta fuit, S. Michaelis nomine inſignis, per quam hodieque exeunt coronati.

cipui quique Hungarorum, Germanorum & Bohemorum Procerum, atque nobilium, maximo numero, equis insidentes, inter plurimos, & continuos tubarum, & tympanorum sonitus, bombardarumque strepitus, & boatus, expectabant venientem Regem. Qui vbi affuit, equo descendens, tabulatum illud, cum potioribus aliquot Prælatorum & Baronum, ascendit, ac leuatis dextræ manus duobus digitis, solitum, de seruandis libertatibus, Priuilegiis & Immunitatibus omnium Regni Statuum, & Ordinum, præcipue tamen, Decreto quondam ANDREAE Regis, Iuramentum præstitit, prælegente illud Domino Archi-Episcopo Strigoniensi.

Inde secus mœnia progressum est, cum vniuersa pompa, ad (x) planitiem illam, prope quam vadum est Danubii. In hac, depressis in humum grandibus trabibus, iisque primum asseribus, deinde superiniecta terra vndiquaque tectis, præparata fuit species quædam colliculi, qualis est ad *Albam Regalem* S. STEPHANI dictus. Huc Rex eques, citato cursu ascendit, eductoque gladio S. STEPHANI, vibrauit illum, equo eleganter in gyrum verso, contra quatuor mundi plagas, demonstraturus hoc facto, se Regnum, ex omni parte defensurum, pariter, & ampliaturum.

§. XII.

His peractis, itum est per portam, quæ sub arce est, ad prandium, quod in hospitio suæ Maiestatis lautum, & superbum erat paratum. Abacus, in triclinio erat exstructus excelsus, ex diuersi generis vasis argenteis, antiqui, & elegantissimi operis. Quæ quidem communiter omnia, quum grandia essent, pleraque tanti erant sponderis, vt robusto cuique, ad portandum sufficerent. Hæc vasa, ex thesauro Serenissimi quondam CAROLI V. Imperatoris Romanorum, prodiere, reliquiæ adhuc thesauri veterum Hispaniæ Regum. Postquam ad mensam est ventum, deposita fuit in ea CORONA, cum SCEPTRO & POMO. Ipse Rex, in eodem pallio S. STEPHANI Regis accubuit, cum duobus fratribus Archiducibus, Archi-Episcopis item *Saltzburgensi*, & *Strigoniensi*. Mensæ inseruiebant, *soli Hungari*, & dapes adferebant filii Baronum, & Magnates. Transactum fuit hoc prandium, cum magna lætitia & hilaritate, adhibitis varii generis musicis instrumentis. Neque defuit lætitiæ dator, *Pater Bacchus*, cui hoc die frequentibus poculis, passim ab omnibus, abunde satis libatum fuit. Sequenti die, quæ nona erat Septembris, peracta est Inunctio & Coronatio Serenissimæ quoque Reginæ, Dominæ MARIAE, conthoralis Regiæ Maiestatis, per dictum D. Archi-Episcopum Strigoniensem. Quæ, vbi ab ipsa Maiestate Regia, ad summum altare deducta esset, & ipsi *Archi-Episcopo*, pro coronatione præsentata, peractæ sunt reliquæ quoque ceremoniæ, iuxta præscriptum *Pontificalis*, in Coronatione Reginarum seruari solitæ. Non tamen, *Sacra Regni Hungariæ Corona* fuit insignita; sed alia sua propria, vt eleganti & artificiosi operis; ita etiam pretiosissima. Regni tamen *Hungariæ Corona* humero (y) illius dextro fuit imposita, tanquam in ferendo admi-

x) Ergo, nondum, ea suburbii regio, quam tunc insidebat regius monticulus, domibus inædificata; multo minus, lanionia officina, sicuti hodie est, obstructa fuit. quod dolendum omnino.

y) Contra id se habuit, in BEATRICIS, coniugis MATTHIAE Coruini, inauguratione: quippe quam, in dextro humero vnctam, in capite coronatam, meminerunt, eius solemnitatis ephemerides. Deinde, *inquiunt*, Comes magnus, (*Palatinus*) Regem interrogat: an diadema regium, vellet Reginæ imponi? & cum

adminiſtrationis Regni onere, Regi auxiliaturæ. Qua etiam coronatione peracta, reuerſum eſt ab Eccleſia, recta ad hoſpitium. Vbi Rex, cum Regina, in eodem, quo die præcedenti, triclinio, menſæ accubuerunt, adhibitis duobus Archiducibus, duabus item Maieſtatum ſuarum filiabus, & Archi-Epiſcopis *Saltzburgenſi*, & *Strigonienſi*.

cum adnuiſſet, ille idem magnus Comes, & reliqui magnates, in caput Reginæ coronam imponunt. In Collectione Bongarſiana Script. Hung. p. 356, 40. Ergo, non iidem ſemper ritus cerimoniæue, in inaugurandis reginis, obtinebant; ſed dabatur, pro re nata, regibus maritis, optio, quemadmodum ſolemnia iſtiusmodi, vellent, concelebrari. Confer TIMONEM ad annum hunc, MDLXIII. p. 187.

F I N I S.

# MANTISSA,

## De pompa Inaugurationis MATTHIAE II. a Statibus & Ordinibus R. H. A. MDCVIII. d. XIX. Nov. inſtituta, ex ſchedis MSCr. in Supplementum PETRI de RÉVA, ad centuriam VII. p. 126. KHEVENHILLERI Tom. VII. p. 25. ſequ.

PRIMO omnium, qui fores ſeu valuas eccleſiæ cuſtodiant; ex MAGNATIBVS: D. Michael Czobor, & D. Georgius Séchy, ex NOBILIBVS vero: D. Thomas Bosnyák, Petrus Koháry, & Ladislaus Barkócy, deliguntur. Illuſtriſſ. vero D. Cardinalis Franciſcus Forgách, negotium prælatorum ſe curaturum recipit, exſpectabitque tempeſtiue aduentum Sereniſſ. Regiæ Maieſtatis in templo D. Martini.

Egrediente ex arce ſua Maieſtate, D. a Kolonich, tamquam Agazonum Magiſter, ſtrictum ſuæ Regiæ Maieſtatis gladium præferet ante ſuam Maieſtatem. Populus autem ciuitatis armis inſtructus & conſpicuus, a templo *D. Martini*, vsque ad Monaſterium *D. Franciſci*, dislocatus ſtabit, ne euntem ex vna in aliam eccleſiam, ſuam Maieſtatem, quidquam impediat, aut pannum diripiat. Vbi autem S. M. ad eccleſiam *D. Martini* peruenerit, eius ſacellum, ſeu ſecriſtiam intrabit.

Antequam tamen ſua R. M. ex arce deſcendet, Illuſtriſſ. D. Comes Trautſchonius, Spectab. ac Magnif. D. Iohannes Draſkovith, tempeſtiue in arcem ibunt, leuabuntque S. Regni Hung. Coronam, currui impoſitam, & ad fores eccleſiæ *D. Martini*, honorifice deducent. Quam allatam, Magnifici Domini, Stephanus Török, Stephanus Pálffy, Georgius Homonnay, & Emericus Czobor, ex curru deponent, reuerenterque in ſacellum portabunt. Suam autem Regiam M. templum ingredi incipientem, tubarum clangore & ſonitu excipient, perſonabuntque tam diu, donec S. M. ad ſacriſtiam perueniet.

Inſignia regia, & vexilla portabunt: Dominus Palatinus Stephanus Illésházy, CORONAM; D. Comes Thomas Erdödy, SCEPTRVM; D. C. Sigiſmundus Forgách, POMVM; D. C. Georgius Thurzo, GLADIVM S. STEPHANI vagina recondi um; D. Franciſcus Battyáni, CRVCEM; D. a Kolonitſch, gladium euaginatum; D. Stanislaus Thurzo, Vexillum *Hungariæ*; Stephanus Török, *Dalmatiæ*; Georgius Homonnay, *Croatiæ*; C. Chriſtophorus Erdödy, *Sclauoniæ*; Andreas Dóczy, *Ramæ*; Petrus Révay, *Seruiæ*; Georgius Sétſchy, *Galliciæ*; Stephanus Pálffy, *Lodomeriæ*; Nicolaus Thurzo, *Cumaniæ*; Thomas Nadasdy, *Bulgariæ*.

Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi. Colocenſis, & Ságrabienſis, Regiam ſuam Maieſtatem, ex ſacriſtia, ad ſummum altare deducent, *&c.* Deinde, vibrato gladio, D. Palatinus, eminentiorem locum conſcendet, & ſublata manibus Corona, ſe ad populum vertet, & lingua vernacula, in hæc verba interrogabit: *Iubetisne hunc Regem vobis coronari?* Peragentur poſtea, more antiquo, Coronationis ſolemnia, *&c.*

Ad portam Monaſterii, adſtabit D. Thomas Boſnyák, Petrus Révai & Kohá-

ry. Egrediente ex templo Fratrum Sua Maiestate, non amplius pedes ibit sua M. sed equitando: ideo necesse est, vt equi Baronum & Magnatum, retro ecclesiam, in platea seruentur, quo equitantem suam Maiestatem, equestri ordine sequi possint, *&c.*

Ad mensam prandenti suæ Maiestati inseruient: *Lauacrum* porriget D. Andreas Dóczy; *Mantile* subministrabit, D. Palatinus; Magisterio *Dapiferatus* fungetur C. Georgius Thurzo; *præscindet* D. Franciscus Battyáni; *Pocillatoris* munere fungetur D. Andreas Dóczy; ægrotante Ianitorum Magistro, D. Petrus Révay, id munus subibit.

Ad mensam, cum sua Maiestate accumbent: Sereniss. Princeps MAXIMILIANVS, frater suæ Maiestatis Regiæ; Illustrissimus D. Cardinalis Strigoniensis; Dominus Palatinus.

Cibos portabunt: C. Thomas Erdödy; Sigismundus Forgásh; Iohannes Drasskovith; Thomas Séchy; Seyfried a Kolonich; Nicolaus a Zrinio; Stephanus Török; Georgius Homannay; Michael Czobor; Stephanus & Iohannes Pálffy; Stanislaus, Nicolaus & Christophorus Tharzo; Stephanus Nyári; Sigismundus Balassa; Thomas Nadasdy; Georgius Séchy; Stephanus & Christophorus Erdödy; Emericus Thurzo; Sigismundus Erdödy; Christophorus Bánffy; Iohannes & Georgius Kegleuith; Stephanus Listhius; Paulus Appony; Thomas Vizkelethy.

Nomina creatorum in milites equites auratos: D. Georgius Homonnay; Thomas Nadasdy; Michael Czobor; Stephanus & Christophorus Erdödy; Iohannes & Stephanus Keglevith; Georgius Séchy; Stephanus Pálffy; Nicolaus Segney & Franciscus Rédey.

FINIS.



# IOANNIS BOCATII,

POETAE LAVREATI CAESAREI,

CONSVLIS CASSOVIENSIS,

# COMMENTATIO EPISTOLICA,

DE

LEGATIONE SVA

AD

## STEPHANVM BOTSKAY,

TRANSILVANIAE PRINCIPEM,

Et suscepta cum eo, VI. Nou. Anno M. DC. V.
in Campos *Rákos*, profectione.

*Ex manuscripto nunc primum in lucem edita.*

Accessit Eiusdem

IAVRINVM REDIVIVVM.

DECADIS I. MONVMENTVM VII.

*EXCELLENTISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO*
DOMINO DOMINO COMITI,
# IOSEPHO ESZTERHÁZY,
De GALANTHA,
PERPETVO IN FRACKNO & TATA, IVDICI CVRIAE REGIAE, REGNORUM DALMATIAE, CROATIAE, & SCLAVONIAE BANO, EORVNDEMQVE REGNORUM, CONFINIORUM COLAPINORNVM, & VNANORVM, SVPREMO CAPITANEO,
*SACRAE REGIAE MAIESTATIS*
ACTVALI INTIMO, & CONSILII LOCVMTENENTIALIS HVNGARICI REGII CONSILIARIO, CAMERARIO, GENERALI CAMPI MARESCHALLO, & COLONELLO,
TABVLAE SEPTEM-VIRALIS ASSESSORI, & ALTERIVS TABVLAE BANALIS PRAESIDI, ATQVE COMITATVS COMAROMIENSIS
SVPREMO COMITI,
*NEC NON PARTIVM TRANS-DANVBIANARVM IN HVNGARIA*
COMMENDANTI GENERALI,
*DOMINO LONGE GRATIOSISSIMO*,
FELICITATEM!



Rofecto in errore eſt vulgus vtrumque; Excellentissime Comes! cum humile illud atque alienum a præclara cogitatione; tum ſublimius aliud, & quod extra modum iactatur ſui opinione: quando meliores litteras, cæleſtiſſimum nempe, eruditionis ac ſapientiæ munus illud, quo genus humanum, Devs ornare voluit, indignum putant ſummorum virorum perſonis. Clamant hi, importuneque oggerunt: ad obſcuras vmbras, hæc otioſarum mentium auocamenta, relegari oportere! aliorſum vocari

ri

ri generoſos animos! *Martem* hos ſequi debere, non *Mineruam!* quod, & ita deceat excelſas mentes; neque aliud quiddam, æque interſit egregii publici.

Non eſt opus, mordaces has, atque ineptas, opinioſiſſimorum hominum, obiectationes; ſiue ſcrupuloſius recognoſcere; ſiue confutare exquiſitius. Præterquam enim, quod non canæ modo antiquitati illi, perpetuæque ſapientiſſimorum populorum, belli & pacis artes, ſollicite coadunantium, obſeruantiæ; ſed ipſi etiam naturæ rationique humanæ, bellum propalam indicere exiſtimandi ſunt: TVO vnius, EXCELLENTISSIME DOMINE! celebratiſſimo, domi militiæque, exemplo, & refelluntur longe omnium efficaciſſime, &, quod caput rei eſt, prauæ illius, abſurdæ, atque alienæ a bene conſtitutæ reipublicæ habitu, ſententiæ, condemnantur: quippe qui, inde a primis adoleſcentiæ annis, ſapientiæ ſtudia, cum armorum exercitio; *Martem* gradiuum, cum litterata *Pallade*, ad eum modum conſociaueris, vt dubium feciſſe videare, togane, an ſago? potior, commodiorque patriæ, ſis habendus.

Nam, recordamur ſane, ILLVSTRISSIME COMES! mente omnino grata memorique, belli, toties recrudeſcentis, labores eos, qui TE olim, Summi EVGENII ductu in *Hungaria*; MERCII in *Sicilia*; denique alienis partim, partim TVIS ipſius auſpiciis, in *Croatia*, annis ſuperioribus, haud vulgariter exercuerunt: vt ingrata omnino futura eſſet gens noſtra; niſi, in ætatis, quam degimus, annalibus, ſollicite referret, quantum, per has rerum, nondum requieſcentium, viciſſitudines, & manu valueris, & conſilio.

Iam, quod ad ciuilium Regni munerum procurationem, adtinet; diuino adeo, per ſingulos, celſiſſimarum dignitatum gradus, animo graſſatus es; vt, & D. Cæſari, Regi ſapientiſſimo; & toti vniuerſim patriæ, operam TVAM, mirifica cum rerum adminiſtrandarum dexteritate coniunctam, præclare adprobaueris, dederisque documenta eximia, nihil TIBI prius, nihil fuiſſe antiquius; quam, vt teſtarere in commune, non minorem TE, domi, ciuis integerrimi laudem, mereri voluiſſe, quam ea fuit, quæ TIBI, ex militiæ, ſudoribus ac periculis, prouentu longe vberrimo, prognata eſt. BANATVM certe, quæ vicaria, pro Rege, in *Croatia*, *Dalmatia*, & *Sclauonia*, poteſtas eſt, ea prudentia, moderationeque, iis præterea optimorum conſiliorum viribus, difficillima omnium tempeſtate, non ſuſtentaſti minus, quam ornaſti, quæ, dignum TE effecerint, cui, inuſitata hactenus honoris acceſſione, ſimul, SVPREMA CVRIÆ REGIÆ PRÆTVRA, tunc in primis, demandaretur; cum poſt D. Cæſaris CAROLI VI. Patris Patriæ longe indulgentiſſimi, fata, ſub Augu-

Auguſtiſſimis MARIÆ THERESIÆ, auſpiciis, noua *Hungariæ* periodus, feliciter iniret. Tanti eſt, nimirum, belli, iuxta & pacis artes, cælesti quodam nexu coniugatas, in poteſtate habere!

Nobis certe, qui in TE vno, COMES EXCELLENTISSIME, vtraque hæc ſtudia, pro eo, atque merentur, perpetuo ſuſpiciebamus; nihil, ſiue iucundius euenire potuit vnquam, ſiue exoptatius: quam, cum animo remetiebamur; quemadmodum, pacis quidem tempora, ornandæ, ampliandæque Bibliothecæ, & euoluendis optimis auctoribus; belli contra tempeſtates, ſeueris, pro re nata, curis, ſolitus fueris diſpungere: MATTHIAM Coruinum, Martis illum & Mineruæ, perpetuum alumnum, credo imitatus; cui, ne tunc quidem vacua, ab litterarum oblectamentis, tempora ſuperabant, dum in caſtris, inter armorum ſtrepitus, inſtructasque acies, vnus omnium ſollicitiſſime verſaretur.

Hæc, cum ita ſunt, EXCELLENTISSIME REGNI PRAETOR! COMES ILLVSTRISSIME! haud grauiter feres, meæ hanc, erga TE voluntatis, deditiſſimam ſignificationem. qua, vti vides, inducor haud inuitus, vt non modo, clariſſimarum virtutum TVARVM, viuo TE adhuc, imaginem hanc, adumbrem; ſed monumentum ſimul TIBI, ad poſteritatem, conſtituam, ex quo certo olim exiſtimari poſſit, ne ætati quidem noſtræ, multum licet, a maiorum ingenio atque laudibus, degeneri, ſuos AEMILIOS, CAMILLOS, CVRIOS, FABIOS, FABRITIOS, & SCIPIONES, defuiſſe. Quod ſi adſequutus fuero; ſicut adſequar omnino; pretium me opellæ feciſſe credam. Vale, EXCELLENTISSIME DOMINE! &, in tanta, dubiorum euentuum, rerumque omnium perturbatione, pro REGINA, proque Patria, & ſalute publica, diu ac feliciter, viue! Muſasque noſtras, TIBI, commendatas habe. Preces ſunt ingenuæ

EXCELLENTISSIME COMES
DOMINE ILLVSTRISSIME,
GRATIOSISSIME,

*Clientis deditiſſimi*

MATTHIAE BELII.



# PRAEFATIO.

OANNES BOCATIVS, cuius TIBI, Lector beneuole! Commentationem Epistolicam, de sua, ad Principem STEPHANVM BOTSKAYVM, legatione, exhibemus, gente *Lusatus* (a) fuit. Elegantiores litteras, vt sunt hic ingenia, atque Poesin in primis, inde a puero, tenerrime adamauit, coluit solerter. Iam tum enim, magno, ea regione, adolescentiae commodo, frequentabantur scholae, haud vulgariter instructae. Simul hic tirocinia posuit, *Saxoniae Academias* inuisit, eo semper connisus, vti, & melior subinde fieret, & doctior. Atque, tulit sane, praeclari eius instituti, cum ipse, fructus vberrimos; tum propagauit etiam in hos, qui se olim eius disciplinae, permiserunt.

II. Ita formatus noster, primo iuuenilis aetatis flore, in Hungariam venit; siue, *M. Nicolaum Gaebelium*, *Schvidnicensem Silesium*, suum antea, *Iglouiae Marcomannorum*, praeceptorem, tunc ad *Cremnicensium* ludum moderandum, excitum, (b) sequutus; siue, quod fit, periculum facturus, si forte, renascentibus, per Hungariam litteris, suae partim fortunae, partim ingeniorum, quae de meliori luto *Titan* finxerat, formator esse posset. Certe, cum anno M. D. XCIV. die XX. Ianuarii, solemni formula, (c) in scholae magistrum ab Eperiensibus euocaretur; iam tum in *Hungaria*, forte inter *Saxones Scepusiacos*, scholas apperuisse existimandus est. Enim vero, egregie adeo, & ab morum integritate, & ab insigni eruditionis laude, eius vrbis magistratibus cognitus fuit, vt diserte illi quidem: *Etsi alii quoque, in electionem venire potuerunt; nos tamen illis omissis, H. V. munus id, & officium rectoris scholae nostrae; quod felix & faustum sit; offerimus: cum aliis de caussis; tum, quod de eius pietate & eruditione, nobis omnibus, optime constet.*

III. Obsequutus inuitamento ei BOCATIVS, toto, & quod excurrit, lustro, *Musis Eperiensibus*, summa bonorum omnium adprobatione, moderabatur. Communem certe *Hungariae Superioris* praeceptorem dixisses; ita in eius disciplinam, nobilis adolescentia certatim confluebat. quam ille, non litteris tantum, quae sunt scholae quodamodo propriae, solerter formabat; sed iis praecipue (d) artibus subigebat, quae, cum toti vniversim vitae; tum administrandae olim reipublicae, sunt necessariae. Meruit vero, insueta hac, laudatissimaque adsiduitate, vt non vulgo modo, verum apud vi-



a) Didici id, ex litteris *Senatus Leutschouiensis*, quas legesis in *Appendice Epistolica* HVNGARIDVM eius, p. 446. Non ergo, noster hic, confundendus est, cum IOHANNE BOCATIO, *Hetrusco* illo, qui non aetate modo; nam An. M. CCC XII. *Certaldi* apud *Florentinos* natus fuit; sed eruditione etiam, *Lusatum* hunc, infinitis modis antecelluit. Vide passim *Lexica Historica*, atque *Biographos* Eruditorum.

b) Habes eius rei idoneum ad coniectandum indicium, HVNGARIDVM Lib. II. p. 161.

c) Legi ea potest, in laudata HVNGARID. Appendice, p. 468. sequ.

d) Documento eius rei sunt, plenae, optimorum praeceptorum, elegiae; altera, de *Origine vera Nobilitatis*, HVNGARID. Lib. II. p. 165. altera, manu quasi deducens, ad *Veram Nobilitatem*, Ibidem p. 173. sequ.

ros ſimul principes, MAXIMILIANVM Archiducem; (e) SIGISMVNDVM Bàthory; *Hardeckium*, *Teüffenbachium*, *Schvendium*, *Simonem Forgáchium*, (f) *Homonnaios*, *Kátayos*, *Sooſios*, *Darholtzios*, vt nobiliſſima nomina alia taceamus, in præcipua fuerit exiſtimatione. Hanc, ſuo merito, celebritatem adſequutus, non vnis, ſummorum virorum, precibus, RVDOLPHO CAESARI commendatus eſt, vti hominis docti, & in commune vtilis, virtutem, iis præmiis remuneraretur, quæ, & ſplendoris haberent plurimum, & auctoramento eſſent, Muſarum per Hungariam alumnis, ad ſolidæ elegantisque eruditionis, acre atque indefeſſum ſtudium.

IV. Atque id ſane, auguſto prorſus ac liberali animo, præſtitit RVDOLPHVS. Abierat tunc in conſuetudinem, vt nemo, niſi miles, & qui præclari quidpiam in bello facinoris ediderat, equeſtri prærogatiua donaretur. Vix contra, quisquam litteratæ *Palladis* ſatelles, emergebat, qui, præter laborioſam, ſed ſterilem omnino quantiuis muneris procurationem, eximia quadam, ne dicam, equeſtri dignatione, cohoneſtaretur: ſiue, quod in illa temporum perturbatione, rari ſuperabant, qui ſe totos *Muſis* permitterent, elaborarentque aliquid, vltra vulgi modum; ſiue, quod ita hominum fuerunt ingenia, quemadmodum Poeta (g) queritur:

*Ipſe licet venias, Muſis comitatus* HOMERE,
*Si nihil adtuleris, ibis* HOMERE *foras.*
*Aurea nunc vere ſunt ſecula, plurimus auro*
*Venis honos.*

RVDOLPHVS, certe, et ſuapte natura, in eruditos propenſus, & ſuorum commendatione inuitatus, alium multo ſe præſtitit: quando, *Johannem* hunc *Bocatium*, poetam primo laureatum crearet; tunc ordini etiam equeſtri, adſcriberet. quam ille CAESARIS indulgentiſſimi benignitatem, ſuo more, palam, gratusque decantauit: (h)

Aurea *cum* Ducibus, *des* laurea *ſerta* Poetis,
*Quas bene diuitias, Maxime* CAESAR *habes.*
Aurea *das* Ducibus, *mihi* laurea *ſerta* RVDOLPHE!
Sic *aurum* & *laurum det tibi ſancta Trias!*
Aurea *ſic redeant* TE *Cæſare* ſecula, *ſic* TE
Aurea, *ſed ſero, ponat in* aſtra DEVS!

Gratulati BOCATIO ſunt, geminos eos honores, cum multi alii, tum FRIDERICVS TAVBMANNVS, (i) ſidus illud ætatis ſuæ Poetarum; nam ſic de armis eius cecinit:

*Hæc galea*, inquit, *hic clypeus*, *gentis ſunt arma* Bocatæ,
*Qualia nobilium ſemen equeſtre gerit.*
CAESARIS *hoc donum eſt: aquilæ quando arma biroſtri*
*Stringeret Hungarico luna bicornis agro.*
*Noſtrum eſt virtutem bene geſtis quærere rebus:*
*Virtuti pretium ponere*, CAESARVM EST!

V. Hæc a CAESARE profecta ſunt omnino; cum interim, in ornando BOCATIO, nemo non bonus, pro eo, atque id ad ſe pertinere exiſtimabat, rebatur elaborandum. Sub idem fere tempus euenit, vt *Caſſouienſes magiſtratus*, Eperieſino, deuocarent BOCATIVM, ſcholæque ſuæ moderatorem ſtatuerent. Dabo epiſtolam; vt eius ætatis hominum ingenia, pernoſcantur. *Poſteaquam*, aiunt, *proxima hieme*, M. Albertus Gravverus, *e ſchola noſtra, cuius ipſe rector biennio fuit, in Germaniam diſceſſit, ea nos in primis, hos ipſos totos menſes, cogitatio tenuit, equemnam dignum habere-*

---

e) Proſequutus eſt eius laudes, inſigni carmine, HVNGARIDVM Lib. I. p. 51. & p. 125. Reliquorum, quos memorauimus nomina, paſſim inibi legas.

f) Præcipue, obitum SIMONIS FORGACHII luxit, elegia lectu digniſſima, HVNGARID. Lib. V. p. 412. & in *Appendice Epiſtolica*, p. 461. Filios autem ſuperſtites: *Franciſcum*, Nitrienſem Epiſcopum; *Sigismundum*, *Michaelem* & *Iohannem*, efficaciter ſolatus eſt, Lib eodem, p. 411. ſequ. cum lugubri, ad vrbes Hungariæ celeuſmate p. 423.

g) OVIDIVS, de Arte ſua.

h) In ipſo HVNGARIDVM aditu, ſub lemmate: DIVO RVDOLPHO II. ROM. IMP. AVGVSTISS. HVNGARIAE & BOHEMIAE REGI, &c. *Gratias agit autor, pro laurea & nobilitari titulo.*

i) In Schediasmatibus Poeticis innouatis, An. M.DC.X. in 8. Witteb. p. 720. Adde eiusdem Anagrammaton, Lib. III. p. 787. INSIGNE, & *in Scuto*, & in *Galea*, Ciconiam referebat, Poetam laurea redimientem: e *Galea*, duobus laureatis vexillis, prominentibus. quorum dextrum, aquilæ bicipitis; ſiniſtrum, lunæ ac ſtellæ, ſimulacris, conſpicuum fuit.

*haberemus, quem in* Gravveri *locum sublegeremus. Nam, ipsa iuuentutis nostræ frequentia, suo certe iure poscere a nobis publice magnam curam videbatur, deligendi eius, qui ei iuuentuti, recte atque vtiliter præficeretur. Is, cum* Tv, *vnus præter ceteros, multorum prudentium virorum testimonio & prædicatione, eo dignus munere videare; Magistrum* Te, *& rectorem iuuentutis nostræ scholasticæ, communi omnium suffragio, eligimus & vocamus, pensionesque omnes, stipendia & commoda reliquorum rectorum promittimus, & beneuolentiam nostram deferimus. Qua in re, cum facile videas ipse, quanti Tuam, in instituenda iuuentute, sedulitatem faciamus, erit tuæ humanitatis dare operam, vt, quam* Tibi *scholasticæ pubis docendæ regendæque curam atque prouinciam ineundam deferimus, læto atque alacri animo, prima occasione, suscipias.* Reliqua. Datum *Cassouiæ*, die XI. Maii, anno M.D.XCIX. *Iudex & iurati ciues Cassouienses.* (k)

VI. Obsecundauit Cassouiensium huic voluntati, eo promtius, noster; quo magis in lucris adhuc suis deputabat, educandæ iuuentuti operam, celebri adeo loco, nauare posse. Vix autem, vnicum in schola lustrum, exegerat, bonus ille, cum ciuica multitudo omnis, ita virum doctum & recti obseruantem, adamauit, vt nihil dubitarit, communi eum suffragio in senatum adsciscere. Consensere in eam ciuium optionem, P. C. vltro ac lubentes: quando, & prudentiam hominis, & ardens egregii publici studium, quod in eo præcipue eluxit, cognitum habebant. Nouis istis honoribus, procul omni ambitu, magna populi adprobatione, auctus, adeo nihil de scholasticorum laborum adsiduitate remisit, vt congeminarit etiam curas, ne alterutri munerum, aut vmbratico illi, aut ciuico huic, magis se permitteret. Ergo, & senatum frequentabat continenter; neque deserebat scholas: temporis rationibus ad eum modum subductis, vt quod a munerum altero vacabat, alteri id, quam sollicitissime, impertiretur. Adeo, ne tunc quidem, sterilis eum cathedræ pœnituit, cum relicto puluere vmbrisque, in opima celebritate versaretur: magistratum certe ciuilem, scholastico alteri, posthabuit semper.

VII. Cum hæc sui documenta, aliquamdiu exhibuisset, vrbanus prætor creatur, forte, vti esset dicterio illi, apud Ivvenalem, (l) locus:

*Si fortuna volet, fies ex Rhetore Consul;*
*Si volet hæc eadem, fies ex Consule Rhetor.*

quam ille tamen conuersionem in deterius, non modo non subiit; sed gessit etiam, in adflictissima tunc vrbe, magistratum eum, ad inuidiam vsque, feliciter, & insigni cum moderatione. Reuera enim animus ei fuit: (m)

*Rerumque prudens & secundis*
*Temporibus, dubiisque rectus.*
*Vindex auaræ fraudis & abstinens*
*Ducentis ad se cuncta pecuniæ,*
*Consulque non vnius anni.*
*Sed, quoties bonus atque fidus*
*Iudex, honestum prætulit vtili, &*
*Reiecit alto dona nocentium*
*Vultu?*

Hactenus, præclare omnia, inoffense ac propemodum irreprehensibiliter; administrauit Bocativs.

VIII. Sed, cum ille ad hunc modum, & vrbis fortunam tuetur, & suam; collectas in gremio tempestates, magno rerum omnium motu, in Hungariam effudit *Transiluania*. Nollem tunc, maculam nomini suo adspersisset nouus homo: quod fecit tamen, si Istvánfyo (n) credimus. Hic enim vero, cum nouarum rerum, quas Botskay commouerat, exordia altius repetiisset; de earum incrementis: *Cassouienses*, inquit, *ciues, prætore vrbis*, Iohanne Bocatio Silesio, *rigido Lutherani dogmatis assecla, operam in primis nauante, statim post pugnam, a nostris, ad Adorianum male pugnatam*, Stephanum Hertzegum, *ad* Botskayum, *Debreczinii, spoliis, aliena perfidia partis, diuidundis,*

k) In Appendice Epistolica, ad Hungarid. Lib. p. 471.
l) Satyra VII. Lib. III. 197.
m) Horativs, Carminum Lib. IV. Oda IX. 35.
n) Libro XXXIII. p. 815, 8.

*dundis, ac muneribus ad Turcas socios mittendis, intentum, miserunt, vrbemque in eius fide ac potestate futuram, nunciauerunt.* Atque, stetere omnino promissis, procacis consilii homines; quando, *Blasio Lippaio*, cum mandatis *Botskaii* aduentanti, portas adaperuere. Præcipuam hic certe culpam, an crimen? BOCATII fuisse, iterum, ISTVÁNFFYus inibi auctor est: *Lippaio*, inquit, *Cassouiam venienti*, Bocatius *prætor, reliquique ciues, nihil cunctati, portas aperuerunt, ac in fidem & clientelam* Botskaii *accepti sunt.*

IX. Hic nimirum torrens ille fuit, qui in transuersum secumque rapuit BOCATIVM, profecto immemorem, quo se nuper loco CÆSAR collocarit: cum, non laurea modo poetica; sed nobilitari simul prærogatiua, donauisset hominem alienigenam, & a iure ciuitatis Hungaricæ secretum. Tunc vero demum, *Botskaii* studiis, adeo se permisit noster, vt neque legationis partes, quam hac epistola expromit, *Cassouiensium* nomine, obire detrectaret; &, quod mirere, ad Principes Germaniæ, publica, noui Principis, auctoritate, mitti se pateretur. Atq; hæc quidem ad *Botskayum* profectio, quod pro eius ingenio temporis, necessitatis potius videri poterat, quam lubidinis, habebat honestæ quidpiam excusationis: quippe quod, ad pacem consocillandam adtinuerit; sed, quod principes Imperii obire, & in partes *Botskaii* trahere, susceperit; id vero, obstinatæ, in rerum nouarum studio, voluntatis fuit indicium, vti ex se inglorium, ita noxium BOCATIO. Audiamus ISTVÁNFFYVM (o) facinus exaggerantem: *Solutis Carponensibus comitiis*, BOTSKAYVS, Iohannen Bocatium, *qui summæ gratiæ locum apud illum obtinebat, ad principes Germaniæ, legationem suscipere voluit, eumque litteris & pecunia instructum, ab se dimisit. Qui, cum per Poloniæ fines itinere facto, ad* Henricum Iulium Brunsuicensium & Luneburgensium Ducem, *adpulisset; quod nullas a Cæsare, cuius imperio Germania subiacet, litteras haberet; absque quibus, homini peregrino, & aduersæ factionis, vrbes & regiones perlustrare cautum esset; pro exploratore captus fuit, & in carceres conditus.* Atque hic quidem, legationis *Bocatianæ*, inuito *Mercurio* susceptæ, & exitus fuit, & fructus. Anno certe, MDCVI. ad diem IX, Septembris, adhuc in custodia detentum fuisse, preces (p) condocent, quas eius caussa, *Botskaii* legati, MATTHIÆ Archiduci, Viennæ admouerunt. *Ioannes Bocatius*, aiebant, *qui nullo malo fine, per* D. Botskay, *& regnicolas, in Imperium expeditus fuerat, iam, vti fertur, captiuus detinetur; efficere benigne dignetur sua Serenitas, vt Sacra Cæsarea Regiaque Maiestas, eum dimitti, clementer iuberi velit.* Quod & ita euenisse crediderim.

X. Nam, rediit omnino ad suos *Bocatius*; sed tunc fere, cum diem suum, aqua intercute, an veneno? *Cassouiæ* obiit BOTSKAYVS.

*O curas hominum! quantum est in rebus inane!* (q)

Atque poterat omnino, ad se, ex hoc ictu, rediisse *Bocatius*: secumque penitus existimasse, aulæ, temporariæ in primis, qualis BOTSKAII fuit, præcipitia. Ecquis enim prudens, non accinat SENECAE, (r) vitam, ab aulæ negotiis, seiunctam, suo exemplo, laudanti?

*Stet, quicunque volet,*
*Aulæ culmine lubrico;*
*Me dulcis saturet quies,*
*Obscuro positus loco,*
*Leui perfruar otio.*
*Nullis nota Quiritibus,*
*Aetas per tacitum fluat!*
*Sic, cum transierint mei*
*Nullo cum strepitu dies,*
*Plebeius moriar senex.*

Verum

---

o) Libro XXXIV. p. 838, 30.
p) Inscribuntur eæ: *Postulata Legatorum Serenissimi D.* Botskay, *& ei adhærentium Hungarorum, exhibita Serenissimo Archiduci* Mathiæ, *Die IX. Sept. An. M.DC.VI. ni MSC.*
q) A. PERSIVS FLACCVS, Satyrarum initio.
r) THYESTE, Actu II. 391.

Verum, ea fuit mobilitate animi, grauis iam ætate, BOCATIVS, vt tribus postea lustris, nouas res molienti, GABRIELI BETHLENIO, adhærefceret iterum; fiue, quod nequiuerit aliter, *Caſſouienſium* fortunæ implicitus; fiue, quod paſſus fe eft illici, qualicunque honoris acceſſione, qua eum honeftarat auxeratque *Tranſiluanus*. Nam, ita in eius ætatis fchedis legiſſe me, confcius mihimet fum; & in confiliariorum numero cenfum; & *Bethlenianæ* Bibliothecæ; fi quam ei fuiſſe credamus; præfectura ornatum, floruiſſe, irrequieti Principis gratia. Adfirmat fidem, fcita *Bocatii*, quam poſſideo, icon, fenem eum, & ex ætatis eius more, habitu ad grauitatem facto, indutum, atque media in bibliotheca, menfæ adfidentem fcriptoriæ, referens.

XI. Ceteroquin, nunquam *Muſas* fuas faftidiuit BOCATIVS: curas certe, quibus vrgebatur, publicas, litterarum fubinde auocamentis, interpunxiſſe, idoneis auctoribus, accepimus. Sunt, qui credant, geminam Hungariæ conuerfionem, *Botskayanam* (s) alteram; alteram *Bethlenianam*, quarum ille pars aliqua fuit, litteris confignauiſſe, BOCATIVM. quas nobis tamen lucubrationes, aut fata ipfa inuiderunt, aut genus illud hominum, quod oppreſſos labores alienos, ætate fenefcente, non vertit modo in rem fuam; fed venditat etiam pro fuis. Ergo, præter HVNGARIDVM (t) *Libros Quinque*, nihil, quod fciam, *Bocatianæ* induftriæ, habemus refidui. His iam, COMMENTATIONEM EPISTOLICAM, quam prenfas, Lector beneuole! ex manufcripto *Oſztroſithiano* codice decerptam, addimus confulto; vt *Rakoſianæ* folemnitatis eius, quam ne ISTVÁNFFIVS quidem neglexit memorare, αὐτόπτυ exftet hiftoria. Nam, habent hoc fibi proprium, eorum narrationes, qui vifa referunt; vt, & penitius in animum defluant; neque, fi rite fe habeant omnia, fufpicioni locum temere faciant. In Apendicem, IAVRINVM REDIVIVVM, cum *Propemptico Vatidico*, quo *Hardeckium*, infauftum nomen, auctor, fic fatis pie profequutus eft, eo confilio conieci, vti habeant *Lectores*, vnde, partim *Hungaridum* eius libros, exiftiment; partim recognofcant, vrbis, a barbaro, haud fine numine, recuperatæ, hiftoriam.

XII. Plura, de BOCATIO, dicere non habeo: hæc fuffectura credo, ad vindicandum ab obliuione, virum doctum, & dum fecum habitabat, reip. commodum. Id conftat, vixiſſe eum in matrimonio. quod, vel folius foceri, viri eximii, cauſſa, monendum eft: quippe cui, iftam, in Epitaphio, laudem, (u) circumpofuit nofter:

*Ore vno linguas tenuit feptem: Hungarus, Auſon,*
*Hebræus, Græcus, Sarmata, Teuto, Getes.*
*Trinus eum varias* CÆSAR *legauit in oras,*
*Bizanti longas traxit in vrbe moras.*

Quis hæc in ciue *Eperienſi?* nam, honeftiſſimo ei ordini adfcriptus fuit. Adeo tunc, litterarum ftudia, linguarùmque cultus, apud fummos, & imos, in pretio fuere. Illud comperiſſe haud potui, quando, quoue rerum fuarum habitu, fatis conceſſerit BOCATIVS. Leti memorem vixiſſe, ex fua, ad amicos adlocutione, condifcas. Ita vero ad hos: (v) AMICI! BOCATIANO TVMVLO, SI MERETVR, HOC SVPERADDITE!

BOCATII *recubant, heic oſſa ſepulta* IOANNIS,
*Cui ſtudium* PIETAS, *atque* POESIS *erant.*

Tv Lector vale! & noftra hac opera, fi lubet, vtere. PISONII, A. MDCCXLII. Calendis Februarii.

---

s) Id fane de *Botskaiana* tempeftate, liberaliter pollicitus eft, BOCATIVS ipfe, Commentationis huius Epiftolicæ, Epilogo, fiue §. XXIV. p. 336.

t.) Infcribuntur hi: M. IOANNIS BOCATII, Poetæ laureati Cæfarei, HVNGARIDOS LIBRI POEMATVM V. quorum I. *Martialia*, feu *Bellica*; II. *Encomiaſtica*; III. *Nuptialia*; IV. *Miſcellanea*; V. *Sepulchralia* continet. BARTPHAE, excudebat Iacobus Klöfs, A. 1599.

u.) HVNGARIDOS, Lib. V. p. 426. IOHANNI BELSIO nomen fuit.

v. Inibi

# SPECVLVM.
## PRISCAE HVNGARORVM MILITARIS DISCIPLINAE,
### Ex Bonfinii, Dec. IV. Lib. VIII. pag. 643. sequ. depromptum,

*Vt habeat, quod intueatur Gens nostra, iustis belli studiis, ex longa cessatione, postliminio initianda.*

*Vbi inter turmas* Rex *prodiit, silentium indictum, non solum viris, verum etiam equis, religiose seruatum. Adlata, primi agminis in medium signa, e manu sua, praestantissimo veterano, non sine solemni praefatione, diligentique praecepto commissa. Calcaribus ille carere, quod non sine admiratione spectare visus sum. Id factum idcirco rebar, ne in maximo conflictu, prae timore concitato equo fugeret, suaque fuga, reliquorum animos consternaret. Mox XII. enses, totidem secures, & clauae, bene merentibus datae. Securiferi, ensiferi, clauiferique, vexilliferum circumstare. Deinde, turmarum ordines, ante vexilla constituti, quorum singuli, ex quinque, & viginti equitibus constabant, vt numerus equitum, cum turmis consentiret. Proinde, turmae circiter octoginta equitum, ante signa praecedere, subsequi totidem; reliqua demum agmina, eodem modo instituta. Ita quisque ordinem seruauit, vt, si digito plus alio processisset, imperatoris, quam maxime circumspecti saeuitiam, reformidare cogeretur. Tantum vbique vigebat obsequium, tantus timor ac reuerentia, cum Imperatoris amore coniuncta, vt dicto citius, imperata quisque praestaret, vitam, dum imperio satisfaceret, pro nihilo duceret. Tantum est vbique silentium, vt non modo, praeter Imperatoriam, nulla humana vox; sed ne vllus quidem equorum hinnitus, vsquam sit auditus, institutum. Deinde, quodque agmen, processerat, dato signo, ante principis ora, belli simulacrum agere, & nunc in cuneum, nunc in orbem, nunc in trigona, tetragonaue, aut in forficem, & serram mutata acie, verti.* Reliqua.

Et paullo post: *Sed, cum disciplinam militarem, moresque sanctissimos, quibus* Matthias, *Hungaros educauit, mecum ipse considero, aliquandiu in castris diuersatus, ne minore quidem admiratione conficior. Nusquam gentium milites spectare licuit, caloris & frigoris, item, laboris & inediae tolerantiores, qui studiosius imperata faciant, lubentius dato signo pugnam ineant, se morti promtius exponant. Item, qui militarem seditionem magis detestentur; in castris quietius honestiusque viuant; sese religiosius agant; tumultus magis abominentur & rixas; colant auidius temperantiam & castitatem; & ab omni blasphemia, periurio, illegitimaque venere, sint magis alieni. Maxima pars equitum, quibus vxores sint & liberi, triennium quandoque assiduo militare coacta, nunquam coniugii fidem violasse creditur. Fortitudinis & patientiae sunt plus quam Lacedemoniae. Hieme, iuxta atque aestate, castra frequentantur. Et, quod meis hisce oculis, saepe vidi, sub niuibus ac terra, ne obsidionem deserant institutam, toleranter hibernant. Vnde, murum saepe modo prodeunt, stationibus totam noctem, tesserariorum iussu, equites adsunt, neque loco mouentur, neque de rigenti algore queruntur. Et quamuis plerisque membra, vesaniente frigore obstupescant; inuicto tamen animo cuncta patiuntur. Liberos in castris alunt, ibique militaribus studiis informant. Ex quo fit, vt gens Hungarica, bello aspera, ita, institutis, ductu, auspiciisque* Corvini, *accreuerit, vt*, cetera.

Adde, Tobiae Coberi, Hungarorum, in metandis castris, & instituenda aquatione, prudentiae encomium, Observationvm Medicarvm Castrensivm, Decad. I. Obseru. VII. p. m. 39. *Non sunt*, inquit, *laude sua defraudandi* Hvngari *nostri: qui in metationibus castrorum, munditiem obseruant longe strictius, quam aliae nationes. In aquationibus quoque, circumspectiores sunt, non quasuis lacunas & voragines exhaurientes: quod plerumque nostrates, ad potandum nati, posthabitis sordibus quibusuis, fauces, mox euanido liquore, paullum delibutas reddentes, strenue factitant, lambendi sorbendique finem, prius non facientes, quam cum ranis, in stygia palude, circumnatent.*

Ioan-



# IOANNIS BOCATII,
## CONSVLIS CASSOUIENSIS
## COMMENTATIO EPISTOLICA.

## SYNOPSIS.

## §. I.

Legatio Bocatii ad Botskaivm iussu Magistratus Cassouiensis suscepta :



Posteaquam, Amice mi! de voluntate & mandato Serenissimi & benignissimi mei Principis, ciuitas nostra *Cassouiensis*, vt reliquæ ciuitates & Comitatus vtriusque Hungariæ, nuncios, aut legatos, ad ipsius castra, vbi vbi illa essent constituenda, mittere cogeretur, mihi, aliisque duobus, prouinciam huius profectionis, irrogasset; instructione certa, quidnam (a) in comitiis habendis, pro bono reipublicæ proponendum esset? prima Nouembris die Cassouiæ mansissem, versus arcem *Fülecum*, ratus eodem Principem adpulsu-

a) De Carponensi hoc comitio, lege Istvánffium Lib. XXXIV. pagin. 835. sequ. quem consulemus sæpius.

b) Co-

pulſurum, me contuli. Comperto autem illum, ad arcem (b) *Nouograd* iter facere, perrexi & ego, donec in oppido *Gyarmath*, plenius edocerer, Principem, *Vacini*, quatuor, a Peſto & Buda, milliaribus, velle ſubſiſtere, ibidemque conuenturos Regnicolas.

eius profectio.

§. II.

Hoc vero, non exiguam mihi iniiciebat formidinem; tum, quod vicinitas iſta Turcica, ſuſpecta; tum quod res periculi plena, meo videretur iudicio. Quoniam tamen interea, ſecus facere non potui, neceſſitatem meam, ex legitima officii vocatione metiens, & euentum ſuperis committens, ſubſecutus ſum caſtra Principis, quæ, nocturnum faciens iter, in ſilua quadam, loco, *Diuæ* quondam *Margarethæ*, dicato, fixa reperii, & orto die, medio milliari *Vacino* diſtare comperii, ratus, non procul ab arce *Nouograd* me noctem egiſſe. Mane, vbi iam caſtra mouerentur, explorato Principis tentorio, ipſum conueni, & *litteras*, vt vocant, *credentionales*, obtuli, humaniter exceptus, & ordine demonſtrato, inter media agmina, ſubſequi ſum iuſſus.

Formido haud inanis: vbi aſſecutus ſit Botskayū: quem ſalutat & ſequitur.

§. III.

Proximo deinde ſuperato monte, *Danubium* conſpicio ad dextram, monſtrantibus mihi quibusdam, montes & ſiluas loci, vbi arx *Viſſegrád* eſſet. Sub deſcenſum de eodem monte, video magnam & porrectam planiciem, ſegete auctumnali, longe lateque lætiſſimam & ridentem, oculis tamen meis & pectori lachrymas ſufficientem. Recordabar enim ſæpius antea auditorum, amœnitatis & fertilitatis loci, mecumque tacite reputans, Ah! dicebam, niſi Mars impius, Hungariam, eo nunc anguſtiarum & infelicitatis redegiſſet, non ego cum ceteris, iam primum loca hæc peterem; ſed ciuitates, *Peſtum*, *Budam*, *Strigonium*, videre luſtrareque poſſem.

Itineris ratio: iuſtæ Bocatii lacrymæ & querelæ.

§. IV.

Hæc dum in animo voluo, propius *Vaciæ* adſumus. Interrogo: certumne ſit, Principem hic, ſubſequentes, & confluentes regnicolas præſtolari, conuentumque celebrari velle? Quid ſit? erudior, a fide digniſſimo diſco: Caſtra hodie nobis in ipſomet campo *Kákoſch* figenda eſſe, quo magis magisque perculſus, ego ſtatim metu

*Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit.*

Lectione enim auctorum, & auditione perceperam, non procul a *Peſto*, iam a *Turcis* occupato, campi planiciem, *Rákos* nominari, vbi quondam *Hungaria* adhuc florida, comitia armata, vt CAESAR, de Gallorum inſtituto ſcribit, habere ſolita ſit; aut Regem electura, vel de bello, contra regni ſui hoſtes gerendo, tractatura.

Vaciæ adpropinquat exercitus, in campum Rakos profecturus: campus Rákos, quis?



b) Comitatus cognominis caput, de quo vide, operis noſtri Tom. IV. p. 136. vbi & de *Gyarmath*, quod & *Ipoly-Gyarmath*, ac præcipue ex poſſeſſorum axiomate, *Baloſſa-Gyarmath*, dicitur, ibidem p. 131. de *Fileko* autem p. 74. De *Vaczouia* egimus Tom. III. p. 112. & de *Wiſſegrado* p. 470.

c) Fuit

## §. V.

Bocatii sollicitudo:

Adlabimur *Vaciæ* ruderibus, video præterire exercitum, & impedimenta vlterius procedere. Nec Princeps subſtitit. Cogor ſequi. Proh dolor! cogitabam, quid hoc rei? hocne eſt cum Cæſareis facere compoſitionem, & pacis vtrinque agitare conditiones? *Poſonium*, *Tyrnaviam*, aut *Galgocium* ſaltem nos profecturos dicebant.

tacita expostulatio:

O vigiliam *Sancti Martini*! miſer Poëta (c) BOCATIVS, hodie, vel cras, victima eſt futurus & hoſtia Turcis. Socii, ſocii! dicebam ad meos, actum eſt de nobis! Ab inteſtato decedimus! en, quo perducimur? Thamyride! Non huius, ad regnicolas perſcribens meminerat Princeps; ſed, vt tractationi de pace intereſſemus, & de noſtris quoque communibus ſuffragiis, cum *Commiſſariis* Cæſareis, eo nomine, ratum aliquid & firmum, ſtatueretur.

*O miſeranda dies carbone notanda vel atro!*

erigitur a comitibus & aulæ familiaribus:

Fuimus, Amici! Troes fuimus! Hæc dum ſono, exanimatum, & comites, & aulæ principis familiares, erigunt, ſolantur. Metum ponam, principem nobis cauiſſe, nihil a Turcis timeamus. Iam illud eſſe tempus, quo oues, (d) cum lupis verſaturas, prænunciatum ſit. Quid facerem? neque ſeruitio me eximere licebat. *Tenemus*, inquiunt, *lupum auribus*. (e) Turcæ nulla fides! credat ipſi Iudæus apella, non ego.

## §. VI.

Quomodo ſe metu exonerauerit:

Terga damus interea *Vaciæ*, quibusdam promontoriorum *Budenſium* gnaris, cælo aliquantum nubilo, digito, *Peſtum* & *Budam*, intendentibus. Mihi autem locus monſtratus, ita gratus videbatur, ſicut arbores, *Marcolpho* (f) ſuſpendendo. Mox indicio cogniturus, & ex vultu Principis argumentum ſpei, vel metus, ſumpturus, penetro turbas, proximus Ephoro, rideat, vel angatur, obſeruo. Comitas, hilaritas, iterum aliquantum animant. Conſiliarios, magnates, & proceres, aulicos, regis ad exemplum, totos eſſe compoſitos, video. Reddor quoque certior, *Baſſam Budenſem*, in caſtris fuiſſe cum Principe cœnatum, & iam ducentorum equitum comitatum, ad agones ordinandos, præceſſiſſe. Turcas aliquot equites, noſtris mixtos, exultabundos adſpicio. Salua dicunt omnia eſſe.

## §. VII.

Quo fuerit in ſtatiuis animo.

Progreſſi, vnum a *Vacia*, milliare, vel paullo plus, in dumeto quodam, pabulationi & aquationi, non incommode, ſubſiſtitur, papilliones eriguntur, ligna, magno ſtrepitu ceduntur, ignes parantur. Eadem & ego facio, dubius nihilominus, morsne vel

c) Fuit ea ætate, BOCATIVS, Poëtarum, per Hungariam, facile princeps, quod diximus in præfatione.

d) Eſaiæ c. XI. 6. 7. 8.

e) Exſtat prouerbium, apud TERENTIUM, in *Phormione*; apud PLVTARCHVM, in præceptis ciuilibus; et apud SVETONIVM, in *Tiberio*. Dicitur in eos, qui eiusmodi inuoluntur negotio, quod, neque relinquere ſit integrum, neque, niſi cum diſcrimine, tolerari poſſit. Vide Chiliada.

f) Morio fuit, SALOMONI, Hungariæ regi in deliciis.

vel salus sit exspectanda. Quæro, curro, interrogo, quorsum, propter DEum! quorsum? perditum ne nos, volentes ibimus? Heu mihi! vtinam vel sydere meliori natus, vel nunquam natus fuissem! Antea *Germanus* homo, in patria, *Turcismi* sum insimulatus; iam eodem plane condemnabor crimine. Bono me iubent animo esse, crastinum diem nobis omnia faustissima, lætissima, gratissima, adlaturum. O vtinam! dicebam; sed ego valde cuti nostræ timeo. Turcas, egregiorum equorum sessores & ebriolos, hinc inde video discurere, ridere, iocari, ludere. Blanda ab illis omnia. Me genius meus alio trahebat.

## §. VIII.

Fit vespera, fit nox, eo cubitum incoenatus, mœroris & anxietatis plenus. Cælum reducitur album. Puto, legatos aduenturos, vel adesse *Turcicos*. Væ mihi! mouentur iterum castra; nec adhuc in campo *Rákos* nos esse dictitatur. Consumitur eundo magna pars diei. Hem! adparet *Buda*, monstratur ad citeriorem Danubii ripam, *Sirmium*, (g) vrbs quondam celeberrima, iam desolata, vacua, rudera tantum & parietes, domosque & mœnia in bonam porrecta longitudinem, demonstrans. Paullo inferius conspicimus, *Budæ Veteris* reliquias. Iam *Budam* adspicimus totam, & quia illa, loco eminentiori, supra *Danubii* ripam sita est, iam arreptam esse credebamus, distantem adhuc medio milliari. Delabimur ad fluuiolum, purum putum alueum. Progredior cum aulicis eques. Hic, *inquit*, Princeps, esto meta! Nemo hodie fluuium istum transscendito, *Rákos* est; vnde loco nomen. Castra metari iubemur. Princeps, occupat tenerum tumulum, nos circumcirca sistimus. Ego porro sum animi dubius, & quid agam, in corde mecum voluto. Aduolant speculatores Turcæ, Budensem dicunt aduenire *Bassam*. (h) Aduenit is eques, cum equitibus aliquot, & peditibus *Janicsáris*, splendidus & mundus maxime. Conuenitur Princeps. Fit colloquium. Non diu moratur ille, honeste exceptus, deductus ad ripam vsque Danubii; vespera ad crepusculum vergente: creditse nauibus, quarum ipse ingreditur ornatissimam, & stragulis, & versicoloribus tapetibus. It clangor tubarum cælo. Musici, eodem nauigio suscepti, syrenas æmulantur; transuehitur, superat, & ascendit altitudinem *Budæ*, prælatas sequens faces.

Quies nocturna: profectio exercitus: aduentus in conspectum *Budæ*: castrorum ad amniculum *Rákos* metatio: *Bassa* Budensis amicus occursus: eiusdemq; reditus Budam.

## §. IX.

Nox mihi tota dura, & infelix, vltimam hanc reputo. Famam, liberos, vxorem, & amicos dulcissimos, cogito. Libitinam adoro, mortique sacrifico. Mane surgitur, currus onerantur. Ferri porro iubemur. Accersor ego. *Bocati*! inquit, consiliarius vnus Principis, *Dominus Petrus Mladosovvich*, Te hodie vult Princeps obseruari, vt personam tibi tradendam, tuearis. Vna cum Principe, qui

Altera Camstrensis pernoctatio.



g) *Sicambriam* scribere debuerat; nam *Sirmium*, quod constat apud omnes, vrbs fuit Pannoniæ inferioris, inter *Drauum* & *Sauum*, seposita.

h) Alim fuisse, Istvánffyus memorat, loco citato, qui Mechmetis Vezirii nomine, salutatum venerat Principem Botskaivm.

*Bocatius* inter familiares Botskaii censetur:

qui *Vezirium* conueniant, electi sumus ex omnibus sedecim, inter illos, *Tu vnus.* Meum itaque cingas latus. En, lege chartam! vides ne nomen tuum? Video, inquam, generose Domine! iussum exsequor. Sedentarius hactenus, eques fio, per obliuionem, cothurnos indutus, quibus nulla calcaria. Dum accingimur, adest,

Homoñay aduentus & statio:

ex castris alteris Hungarorum, *Magnificus Dominus Valentinus Homonnay.* Ceduntur pauci cum Principe (i) sermones, Idem *Dominus Homonnay*, cum suis, pro custodia curruum, & impedimentorum, castrorumque nostrorum, in specula, relinquitur. Fit ordo, fit acies. Pedites, agmine bipartito, præeunt; equites, in turmas & alas, distinguuntur. Mihi, optio est, medium tenere locum; qua Princeps, qua proceres eunt, & ego penetro: venio ad ordi-

ridicula Bocatii equitatio:

nem primum. A principe conspicior, a Principe vocor: incitato, dum ire paro, cursu, nec quidquam, & frustra pulso calcibus equum loco se mouere nolentem. Fio risus, fio spectaculum! Tandem promoueor, & equi culpam, deprecor, &, quoniam Princeps, more suo, me *Germanice* suauiter ridebat, & equi mei rusticitatem; nolit, *inquam*, Serenitas vestra, meam admirari tarditatem, & calcarium obliuionem, sum enim *Latinus eques.* Aliis autem ioculo me

quam is falſe excusat:

vexantibus, respondeo: *Nolite, boni Domini! meorum calcarium irridere, & sic perperam interpretari inopiam: cum vobis documento sim, fugere me nolle; sed firmo pede cum sua Serenitate, & vobiscum, ad quemuis fortunæ euentum subsistere, & si fuerit opus, fortiter, pro defendendo Principe, dimicare.* Deinde, videt meus equus, se ad Principem, numen aliquod, vocari; tamen restitat porro: obseruantiæ est signum; alias enim non monitum, currere scio. Habet consuetudinem *Asinæ Bileamiticæ.* (k) Tunc, modo Germanice, modo me,

eius, cum Principe Botskayo, colloquium

Princeps, Hungarice, adloquitur: *Fuerimne Budæ?* interrogat. Nunquam antea, dicebam, & videndi vota sæpius, spes autem nulla, *inquam*, fuit. Iam trepidus adibo: confisus, iuxta virtuti Principis, non interitus, sed vitæ meæ, meorumque, & salutis publicæ, dubio pro-

---

i) Exhibuimus eos, ex Ephemeridibus *Homonnaianis*, Tom. III. Operis nostri, p. 84. Historiæ Vrbis Pestiensis Cap. II. §. XIV. hic omnino repetendos. Aiebat nimirum BOTSKAIVS, planeque inculcabat HOMONNAIO suo; *Prudentis esse principis, de futuris prospicere. Reliqua arcane mandatorum capita, hæ fuere.* Elsöben: *Hogyha énnékem, kit Isten ne adjon, az Tõrõk miátt, mostani kõzikben való menetelemben, valami nyavalyám tõrténik, Magyar országot ne hadjad.* Másodszor: *Ha nékem szerentsétlenségem esik az utamban, tehát az Magyar országi Urak kõzõtt*, Báthori Gábort, *mindeneknél fellyeb betsüllyed, és ő véle értekezzél.* Harmadszor: *Rólam példát vévén, ha mi rajtam tõrténik, soha tõbbé a' Tõrõk nemzetségnek, kérlek, ne hidj.* Id est. Primo: *Si ex hoc meo ad Turcas abitu, aduersi quidpiam, id, quod Deus auertat, mihi euenerit, Regnum Hungariæ, caue deseras.* Secundo: *Si mihi sinistri quiddam acciderit, in hac mea profectione, tunc vero, inter optimates Hungariæ*, Gabrielem Báthory, *vnum omnium, maxime colas, cumque eo rationes consiliorum conferas.* Denique Tertio: *Meo exemplo moniti, cauete, infidæ Turcarum genti, vos vnquam credatis amplius.* Satis hinc constat, quantum in Turcarum fide præsidii posuerit BOTSKAIVS. Nempe, palpitabat intus cor, & conscium sibi,

*Facilis*, inquiebat, *descensus auerni;*
*Sed reuocare gradum, hoc opus, hic labor est!*

k) Habes eius historiam, Numerorum XXII. 23. sequ.

kk) Fal-

procul, auidæ. Optarem, iam ibi esse corpore, vbi sim cogitatione & mente. Securus, *inquit* ille, fueris, Bono tibi, tuisque, profectio ista, ne dubites, erit. Quomodo, dic, placet militia nostra? ad quod ego: *Magis, Serenissime Princeps, ac Domine! placeret, si iustior* (kk) *esset exercitus.* Cogitabam enim, propter iactum aleæ, hodie, vel periclitandum, vel manu & ferro salutem quærendam, & referrendam. Indignor, ait Princeps, ceteros non adesse, iussos, nec aduolare. Non mirum est, reddebam, haud adhuc omnes adpulisse; dies enim & locus, quando & quo proficiscendum esset, in literis Serenitatis Vestræ, non fuit indicatus, & plerique sunt opinati, *Tyrnauiam* (l) versus eundum esse.

§. X.

Venatio ab exercitu ob iter instituta: auium multitudo: iocus Botskaii: et cogitationes feriæ

Hæc, & id genus alia, dum familiariter colloquimur, fiunt equitum ad latera, passim excursiones, clamores, exercetur venatio. Leporum incredibilis copia, immittuntur, & iugo soluti insequuntur canes, leporum indagantes locum: capiuntur plurimi, capiuntur & coturnices viuæ, vel manibus. Adparet copia phasianorum, vsque adeo, vt si adfuissent, ex volatu & cantu auium, quondam auguria petere gnari, oscines, absque dubio, prodigii, & ominum rerum futurarum, loco duxissent. Mihi subibat lectio Ivstini (m) historici scribentis, *in Persarum castris, ex equo leporem natum esse.* Tacitus quasi ariolabar, pugnæ nostræ signum esse. Mox, œstro meliore percitus, interpretabar benignus; commeatu enim nostro, iam ex magna parte, absumpto, sollicitus de victu, benignitatem, & prouidentiam succurere diuinam, sum ratus: eo maxime ad hanc erectus cogitationem, quod audirem, heri quoque captas fuisse volucres, vt olim, testibus sacris literis, in deserto, quando Devs, Israëlitico suo populo, seruitutem Ægyptiacam fuga declinanti, coturnicum (n) copias, sub auspiciis viri illius DEI, Moysis, largiter suffecit. Remisi igitur aliquantum de consternatione priori, ac si me quisquam sic allocutus fuisset: *Sursum corda! & sume animos. Bocati! DEVS est, ista, qui operatur.* Secedo a Principe.

§. XI.

Quo ritu a Turcis acceptus sit Botskayus: Turcarum, ad nos cohonestandos, facti ordines:

Ecce nobis obuiam venit equitatus, & peditatus Turcicus! Nos subsistimus. Adeunt oratores Turcici. Princeps excipitur, gratiæ aguntur, vota fiunt. Turmæ Turcarum, supra modum, vestibus, phaleris, stragulis, auro argentoque, gemmis, & pretiosissimis lapidibus, cohonestamentis pulcherrimis, ornatæ, comite luxu & pompa, versibus & carmine dignissima. *Janitschári*, flos & robur militiæ turcicæ, bipartito agmine, continuo, & serie longa, vna cum pedite nostro, præcedunt. Adhæc musici, *vocales*, & *instrumentales*, melodias occinunt, morem in turcicum, quæ mox se-



kk) Fallit Istvánffivs, quando magnas copias, in iusti exercitus formam, coegisse in hanc profectionem Botskaivm, scribit loco citato, p. 836, 30.

l) Videsis, fuse descriptam eam vrbem, Tomo II. p. 6. vsque ad p. 100.

m) Herodotvs, non Jvstinvs, eius prodigii meminit, lib. VII. c. LVII. p. m. 402.

n) Relatum id beneficium, a Mose in litteras, lege, Numeror. XI. 31. 32.

Festiuus tormentorum Budensium fragor quitur explosio bombardarum, optimo ordine continuata; fit initium a porta, & parte ciuitatis, quæ nobis vicinior. Perdimus *Budam*, crassissimis fumi nubibus & nebulis absorptam & inuolutam. Tandem, euacuatis, de turribus, & propugnaculis ipsius vrbis tormentis; horrenda tonitrua ex regia suboriuntur: similiter fit, in monte vicino, & castro *S. Gerhardi* quondam dicto. Vt nihil splendori & magnificentiæ deesset, globi tormentorum, aërem verberantes, instar fistularum nobis fuerunt. Obuia sunt oculis tentoria *Vezirii*. Equitatus & peditatus, ad planitiem sinistram, facto optimo ordine, consistit, aliquot, cum Principe equitantibus, & ad tentorium, pro Principe exstructum, venientibus. Ad ripam *Danubii*, ex aduerso propemodum arcis, erat *Vezirius*, ab illius tentorio, ad iactum lapidis, aliud Principi destinatum. Ciues, Turcæ & Hungari, cum pueris & infantibus, egressi, rei nouitate, ad stuporem vsque nos exspectarunt, puerulis voce, manu, digitisque, demonstrato Principe. Deducitur Princeps in suum tentorium; nos, quos supra dixi, selectos fuisse comites, traditis custodiæ seruorum equis, simul intramus. Interuenit mora parua, dum Princeps se adparat, adhæc, legati & oratores, ad *Vezirium* venire iubentur. Nos bini præcedimus pedites, equitat ille, per bipartitum *Janischarorum* agmen, vestibus, armis, & ætate conspicuorum, spississimum, & ordine vtrinque duplicato, arctissime stantium; aliis Turcis nobilibus, Spahis, Agis, & similibus, ipsorum post latera, cum pileis albicantibus, præeminentibus, & sese ad nos spectandum, erigentibus.

Vezirius in ripa Danubii, nos præstolatur in tentorio:

*Botskay*, indestinatum sibi tentorium diuertit.

## §. XII.

Itur in papilionem Vezirii: Tum, ad ostium antemuralis tentorii *Veziriani*, peruenitur, cuius custodia, erant viri senes, barbis prolixis, & eminentibus pileis, decore & magnifice vestiti, & ad grauitatem compositi. Nos intromittimur, sequitur Princeps, equo præ foribus relicto. In aditu penitioris tentorii, conspicimus numen *Vezirii*, sedens in sella, ad altitudinem fere vnius vlnæ, indutum tunica & chlamide colorata & picta, argentum & aurum referente. Penes ipsum, aliquanto demissius alter quispiam deus, quem *Agam Janitscharorum* prætorianorumque fuisse, deinceps intelleximus. Sed. consiliarii ad dextram; tandem, ad sinistram homines grandes, stratis tapetibus incubant, pedibus ad crucem actis. Post brachium dextrum, video stare iuuenem, angelo similem, persica indutum stola, lato, ad tres palmas, & artificiosissime fabrefacto aureo cingulo, suffultum, & capulum frameæ turcicæ, in vaginam absconditæ, eleuantem: & alterum huic similem, brachium sinistrum composite obseruantem. Damus Principi locum ingredienti, quem simul, ac *Vezirii* maiestas conspicit, adsurgit, ad sex vel octo gressus obuiam procedit. Princeps, inclinato capite, latus dextrum & genu, exosculatur, & simul intrat *Vezirii* templum. Residet *Vezirius* vt ante: Principi, sella rubro holoserico obducta, quadrata, & absque superficie (nn) aliqua, decora, ad manum dextram, ex transuerso, vt *Vezirium* intueri posset, datur occupanda. Nos, bis octo, ad morem prædecessoris, omnia

qua illic pompa & habitu sederit Vezirius

eius consiliarii:

corporis custodes:

intranti tentorium *Botskayo*, occurrit Vezirius, quem gemino osculo honorat Botskayus:

nn) En, fastus Turcici, documentum!

mnia facere iussi, ordine, manus & pedes *Vezirii* osculamur. Osculatur & tuus *Bocatius*, fere nasum humi illidens; vt & *Vezirius* quæstionem submitteret, quisnam essem? Ipse ego, cupidus, nunquam visa, cognoscere, me adglomero, & Principi fio proximus; ceteris, sub explicata tentorii, & eiusdem ostii, ala, simul pompam & ornatum præsentem, admirantibus, & sermonibus habitis intentissimis. comites item sui.

## §. XIII.

*Vezirii* persona perelegans, vultu composito, ad maiestatem, & humanitatem pariter: quinquagenarium esse dixerim. Color viuus, oratio suauis, mores virginei. Similis huius alter, *Agam* puto, decennio tamen credo iunior, barba rotundula. *Magnificum Dominum Georgium Thurzo*, videre mihi videbar. *Aga* tamen pleniori facie, rubicundula, succi plena, membra longe omnia ornatissima. Suspexi duos hos plurimum, non arbitratus, insitatæ alias immanitatis barbaros, tam conspicuos, & animi, & corporis dotibus esse posse. Erat Principi interpres, *Gabriel Halmy*, Nobilis Hungarus; munus tamen id exsequebatur *Mehemet Tibay*; quem aliquoties antea *Cassouiæ*, & *Patakini* videram, Hungaricæ linguæ bene gnarus, qui, mea sententia, vel operam hanc suam, ipsemet Principi prius obtulerat; aut huius caussa, ad prouinciam hanc subeundam requisitus fuerat. Fit initium a Principe, salutatio præmittitur. *Vezirius* resalutat. De valetudine Potentissimi Turcarum Imperatoris quæritur, & vicissim respondetur; deque statu Regni Hungariæ, de Principis mora, interrogatur. Redditur, & cur citius aduenire non potuerit, (o) caussas certas & graues esse. Transsiluaniam enim, necessario prius ad officium reducendam fuisse, quod absque persona, & præsentia Principis, peragi minime potuisset. Omnia nunc ibi tranquilla, pacata, composita & salua. Adesse & aduenisse Principem, vt scire possit, quidnam Potentissimus Turcarum Imperator, per *Magnificum Vezirium*, demandet. Elabitur, his & aliis verbis, vnus horæ quadrans, proferuntur munera. Admonet *Vezirius* (p) Principem fidei & constantiæ, deferens & pollicitus patrocinium & amicitiam, cum fœdere perpetuo coniunctam, regnoque Hungariæ, ad florem suum pristinum, profuturam. Datur Principi vna, datur & altera vestis talaris manicata; induitur. Est, qui legit ordine quorundam magnatum Hungariæ nomina, præsentibus dantur tunicæ, absentibus lectis, reseruantur. Legitur & meum nomen. Vidi schedam turcice scriptam. Lectorem, Secretarium *Vezirii* puto fuisse: cognomen meum, turcicis scriptum literis, & sono turcico, vel ipsorum pronuntiatione, non admodum commodum. Bis, vel ter repetiit, donec me tandem *Bocáti János*, pronunciaret. Extendere iubeor brachium; infero manum, & quasi *masqueradam* exercitaturus, clam ipsummet me rideo, me-

Habitus corporis *Vezirii*: *Aga* proxime adsidentis: init. per interpretes, colloquium proferuntur munera: *Vezirii* monitio ad *Botskayum*: *Botskayus*, veste Turcica induitur: tunc & comites sui: *Bocatii* iocus.

Oooo cum-

o) Prorsus concordat ISTVÁNFFIVS; sed luculentior etiam est, quam noster in caussis moræ enarrandis.

p) Adlocutionem *Vezirii*, ad *Botskayum*, habes apud ISTVÁNFFIVM, Libro XXXIV. p. 836, 45. & hic infra §. XVI. p. 328. sequ.

q) Op-

cumque hoc quasi loquens; DEVS *bone! si te iam amici tui, & cognati, sic & hic stantem viderent, diris omnibus deuotum orco traderent, nebulonemque turcicum indigitarent.* Idolum me quodpiam tunc esse fingebam.

## §. XIV.

Itur ad prandium habitu Turcico:

Exinde, surgit *Vezirius*, prodit extra papilionem, & eundem in antemurale sequimur. Sic, vt eramus induti, prodimus. Turcis, & cum eisdem magno agmine, ex nostratibus proceribus, nobilibus, militibus, Comitatuum & ciuitatum nunciis, nos cum admiratione spectantibus. Inter bina Principis, & *Vezirii* tentoria, tabernacula videmus adornata. Plures hic sunt mensæ pro conuiuis. Ergo discumbitur. Princeps sinistrum *Vezirii* occupat latus, Domino *Bassæ* adsidens. Mox nos, hic octo, ex opposito octo. Series longa mensarum; præter nos, vel centum alios admittere potuisset: assedit nemo, nec vocatus. Fit initium prandii, cibos & fercula oculis perlego. Nec lex illis vlla, nec definire possum. Frigent singula, tanquam *Tantali* sedemus, & fugientia poma spectamus. Comedunt rari, mihi nausea suboritur. Iacet ante me panis oblongulus, crassitie trium digitorum. Accipio bolum, semina quædam affrixa, & superspersa, video. Quæro, num illud sit, quod *Maszlag* ipsi nominant, atq; furiosos, insanos, & rabidos homines reddere dicitur? Respondetur: aliud, & melius quid esse; arrodo pauxillum: non ad meum gustum; nec salsus, nec fermentatus. Oculis vlterius proficiscor: video simile quid assatæ gallinæ: gallinane sit? quæso; esse, reddit: peto partem: datur vnus armus, putidus, fœtidus: excorio officula, vicina gusto, carnem, nescio, quo fœtido odore infectam, sentio, exspuo, valere iubeo. Stat, me obseruans, *Judex Hungarorum* Christianorum *Budensis*, hortatur; edam, bibam! proponit poculum argenteum, gusto vinum, quæro cuias? *Gyöngyösinum* (q) vocatur, *inquit.* Vicinum saluto, bibo. Ter bibit *Vezirius*, pro sanitate & valetudine sui potentissimi Principis inchoans. Aquam rosaceam, potum esse, meus ille dicebat. Facta mentione Turcici Imperatoris, & audito, pro eiusdem bibi valetudine, adstantium & circumstantium oritur adgratulatio, clamor altus, & eiulatus repentinus. Nostri spectatores, re non intellecta, putant classicum intonari, remotiores, nomen JESV, (r) proclamare incipiunt. Compescuntur ab aliis, mussitant, votum esse, & acclamationem propinantis *Vezirii*. Bibit Princeps, & comedit; sed ieiunus, & siccus, paullo post, nobiscum a mensa discedit. Vnius horæ, media interuenit mora, cum adhuc inhiamus, recentioribus & fumatioribus ferculis: ecce! famelici surgere iubemur. Ego, ad longitudinem vnius digiti, de pane meo abscindo, & vt saltem, quod sociis demonstrarem, & signum aliquod, conuiuii tam lauti, haberem, mecum aufero. Tacite, molem ferculorum in numerato quasi habens, puto mihi visas, vltra trecen-

discumbitur

faceta conuiuii descriptio:

*Hūgari* manent impransi:

q) Oppidum est *Comitatus Hentensiensis*, copiosum id sane, & vini prouentu diues. Quod tamen hornum bibi oportet: nam ætatis haud est patiens.

r) Inclamatio sanctissimi nominis IESV, & precum, & celeusmatis loco est, prælium inituris *Hungaris*. Hic, subiti periculi opinio, id prolicuit, & adtonitorum vox est.

trecentas patinas turcicas, ex cupro factas, stanno circumdatas. Iuscula videns hinc inde, garo & visco similia: quid esset? quæsiui: responsum: vocari *Csorba*. Passim erat videre congeriem orizæ, quasi minio coloratæ; præsto quoque erant, carnes bubulæ; sed suillum in modum præparatæ. Crediderim autem, adparatum illum *Turcis* creasse delicias; vt cuique genti suæ sunt deliciæ; nobis sordes & stultitia. Habeant, & oblectent se illis in perpetuum! Sit mihi frustum carnis bubulæ, cum incocto petroselino, vel insperso nasturcio; Turcico Ioui, lubens suam ambrosiam, & nectar, in perpetuum relinquam; laturus, si illis, ad palatum ipsorum paratis, vel ipse *Ganymedes*, (s) & quicquid est, ex cælesti illa familia, cibos & pocula, administret. Cognoui præterea, tantum adparatum, alias apud *Vezirium*, quatuor, quinque ferculis, fami suæ sufficientem, insolitum; genio saltem, & voracitati nostræ, subseruire fuisse iussum. Prandentibus nobis, tubicines, tympana, & cantores, alternatim resonabant. Musicam putas me audiuisse? musicam! sed dissonam & asperam, inconditam. Decem catos maiores, decem feminas, totidem canes maiores, & minores, si noctu audias, turcicam te musicam audiuisse, cogites. Magna tamen hæc apud illos omnia!

conuiuii detestatio:

musica qualis?

## §. XV.

Nos adsurgimus, & ad Principis deducimur tentorium. Diripiuntur mensæ, quisque, vt est proximus, ita, quantum potest, aufert. Fit dentium & edentium pugna. Peditum autem, nostro Principi, a custodia corporis, cibi in quatuor ahenis, quorum singula quaterni portabant, phalangi illati: *Csorbas* meras fuisse crediderim. Adfertur quoque vnum vas vini, in tentorium Principis. Baiuli, vt muneris quid extorqueant, conantur ingredi, prohibentur. Princeps, in tentorio, ad nos conuersus, esurio, *inquit*, & sitio. Porrigitur poculum, bibimus omnes, dicente quodam: ista per quinque aut sex dies, Viennæ & Pragæ inotescent. Non multum, *inquit*, Princeps, refert. Idem ad me: Ecce, *Domine Bocati!* iam tibi satis materiæ suppeditatur, vt carmina scribas. Certe, Serenissime Princeps! si temporis, loci, & ingenii, eæ mihi vires essent. Sermones, cum ceteris habiti blandiores & festiuiores, quales, scilicet, ebriosis, post prandium, suboriuntur.

Surgitur ab accubitu, postea mensis direptis:

*Bosskaii* cũ suis, in tentorio, facetiæ.

## §. XVI.

Mediam hæc excipiunt horam. Veniunt legati turcici, continuatio cum *Vezirio* colloquii, (t) postulatur. Procedimus, vt antea; fiunt omnia, vt antea. Salutamus, & adoramus *Vezirium*, nunc alio, & splendidiori amictum habitu, pileum alium, non adeo magnum, vt ante prandium, ostentantem, nec crista priori adæquanda; prior enim, ex munimento gemmato excrescens conspiciebatur, & dubio procul, longe maioris fuit pretii; vbi inter alia, quadratus

Inuitatur denuo ad *Vezirii* tentorium:



s) De hoc, OVIDIVS, Metamorph. X. 155. & qui in hunc locum aliquid notauere.

t) ISTVÁNFFIVS, ex gemino colloquio, vnum fecit; conuiuii haud meminit.

u) *Ca-*

dratus & bene magnus adamas. Qui mihi ſi eſſet, centum fortaſſis ruſticorum nobilis fieri potuiſſem. Repetitur anterior ſermo. Factum de Transſiluania initium ; quanam illa ratione, ab obſequio & fide Turcici Imperatoris, defeciſſet? quibus de cauſſis, quibus auctoribus? Interpretem denuo agebat, *Tibay Mehemetes*, nixus genibus ante *Vezirium* ſedens. Locum tenebat Princeps priorem ; ad latus alterum ſedebat *Baſſa* Budenſis. Adueniente vero *Aga* Janitſcharorum, ceſſit honorem *Baſſa* Budenſis, adſurgens ; nam *Aga Janitſcharorum*, vt *Vezirius* ſecundus eſt a Turcarum Imperatore ; ſic iſte, ſecundus a *Vezirio*, cui quoque exteriores *Baſſæ* ſe ſubmittebant. Eſt enim dux Janitſcharorum prætorianorum, penes quos Cæſarem Turcarum eligendi eſt facultas. Budenſis interim *Baſſa*, vicinum occupauit locum. Iam ad latus *Vezirii* aliis turcicis conſiliariis ſtantibus, aliis humi ſedentibus. Vacinus, Budenſi Baſſæ aſſidebat, & ſtabat interdum: breuis ſtatura vir, ſed obeſus, craſſus, pinguis, rugis obſitus, imberbis, deformis, anum centenariam facie referens. Eunuchus, & cubicularius *Vezirii*, diligenter vbique obſeruabat, ſi bene, prudenter, congrue, dextreque quidpiam fieri animaduerteret, quod maieſtate, dignitate & Imperio Ottomannico dignum poſſit obſeruare, vt de eo, Imperatorem ſuum edoceret & informaret. *Herélt Baſſa* (u) nuncupari dicitur. *Tibay Mehemetum*, Principis interpres, & ſecretarius *Simon Pécſi*, vt aliarum linguarum gnarus, ita quoque turcicæ, multæ vir induſtriæ & experientiæ, obſeruare, & an recte omnia exprimeret, diligenter auſcultare ſunt viſi, ſic, vt alter *Gabriel Halmy*, interdum *Mehemetum* interpellaret, quod minus recte ſenſa Principis interpretetur.

ſermonis initium a *Transſiluania* ductum; *Vezirii* quæſtiones catioſæ:

qui ſermoni ei interfurint:

*Aga* Janitſcharorum dignitas:

Eunnuchi ſolertia:

interpretum adtentio.

## §. XVII.

Princeps interim, animaduertens ex quæſtionibus *Vezirii*, fortaſſis ſuam inſinuari perſonam, cauſſam aperuit: quare & ipſemet, *Sigismundo Báthori*, tunc adoleſcenti, & per ætatem, ſibi ſuisque non bene conſulenti, & imperio germano ſe credenti, coactus fuerit, pro temporis, & ſtatus ſui inferioris conditione, conſentire. Iam rebus, non modo in Transſiluania; ſed & in tota Hungaria, longe aliter ſe habentibus, ſua, & regnicolarum, promittebat obſequia. Ad quæ pluribus hortamentis & argumentis, *Vezirius* ipſum conatus eſt incitare, ante oculos ponens ipſi: „ CollationemPrincipatus Transſiluanici ; vtque, quod fuit olim *Sigismundo*, & „ Transſiluanis, fœdus cum Turcis ſemel ictum, ſanctius obſeruaret: quipe qui, id ipſum meliori fortuna rumpentes, fide temeraria, non indignas luerint pœnas. Tunc aurea & *Saturni*, vt „ ita dicam, fuiſſe tempora, inſulamque fortunatam Transſiluaniam; deinde, ſub iugo Germanico, miſere deuaſtatam, & ad „ extremam miſeriam perductam. Quorum recordatione, iam *Hungaros*, merito cautiores & ſapientiores fieri, vt qui ſatis abunde „ ſint hactenus experti, quam egregie ſint ſub rege ſuo Germanico „ defenſi, fortuna, & ſucceſſibus, adaucti. Nationem illam, „ num-

Reſponſio *Botskaii* ad quæſtiones *Vezirii*:

*Vezirii*, ad *Botskayum* oratio: ſpecioſe mendax.

u) CASTRATVM Purpuratum, vox Hungarica, notat.; hoc eſt: Spadonem.

*) Pror-

„ numquam sinceram erga Hungaricam fuisse gentem. Sub specie „ defensionis, quotannis bellum Hungariæ esse illatum; gratulari „ vero iam sibi merito possunt *Hungari*, de tandem iam semel facta, cum Turcis, amicitia, & inita societate, numquam genti huic „ dispendium allatura; sed patrocinium contra quosuis hostes suos, „ vbicunque & quandocumque necessitas efflagitauerit, latura; beneuolentia, sincero animo eosdem complexura; non secus ac si „ fide, gente & prosapia Turcica essent oriundi. Fugiant inanes *Germanorum* promissiones, & neque quidquam de libertatibus antiquis, quocunque nomine vocitatis, sartis, tectis, inuiolabiliterque „ conseruandis, remittant. Non cadere hoc crimen in domum Ottomannicam, vt promissa & pacta per eandem, vicissim aliquando violentur; dummodo alii fidem debitam præstent, & in officio maneant. Germanis, & ipsorum regi, plusquam vsitatum & „ solenne esse, promittere & non præstare, peierare, decipere, „ fallere. Ea pietate, ea iustitia, & ea virtute, *Turcas* esse, vt „ si gens Hungarica, iam semel inchoatam amicitiam continuet, „ & consolidet, breui sit expertura, quanta regnum & *Coronam* „ *Hungariæ*, sit exceptura felicitas, modo pede, quo cœpit, iret „ & pergeret; Germanis, aureos quantumuis montes pollicentibus, diffideret, & amplius ita misere se falli non pateretur.

*iniuriæ, in Germanos, criminationes:*

Hæc, (v) & alia, partim mihi intellecta & audita, partim vero non, ad mediam durarunt horam, dum ex collatione capitum, & arctiore consensu, cetera, adstantibus, tam *Turcis*, quam nobis, percipere & intelligere, datum non fuit; præsertim, vbi *Vezirius*, Principem, suam iuberet, de bello continuando, deque eius remediis, rationibus & modis, dicere sententiam. Ipse vero, per modestiam id esse facturum, inprimis cum renueret, & quod superfit, sapientiæ, prudentiæ & industriæ Turcarum Imperatoris, *Vezirii*, & ceterorum, relicturum se diceret: intuenti *Vezirio* collaterales, & iubente, qui a tergo ipsius stabant, paulisper longius secederent; idque noster nobis significaret Princeps; ipse, cum *Vezirio*, *Aga Janitscharorum*, *Bassa Budensi*, & aliis duobus *Bassis*, reseruatis, Principisque duobus interpretibus, ibidem iussis manere, collocutus est. Recessimus itaque, fere ad octo passus, & verba quædam sonumque eorum audiuimus, intelligere tamen haud potuimus, spectatorum tantum perfuncti munere.

*de bello cōtinuando interrogatio:*

*remotis longius arbitris colloquium secretius instituitur.*

## §. XVIII.

Dum hæc in tentorio *Bassæ* peraguntur, gestiebat animus cum ceteris interea *Danubium* transire, & vrbem lustrare *Budam*. Certatim enim id fiebat, vt scaphæ, cymbæ & naues, *Charontes*, & *Palinuri*, (x) non sufficerent; per velamentum namque tentorii, longe instar mœniorum obductum, rimula mihi fenestram exhibente, vidi nostros *Hungaros*, hos pedites, illos equites, diuersis

*Bocatius, vrbem Budam adire percupit, commilitonum exemplis excitatus:*



v) Prorsus eadem hæc sunt, quæ loco citato, apud ISTVÁNFFIVM leguntur; vt fas sit existimare, legisse eum *Bocatii* hanc epistolam, & in rem suam vertisse.

x) Ille inferorum nauta, de quo VIRGILIVS, Aeneid. VI. 298. Hic classis Aeneæ gubernator, Idem Aeneid. III. 202. & 562. *&c.*

y) Ist-

uersis in ripæ locis, naues insilere; quosdam, exstanti salutis, periculo, in aqua ad vmbilicum, in naues, tabulatis, difficulter & magno nisu irrepsisse, multos, quibus non integrum equis fuit naues intrare, fræno appræhensos, & natare penes nauigium iussos, periculose transfretasse. Continuato itaque Principis colloquio, cum auribus, quæ vellem inbibere, non possem, videremque vnum & alterum ex nostratibus, ad remotius *Vezirii* tentorium abduci, coronamque ibi Principi donandam monstrari, intelligerem; accesscessi, & ipse intuitus sum cum aliis. Regredior ad locum. Paullo post mussitatio colloquentium, abiuit in sermonem clariorem. Adsurgitur igitur, reditur. Adfertur corona, & gladius, in aurea vagina, gemmis & lapidibus pretiosissimis, ponderosa: qualis & corona. Verba fiunt ad Principem iam stantem. *Vezirius*, & alius quidam *Bassa*, Principem eodem accingunt, gratulantur, vouent, cuius rei sit monumentum, indicant. Amicitur alia veste, pelliceo nempe, Zobellino purpurato, aureis & argenteis pertexto filamentis. *Corona* quoque capiti imponitur, argumentum cuius sit, explicatur. Accipit hoc Princeps, gratias agit, deprecatur autem coronæ donatæ maiestatem, & cum protestatione (y) solemni, *Vezirio* indicata; *dono, & muneris se loco a Potentissimo Turcarum Imperatore, non vero ad vsum accipere. Constaret enim, Germanorum Casarem adhuc viuentem, non nisi iuxta leges, libertates, & consuetudinem, rite, legitimeque, ceremoniis patriæ suæ vsitatis, electum fuisse: se per conscientiæ integritatem, & præiudicium patriarum legum, nil facturum*; Coronam simul ipse accipit, & Magnifico D. Szétsi tradit. *Mos*, inquit, *est, vt ejusmodi diadema, apud aliquem e magnatibus Hungaris, cuius perspecta sit fidelitas, adseruetur.* Ad nos quoque conuersus, Hungarico idiomate, profert eadem ipse, nihilque, contra libertates Regni Hungariæ antiquas, commissurum esse, cum obtestatione, & protestatione, pollicetur. Donanti rem tam pretiosam, reluctari se nullo modo, seu posse, seu debere; non tamen ideo coronam sic se vsurpare velle, vt aliis sua deroget iura, libertatumque patriarum sit violator. Amplexibus denique, salutationibus, & valedictionibus mutuis, & reciprocis, cum Principe, a *Vezirio* discessimus, per medios, vt antea dixi, stationarios *Janitschàros*, ceterosque Turcas innumeros, exceptis præuiis musicis; vndique gratulationibus aduolitantibus: Viuat! viuat *Magyar Király*! antelata corona, (z) ad principis tentorium deposita, reposita. Aduolant Turcarum antesignani gratulatum, modo hi, modo alii.

*Botskay a Vezirio* gladio præcingitur: veste pretiosa induitur: redimitur corona aurea:

grauis, *Botskay* oratio, coronam, vt donũ, haud vero diadema acceptantis:

quam ad *Hungaros* comites repetit:

valedictio inter amplexus mutuos instituta.

§. XIX.

y) Istvánffius, id vnicum, in omni *Botskaii* vita, modestiæ exemplum fuisse ait l. c. p. 837, 34. Sed multo plura potuisset obseruare, nisi infenso vltra modum, in *Botskaium* animo fuisset. De ipsa Corona hæc habet: *Ea esse dicitur rudioris operis, intus quidem lignea, & superne laminis aureis tecta, & lapillis, obsoletum in morem inditis, elaborata. Quæ, quamquam a Turcis, Imperatorum Constantinopolitanorum, aut Despotarum Thraciæ diadema fuisse fertur: incertum tamen est, quænam & vnde sumpta sit.*

z) Sanctionem, de Corona hac spuria, lege Decreto Matthiae, anni M. DC. IX. Artic. XX. vbi eius repetendæ cura, C. Georgio Turzoni, iam Regni Hunga-

## §. XIV.

Expedit & Princeps antidota sua, pocula deaurata, maiora & minora: patinas, pateras, cantharos, salinaria, candelabra, lagenas, in theca repositas, aperta omnia. *Myronis* (a) opus. Accersuntur, & ordinantur, qui portent octodecim, vel plures, & vtraque manu, & seorsim, donorum magnificentiam ostentantes & eleuantes. Baiuli, vix turbam spectatorum transire & penetrare possunt. Ad *Vezirium* omnia mittuntur. Redeunt, qui gratias agant, vltimum valedicunt, se Principi commendant, monent, æternum se præstet, qui nunc est, amicum *Turcarum*. Irruit *Janitscharus* cum cygno, abs se in Danubio traiecto. Principi donat; offert. Bonæ fortunæ, & optimi successus (b) indicium esse, vates prædicit. Exit non indonatus. Tormentorum fit horrenda, sicut mane, & vehemens explosio, in lætitiæ signum; canitur tubis & tibiis. Omnia sonitu & cantu perstrepunt. Mirantur Turcæ exercitum Hungaricum, & copias tantas, aliquibus dicentibus: *Opinatos se fuisse, vix in tota Hungaria tot superesse homines.* Reditur ad castra medio abhinc milliari distantia, vespera iam accelerante. *Janitscharorum* bombardæ, & pariter nostratium, cælo, & fulmini Iouis, minantur, & surdos nos reddunt. Iucundum in omnibus spectaculum: damnum illatum nulli, præter quam, quod vnum nauigium, in quo circa quinquaginta dicuntur fuisse Turcæ, globus tormentalis, demissiore aliquo propugnaculo explosus, attigit & allisit, Turcæque cuidam crus perfregit, ceteris in vicinam receptis nauem. Nos passim in viis, & campo, globos *Buda* eiaculatos, collegimus. Crepusculo iam aduentante, faces longæ, & lichni Turcici, duodecim puto, Principi sunt prælati, baiulis occinentibus, fluuiumque *Ràkos*, hilariter, ac si vadum esset, calceis & vestibus non exutis, in signum obseruantiæ, & promptitudinis, transeuntibus, & Principi, per totam noctem, inseruientibus. Nox hæc mihi iucundior fuit, & tamen aliquantulum suspecta. Dolum enim & frau-

Quibus contra donis, *Botskayus* honorauerit *Vezirium*:

*Janitscharus*, cygnum in Danubio traiectum, quasi lætum omen, *Botskayo* adfert: displosiones nouæ.



Hungariæ Palatino demandatur. Ac fecit sane officium Palatinvs. Ita in ephemeridibus suis, Georgivs Zavvodszky, ad annum M. DC. X. *Die trigesimo Iunii, inductitia corona Turcica, olim principi* Botskaio *donata, in arce* Saros-Patak, *ad manus Illustrissimi Comitis Palatini, per curatores orphaui* D. C. Valentini de Homonna, *tradita est & resignata: tandemque per suam Celsitudinem, Viennam, ad suam maiestatem Regiam, præmissa solemni oratiuncula, deportata & exhibita est, VI. Octobris anni currentis.* Hic, eius diadematis ortus, hic fuit occasus, sic iuit sub vmbram!

a) Myronem intelligit, Lycium illum, Polycleti discipulum, insignem statuarium, & omnis generis elegantium operum, magistrum, qui Olympiade LXXXVII. floruit. Eius opificia, lege apud Plinivm, Lib. VII. Cap. XXI. Ovidivs de arte Amandi, Lib. III. 218.

*Quæ nunc nomen habent operosi signa Myronis,*
*Pondus iners quondam, duraque massa fuit.*

Fuit & alter Myron, *Eleutheris* natus, Ageladis discipulus. Sed, an Myron Ouidii, Plinii sit *Myrmecides*, alii viderint. Hæc tironum caussa notasse iuuit.

b) Pessime! quid enim necatus cygnus aliud, quam necem poterat portendere; si quid tamen fortuitis portenti est adtribuendum. Sane, cygnus mortuus non canit. Botskayvs omnino, celebritati huic, annum admodum, ac mensem vnicum, superuixit.

c) Hic

fraudem non subesse, necdum mihi persuadere potui. Donauerant nos, qui consiliis, & colloquio Principis adhibiti fueramus, centum ouibus, quod cum ego paullo serius resciuissem, binæ mihi tantum cesserunt, ceteris distractionem occupantibus. Nox hæc plerisque fuit ad meum votum: erat cælum album, auroramque serenam videre.

## §. XX.

In vrbem redire statuit Bocatius: Aurora adest. Relatione ac sermonibus illorum, qui *Budæ* fuerant, captus, de redeundo, deque visenda *Buda*, me incedit libido. Communico rem & propositum cum aliis, idem cogitantibus. Impetrata a Principe venia, cum *Domino Georgio Hoffmann*, consiliario Principis, & aliis, iacio aleam, & nouo me expono periculo; cum præsertim intelligerem, Principem eo die, vltra duo milliaria non perrecturum. Rationibus itaque subductis, redire iter eius *Budam* susceptum: me, & castra eodem die apprehendere posse; pergo *Budam*, cum sociis curru vectus. Adpello in Danubii portum. Adest nauis, recipimur, transferimur. Intelligo, *Vezirium*, hesterna die, quam primum Princeps discessit, non solum *Budam* ingressum, sed eadem vespera, iter suscepisse ad sua castra, infra *Budam* duobus milliaribus distantia. Maturare iubetur iter, vt anteuertat hiemem & eduentus: tempestates. Egressus naui, quod primum, quod postremum lustrandum sit, ignoro. Ad portam video, longum & testudineatum, vrbis descriptio: ex quadratis lapidibus, ædificium, MATTHIÆ regis sumptuosum stabulum exstructum fuisse cognoui. Miratus & alterum vicinum huic, non impar mole & longitudine; sed eminentius & altius, versus vrbis mœnia. Video, hinc ire & redire homines, & iumenta, & stratam saxo viam, per flexus aliquos, ad mœnia ductam. Venitur ad portam, cuius nomen ignoro, quam tormenta Pestiensia lædere potuerunt, cratibus & congerie terrestri impleta, vt curruum non detur ingressus, tantum equiti & pediti fauebat. Jacent sordes in aditu: hic passim intestina, cadauera, sordes, fimus, excrementa. Ingredior *Budam.* (d) Salue, dicebam, BVDA! Hungarorum quondam regia, nunc dolor & morbus, vt in aditu in primis videris, sordibus intus fœda omnia: & luto es amica. Pergo, montem & plateam ascendendo: reflector ad dextram. Hinc & inde tabernæ, præ foribus, institoriæ, coqui publici, popinæ & tonstrinæ. Erigo caput, lustro domus, tectis admodum pauperibus, & non tectis, fenestras obstructas luto, lateribus, stramine. Troiana me Pergama visurum arbitrabar: video, pessimo auspicio, deformatas, conspurcatas, situ & fumo macerieque, dehonestatas ædes. Forumne sit, interroganti? esse remercatus qualis: spondetur. Adeo mercatores, postulo hoc, postulo illud; singuli respondent, *Lok*! alii *Loktar!* non esse, quod velim, intelligo. Venduntur sericata, nil adparet, quod mens, quod postulat vsus. Pretium, pro qualicunque, etiam vilissima re, magnum. Emuntur colo-

c) Hic ille HOFFMANN est, cuius postea ministerio, in concilianda pace Viennensi, BOTSKAIVS vsus est. Ante hos motus, CAESARI, a consiliis fuit *Cassouiæ.*

d) Nostram fecimus, squalidam hanc BVDAE icona, Tomo operis III. Historiæ vrbis, Periodo II. §. LIII. sequ. p. 351. vbi simul, nota (f) ad hunc Adparatum prouocauimus.

e)

colorata cochlearia, atramentaria, & pauca alia. Conuenio *Presbyterum Hungarum*, Christianæ religionis. De statu, & ordine Christianorum ibidem habitantium, expiscor. Is vno verbo: *miseria & seruitus*! templum, non ita pridem Christianis ademptum, querebatur. Ergastulum suas ædes esse dixit. Vbinam schola? ecce! *inquit*, ostendens quinque puerulos. Pluresne? non certe! Miser, inuitat, & professionis (e) signum edere vult. Pellit frigus & catos de foco: iubet, vxorcula cibum præparet. Supersedeat, rogo, morandum non esse. Peruoluo libellos veteres illius seculi. Album offero meum, & posco, pro memoria, nomen profiteatur suum. Facit bonus, præmittit, nescio, quod mysterium: *Nunc altum tentabo scopum, si attingere possum; quem nondum quisquam tetigit. &c. Steph. M. Kecskemetinus, Concionator Ecclesiæ Christianæ, Budæ* 2. Nouemb. (f) secundum vetus Calendar. A. 1605. Valedico homini, polliceor amicitiæ vicem, & ad litteras prouocatus. Vrbem lustraturus pergo, colligo, fuisse *Budam*, qualis describitur, qualis dicitur. Nihil iam præclari, cœnum vbique. Versiculi, dicta, & sententiæ, passim in parietibus domorum. Templa diruta, iumentis hospitia. Nec scandulam, nec asserem vnicum vidisses hic recentem. Monimenta marmorea, ex cœmeteriis perlata in angulos & plateas, vel sedilia præbent, vel mensam mercatoriam. O vastitatem! o vastatores! proclamabam. Sicne homines, ab omni ornatu & mundo alienos esse, vt porci nostri præ illis, homines esse videantur? Strata passim iacent cadauera. Quo in loco, quod suffractum, eodem relictum. Obueniunt agazones, equi singuli, binos sordidos & horrendos culeos deferre visuntur. Aquam venalem circumportari, & saccum vnum, asperis septem vel octo, coemi, mihi dictum est. Vrbs enim superior, propter situs altitudinem, & loci duritiem, (saxum enim est solidum) puteis & aquis destituitur. Inferior ciuitas diruta, disiecta, incolis cassa, plus Neptuni, quam Cereris, & Vulcani, nunc habet, nullo fere ædificio adhuc stante, præter bina, vel terna turcica templa, ipsis *Meczeth* nuncupata.

Christianorum presbyteri querelæ, & status complorandus:

*Bocatii* dolor.

## §. XXI.

Arcem indago, & reperio. Primo, occurrit statio tormentorum numerosorum, Turcica inscriptione, & Cæsarum Romanorum, ex quibus, vnum recens allatum, diligentius contemplor, annum & dominum. ANNO M. DC. II. RVDOLPHVS II. Nulla illorum cura; stant sub dio: terram axes attingunt. Globorum passim stratorum, & absque ordine iacentium, ingens copia. Mox alteram ingredior arcem, & in penitiorem arcem me intromitti peto. Denegatur, sub capitis pœna sibi interdictum esse, custodes dicunt; sed olfaciebam vnde illæ lachrimæ. Per portam palatii, magni-

Arcem exteram perlustrat *Bocatius*:

ab interioris aditu arcetur:



e) Christianæ, nimirum caritatis, vti se a barbaris discriminaret, pignus.

f) Fuit nempe, XII. eius mensis dies: nam XI. quidem, qui proxime antegressus fuerat, solemnitas ea peracta fuit: quippe quæ, in diem *B. Martini* festum, inciderat. Alioquin, Presbyterum *Religionis Reformatæ*, fuisse, suum istud ænigma, satis indicat; vt *Kecskemetini* cognomen, taceam.

g) Ad-

magnificas & egregias columnas intueri licuit. Sed, de *Monte Sancti Gerhardi*, ante triennium a Cæsarianis occupati & possessi, vi tormentorum, eadem parte, admodum apparebat arcem esse perforatam. Turres hic video albicantes, & tectas, hinc inde quoque laceras, & globis percussas. Cum nihil ad contemplandum daretur, de porta arcis me demitto: vbi *Turcicæ* duæ feminæ (nullam aliam (g) præterea videram in tota vrbe) obuiam veniunt, facie velata, e thermis, sub arce pullulantibus, egredientes. Præceps hic descenditur mons. Iacet hominis Turcæ cadauer ad semitam, esca canibus. O immanitatem! Viam & ripam *Danubii* contrecto. Rursus congeries globorum, vt aiebant, ex castris Cæsarianis, hucusque eiaculatorum. Egressis cum sociis, noti quondam *Hungaro-Turcæ* Christiani, panem, caseos, oryzam, fructus hortenses, offerunt, donant. Ingredior nauem, & dum per *Danubium* vehor, sociis ænigma propono. Respondeant, quid hoc esse putent, quod loco termini & notæ alicuius, *Budæ* visæ, velint obseruare: *Esse quid Budensibus in tanta copia, vt nulla in tota Hungaria ciuitas, vrbs, aut oppidum habeat, gratis cuiuis idem illud detur, concedatur; nihilominus tamen ipsi, nisi pecunia interueniente, consequantur.* Hæsitantibus illis, *aquam* esse respondi. Magnus enim licet, & amplus fluuius sit *Danubius*, cuius vsura, vt nemini prorsus, neque iumentis sit interdicta, in vrbe tamen ista, ematur pecunia. Hinc *Pestum* (h) ingredior; o miserum *Pestum*! pestem potius nuncupandum!

eius habitum per portam rimatur:

exit ex vrbe

venit *Pestinum*, ruinis fœdum.

g) Adtexam, ex BVSBECKII Epistola, legationis Turcicæ, tertia, muliebris, apud Turcas, castimoniæ, dignissimam lectu, commemorationem. *Turcæ*, inquit, *si qua alia gens, vxorum pudicitiæ student; ideo conclusas, seruant domi, atque abdunt, vt vix sol adspiciat. Quod si in publicum necessitas euocet, ita tectas, ita pannis obuolutas emittunt, vt meræ laruæ & spectra, occurentibus videantur. Ipsis quidem viros, per linteum, aut sericeum, videndi copia est; viris, nulla earum corporis pars, ad conspectum patet. Est enim apud eos recepta opinio, non posse mulierem, quam vel minimum, forma aut ætas commendet, a viro, sine potiundi libidine, ac proinde, sine mentis labe, conspici: ob, id omnes habent absconditas.* reliqua p. m. 143. sequ. Consulunt illi, his, istiusmodi inuolucris lustrisue, quomodocunque virorum; non item refrenandæ lasciuiæ mulierum: quippe quæ, per sua illa siparia, viros contueri, & nisi vim sibi adferant, imaginaria se libidine, contaminare poterunt. Quidquid eius sit, honestius feminæ Turcicæ obnubuntur, quam se, ex lasciui habitus fastu, nudant hodie mulieres nostrates; magno profecto Christiani, vel nominis, tantum, opprobrio, HENRICVS PORSIVS, legationis, quam ad Turcas, IOACHIMVS a SINTZENDORFF olim obiit, comes, salse, velamina Turcicarum mulierum, perstringit, Epigram. Lib. II. p. 136.

*Femina cur vultum velamina Turcica celet,*
*Quærenti proprior caussa reperta mihi est.*
*Ore pudor gaudet, sedesque pudoris amica*
*Est facies: hominis noscitur ore pudor.*
*Cuncta sed obducta quis fronte licentius audet?*
*Et cessante, nefas omne, pudore, leue est.*
*Haud secus ora tegens exterminat illa pudorem;*
*Plurima sic fallax crimina larua tegit.*
*Hinc mulier, quocunque lubet, velata vagatur,*
*Quærit & illicito, quo calet, igne frui.*

h) Retulimus hæc quoque in commentaria nostra, Tomo III. in PESTI descriptione, Cap. II. §. XIV. p. 85.

dum! Nulla ibi domus integra, solo fere adæquatæ omnes: sex paucorum hominum, & colluuies. Intus, per medium, fossam *Turcæ* duxerunt, & vimine, lutoque murum finxerunt. Templa, & turres, apparebant nullæ. *Chremes* (i) quidam *Turcicus*, nobis familiariter se insinuans, gratulabatur de præsentia nostra. Nonne, *inquit*, pulchra res est, res grata? vos *Hungaros*, in ciuitatibus nostris libere vagari, mercari, negotiari: pergite, cœptumque continuate! Deus prosperet vestros conatus. Germanis fidem adhibere, & ad contrarium vos perducere, ne patiamini, Fallaces enim illi sunt. Vale *Pestum*, vale *Buda*! satis est semel vidisse!

## §. XXII.

Currum ascendo, abeo, castra sequor, eodem die apprehendo. Principe recepto in arce, vel specie arcis. Fuit ea *Vacia*, quondam, locus testibus tot & tantis, frequentia hominum opulentissimorum, præsertim insigni tricesima, celeberrimus. Iam in tuguriolis rustici, ex pagis profugi, & conuenæ viuunt equidem:

*Vitamque extrema per omnia ducunt*,

& agros vicinos excolunt. Huc nobis adpulsis, conueniunt nos ciuitatum Transsiluanarum nuncii, vbi *Coronenses*, coronam (k) Rascianorum & Valachorum olim regis & principis, cum paludamento, & aliis ornamentis decoram, Principi dono obtulerunt; antea toto tempore, coram *Sigismundo Bathorio*, & Cæsaris aucupibus, plane celatam, & *Brassouiæ*, seu *Coronæ*, clam, a multis adseruatam annis. Qua oblata, non parum sibi Princeps gratulatus, verbis & vultu hilari, testatum id fecit. Si tamen die præcedenti, priusquam coronam alteram nactus fuisset, istam accepisset, hoc est: in tempore; magis beatum se reputasset. Rem nihilominus cum *Vezirio* communicaturus, *Dominum Imreffy*, magnatem Transsiluaniæ, eundem sequi, & nuncium hoc ipsi portare iubet.

*Botskayum* Vaczouiæ adsequitur: qui illic a *Transsiluanis* corona donatur.

## §. XXIII.

Proinde, decima quarta die Nouembris, *Vacia* mouentes, biduo post, *Carponam* appulimus: vbi magnates alii & legati Comitatuum Ciuitatumque, Principem præstolantur. Post triduum, venit legatus Cæsareus, *Magnificus Dominus Sigismundus Forgách*, cuius opera, Cæsar, & Archi-Dux Matthias, semel & iterum, in legatione, propter compositionem pacisque tractationem, vsi fuerunt. Per eum, ad articulos (l) Principis, iam antea Cæsari missos,

Iter *Carponam* susceptum: quorsum legatus Cæsaris, *Sigismundus Forgách*, aduenit:



i) Terentianus senex rusticus, edentulus ille quidem, sed isthic egregie, in rem suam, facundus.

k) Nihil horum alibi huc dum reperi. Istvánfius, silet, dignam memoratu, historiam. Ergo, non est omnino obliteranda. Sed, quis ille Rascianorum & Valachorum Rex, aut Princeps, cuius hæ fuerunt exuuiæ? Fallor, annon Michnæ, filii *Draculæ*, Transalpinarum Prouinciarum reguli, fuerint reliquiæ. Pulsus ille dominatione, Wladislao indulgente, *Cibinii* exulabat, isthic, Anno MDXXII. Mart. nefarie trucidatus. Vide supra, *Monument.* I. §. IV. p. 24. Et *Monum.* II. p. 64.

l) Exstant hi, relati in pacis Vienensis tabulas. Quas vide in Corpore Iuris Hungarici, Tom. III. p. 111. sequ. Id doleas, pacificationis eius, historiam pleniorem desiderari adhuc: in qua tamen elaborare decuisset Hungaros, tanti memores negotii superant, in potestate nostra, ad eam rem, tenues quædam reliquiæ.

missos, Archi-Ducis nomine, Cæsarea adlata est resolutio. XXI. Nouembris, coram selectioribus legatis *Hungaris*, prælecti sunt iidem articuli, additumque Cæsareum responsum, quod accepit Princeps, quos limitet, aut ad diætam, sub saluo conductu instituendam, ventilandos, & communibus regni suffragiis confirmandos, reseruet Cæsarea Maiestas. De induciis, inter Cæsarem, & nostrates faciendis est conclusum. Quamobrem, electi legati, qui vna cum *Domino Sigismundo Forgách*, *Viennam* proficiscantur, quorum est (m) antesignanus, *Spectabilis & Magnificus Dominus* Illésházy, vir, (n) exactæ sapientiæ, & patriæ salutis amantissimus, cuius vel solius arbitrio, sicut olim *Athenienses Solonis*, nostra gens *Hungarica*, se submittere, de eiusdemque ore pendere videtur; speroque futurum, vt ipsius industria & moderatio, sit euentum habitura commodum, optatum, & nobis totique Christianitati, perutilem expeditionem; vt cum fluctibus, ac tempestatibus istis quasi belli ciuilis, iterum prudenter & æquis vtrinque conditionibus compositis, respiratio, paxque peroptatissima commutetur: eandem, Nobis, Germanis, & ipsis Turcis, belli huius diuturnitate languidis, eneruatis, & requiescere vicissim votis omnibus expetentibus.

coeunt induciæ: mittitur Viennam *Illeshàzius*: eius laus.

## §. XXIV.

Epilogus.

Hæc, Amicorum optime! vt promissis meis starem, Tibi volui perscribere. Si quid audieris, quod huic meæ relationi non corresponderet, fictum & falsum esse statuas. Non enim dubito, fore, quin profectionem & conuentum hunc, aliter atque aliter interpretando, narratis, quidam de suo sint addituri, vt gentem *Hungaram* denigrent, & apud suos, maleuolos & aduersarios nostros, exosam reddant. Longius iam non progrediar, sed epistolæ prolixioris finem faciam; dum hoc aliquando cum aliis, quæ concipio, nactus patronum idoneum, parta vicissim pace, & securitate fundata, in lucem edere meditor; non vt me, vel efferam, vel aliis præferam; sed erga reipublicæ, & communem omnium nostrum patriam, meam obseruantiam, & denique, in seruiendo studium, pro virili, plus faciam testatum. (o) Vale! meque tuum esse ducito, vel absentem. Datæ Carponæ, in Comitiis nostris, Anno M. DC. V. die XXVI. Nouembris.

F I N I S.

I. IO-

m) Fuere eius collegæ: *Paullus Appony*, & *Petrus Horváth Mladesovvith*, in priori hac profectione: nam in altera, præter *Apponium*, Th. Vizkeleti, & Andreæ Osztrosith, fuere.

n) Alia omnia de eo Istvánfyus, Lib. XXXIV. p. §. 42, 1. Famam nihilominus Illésházii, anonymus, eximio, post fata, panegyrico, quem habemus, tuitus est.

o) Vtinam prodeat aliquando, non meditatum modo, sed consummatum etiam, sicuti relatum accepimus, Bocatii istud, de momentosissimis euentibus his, Schediasma. *Feliciter!*

Consul-

I.

# JOHANNIS BOCATII PROPEMPTICON VATIDICVM,

*Magnifico & Illuſtri Comiti*

# FERDINANDO AB HARDECK

## In Hungaria ſuperiori Generali Capitaneo Bellico, Caſſouia diſcedenti, decantatum.

CUr has magne *Baro!* cur *Martis* nobile, terras
Deſeris, & miſero deſeris hocce ſtatu?
Thrax equidem gaudet, Te diſcedente; ſed ora
Pannonis in lacrimas, cogitur ire ſuas.
Sciſne, quod inſurgat nos contra luniger hoſtis?
Arua Croatici, ſcisne iacere ſoli?
Scis credo! quid enim belli dux neſciat ipſe,
Qui ſcit, vt vnguiculos, hoſtica quæque, ſuos.
Tu loca læta petes; triſti nos orbe relinques:
Iam primum patris, Te cor habere decet.
Hactenus exſangui ſe Turcus acinace regno
Continuit, pax heic vt quoque cunque fuit.
Iam nova de Scythia furiis agitatur Erinnis,
Trux venit Hungarico bile Megæra ſolo.
Heu! ſi contigerit nos beſtia tanta, cruore
Quanto, & quam late, noſtra madeſcet humus.
Sicut aper cultis, miſere graſſatur in hortis
A radice ſua, germina quæque ruit.
Non ſecus is caſtas ferro aras perdet, haraſque
Conſumet flammis, depopulabit agros.
Tene ſequi, & patria nos vis diſcedere terra?
Ah! nos turba fugæ, non ſatis apta ſumus.
Hunc pater, hunc mater, hunc nati, hunc detinet vxor,
Cur maneat, cauſſas omnis habere poteſt.
Pro quibus aut caram, vellet profundere vitam,
Sub duce Te tantum publica ſalua forent.
Ergo mane! generoſe *Baro*! gere maſcula contra
Bella Saracenos, horrida monſtra, canes.
Te, nec adhuc præſente ſuas, modo vita ſuperſit,
Hungariæ fructus eſſe fatebor opes.



Conſulto, Elegiam hanc, IAVRINO REDIVIVO, præmittimus; eo quod HARDECKII maleficio, *Pergama* illa Chriſtiani orbis, perierant. BOCATIVS profecto, vatem ſe geſſit, quando tantæ, ſiue fatorum, ſiue hominis, a præclara ſua indole degeneris, malignitatem, ex vero præcinit. Alioquin, infelicis, poſt ſuum, ex Hungaria ſuperiore, diſceſſum, *Hardeckii* fortunam vtramque, fuſe deſcriptam exhibuimus, Tomo Operis VII. qui Lucinam exſpectat propitiam, in Hiſt. IAVRINI §. XXIII. ſequ. vbi, & vaticinium iſtud *Bocatii*, aduocamus.
*Decad. I. Monument. VII.*

*Si bellis aliis moderaberis arma, laboreis,*
*Non ita ſuccedent forſitan; ergo mane!*
*Sæpe quis egregium ſe plus hic geſſit in oris,*
*Non omni quævis terra fauere ſolet.*
Ergo mane! frenare ſcius bene legibus orbem
Hunc, ruit ad nutus quando ita quiſque tuos
Te moueant gemitus, lamentaque publica, votis
Adnue totius, dux venerande gregis.
Eximium decus eſt, miſerorum Heroa rogatis
Duritiem cordis mitificare ſui.
His etiam extendit tua ſe celeberrima virtus,
His etiam æternum nomen habere potes.
Ah vides! ah animoſe Baro! Te nemo tenebit,
Cogeris ante tui Cæſaris ire thronum.
Iam primum diſco, Te nobis inuidet alter
Orbis, ad Iſtricolas hoc capietur iter.
Non igitur fruſtra precibus remorabor euntem,
Sed magis orabo numina: proſper eas!
*Arcanas cæli ſcrutari neſcio vires;*
*Tu tamen ad fatum, forte trahere nouum.*
Di faciant noſtris longe ſemotus ab oris,
Non minus Imperium; nos quoque porro iuues.
I! Tua laurigeræ victricia geſta puellæ
Orbe canant toto, Te ſuper aſtra ferant.



II. IOAN-

## II.

# IOANNIS BOCATII, IAVRINVM REDIVIVVM,

*Siue*,

Vrbis eius, facta, Anno MDXCIV. Diuino munere, a barbaris vindicatio, SCHWARTZENBVRGIO ET PÁLFFYO Ducibus.

QUis fragor iſte nouus ? ſibi quid ſpectacula paſſim
Tanta volunt ? ſolito plus omnia læta triumphant.
Clangor in vrbe merus ; mera gaudia ; plaudit ouatque
Quilibet, eſſe quid hoc dicam ? res mira , nec vnquam
Viſa prius ; muros intra curſatur & extra :
Pſallitur, oratur, confertur , quæritur , itur.
Aera ſonant, turresque boant, taratantara clangit.
It clamor cælo , vultus auresque ſaginant
Iubila, concentus, vox muſica , triſtia damnat
Omnis, & ex alto pellit Cato quisque dolores:
Stoicus in riſus cœno de paupere ſurgit.
O quas eſſe rear cauſſas ! tam læta quod hæc lux
Aureola, hos ciueis ſic afficit , vrbis & orbis
Totius Hungariæ ? num quod rediuiuus in auras
CHRISTVS ab inferno ſurrexit , & omne reuixit
Cum DOMINO , pro more ſuo ? venerabilis æuo
Feſta dies agitur toto, quia *Paſcha* quotannis ,
Nos etiam celebrare iuuat, pro tempore , lætos ,
Poſt triſteis hiemis lacrumas , poſt frigora brumæ.
Hoc faciunt etiam rationis egentia paſſim.
Nix liquefit, glaciem conſumit & imbriferum ver
Viuificat fluuios auſtris, terrasque reſoluit.
Aura Fauoni annum ſenio exſuit : omnia riſus
Promittunt renouáta ; reciprocat omnia Phœbus,
Laxat iter larga ſerie, camposque rotatu
Longius hos viſit meliore , & calfacit agros
Rectius *Hungaridos* terræ. Sed miror id vnde
Sit, quod nobilium flos, & gens ruſtica faſtos
Cum celebret veteres , non nos imitata per vrbeis,
Ploret adhuc , quod Tu pro nobis, CHRISTE redemptor ,
Tam graue ſupplicium crucifixus in orbe luiſti.
Cur tamen aërias arces, cur gaudia pagos
Talia pertentant ? en lætior inuolat vrbem
Hanc flos nobilium , gens ruſtica, ciuibus addunt
Se ſocios ? altis ſonitus bombosque crepaceis
Arcibus attendo ; ſi ſors permitteret anni
Tempus , & inſtructus gereret *Mars* bella per agros.



Exſtat , Memoriale hoc Carmen , HVNGARIDVM lib. I. p. 97. ſeq.

Dicerem ego certi fieri hæc ob ſigna triumphi.
Sed, neque *Mars* campis, vt qui ſit inutilis armis
Nunc, vbi nulla Ceres campis, nulla arbuta paſcunt.
De nihilo hoc non eſt: quid ſi tamen auſus in hoſtem
Cæſaris indultu quis forte iuiſſet & arcem,
Auxiliante DEO, magnam expugnaſſet, & iſta
Lætitia id populus iam teſtaretur. O hæc eſt!
Hæc eſt cauſſa! licet dictis vix credere poſſis,
Eloquar? haud credas! taceam? quid publica celem?
Eloquar ah! ſed io! ſed io! qui nam eloquar iſta?
Quæ præ lætitia vix ora reſoluere mittunt?
Rumpo moras: noſtrum *Iaurinum* dicitur eſſe!
Noſtrum eſt, eſt noſtrum, *Iaurinum* eſt nobile noſtrum!
Credere quo fas eſt, breuiter memorabo labores,
Quo duce, quantum auſo, quibus artibus, & quibus armis,
Noſtrum eſt, eſt noſtrum, *Iaurinum* eſt nobile noſtrum!
Magnum opus aggredior, quod vix deſcribere poſſit
(Quod tamen aggredior) *Maro*, vel diuinus *Homerus*.
CHRISTE ades! & noſtris te verſibus inſere, magni
Hoc eſt oris opus. Logos, oratorque parentis
Tu quia es, & Te, Te! *Iaurinum* eſt auſpice noſtrum:
Vt canere hæc poſſim grauius, Tu has ſuffice vires.
Poſtquam a belligero Dux lectus CÆSARE belli
Rite foret præſtans Baro, *Schvvartzenbergius* heros,
Non minor antiquis heroibus, alter *Achilles*,
Mente *Solon*, *Brutus* iuſto, virtute *Camillus*,
Cælitus Hungaricas bellatum accitus ad oras,
Heic, vbi ſtant claræ fama fortisque Viennæ
Mœnia, ſæpe animo verſat, queis finibus iſtis
Amiſſas arceis, & lamentabile regnum
Turcis eripiat, fato ſi vindice poſſit,
Pellat & his terris Chriſtiani nominis hoſteis.
Sed tamen ante alias ſolers plus cogitat vnam;
Quattuor ante annos amiſſam fraudibus, arcem:
Dædala *Iaurini* ſunt mœnia noxque diesque.
Dulce nihil ſupereſt, niſi rurſus pareat orbi
Chriſtiadum illa *Kabæ* vaga combinatio & Iſtri.
Alta mente mouet, quoniam ratione vel armis
Iam ſemel atque iterum fruſtra tentata triumphat.
Sæpe repulſa ſubit, nece plus horrenda, pudorem
Aeſtimat, & laudem potius vult morte paciſci.
Annuit his DEVS omnipotens, primordia & ipſe
Proſpera conceſſit facilis prece victus & aris
Supplicibus, ſua reſpexit bonus agmina tandem.
Tunc agimus noſtris etiam feliciter armis,
Quum prece miſcemus virtutem, & numina bello
Poſcimus, ore Deos præſentesque vſque vocamus.

Chriſtvs & oranti huic ſua ſuggerit ipſe ſecundus,
Conſilia, in bellum digitos, in prælia dextram
Armat, & ipſe vias bonus inuenit ante labores.
Nec mora, nec requies ſecum rimatur agenda.
Omnes per caſus, per cuncta pericula pernox
Atque diurnus agit; prudens explorat *Vlyſſes*
Singula; quæ facies arcis? cuſtodia qualis?
Qui numerus? gentis quis dux? quæ mœnia? quantum
Robur? vbi fieri prius oppugnatio felix
Forte queat? quando excurſus, cum cetera fiant?
Qualis honos primis? quæ vis, quæ gratia in armis?
Omnia tuta tamen pauet, & nil ſcire ſecundum,
Quod tacitus condit, vult, nec fallacia corda,
Quæ ſecreta iuuent, noceant manifeſta, reuelent.
Reſpicit omne, bifrons *Ianus* velut alter, & hoſtem
Conſilio ſuperare prius, quam viribus ardet.
Prudens rerum opifex, quæ ſeria ſubticet; auceps
Quæſitorque noui: nunc hoc, nunc, aure ſagaci
Vel prece, vel precio nunc imbibit illud: *Hyænas*
Ordinat, in mediis quæ captent æmula Turcis;
Auditum & viſum referant: hæc ſoſpes adibis,
Illic reſtat adhuc metus; heic mortalibus vllis
Vix aditus pateant; ſed ibi prudentia vincat.
Hæc vbi ſcita capit, iam certus abire Vienna
Apparat, exiguo ſtipatus flore iuuentæ,
Forte *Comarinum* petit, hucque accerſit *Achatem*
Fidum operum & rerum, cum quo communicet vno
(Palffivs ille audit,) quid pectore verſet, & arcem,
Quam tentare velit, duce Christo, & ſorte ſecunda:
Iavrinvmque potens, quibus artibus, & quibus armis
Poſſe capi ſperet, quæ ſoli hæc abdita pandit,
Et bello ſocium comitemque laboribus orat.
Palffivs armipotens, Mauortia gloria, gentis
Hungaricæ decus omne, animis nil fluctuat, huic mox
Spondet idem, concorsque iuuat: pro laude paciſcor
Christi non timidus vitam, & pro Cæſare dulce eſt,
Sic ſic poſſe mori, duroſue ſubire labores.
En dextramque fidemque! heros fortiſſime, ſecli
O noua laus noſtri, nos ibimus, ibimus ambo,
Qua fas & noſtris Devs adſpirauerit auſis.
Quid tum? ſi ob patriam patiamur vulnera? quid tum?
Si peſſum vnus & alter eat, pro arisque focisque?
Nos manus exigua, eſto; cadet paruo agmine magnum
Si cælum & fortuna volet: Tecum, inclite, pergam.
Hæc & plura loquens, prudenti Palffivs ore
Conſulit in medium: bello conſcribitur agmen,
Omnibus & quosdam furtim euocat arcibus illis,
Quæ parent Aquilis, & adorant Cæſaris enſeis

Romani : ergo citi pariter concurrere gaudent,
Qua iuſſi ire ſimul promti, ſociosque laboreis
Ferre parati omneis; ſeu certam incurrere arcem;
Seu cum lunigeris certare per ardua pilis.
Stat delecta cohors, ſpes Martia, militiæ flos,
Omnibus eſt ſtudium, menſque omnibus vna ſequendi.
  Tempus erat, quo ceſſat hiems, bruma aſpera pulſa
*Septima* cum *Marti* lux & vigeſima cælum
Verſat, & *Andromedæ*, ſua cingula torta recedunt,
Qua CHRISTVS graue mortis opus, graue Martis in orco
Suſtinuit vindex, & auerni carcere fracto,
Et ſaxo occluſo, & penetrato marmoris antro,
Poſt ſua fata iterum lætus ſurrexit in auras,
Tunc vbi nos rurſum ſolida in ſtatione locauit,
Oſtia clauſa potens miſeris reſerauit Olympi,
Rettulit in melius patris irás, aurea pacis
Sæcula reſtituit, ſtygio cæſo agmine clauſtri.
Luce etiam hac (mira certe ratione) *Comarro*
Noſter abit victor loca fœda furentibus armis,
Thracia quæ attulerat meſſes treis ante *Sinani*
Auſpiciis, ſocias qua *Rabæ* copulat vndas
Iſter, & ambit aquis IAVRINI mœnia noſtri,
Mœnia tunc rabidis repleta ac horrida Turcis
Vt CHRISTVS veluti tunc orci victor abiſſet,
Tertia quem ſpoliis a morte reduxit onuſtum
Lux rediuiuum, ob nos miſeros, noſtramque ſalutem;
Sic iſte a Turcis etiam æmula ſigna referret,
Tertia qua roſeo ſe lumine tolleret Eos.
Nec (quia cauſſa fuit parilis) ſperata fefellit
Spes heroa ſuum : quippe hac concordia Rabæ
Et Romana ſalus ſurrexit luce & eadem.
Hora, qua Dominus (dictu mirabile) *IEſus*;
Hinc nos Chriſtigenæ celebramus ſeptima ſacra:
Atque diem Domini memores ſolemnibus vſi
Ritibus, in fanis per pulpita ſacra ciemus
Ore Deo laudes. Veneris Mauortius heros
Bellatum ergo die poſtquam exiuiſſet, vt ipſe
Filius omnipotens flagra, cædem & vulnera paſſus,
Mœnibus a Solymis ſtygiam digreſſus ad arcem,
Multa pati atque graueis mox exantlare laboreis,
Per duras, nimium heu duras, pedes ire ſalebras
Cogitur, ad femora vsque niueis iam ſole ſolutas
Perſonam exſutus tantam, atque paluſtribus vndis
Primus iter carpit pedes, & ſua facta ſecutos
Exemplis animat ducis ipſius, inſtar anheli
Niſus equi, neruis maioribus omnia vincens.
Quodque ſolo ingreditur, vix aut ſupereminet vndas,
Cauſſam habet, vt furtim veniant hoſtem eminus armis
Sentiat haud hoſtis per cæca ſilentia noctu,

Nec late hinnitu quadrupes loca turbet acuto.
Iamque vbi Danubii per aquas toto agmine transit
Nauigio exceptus, vel pontibus ante paratis,
Hinc præmittit equos passim, qui quattuor horis
Præcedant campis omneis auertere casus,
Nemo prior veniat *Iaurinum*, & talia Turcis
Indicet, ergo via cunctos intercipit illac
Qui tendant, ita dux præceperat optimus illis.
Ne Turcæ hoc scirent, vrbi improuisus adesset.
Illi abeunt oculis vigiles præcepta facessunt.
O felix dux, o bellum felicius, o &
Felicissima gens, populus qua paret, & inter
Mortis onus graue, miles eo non ire recusat
Millia vbi tuti vix essent, vnus & alter
Credere se campis audet pro principe caro.
Quin etiam hic præcepta salubria scribit aperte,
Qua nunc ire velint ratione, ac ordine quali,
Atque illos vocat huc celereis, hos diuidit illuc,
In partesque docet certas, & classe coronat.
Hinc *Germanus* abit, mouet hic se *Gallica* pubes,
Purpurat hic *Italus*, sequitur turma *Hungara* pilis
Expedit hæc, vastentque cauet cultoribus agros.
Sanctam ad iustitiam Themidis sacra, lege minaci
Cogit, & abstineant spoliis, iubet ore disertus.
Præmonet, edicit præsesque autorque futuri
Supplicii pœnas maturus & irrogat acreis.
Præcipueque duces hortatur gentis, honorem
Præscriptis habeant, moresque manusque gubernent.
Vtque secundet iter, cælum, orent supplice voto.
Ne sint indecores regno, ast sua fama feratur
Post grauis, ast totum post laudibus occupet orbem.
Vincat amor CHRISTI, patriæque immensa cupido.
Ergo iterum læti pergunt, nec secius arma
Mota loco memores faciunt, perque ardua tendunt.
Nec satis est iuisse semel per flumina, restant
Hic superanda iterum: sed & hæc *Schvvartzbergius* heros
Prouidus, a tergo linquit toto agmine, factis
Nauibus & celerem pertransit ponte *Socubsam*,
Atque alios superat fluuios; queis nomina desunt.
Et iam noctis erant bene sera crepuscula cæcæ,
Omneis per terras animalia fessa iacebant.
Hic sit prima quies, *Schvvartzbergius* inquit, & axe
Sub gelido sistit comites, & pluribus orat,
Dura ferant æqui, casu & discrimine tanto.
Fortibus hic animis opus esse, & pectore firmo.
Ecce autem insurgens ventis comitatus & imbre
Nimboso Orion, galeisque infundit & armis
Magna mole niveis, tempestas horrida barbas

Congelat, & duri cæli inclementia ſupra
Perfurit, vſque minis, & crura hærentia frigus
Siſtit, Atlas cælum vix vertice fulcit, & alta
Nubila ſubſidunt, caput & latera ardua pulſant
Trux Boreas, imberque grauis, mixti agmine cæco.
Noctem illam perferre tamen ſtudet ardua virtus,
Luctaturque dies donec iam ſurgat Eoo
Poſtera, Phœbea nigras face dimouet vmbras.
Poſcit abire iterum porro dux maſculus alas
Conficiens, de more petit qua dextra *Nemethi*
Vallis, & hic, donec propior ſit veſper Olympo,
Suſtinet, egregioſque virum iam conuocat omneis,
Accerſitque alios, quos currere vellet in arcem.
Quos ſic alloquitur: *Iuuenes, fortiſſima bello*
*Corda! quid vlterius vos celem? ingentibus auſis*
*Perficere eſt animus,* IAVRINI *&* *mœnia noſtra*
*Sint cras, aſpirante* DEO, *forte auſpice dextra.*
IAVRINVM *petimus,* IAVRINVM *haud fata negabunt.*
*Ergo agite! o Iuuenes! incepta hæc rite paremus,*
*Præmia digna feretis; opeis,* IAVRINIA *& æra*
*Sancta dabo, ſpoliis faciam vos omnibus æquos,*
*Vos modo nunquam animis, nunquam armis cedite Turcis,*
*Quiſque ſua maneat ſtatione fidelis & acer.*
*Hoc vos per mortem, per nobile ſanguen* IESV,
*Saluificamque per oro crucem, perque omnia ſacra.*
*Aut viuam, aut moriar, non hic ego inultus abibo.*
Dixerat: illi omnes reſpondent: maxime ductor,
Te duce, ſtat virtus noſtra imperterrita, ſeu nos
Contraire velis forteis, campeſtribus armis,
Seu iubeas arces altas & ſcandere muros.
Poſtquam hæc effati, *Iaurinia* rura ſalutant,
Deueniuntque locos, ſua qua caſtra inclitus ille
Fixerat ante annum Auſtriacus, licet irrita, Princeps.
Atque hic Danubii ſe fæmina tollit ab vndis,
Accedit propius turmas in veſte niuali,
Cincta comas lauro, ſimilis Diuæ omnia vultum
Aſtat, & in mortem pandit ſecreta Sybillæ:
Eſte ſalutati, iuuenes, quos ipſa ſecuta
Sors comitat, quibus omnipotens Mars annuit, altum
Quos amat, & tantis dabit omnia proſpera cœptis;
Numen, & auxilio quos præſens adiuuat æther.
Non incerta cano, quæ dicere iuſſa, reuelo.
Quod cælum & terras torquet, me miſit Olympo.
Hoſtibus ille dat, ille adimit rurſum hoſtibus arceis.
Vos tantum, illuſtres animæ, tolerate labores.
Certandum eſt! non is veniet ſine Marte triumphus.
Sic illa: ex oculis ſimul euaneſcit in auras.
Hinc firmati animum magis & magis arcis ad oras

Ipſius ardeſcunt accedere, & omnia coram
Ocyus inter ſe cognoſcere. At ipſe pedeſtreis
Inter ſe turmas animat *Schvvartzbergius*; alta
Palffivs interea generoſi terga caballi
Preſſat, equeſtrem animans florem, docet vsque magiſtra
Germanumque ducem, re ſic cogente, ſecutus,
Sæpe ferocis equi luctantia colla ſonosque
Noxia ſæpe prius, cohibet grauis atque ſeuerus,
Accenditque animis ſocios; & pectora firmat.
Ecce autem tenebræ fugiunt, & amica viris nox
Inuoluens piceam clauſo cælo hactenus vmbram,
Fit manifeſta, ſuam profert *Proſerpina* lucem.
Apparent terræ illuſtres, campique iacentes.
Hos metus acer habet rurſum, & trepidatio ſumma
Corda ſubit, ne quidquam iterum ſuccedere furta
Nunc poſſe omnis ait, manifeſtius agmina cernet,
Hoſtis, & egreſſus niſu prohibebit inani.
Verum vota Deo hic facere, & prece ſupplice cælum
Non prius abſiſtunt orare, & poplite flexo
Poſcere opem, lateat quam *Cynthea* pulta viciſſim,
Nigra tegat frontem ferrugine & omnia celet.
Indulgent conuexa poli ſtellantia, & igneis
Condunt cæca ſuos; ſe pallida ſeruat in vmbris
Nec terras velut ante, ſuo ſplendore colorat
Luna. Pater facit hoc, cui ſidera & omnia parent.
Nox fit, & eripitur rerum diſcrimen in oris
Omnibus, & vix nota legunt veſtigia, ductor
Qua fidus præit & baculo compendia monſtrat.
Iamque in conſpectu eſt mons Raſcius, ipſaque longe
Mœnia non abſunt ſperata, hic omnia princeps
Militiæ apta facit pugnæ, & vix paſſibus abſunt
A porta centum, quam fortius arietet illa
Machina, opus Diuum & miſeris fatale repertum.
Hoc duci ad muros hortatur, & ante locari
Dux mandat portam, quo fractis impete clauſtris,
Atque aditu facto poſſit ſe infundere miles,
Hoſtis ad hoſtem, arcem late complere parentem.
Iuſſa viri faciunt, furtimque adducere tentant
Impoſitam curru tacito, quam voce *Petardam*
Molem Italus dicit; quæ iuncta aperire ſuperbos
Sola queat poſtes, hoſti oſtia pandere fracta.
Ergo operi accinctos plauſtro admonet, ire ſequenteis
Hos iubet, hos humeris trahere & clam ſiſtere ad arcis
Oſtia, & vt muſſent per amica ſilentia portam
Ad fatalem: vnus hic ſupra mœnia cuſtos
Auribus hæc captat vigilantior, atque ita fatur:
Quid petitis? cuius veniſtis & ergo, an amicos?

Anne hoſtes rear eſſe ? quid hi de nocte labores ?
Vnus adhæc noſtrûm, bene callens Turcica verba:
Heus, Turcæ, heus! non nos ex hoſtibus: appulit iſta
Huc nos nocte metus; *Germani* ac *Hungara* turba,
Nos *Cererem* & victus vobis per plauſtra vehentes
Aggreſſi, hanc profugi petimus maturius arcem,
Pandite! præſidio ſeruate & mœnibus iisdem.
Vulgus inerme ſumus; ne pugnis turba, ſed apta
Soluere Pæſtano reuerenter debita Baſſæ,
A quo nunc iter eſt, aperite & protinus omnes
Acceptos pariter defendite, mœnibus inſtat
Hoſtis, & arua tenet *Iaurinia ;* dicite regi
Hæc veſtro, hoc ſat erit ſcio gratum, & præmia habebis.
Sic ille: incendit cum forte fauilla *Petarram*
Sulphure non apto, nec primum clauſtra reſoluit.
Præcipitat flammas alias Vulcanus, & ardet
Iam felix aries; horrenda tonitrua fiunt,
Ianua tacta labat, procumbunt cardine poſtes,
Rupta repente iacent per fragmina mille ſerarum
Vincula: fit via vi, mox ſe per aperta Quirites
Oſtia ponte ferunt ſtrato, & loca iuſſa receptant.
Hinc *Galli* fortes, & duri Marte *Valones*,
Hinc acies ſequitur longis horrenda ſariſſis.
*Hungarus* & *Teuto*, pariter ſe infundit, & intra
Arcem omnes veniunt, ex ſomno alto ære ſolutam.
Protinus hic etiam ſe *Schvvartzenbergius* infert,
Voce monens alta, nomen ter clamat Iesv!
Terribiles inflant lituos vtrinque, trucidant
Obuia prima tamen, qui propugnacula ſeruant.
Vix ſomno excitus, miratur *Baſſa* tumultus,
Proſilit ex ſtratis ſuſpenſum a pariete ferrum
Liberat, & dextra bis acutum corripit enſem.
Altera vexillum manus accipit, agmina quærit
Quæ ſua? clamat opem portisque accurrere mandat.
Ipſe anteit Lybicos animis ac bile leones.
Ceu lupus haud numerum curat, nec mille bidenteis
Vnius horreſcit lanii ſemel enſis acutus.
Hic *Iauriniades* vlulant & ſidera tangunt
Clamore immenſo: fuimus *Iaurinia* turba!
Hoſtis habet portas murosque aſcendit, & omnes
Occupat heu turreis, & propugnacula ſeruat.
Heu! quis nos nimium miſeros defendere, quæ nos
Accipere arx poterit? dominantur in vrbe furentes
*Germani.* O morimur! genus inſuperabile belli eſt,
Turba canum rurſum ſuccedet ſedibus iſtis.
O *Turcæ*, haud nobis ſtabunt *Iaurinia* paruo
Hoſpitia! in patriam reditus fortuna negabit.
Ignaros fati, veritos nil tale penateis
Hoſtis & hoſpes init: fugite heu! quo? more bidentum

Occidimus : modo per portas exire liceret.
Femina virque graues hos tollit ad æthera queſtus.
Præcipue princeps diſcurrit in vrbe, lupus ceu
Raptor oueis intermedius, cæcoque reſiſtit
Marte, petens aditus factos qua plurimus aſtat
Cæſarius, verbis contra iacit aſpera Turcas
Ipſe ſues : hic hic ne, canes, pugnabimus armis ?
Vos mera proditio vos torpor inermis honore
Exſuit, extremum iam viuitis, arma repente
Ni capitis fortes ; vxoria corda, monarchæ
Perditis hæc noſtro, ceu plurima & ante, nec hoſtis
Vinceret hanc etiam, ſi me cuſtodia veſtra
Admonuiſſet heri : meretricia turba, quid iſta
Segnities ? mecum quin nunc expellitis hoſtem.
Irruat atque animis ſe quisque recentibus armet.
Si pereo, nunc me periiſſe iuuabit honeſtum.
Sic Mahometigenum dux perfurit ore, rotatque
Feruidus hic gladios, qua portæ limina ſeruant
Chriſtigenæ, in medios prorumpit, & arduus obſtat.
Ira manus conferre iubet, dolor igneus vrget.
Obuius enſe metit cunctos, nec inertia rurſum
Cogitur arma pati ; furibundum ſæpe coercent
Chriſtigenæ, huic liquido iam traiicit ilia plumbo,
Non procumbit humi tamen, imo effundit habenas
Longius irarum, multos dat acinace letho.
Nec ſocii minus adglomerant, dominumque tuentur
Expertem galeæ, & vix lino pectore tectum
Suppara velabant nudos anguſta lacertos,
Mars vtrinque fauet, ſomno tua funera, neutrum
Agmen terga fugæ dat, ferrea ſæuit & inſtat.
Cum victore cadit victus, nec diſcrepat auſis.
Hic iterum *Baſſæ* quis viſcera perforat haſta,
Fugna hians immane tamen, dum concidit ore
Pallidus ; ergo iacet tellure & calcibus altam
Tundit humum exſpirans animam trux accipit orcus.
Enſe caput ſoluunt humeris, & acinace tollunt.
Sed nihil occaſus reliquos ducis iſte moratur.
Viribus vsque ſuis audent maiora, nec vllum
Telorum exhorrent genus, omnia pila globosque
Perrumpunt, portasque volunt ceu cetera nusquam
Bella forent, vnus hos impetit ardua longe.
Sed facies Germana fores dura obſidet haſtis,
Defeſſosque magis denſo agmine ſternit & extis
Perforat, vt pronus iam concidat omnis & atro
Saguine humum ſignet, lapſuque ad tartara pergat.
Hic quoque *Denlopius*, quo dextra haut fortior alter
Romulidum, exarſit multasque effudit habenas
Irarum, impatiensque ſuos animare Quiriteis,

Stringere ferrum animis medios ſe ferre per hoſtes.
Et virtute ſua reliquos bonus excitat heros.
Segnior haud ſtricto *Fabacurtius* enſe, *Latinos.*
Arguit incuſatque moræ quid viuida virtus
Debeat & poſſit docet ipſe, & multa cruentat
Agmina Turcarum, nec parcit inermibus, vltro
Haſta qui abiecta veniam orant; tartara ad ima
Mittit atrox omneis, vaſtos dat ſtragis aceruos.
Ille *Nigri* gaudens *Montis* cognomine fidus
In media vrbe tenens, nunc hos, nunc erigit illos.
Inter opus durum feruet *Germana* iuuentus;
Enſibus ille bonus, plumbum ille volatile torquet,
*Hunnus* in aduerſos ſe fert, nec ſegnius inſtant
*Palffiadæ* & chalybis multos ope ſternere tentant.
Hic punctim, hic ſtrictim, tereti ille reciprocat ictus
Cuſpide, ſæpe graueis frangunt haſtilia vulgo.
Sæpe etiam herculea cerebrum claua omne terebrant.
Vi prohibent *Turcæ* ſuperare & ſcandere muros,
Siluicolæ vt Fauni nituntur, vt agmina turbent,
Quæ teneant ſupra & per propugnacula cedant
Seu cogant fugere ad portas, veſtigia quærant.
Ter ſeſe attollunt, ter reiicit hoſtis, at illi
Mox iterum ſuperant, procul inde expellere tentant.
Expelluntque citos pedibus clamore ſequuntur.
Hic profugis portas curſuque petentibus obſtat,
Corripit & primum *Schvvartzbergius* ore minisque,
Heus, heus ſiſte gradum! quo te rapis improbe, non tu
Euades noſtras (licet hoſtis ab enſe recedas)
Forte manus: non iſta fides promiſſa, age, retro
Te fer! & haud cœpto iam deſine cardine rerum
Durare & rebus tecet hoc ſeruare ſecundis.
Dixerat: ecce cohors mox tota reuerſa ſequenteis
Vertit, & opponit quisque acrius enſibus enſeis,
Grandis vtrinque oritur cædes (miſerabile viſu)
Mars dubius: modo Chistvs ouat, modo iubilat ille
Plusque agit; accurrunt nunc hi, nunc cedere cogit
Altera pars; raro bis barbarus occidit ictus,
Terque quaterque haſta vix omni ſanguine miſſo
Pronus humi iacet, interdum hic renouata videtur
Ne quicquam arma mouens proſtratus, & oris honeſtas
Et flos dum rubeus fugiat, vitamque ſub auras
Linquat, eunt paſſim de ſanguine flumina fuſo.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrumis æquare labores.
Talis erat facies, nox talis, Pergama quando
Durateo caperentur equo, ſomnoque ſepultos
Quando in Troianos iret nocturnus Achilles.
Tantus erat furor & rabies tunc Turcica tanta,
Quantam haud ipſa prius ſe faſſa eſt triſtis Erynnis

Vidisse; imo foret victrix festina virum vis,
Leges ante nisi *Schvvartzenbergere*, tulisses
Tam cautas prudens pugnam ante, & fortis in ipso
Ocyus admosses certamine robora cuncta.
Hinc facta est animis melior pars altera, & ense
Fortior, a CHRISTO, quæ dicitur; vrget acerba
Qua stantes rari apparent, hos protinus omneis
Demetit, & prendit fugienteis, cædit ad vnum.
Dat noua lætitiæ signum tuba; rursus imago
Lætior ad CHRISTI bellum; labentia rursum
Corda animant, certam sperare hac sorte salutem.
Dulce canunt, & Io! ingeminant rauca æra vicissim.
Huc illuc agitatus equo sua *Pálffius* acer
Agmina perlustrat; nunc intonat *Hungarus* Hunnis,
Italiæ voces *Italus*; Germanide cretis
Ora, ore est *Teuto*; variat vox æmula Prothei.
Vt pariter superent, curas traducit in omneis.
Dextrum spondet opus, dulcemque hæc aspera pugnæ
Finem habitura, sacer vates ceu differit; ensem
Felicem ipse rotat, plausu & clamore triumphat.
Multa redit virtus, crescitque in pectore flamma
Omnibus, vt simul ac animos ad verbera durent
Incensi iuuenes, tædæ instar, feruida corda
In furias & in arma ruunt atrocibus ausis.
Nec DEVS hos, Bellona soror neu deserit ipsa,
Numen vtrumque ira simul æstuat, ardet & ingens
Corde dolor Marti, comitem se Cæsaris addit
Romani sociis; trux agmina Turcica ferro
Sternit & ingenteis ( referens horresco) per vrbem
Sanguinis exundat fluuios: quæ sanguine sidunt
Corpora, vix vidisse datum est, Erythræus it vndis
Gurges, equus niueo modo pectore candidus, alte
Nunc humore rubet roseo vel ephippia ad ipsa.
Ingenteis victor tandem spectabat aceruos.
Irruit & tectum omne tenet genus acre virorum.
Et licet hic matres & inermum vulgus ab altis
Præcipitent tectis flammas, & scipio multus
Desuper eiaculatus eat, quisque intrat in ædes.
At manus interea vel adhuc se fornice cæco
Munit & e contra flammis incendia miscet.
Et ne dent Aquilis pœnas, moriuntur in ipso
Puluere disiecto vallo (miserabile visu)
Seque hostemque suum miscent & in aëre spargunt.
Hic primum ergo duces lacrymas emittere, & ignes
Execrari istos, quod vbi nec tela nec hostes
Egregias animas vicissent, læserit ignis.
Quid facerent? nec enim sine sanguine Pergama tanta,
Et sine casu aliquo poterant tibi Maxime reddi

Cæſar, & hoc etiam eſt plus quam ſatis; illa quod hoſti
Tam vigili & forti tanta arx erepta phalanges
Per modicas, horis potuit tribus eſſe viciſſim,
Atque erit æternum tua, vindice & auſpice CHRISTO,
Cui ſit prima, tibi ſit palma ſecunda *Rodolphe*!
Tertia *Schvvartzbergero*, & Achati illius, & illis
Qui ſimul enſe iacent, aut paſſi vulnera viuunt.
Salue aſt o *Aries* quoque maximus ille *Petardæ*,
Quæ quo disiiceret fabricata eſt machina portas.
Materies latet illius, nec dicere tutum eſt
Prudenti edicto, quibus inuentoribus, aut qua
Arte paretur opus, ne fama vagetur in oras
Græcia ſæua tuas, pellacem edoctus *Vlyſſem*
Hoſtibus ex ne quis præſtet, conatibus iisdem
*Iaurinum*, aut alias hoc pacto quæritet arceis.
Hanc aperire artem totique exponere mundo
Certatim Hiſtorici vellent, ſi *Diue Rudolphe*
Tu ſineres, & non metus eſſet: certior arte
Ne noceat, catus es, Thrax inuentoribus ipſis
Auri ſacra fames bombardas cetera & arma
Attulit Euxino, rudibus compendia Turcis.
O opus illuſtri dignum duce, Cæſare dignum.
Salue flos regum, ſalue *Auguſtiſſime* CAESAR!
Næ te tam læta *Iaurini* nobile bellum
Sorte beat! nunc te *ſeptem* pars tota *Viratus*
Promtior auxiliis ſponte ære viroque iuuabit,
Vt reliquas etiam poſſis mox eripere arces.
*Agria* quod metuit, nunc ſat percuſſa ruina
Sponſæ, quam voluit ſibi coniunx iſſe *Viennæ*,
Hoc anno veſtræ, dulceis celebrare Hymenæos.
Illam fraude *Sinan Thrax* deditione *Sinanus*
Cœperat: aſt Tibi CAESAR, aperto Marte recepta eſt.
Egregiam vero laudem nunc ille referret.
Heu! quibus heu! ſtygias ſi non ceſſiſſet ad vndas,
Si ſuperaret adhuc (iam curis fractus obiret.
Fors præ mœſtitia ſe vltro ſuſpenderet, orcum
Infelix victor peteret modo cannabe fractus.)
Turcicus ipſe *Pharo*, ſuſpiria ducit ab imo
Corde, gemens ſecum caſum interitumque ſuorum,
Quidque time prius, vel cuius oporteat ante
Mirari, inſcius hæret, & huc iam diuidit illuc
Senſus trux omneis, infrendens dentibus, iras
Concipit ingenteis, fruſtraque exæſtuat acer.
Nulla ſed huic dabitur rurſum affectare poteſtas
*Iaurinum*; ipſe DEVS pro nobis arma Cyclopas
Induit hos contra, peſtemque auertit ab oris
His talem nec enim dubitamus, *Gog*que *Magog*que
Occidet; illud atrox monſtrum informe, horridum, & ingens,
Ex quo nos populat, milleſima labitur æſtas.

Hacte-

Hactenus indulſit, iam cælum iraſcitur auſis
Intrare Auſtriacas, tam ſancti Cæſaris, oras.
Sed fremat vſque licet, frangat collum, ilia rumpat
Mœſtus vterque: DEVS nos, *optime maxime* CAESAR!
Per te, perque tuos, poſt aſſeret vsque fideleis.
Et faciet clemens, cum fœnore cetera reddet,
Vt longe potiora illis poſſimus habere,
Quam quæ Chriſticolis trux hactenus hoſtis ademit.
Pollicitus nobis per reddita mœnia tale,
Quæ nequam accito ſunt tradita ſponte *Sinano.*
Ipſe diem citius veſper componat Olympo,
Omnia quam recitare queam, quæ victor in arce
Occupet; egregias & opes, operumque labores.
Millia barbaricis reſtant nouilunia ſignis.
Mille laboratæ fulgentia dona Mineruæ,
Mille aulæa: graueis intertextosque tapetas,
Diſcretas auro telas, muliebria texta,
Et pictas tollunt veſteis, & fulgida gemmis
Ornamenta: auri pretioſa emblemata; nummos
Regiferos, auri flauentia munera, Tempe
Hungara, quæ mittunt, vel *Arabs* excudit *Eous.*
Quid loquar egregios, animis in Marte Caballos?
Robur & omne decus Turcarum & cætera prudens
Prætereo; quibus imperium ſtetit ordine; ceu ſunt
Tot bombardarum ſpecies, currusque grauati
Tam vario ære: globos tereti quod fornice grande
Mille iacit ferro cuſos: quid plumbea fruſta
Perſequar hoc verſu, tunicas rumpentia, Brontes
Quas Steropesque parant, vaſto Cyclopis in antro?
   Sic pauca in campis amittere ſemina præſtat,
Ruſtica quæ recipit cum fœnore dextera imago.
Sic agris etiam meſſeis exſpectat auarus
CAESAR, & adiiciat *Pæſtum Budamque* receptam.
Verſat adhuc tantos animos dum *Palffius*, horror
Maximus eſt Turcis, nulli virtute ſecundus.

---

III.

## IOANNIS BOCATII,

# APOSTROPHE,

AD

*Magnificos & Illuſtres Dominos*

## SCHWARTZENBVRGIVM ET PÁLFFYVM

*ALloquar heîc etiam vos, vos duo fulmina belli!*
*Magnanimi Heroes, Martis melioris & artis!*
*Quos Deus & Cæſar pugnis dedit eſſe magiſtros.*
*Quos non argenti, non auri præda, ſed ingens*
*Vicit amor patriæ, Germanidos ora, ſalusque*
*Chriſtiadum, veri laus Numinis, ipſaque virtus.*
*O quasi vos memorem? Mortales voce, ſed armis*

*Haud rear eſſe homines: quis vos non ſanguinis alti,*
*Quis non ſuſpiciet vos? quis non fronte ſupina*
*Vos vt ſemideos, vix ducere ſemina terris*
*Diceret, aſt cæli delapſos crederet arce?*
*Arte magiſtra equidem viciſtis, at arte Magiſtra*
*Cælitus excita: cedent miracula mundi,*
*Cedent præteriti ſecli inuenta omnia veſtris.*
*Debet honos vobis & haberi gratia debet*
*Laus tunc veſtra mori, quam facta illuſtria letho*
*Summa dies quamuis dabit, haud dabit omnia facta.*
*Credo equidem in tantum veſtra excellentia ſurgent*
*Auſa, in quantum olim magnus ſurrexit Achilles.*
*Quin etiam Præſul Romanæ maximus vrbis*
*Transferet in faſtos, vt agatur feſta per orbem*
*Illa dies totum, annaleisque ea facta perenneis*
*Poſthabeant, veſtris manſura encomia pugnis.*
*Par vobis virtus, animus par, corpora bina,*
*Vna ſed eſt mens, vnus amor pugnare duobus*
*Contra hoſtem, totus quem exhorruit hactenus orbis.*
*Par bellatorum felix, par dulce Monarchæ:*
*Hoc vos Chriſtigenis duo, quod duo maxima cælo*
*Lumina: Sol & Luna Polo decus omne, ſolo vos*
*Et veſtris, tu Germanis, tu fortibus Hunnis.*
*O regio felix! taleis vix Hungara tellus*
*Vnquam habuit, licet vſque ſuos ea iactet alumnos.*
*Viuite concordes animis & viribus ambo,*
*Ambo pares ſtudiis iisdem, & conatibus æquis.*
*Si genus ingratum eſt hominum; ſperate laborum*
*Axe Deum Elyſio memorem fore: nullus ob aras*
*Et patriam fruſtra bellum gerit, acer in hoſtem.*
*Sed vos iam Proceresque Ducesque & Numina mundi,*
*Hic geminus virtute ſua vos excitet Heros.*
*Ferte citi auxilium, date opes, ferte arma, virum vim.*
*Et bene apud memores tanti ſtet gratia facti.*
*Si bene quid geſtum eſt, ſolius Numinis illud*
*Dicitur auſpiciis geſtum; ſi mœnia perdat*
*Dux, eſt noxa Ducis ſolius, & omnia clamant*
*Compita: dede neci, Cæſar, qui patria tradunt*
*Præſidia ære hoſti; probat exitus actu; nec vſquam*
*Arceis perdideris, modo bellis præfice fidos.*
*Aſt dolor hæc feruens, & bilis ſplendida dictant,*
*Seque Deosque tacent victi, accuſare parati*
*Militiæ caput, & damnant cum principe caſtra.*
*Verum haud fas, blaterat quod vulgus, credere ſemper.*
*Fortior eſt victor, vel plus virtutis in illo,*
*Quisquis ouat: licet & cælum victricibus armis*
*Sufficiat vires, & robora ſæpe miniſtret*
*Angelus omnipotens: tamen & ſua gratia noſtris*
*Vindicibus ſtat licta viris. I vulgus! & ipſo*
*Poſce a belligero quoque Cæſare præmia noſtris*
*Vindicibus pro Marte viris, felice, nec arcem*
*Fruſtra hanc reſtituant, tanto diſcrimine vitæ.*
*Proditor eſt pœna dignus; ſint præmia fidis.*

FINIS.

# GEORGII ZÁVODSKY
# DIARIVM
RERVM
*Per*
HVNGARIAM,
Ab Anno MDLXXXVI, vſque ad Annum MDCXXIV.
geſtarum,
*nunc primum ex auctoris ſchedis*
*erutum.*

DECADIS I. MONVMENTVM VIII.

Excellentiſſimo atque Illuſtriſſimo
*DOMINO DOMINO*
COMITI
# FRANCISCO ESZTERHAZY
DE GALANTHA,
Perpetuo in Frakno, Comitatus Borſodienſis
Supremo Comiti, Generali Equitatus,
SACRAE MAIESTATIS REGIAE
Actuali Intimo, & Conſilii Locumtenentialis Hungarici Regii
Conſiliario, Tabulæ Septem-Viralis Aſſeſſori, & per Hungariam Agazonum Magiſtro, atque partium Cisdanubianarum in Hungaria
COMMENDANTI GENERALI,
*Domino longe Gratioſiſſimo,*
FELICITATEM!



Emo eſt, EXCELLENTISSIME COMES! niſi forte omnium rerum ignarus, qui Excelſæ gentis TVAE, diuiniſſima, longa retro ætate, in Hungariam, & huius Reges, merita, aut poſſit, aut velit, ignorare. Nam, vt ſileam, retruſa ab hominum memoria tempora illa, quibus, vel conſtituebantur adhuc, & in immenſum ſuccreſcebant; vel, fatis vrgentibus, ad occaſum inclinabant res Hungaricæ; ad eum modum, & ſuperiore, & hoc, quod trudimus, ſeculo, inter Hungariæ heroas, non modo ſummorum magiſtratuum dignitatibus; ſed harum præcipue adminiſtratione, prorſus inimitabili, laudatiſſimi maiores TVI, emicuerunt, vt iis anteferri nemo, pauci pares potuerint exiſtimari.

Inuidus ſit, oportet, qui non, Aui TVI, Comes Illuſtriſſime! PAVLI ESZTERHAZII, S. R. I. Principis, atque Regni Hungariæ PALATINI; Proaui item NICOLAI, magni & incomparabilis viri, quique primus, in gente TVA, ſummos, qui ſunt in Hungaria, magiſtratus, & auſpicato capeſſiuit, & geſſit omnium auſpicatiſſime; mirificum in REGES obſequium, nudum erga patriam amorem, aduerſus vtroſque, conſtantem & frangi neſciam fidem, gratus recognoſcat, miretur, ſuſpiciat, & laudibus in cælum ferat.

Verum enim vero, quid opus eſt, hæc iſtiusmodi lumina, ſuo quodam igne fulgentiſſima, ad virtutes TVAS, Comes Excellentiſſime! illuſtrandas,

das, commemorare? Tametſi enim, tantorum nominum, & quæ his continentur, virtutum, ex aſſe hæredem TE eſſe, conſtat apud omnes; tamen, adeo TV quidem non turgeſcis, domeſticarum eiusmodi laudum adflatu; vt potius, quod perpetuum TIBI erit præconium; ſuapte edita virtute, REGVM, patriæ, & egregii publici, eo ſis obſeruantior, quo, difficilioribus, ac pene conuulſis rebus Hungariæ, aut procurandis, aut ſuſtentandis, TE, Illuſtriſſime COMES, TVOSque, diuinitus ſeruatos eſſe, intelligis.

Taceo, tot excelſorum munerum, quibus TE, antea quidem D. Cæſar CAROLVS VI.; nuper autem, Inuictiſſima Regina, MARIA THERESIA, ornandum cumulandumque voluere, faſtigia. Norunt enim, qui TE penitus habent cognitum, qua prudentia, quaque animi contentione, moderationeque, cum omnia, tum ſingula ea, pergas adminiſtrare: hoc vno, in paucis feliciſſimus, quod non per TE ſolum, decora vtilitatesque patriæ, excelſo animo continenter procuraueris; ſed filios etiam,

*Quibus integer æui*
*Sanguis*,

REGINAE & Regno commodos, educaueris quam ſollicitiſſime. NICOLAVM volo, & FRANCISCVM, illuſtria in primis nomina. Quorum NICOLAVS, poſt meliorem Europam, ſumma Clementiſſimæ REGINAE adprobatione, & cum dignitate obitam, atque nuntium deſideratiſſimum, *Batauis*, *Britannis*, *Luſitanis*, *Galliſque* tunc amicis, de JOSEPHO BENEDICTO, Principe iuuentutis, recens nato, prorſus inſinuatum; nunc ſplendidiſſima, apud Potentiſſimum Poloniarum REGEM, eundemque Saxoniæ Electorem, AVGVSTVM, legatione, eximia cum laude, fungitur, atque momentoſiſſimis negotiis, ſenili hac, qua eſt, iuuentute, adhibitus, documenta ſui præbet, NICOLAI attaui, æmulum fore atque imitatorem, non minus ſtrenuum, quam felicem. FRANCISCVS vero, Sereniſſimæ Reginæ, nutu benigniſſimo, perpetuo propemodum palatio auguſto accenſus, & ſupremo *Comitatus Moſonienſis* honore, auctus honeſtatusque, id agit, vt Optimæ PRINCIPI, patriæ dulciſſimæ, & genti ſuæ vniuerſim, fidem, alacritatem, voluntatemque, in honeſtiſſima officia pronam, omni cura ſtudioque adfirmet. BONVM FACTVM!

Deſino plura. Id TE, Excellentiſſime DOMINE, COMES Illuſtriſſime! quam poſſum, obſequentiſſime, oro rogoque, velis EPHEMERIDES, tenues quidem; ſed vtiles tamen futuras, ad lucem hiſtoriæ patriæ adfundendam; quas iam Excellentiſſimo nomini TVO, ſacras nuncupo; facilis bonusque accipere, & conatus hoſce meos, ab innocentiſſima, imo neceſſaria deſtinatione profectos, vna, cum Illuſtriſſimis FILIIS TVIS, æqui bonique conſulere. Eſt, quod deprecatur,

EXCELLENTISSIMI ILLVSTRISSIMIque
DOMINI COMITIS, DOMINI GRATIOSISSIMI,

*Obſequentiſſimus*

MATTHIAS BEL.

# Ad Lectorem Beneuolum.

DE GEORGIO ZÁVODSKYO, *cuius nunc* Ephemerides, TIBI *exhibemus, vix quidquam superat dicere; quam quod ipse passim in schedis suis, sed parce admodum, de se meminit. Fuit Comiti* GEORGIO THVRZONI *primum; deinde, huius filio,* EMERICO; *atque hoc, senili iuuenta, præmature* Niclaspurgi *exstincto; postea matri* Elisabethæ, *egregie cordatæ feminæ, &* Christinæ *viduæ, a secretis epistolis: dum hæc, secundis nuptiis, in manus* Nicolai Eszterházy, *illustris iam tum viri, concederet.*

II. *Et* GEORGIO *quidem, summo viro, inde a primis, quos ille regum indulgentia, capessiuit, honoribus, domi atque militiæ, indiuiduus comes adhæsit perpetuo, eandemque, cum hero, belli fortunam, periclitabatur, quoties* THVRZO, *a primis militiæ tirociniis, vel militis, vel ducis, munere, in expeditionibus aduersus Turcas, fungebatur. Postea, cum perpetuis dignitatum accessionibus, sub* RVDOLPHO, *ad inuidiam vsque multorum, increscere cœpisset; sub* MATTHIA *vero* II. *summum honoris culmen,* REGNI Palatinatum, *obtinuisset; plane se* Závodskius, *curarum domini sui, fecit participem. Nam, nec a latere eius vnquam discessit, & vbicunque demum, seria seueraque, excelsi eius muneris procuratio poscere videbatur; non tam scribæ, quam consiliarii, vti hinc inde ex ephemeridibus adparet, officio defunctus est.*

III. *Tandem, cum* GEORGIVS *pater, magno Hungariæ luctu, viuere desiisset,* EMERICO *filio, operam adprobauit. Nam, & adolescenti adhuc, prudenter moderabatur, & rebus agendis adhibito, præsto erat: dum hic quoque, fatorum prouidentia, ante rebus humanis eximeretur, quam XXIII. ætatis annum, compleuisset. Quæ hinc, tum matri* Elisabethæ, *natæ* Zoboriæ; *tum* Christinæ Nyári, *Emerici viduæ, officia accommodauit; neque diutina ea fuerunt, neque forte, pro eo, ac optasset, efficacia: partim, quod tempora ingruerunt, in tristes conuersiones prona; partim, quod ipse* Závodskyus, *ætate iam ingrauescens, suam odisse quietem noluit.*

IV. *Ad hoc eius* DIARIVM, *quod adtinet, non id quidem posteritati scripsisse putandus est; tunc enim, & adcuratiorem esse oportuisset, & luculentiorem; sed ea tantum; ne vulgator secreti fieret; adnotauisse, quæ extra muneris sui administrationem euenerunt, neque ille, memoria sibi effluere, patiebatur. Præstitit tamen operæ pretium, in his quoque lineis, quas pressius quidem; sed ita vtiliter duxit, vt sint omnino in iis non pauca, quæ, cum ad publicos ætatis suæ actus, tum ad singulares euentus familiarum, cum fructu referri possint: si quibus volupe fuerit, suo singula loco, ad historiam patriæ locupletandam, reponere: nam, de fide quidem auctoris, nullum est dubium, ita, & apertus est, & verax.*

V. *Atque istud me inuitauit, vt hæc eius symbola, prudens lubensque, in* ADPARATV *hoc meo, voluerim exstare. Enim vero, norunt docti, & qui operam aliquando in scribenda historia, cum cura nauauerunt, quid hæ istiusmodi* Ephemerides *sibi profuerint, in rebus etiam momentosis, seu illustrandis, seu adstruendis: vt optarim sane, plura huius argumenti, quantumuis alioquin tenuia monumenta, ex tenebrosis scriniis, propitia Minerua, in lucem protrahi. Nam, plus satis cognitum habeo, maximas ad* Historiam Hungaricam *mirifice ditandam, opes huiusmodi, hic atque illic, non secus detineri, quam a* Gryphis *aurum. quod illi quidem vehementissime vigilantissimeque, contra adtingentes, custodiunt; sed detento auare metallo, vti nesciunt. Vtinam his, aliam aliquando mentem, dexter* Apollo! TV *Lector amice,* Závodskii *hac opella, commode vtere, saltem, curas nostras, quas ei edendæ impendimus, criminari abstine. Vale.* PISONII, *Anno* CIↃ IↃ CC XLIII. *Cal. Februarii.*

GEOR-




# GEORGII ZÁVODSKY
## DIARIVM,
*Siue*,
Memorabilia quædam, quæ ab Anno MDLXXXVI, vſque ad An. MDCXXIV. in Regno Hungariæ contigerunt, carptim, ſed ex vero, litteris conſignata.

### ANNO MDLXXXVI.


Antam æternus DEVS, in pœnam peccatorum noſtrorum immiſerat caritatem annonæ, præſertim in his partibus (a) *Hungariæ*, vt hic apud nos, *Lukna* (b) vna tritici, venderetur *florenis tribus*, & LX. *denariis*. Quem furorem & caritatem æternus DEVS, propter Filium ſuum, mediatorem noſtrum IESVM CTRISTVM, a nobis clementer auertere dignetur! Sed & ſubſequenter, A. MDC. *corus* vnus tritici, iſta ſumma veniebat.

Die XII. Decembr. ſecundum vetus *Calendarium*, exceſſit, e viuis, Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Poloniæ, STEPHANVS BÁTHORY. (c)

Annus ætatis, regiminis, & obitus eius.

VIX noVIes ſex bIs qVInos ReX VIDerat annos,
BIs ſenI bIs ſena haVsIt noX anXIa MensIs.

Huic, legitime ſucceſſit, SIGISMVNDVS III. regis Sueciæ filius, A. MDLXXXXI. qui adhuc rerum potitur; MAXIMILIANO Archiduce Auſtriæ, per certosPolonos,pro rege,fruſtra electo,tandemque in captiuitatem redacto.(d)

Xxxx Anno

---

a.) *Trentſinienſem* Comitatum, quem coluit *Závodsky*, & vtrinque vicinos, intelligit.

b.) Menſuræ aridorum nomen eſt, quæ vltra duas *Kilas Poſonienſes*, ſiue *Coros* quatuor continet. quorum *tres*, duas *Kilas* æquant: *coro* quarto ſuperante.

c.) Huius mortem & elogia, vide, apud WOLFGANGVM BETHLEN, Hiſtoriar. Lib. VI. p. 383, vsque ad p. 399. vbi & emortuale iſtud chronoſtichon legas.

d.) Habemus captiuitatis eius, & quæ eam præceſſit, pugnæ, infeliciter, cum

## Anno MDXC.

Die XXV. *Aprilis*, ſpe melioris fortunæ, iueramus ſub *Strigonium*, potituri illic præda *Turcarum*. At longe res diuerſe, atque opinati ſumus, accidit: quippe, in *Turcas* (qui longe maiori numero, certiores alioquin antea de aduentu noſtro facti, nos præſtolabantur) temerarie inuecti, ab iisdem, cognita noſtrorum paucitate, miſere victi ſumus: vbi plus minus ſexaginta noſtorum interiere. Quorum præcipua pars in captiuitatem ducta, paucis, in conflictu deſideratis. (e)

Die XII. *Maii*. Futurum erat monomachicum (f) certamen, *Michaëlis Bory*, Vice-Capitanei *Bakabanenſis*, (g) cum *Ibrahimo Aga*, ſub *Baka*. quo, cum longe maiori numero *Turcæ*, comitati *Ibrahimum*, quam litteræ fidei a *Generali Capitaneo* illis datæ, poſtulabant, adueniſſent; ipſeque certamen detrectaret ac ſubterfugeret; milites noſtri, vilioris conditionis maxime, per tumultum, impreſſione in eos vehementi facta, plerosque paſſim oberrantes, crudeliter cecidere, in tantum, vt prope centum ex iis deſiderati ſint: ii omnes pene cæſi ac detruncati, paucis in vita ſeruatis, qui demum 1. *Auguſti*, ad mandatum ſuæ Maieſtatis, vna cum ſpoliis, in eo conflictu collectis, ad ſuos pacifice ſunt remiſſi.

Hoc eodem anno, *Magnifica Domina Sophia Forgách*, conſors Magnifici Domini *Georgii Thurzo* &c. in autumno e viuis ſublata eſt.

## Anno MDXCI.

Die XXXI. *Auguſti*. Fuimus cum *Generali Capitaneo* partium Cis-Danubianarum ſub *Strigonio*, numero circa *bis mille*, vbi cum vniuerſo exercitu, pene ad ipſas portas Turcarum prouecti ſumus, & propter hoſtium abacta pecora, feliciter cum iisdem confliximus: viuos quippe ſeptem, ac aliquot hoſtium capita, domum adtulimus.

## Anno MDXCIII.

Diebus III. IV. V. *Iulii*. Ex aſſiduis quatuor dierum imbribus, tanta paſſim vbique exundatio (h) aquarum facta eſt, vt ſolus *Vagus* fluuius, damna intulerit infinita; ſubuerſa enim *Arua*, ſegetes, iam matureſcentes peſſundatæ ac in nihilum redactæ, arbores radicitus euulſæ, plurima ædificia hortorumque ſepimenta, funditus deleta, exterminataque, & obuia quæuis, inuſitati huius eluuii portentoſa voragine, proſtrata, abſumptaque ſunt. Die

---

cum SAMOISCIO conſertæ, hiſtoriam, per SIGISMVNDVM a PISIVTZ, concinnatam, in M. S. edendam, cum ſe dabit occaſio: eo quod Hungarorum quoque fuerint in prælio, partes quædam.

e.) Inſerenda hæc ſunt, ISTVÁNFFII, Lib. XXVI. extremo.

f.) De Monomachiis *Hungarorum* cum *Turcis*, duobus carminum Libris, cum laude cecinit, NICOLAVS GABELMANNVS Germanus, quem, ad CARPONAE res illuſtrandas, excerpſimus, TOMO II. p. 478. §. VI. ſequ. prodiere PATAVII, A. MDXC. forma 4. dedicatique ſunt, Illuſtriſſ. D. & Magnanimo Heroi, D. FRANCISCO DE NADASD, *&c.*

g.) BAKABANYAM, vrbem liberam ac Regiam, eamque Metallicam, ſed tempeſtate illa, operibus, & militari præſidio munitam, deſcripſimus, TOMO IV. in *Hiſt. Comitatus Nagy-Hont.* Memb. II. Sect. I. p. 703. ſequ. Adde, huius ſimul *Monomachiæ*, mentionem, Lib. eodem ISTVÁNFFII.

h.) Suppar, aut atrocius, diluuium illud eſſe oportuit, cuius in VAGI natura expromenda, ad annum MDLVII. meminimus, Tomo II. in *Hiſt. Comit. Liptovienſis*, Parte Gener. Memb. I. §. VI. p. 525. ſequ.

(i) Lege

Die III. *Novembr.* Dominus DEVS, ex innata bonitate & clementia sua, per indignas manus Christianorum, memorabili (i) clade adflixit exercitum *Bassæ Budensis*, circiter triginta duobus millibus *Turcarum* constantem numero, in tantum, vt solummodo occisorum in prælio, quod prope *Albam Regalem* commissum est, cadauera vltra XIV. M. numerata sint. E *Begis*, ceterisque purpuratis, plurimi illic, magnæ apud eos auctoritatis viri, interiere: ipse quoque dux & antesignanus exercitus, *Bassa Budensis*, letali accepto vulnere, vix fuga euasit. Adeo, incruenta hæc Christianis victoria extitit, vt circiter L. solumodo nostrorum in acie desiderati sint. Tormenta minora XLVII. ac pene omnia militaria signa hostium, in potestatem nostram venere, infinitaque spolia, domum, in sempiternam memoriam, reportata.

Die XXVII. *Nouembr.* Arx, natura arteque munitissima, *Fülek*, (k) posteaquam octiduo a nostris fortiter, ac sine omni intermissione, maioribus tormentis, oppugnata fuisset, in potestatem nostram deuenit, *Turcis*, fide nostrorum accepta, vltro eam tradentibus. Qui omnes, præter transfugas, tantum vita donati, incolumes ad suos dimissi sunt. Recepta hac arce, circumcirca existentia castra Turcarum, vtpote: *Somoskő*, *Haynacskő*, *Hollókő*, *Kékkő*, *Divin*, *Buják*, subsequenter a nostris recuperata sunt.

## Anno MDXCIV.

Die IX. *Martii* (l) Arx *Nográd*, postquam a nostris fortiter, per aliquot dies, tormentis oppugnata fuisset, in potestatem nostram deuenit.

Die IV. *Maii.* Obsessum est *Strigonium* per nostrates.

*Eiusdem*, Maior ciuitas *Strigoniensis*, postquam per nostrates aliquot diebus fortiter oppugnata fuisset, in potestatem nostram deuenit, Turcæque fere omnes, in ciuitate existentes, trucidati sunt.

Die XXI. *Iulii*, Obsessa per *Szinan Bassam* arx *Tata.*

Die XXIII. *eiusd.* Illico per nostrates, *Turcis* tradita eadem arx *Tata.*

Die XXXI. *Iulii.* Obsessum per *Szinan* Bassam, *Iaurinum.*

Die XXIX. *Septembr.* Fridericus Comes ab *Hardek*, Præfectus *Iaurinensis*, per proditionem subdidit *Szinan Bassæ*, arcem *Iaurinensem*, rebus suis illæsis exinde ablatis; *Hungarorum* autem militum reculis omnibus, per hostem, in prædam conuersis. Res acerbissima! (m)

Die XX. Octobr. Obsessum per *Szinan Bassam*, *Komaromium.*

Die XXVIII. eiusdem. *Szinan Bassa*, a *Komaromio*, non sine summo maximoque rerum suarum dispendio, discedit, inexpugnatamque relinquens arcem. Oppidum tamen, totaliter voragine ignis, consumi fecit. (n)



i.) Lege ISTVÁNFFYVM, fuse Historiam illam describentem, Lib. XXVII. p. 614, 20. vbi cæsorum VI. Millia equitum, IV. peditum, fuisse, e nostris XL. admodum desideratos, memorat. Adde ad eundem annum ORTELIVM, Parte I.

k,) Habet hunc victoriarum prouentum, ISTVAN. p. 618. 12. Et IOHANNES CSERNOVICIVS, *de Lybeo Moute*, inde Bello Pannon. Lib. I. D. 2. seq. quod, venusto, *sex Librorum* carmine, ex RVDOLPHI II. temporum habitu, descripsit. PRAGAE, MDCXIX. for. 4.

l.) De huius anni actibus, ISTVÁNFFYVS, Lib. XXVIII. profusa opera: &, quos iam citauimus, alii.

m.) Dedimus, indignissimam hanc IAVRINI fortunam, fuse depromptam, an deploratam, TOMO V. prælum exspectante, in eius vrbis Historia, §. XXX. seq.

n.) Vide ISTVÁNFFYVM Lib. XXIX. p. 664.

Die V. *Nouembr.* Castra Christianorum ad *Nyárasd* posita, ob *Szinan Bassæ*, a *Comaromio* discessum, soluta.

## Anno MDXCV.

Die XIII. *Augusti.* DEVS, ex immensa sua bonitate, nouam ciuitatem Strigoniensem, cum arce aquatica, vulgo *Vizvár* nuncupata, in manus Christianorum dedit.

Die II. *Septembr.* *Bassa*, cum *Begbo*, ex arce *Strigoniensi* exeuntes, arcem manibus *Christianorum* assignauerunt. (n)

## Anno MDXCVI.

Die III. *Septembr.* Sepimentum *Hatvan*, (o) a tribus hebdomadis per nostrates oppugnatum, sub vesperum, impressione nostrorum, interceptum, vbi hostes sine discrimine vtriusque sexus, sunt trucidati. Idem sepimentum, dum ad sustinendas vires hostium impar dignosceretur, die IX. Septembr. per nostrates exustum, & puluere pyrio euersum.

Die XX. eiusdem. *Agria*, a multis annis, rapinis & excursionibus *Turcarum* obnoxia, a tribus septimanis, tormentorum ictibus continuis opposita, *Turcarum* imperatori deditionem fecit, *Paulo Nyáry* Capitaneo ibidem, & *Trcbka*, aliisque præcipuis viris, captis, inferioribus vero decollatis.

## Anno MDXCVII.

Die XX. *August.* Sepimentum *Papa*, vna cum arce, peruenit in manus (p) *Christianorum.*

Die VIII. *Octobr.* Arx *Tata*, per Vezirium *Zerbard Membet*, obsidione cincta.

Die XIII. *Octobr.* Ob ingentes ruinas, nostris, ex arce elabentibus, in manus hostium est assignata. (q)

## Anno MDXCVIII.

Die XXIX. *Martii.* IAVRINVM, (r) in tota Christianitate celeberrimum præsidium, natura loci & munitione fortissimum, inusitato antea in Hungaria tormenti genere, quod Itali *Petardum* nuncupant, porta ciuitatis, explosione illius disiecta, a nostratibus captum.

Die XI. *Septembr.* Nascitur *Comes Emericus Thurzo*, (s) patre *Georgio Thurzo*, qui 18. Octobr. 1621. *Nicolspurgi* obiit.

Die

o.) Exstat expugnationis eius historia, ibidem Lib. XXX. p. 690.sequ. Haud vero deletum fuit penitus, quod hic noster vult; sed extima tantum opera: nam ipsa moenia instaurata sunt omnino, & *Michael Serini*, Filecki nuper præfectus, cum præsidio isthic relictus. Inibi, & AGRIÆ, huius anni, occasum legas.

p.) Libro eodem p. 708. seq.

q.) NICOLAVS PALFFYVS, cum collega *Bernsteinio*, primo vere *Tatam*, Turcis eripuerat, *Petardi* vsus ministerio, ISTVÁNFFYVS Lib. eod. p. 707, 25. quam *Mehmetes*, senescente eodem anno, recuperauit denuo, idem, p. 712. qua de re, in arcis eius designatione, TOMO V. pro eo, ac satis est egimus.

r.) De vindicato IAVRINO, plus satis in eius vrbis historia, eodem TOMO V. egimus. Recole, Monumentum Adparatus huius VII. Dec. I. & legesis *Iaurinum Rediuiuum.*

s) Dedimus, gentis, pluribus dignæ seculis, ortus, accessiones, honores, propagines & occasus, diligentia haud superuacua, in *Comitatu Aruensi*, ad arcis cognominis historiam illustrandam, TOMO VI. si Deus volet, prodituro, a §. IX. vsque ad §. XXXIII.

Die VI. *Octobr.* *Buda* (t) obsidione cincta, & Cingarorum ciuitas exterior statim intercepta eodem die.

Die X. eiusdem. Inferior ciuitas, vbi Bassa sedem suam fixerat, valida nostrorum impressione, capta.

Die XI. *Novembr.* Discessum a *Buda*, re infecta.

Eodem anno, postquam 16. Augusti horrenda ecclipsis lunæ, vltra trium horarum spatium durans, apparuisset, tandem toto autumno, in plurimis Hungariæ & aliarum prouinciarum locis, subsecuta est iumentorum lues, tam valida, qualem ætas nostra antehac nunquam viderat; neque, vt deinceps videamus, diuina faxit clementia!

## Anno MDXCIX.

Circa Festum *B. Lucæ* Euangelistæ, generis humani atrocibus delictis sic deposcentibus, ac benignissimum numen ad iram prouocantibus & concitantibus, *Tartarica*, & aliorum barbarorum rabies, vsque adeo (u) peruasit & desæuiit, vt non solum totam regionem, fluuiis *Ipol* & *Grano*, adiacentem, verum vlterius etiam, vltra *Nittram* & *Vagum*, ad *Tyrnauiam* & *Uybely* vsque, misere ac crudeliter depopularetur. Præter armentorum, pecorum, aliarumque rerum & opum, hominum etiam, vtriusque sexus vim, innumerabilem, partim neci crudelissimæ dederunt, partim secum in diram captiuitatem abduxerunt. *O mucro Domini! quousque non requiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare & sile! Cogita super nos cogitationes pacis, & non afflictiones, & da nobis finem & patientiam, & inuocabimus Te, & viuemus. Jerem. XLVII. 29.*

Eodem anno, die XXVIII. *Octobr.* *Michael, Vayuoda* Valachiæ, (v) vir heroica virtute præditus, cum exigua suorum manu, Transiluaniam ingressus, ad ciuitatem *Szeben*, cum *Transiluanis* conflixit, eosdemque acerrime fudit, ac prouinciam totam in suam potestatem redegit.

Eodem anno, tanta subsecuta est annonæ (x) caritas, vt tritici corus vltra florenum vnum; hordei corus, circiter denariis LXX. auenæ corus, circiter denariis XXXIII. & reliquorum frumentorum similiter venderetur. DEVS misereatur nostri, & concedat, Ecclesiæ suæ reliquiis, iam tandem halcyonia & annnm iubilæum.

## Anno MDC.

Die XXIII. *Aprilis.* Spectabilis ac *Magnificus Dominus Nicolaus Pálffy*, post longa bellorum & ancipitis Martis discrimina, a septennio fere durantia, & regnum hoc *Hungariæ* mirifice exagitantia, post partas etiam aliquot de

Yyyy hoste

t) Istvánffyus Lib. XXXI. p. 733. sequ.

u) Lege, & ingemisce, Istvánffyum ibid. p. 744. sequ.

v) Præter Istvánffyum, Lib. XXXII. initio, consule Wolffgangum Bethlenium, Lib. X. ad eundem hunc annum, p. 704. sequ.

x) Istud vero, non caritatem, sed laxitatem annonæ, calamitosa alias tempestate, posses dicere. Adsueti nempe ciues nostri olim fuerunt, nulli non rerum adfluentiæ, & vilitati. De qua vide, Adparatus huius nostri, Mon. VI. p. 303.

y) Me-

hoſte *Turca* victorias, laudeque ſibi & poſteris, immortali relicta, tandem placide in Domino obdormiuit, atque *Poſonii* ſepultus eſt. (y)

Die XXVIII. *Julii.* Strenuus admodum ac fortunatus heros, *Adolphus Schvvartzenburgh*, Comes, ac Sacræ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis in caſtris *Marſchallus*, & conſiliarius bellicus, qui præter alia præclara facinora, vel id primum memorabile & laudandum ſane reliquit, quod *Jaurinum*, totius Auſtriæ propugnaculum, ſic Domino DEO auxiliante, e manibus Turcici tyranni, vſus miro & inaudito ſtratagemate, machina lignea, *Petardus* vocata, copiisque *Hungaricis*, quibus *Dominus Pálffy* præerat, adiutus, expugnauerit receperitque: cuius tandem factus Capitaneus; poſtea, ſub arce *Papa*, a perfidiſſimis *Gallis*, ſeu *Vallonibus*, globo traiectus, (z) miſerabilem oppetiit mortem.

Die III. *Auguſti.* Terminus (a) comparitioni ad ius, *Michaël Telekesſy*, præfixus erat. Qui, ſiquidem non comparuerat, propter ſua multiplicia & inaudita malefacta ac ſcelera, vtpote furta, prædas, homicidia, de lege regni proſcriptus, notam perpetuæ infidelitatis apud omnes incurrit.

Tandem die XI. *Septembr.* & aliis immediate ſubſequentibus, ex ſpeciali ſuæ Maieſtatis & ſuæ Serenitatis mandato, *Dominus Georgius Thurzo*, tanquam præcipuus commiſſarius, CL. equitibus, & CCCC. peditibus ſtipatus, adiunctoque ſuæ Majeſtatis certo equitatu & peditatu, nec non *Domino Protonotario*, ac *Capitulari*, præſentibus, in bona eiusdem *Telekeſſy* peruenit. Vbi primum, arcem *Lednicze*, tum oppida, poſſeſſiones & prædia totaliter (demta certa parte, quæ conſorti *Thelekeſſii*, pro dote ad tempus adſignata & ſequeſtrata fuit) in rationem ſuæ Maieſt. Cæſ. occupauit, compliceſque *Thelekeſſianos*, numero XXVIII. ſingulari vſus animaduerſione, capi, & in vincula coniici fecit, conſtitutiſque & adiuratis officialibus, tandem XV. Septembris in thermas abiit.

Die XXI. *Septembr.* Hora veſpertina octaua, tandemque ſequenti die, hora 12. diei, & rurſus hora 12. noctis, terræ motus vehemens & ſtupendus accidit, non ſolum ad thermas; ſed in toto fere tractu *Rayeczenſi*, vſque ad *Solnam*: ſequentibus etiam diebus, iteratis vicibus, idem terræ motus ſentiebatur.

Eodem anno, arx regia *Caniſa*, præſidium totius *Croatiæ* (rectius, Hungariæ Auſtralis,) munitiſſimum & fortiſſimum, per exercitum Turcarum, cui *Ibraim Baſſa* præerat, obſeſſa, tandem perfida deditione, in manus hoſtium, ſine longa obſidione, aut expugnatione, deuenit.

Die XXXVI. *Decembr. Michaël Telekeſſy*, poſteaquam adimpleta eſſet eius malitia, nexu fatali tractus, ad arcem *Bitse*, ſponte venit, vbi ex mandato ſuæ Maieſtatis Cæſareæ, & Suæ Serenitatis captus, & in vincula coniectus, ac tandem per certos equites ſuæ Maieſtatis, ad id emiſſos, in arcem *Poſonienſem* deductus eſt.

Eodem

y) Meminimus emortualem hunc, fortiſſimi viri, & annum, & epitaphium, TOMO I. p. 578. Quatuor ei ſuperſtites fuere filii: *Stephanus*, *Iohannes*, *Paullus*, *Nicolaus.* Vide *Tomum* eundem, atque illic *Tabulam*, Comitum PÁLFFY, *Genealogicam*, ad p. 65. §. XLV. lege & §. XIII. Adde ISTVÁNFFYVM, Lib. XXXII. initio.

z) ISTVÁNFFYVS, ibid. p. 753.

a) Anni MDC. Decreto, Artic, XXII.

b) Con-

Eodem anno, ante nouas fruges perceptas, vti in *Junio* & *Julio* mensibus, tam inaudita & horrenda annonæ caritas, in hoc *Hungariæ* regno, præsertim in hisce vicinis limitibus, inualuerat, vt plerique mortalium, auida fame tabefacti, miserabilem subiuerint mortem. Tritici enim *corus* vnus, vltra *florenos tres*, siliginis *corus* vnus *florenos duos*, hordei & auenæ *corus* vnus *florenum vnum*, si reperiri potuit, vendebatur. Aliorum leguminum nihil plane dabatur. In autumno demum, permissu Diuino, quod alias naturaliter fit, post tantam famem, pestis pleraque loca, tam superioris, quam inferioris *Hungariæ*, peruasit & perreptitauit. *Misericordia tamen Domini est, quod nos non sumus absumti. Recordare, quia puluis sumus, ventus cito abiens & nunquam rediens; Non perpetuum irasceris nobis, o Altissime!*

## Anno MDCI.

Die XI. *Aprilis.* Michael Telekessy, in foro ciuitatis Posoniensis, propter *horologii*, quod sua Maiestas *Sigismundo Báthorio*, dono miserat, e Transiluania, post recuperationem ab *Andrea Báthorii* eiusdem prouinciæ, per *Michaëlem Vayda* transmissi, in itinere, more prædonico, ab *Adamo Pelerdy* ablationem, supplicium (b) capitis subiuit. Item, *Gregorius Petthö*, Capitaneus, & alter *Gregorius Végh*, Vice-Capitaneus *Babolchensis*, nec non *Joannes Balogh*, Vayuoda Kanisiensis, propter traditionem confiniorum, *Posonii*, iure comperti sunt incurrisse notam perpetuæ infidelitatis. (qq)

Die XX. *Septembr.* Non sine magna hominum admiratione, paruo cum Christianorum exercitu, principe, *Duce de Mercurio* Generali existente, *Alba Regalis* est capta.

Die XIV. *Octobris.* Sub *Alba Regali*, toto die, (c) vsque ad crepusculum, cum *Turcis* continuatum prælium, in quo Budensis Bassa, & *Tibaja* Vezirii, cum aliis septem *Beghis*, cecidere. Imo, & D. *Comes Georgius Thurzo*, ibidem lapsus cum equo, inter multa millia globorum, satis acriter veste dissecta, porro saluus euasit. Eodem die, *Matthias Ostrosith*, a Turcis decollatus, III. Nouembr. *Illauiæ* sepultus est.

## Anno MDCII.

Die XXIX. *Augusti.* Alba Regalis per Turcas recepta: *Nisi Dominus custodiuerit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*

Die XXX. *Septembr.* A prandio, *Buda* obsidione cincta, eaque ipsa die, ciuitas *Czigán Város* appellata, capta; noctu vero, per haidones, ciuitas *Pesth-Város* nuncupata, recuperata.

Die V. *Octobr.* Posteaquam per nostros, *Hungaros* in primis, quibus piæ memoriæ *Petrus Eörssy* præerat, noctu, cum *Pesthianis* Turcis pugnatum acriter, eaque ciuitas, paucis nostrorum desideratis, capta fuisset, tunc primum *Germani* in eandem ciuitatem, prorsus nemine resistente, audacter & viriliter impressionem fecere, eamque semel antea captam, pacifice ingredien-

 tes

b) Confer Istvánffyum, ibid. p. 771. 46. Et Gregorii Petthö Chronic. Hung. patrio sermone conscriptum, ad annum MDCI. vbi simul inuectiuam legas, in necem Telekessii; ne ipsi quidem Istvánffyo, dissimulatam.

bb) Vtriusque ignobile facinus, Istvánffyus meminit: ac *Pethönis* quidem Lib. XXXII. p. 763. 31. *Baloghi*, autem, ibid. 770, 39. Alioquin, in eius anni comitiis *Posoniensibus*, de hac eorum poena, nihil legas, præter Articuli XXXV. tacitam sanctionem. Gregorius certe Petthö, bello infelix, historiam postea scribere occepit; suam tamen hanc culpam, ad eum annum, & postea, cautus siluit.

c) Inibi p. 778. sequ. d) Idem

tes viciſſim cepere. Res denique vniuerſas Turcicas, varii generis, e manibus miſerorum Hungarorum (d) extorſerunt, & pro ſe reſeruarunt.

## Anno MDCIII.

Die IV. *Nouembr.* Propter certos, eosque graues exceſſus, *Magnificus Dominus Illésbázy*, antea Comes Trentſchénienſis & Liptouienſis, Curiæ Regiæ per Hungariam Magiſter ac conſiliarius; nec non, Generoſus *Joannes Joó*, Præſentiæ Regiæ in iudicis locumtenens, Viennæ accuſati, conuictique ſunt. Quorum prior, *D. Illésbázy*, fuga clandeſtina in *Poloniam*, vitæ ſuæ conſuluit; alter *Joó János*, die VII. Nouembr. *Poſonium deductus eſt.* (e)

Die XIX. *Nov.* Præſidium *Hattvan*, noſtratibus per Turcas deditum.

## Anno MDCIV.

Die IV. *Januar.* Spectabilis ac *Magnificus Dominus Franciſcus de Nádasd*, fidei & nominis Chriſtiani conſtans, ſincerus & acerrimus defenſor, ætate (f) iam matura, ex hac lachrymarum valle, in cæleſtem migrauit patriam, amicis luctum, ac perenne ſui relinquens deſiderium.

Die XIX. *Septembr.* Strigonium per Turcas fuerat obſidione cinctum, quæ tamen, moderatore & propugnatore DEO opt. max. Dominoque *Georgio Baſta*, Generali exercitus Chriſtiani Capitaneo exiſtente, fruſtra intentata, (g) tandemque ſoluta eſt.

Eodem anno, menſe *Octobri. Magnificus Dominus* STEPHANVS BOTSKAY, pro tunc Sacræ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis conſiliarius, collecta *haydonum*, & ceterorum barbarorum, non exigua manu, religionis purioris aſſerendæ, libertatisque priſtinæ recuperandæ, prætendens negocium, bellum inteſtinum, contra gentes ſuæ Maieſtatis, ſuſcitauit ac mouit: in quo breui tempore, præter alia innumera damna & populationes, in partibus inferioribus Regni *Hungariæ*, vltro citroque factas, clades etiam & ſtrages Chriſtianorum plurima accidit. (gg) Impoſterum quid fiet? *nouit* ſecreti *DEVS arbiter æui*!

Eodem anno & menſe. Factus eſt conflictus ad caſtellum (h) *Osgyán*, inter exercitum ſuæ Maieſtatis Cæſareæ, cui *Georgius Baſta* præerat, ac inter complices *Bocskayanos*. In quo, parte ab vtraque, circiter quatuor millia Chriſtianorum miſerabiliter ceciderunt. *Blaſius Németh*, cohortis *Bocskaianæ* capitaneus, in eodem prælio captus: tandem iuſſu Baſtæ, poſt alia multa ſupplicia, quadripartito diſſectus eſt.

## Anno MDCV.

Hoc anno, tametſi promulgata fuerit *Diæta generalis*, pro Feſto *Epiphaniarum Domini*, Poſonii celebranda; tamen, ob motus & tumultus factioſorum, in aliud pacatius tempus eſt reiecta.

Die

---

d) Idem & ISTVÁNFFYVS queritur, Lib. XXXIII. p. 789, 51.

e) Habes rem fuſe, ab ipſo iudice, NICOLAO ISTVÁNFFYO, ex vero deſcriptam, ibidem, p. 798.

f) ISTVÁNFFY & PETTHŐ, anno ætatis XLIX. ergo, nondum præmatura morte conceſſiſſe, meminerunt. Exceſſit e viuis *Sárvári*, *Leukæ* ſepultus; THOMAE NADASDY Palatini, vnigena; PAVLLVM, itidem vnigenam, poſt ſe relinquens.

g) Irritam obſidionem eam, lege Libro XXXIII. p. 807. ſequ.

gg) Huc illud VIRGILII chronoſtichon valet, *Georg.* II, 496.

*InfIDos agItans DIſCorDIa fratres.*

Nam anno demum ſequente, vires ſumſit bellum ciuile.

h) Dedimus eius hiſtoriam, Operis noſtri TOMO IV. in Kis-Hont. p. 762.

i) Irri-

Die XVII. *Martii*, & ſequent. *D. Sigiſmundus* Forgách, & *Demetrius Napragyi*, in legatione (i) ad *Stephanum Bocskay*, pacis tractandæ gratia miſſi fuerunt, die XIX. *Aprilis*. Creſcit rebellium tumultus, & barbari *Haydones*, vndiquaque aduentant & confluunt.

Die XVII. *Maii*. Inſignis & manifeſtus prædo, *Biely Stecz* appellatus, certorum *haydonum Bocskaianorum* capitaneus, obluctante ſatis Domino C. *Thurzone*, Rayeczium ex Thurócz venit, catena latronum ſibi ſimilium non exigua ſtipatus. Tandem XXI. *Maii*, idem *Biely Stetz*, pactatus prius cum incolis oppidi *Bitchæ*, de certa ſumma pecuniarum ipſi exſoluenda, cæco impetu & furore raptus, propter exſpectationem, ad arcem *Bitche* veniens, in eam fortem fecit impreſſionem: a qua, dum repulſam paſſus fuiſſet, & aliquot e ſuis complicibus amiſiſſet, tandem ipſum oppidum *Bitche* ſuccendit, ac in eo, præter alias ſumtuoſiſſimas domos, templum etiam ſcholamque, nec non palatium, penes arcem magnifice exſtructum, ceteraque ædificia, dira ignis voragine, perpropere & miſerabiliter exuſſit. In quorum exuſtione, præter alia damna, innumera ſane, & id dolendum accidit, quod tali furore barbarorum, innocentes animæ Chriſtianorum, ſuæ *Magnificentiæ* ſubditorum, circa L. partim igne ſuffocatæ, partim aliter extinctæ ſunt. Quo infortunio & crudelitate hoſtili viſis, arcem etiam *Bitche*, caſtellani eius, *haydonibus* dediderunt. Ex cuius depopulatione, oppidique incineratione, ad minus, *octoginta millia florenorum Hungaricalium*, ſua *Magnificentia* paſſa eſt damni; vt furorem barbarorum, quem, confractis, hem ſcelus! monumentis, in eodem templo *Bitchenſi* habitis, oſſibusque mortuorum ſpoliatis & disiectis, impudentiſſime patrarunt, exaggerare prætermittam. (k)

Die XIII. *Auguſti*, Dominus *Stephanus Illésházy*, qui anno MDCIII. in Poloniam ſeceſſerat, ab hoc exſilio redux, per principem *Bocskayum* prioribus honoribus, Comitatuum videlicet *Trentſchinienſis*, & *Liptouienſis*, ſupremi Comitis redditus, ac pro *gubernatore* partium Cis-Danubianarum regni, nec non pro *Theſaurario*, litteris præceptoriis eiusdem Principis mediantibus, eadem die, in generali Comitatus congregatione, publice declaratus eſt *Trentſchinii*.

Die IV. *Octobr.* Strigonienſe præſidium, multo ſanguine & expenſis Chriſtianorum, a Turca, non multo ante recuperatum, per turpiſſimam militis *Germani*, qui iam ſolus, *Hungaris* excluſis, ibidem relictus erat, deditionem, rurſus in poteſtatem *Turcici* imperatoris deuenit. Hic vere *Maronianum* (l) illud exclamandum: *Heu, quo diſcordia ciues perduxit miſeros*!

Die III. *Novembr.* Princeps *Bocskayus*, paſſim regnicolis & comitatibus vicinis, conuentum generalem *Carponæ* (m) celebrandum, indixit.



i) Irrita fuit legatio ea, neque, ſeu a *Cæſare*, ſeu a *Matthia* Archiduce; ſed priuato conſiliariorum ſtudio, qui *Poſonii* coiuerant, procurata. Istvánffyvs, Lib. XXXIV. p. 822, 28.

k) Recolemus funeſtam eam cladem, Tomo VI. in Hiſt. Comit. Trentſchinieſins, Parte Spec. ad oppidi mentionem.

l) Bvcolicor. Ecl. I. 72. 73.

m) Ad eius conuentus hiſtoriam illuſtrandam, ſuperius *Monumentum* VII. adtinuit.

n) Ope- *Decad. I. Monumentum VIII.*

Menſe *Decembri.* Poſtquam conuentus Carponenſis fuiſſet (n) ſolutus, haydones *Bocskayani*, Aruenſem primum, tum Trentſchinienſem Comitatus ingreſſi, pro ferocia ſua, vaſtant & depopulantur omnia.

Eodem tempore, *Dominus Sigismundus Balaſſa*, ex Conuentu *Carponenſi* reuerſus, fratrem ſuum carnalem & vterinum, *Emericum Balaſſa*, (o) nec non *Magnificam Dominam Sophiam Merey*, relictam *Magnifici* quondam *Domini Michelis Czobor*, materteram ſuam, indicta cauſa, in arce *Beſzterczе* captiuauit, resque & bona illorum, partim pro ſe occupauit, partim in prædam conuertit.

LIVIVS: *Fugiendo*, inquit, *in media ſæpe fata ruitur.*
SENECA: *Multi ad fatum venere ſuum, dum fata timent.*
LVCANVS: *Multos in ſumma pericula miſit timor ipſe mali.*

Eodem anno. Die XIII. *Auguſti. Biely Stecz* latro, minas adhuc in Chriſtianitatem, præſertim in ſuam *Magnificentiam Dominum Comitem Georgium Thurzo*, tunc Viennæ conſtitutam, ſpirans, & tanquam rabidus canis anhelans, *Trentſchinium*, cum ſex vexillis complicum & coniuratorum ſuorum venerat. Vbi Domino Deo diſponente, vitæ ſuæ impiiſſimæ, tragicum ſortitus eſt exitum. Nam, iuſſu *Domini Illésházy*, quem idem *Stecz* ex alto deſpiciebat, primo, globo ſclopetario traiectus, tandem exanimis, manu tortoris, capite plexus eſt. Caput haſtæ affixum & erectum; cadauer obtruncatum & nudatum, ex ponte *Trentſchinienſi* in *Vagum* fluuium proiectum & præcipitatum eſt;

Steczius *igniuomam diis infernalibus vmbram*
*Tradidit*, *atque Vagi turpe cadauer aquis.*
*Diſcite latrones! numen cæleſte vereri*,
*Pœna venit ſubito*, *qui meruere*, *malis.*
*Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Die XXX. *Auguſti.* STEPHANVS SOMOGYI, cauſarum ſuæ Majeſtatis director fiſcalis, & *Tauernicorum Regalium* per Hungariam vice-gerens, iubente (p) & aſpectante, antelato *Domino Stephano Illésházy*, ante portam inferiorem ciuitatis *Trentſchinienſis*, inconfeſſatus & inteſtatus, e patibulo biſulco ſuſpenſus eſt, tandemque in ſepulchro *Matthiæ Kolosváry*, contumulatus.

CLAVDIANVS. (q)

*Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem.*
*Curarent ſuperi terras? an nullus ineſſet*
*Rector*, *&* *incerto fluerent mortalia caſu.*
*Abſtulit hunc tandem* Ruffini *pœna tumultum*,
*Abſoluitque Deos; iam non ad culmina rerum*
*Iniuſtos creuiſſe queror; tolluntur in altum.*

SENE-

---

n) Operæ pretium feciſſe putandus erit, qui, illius conuentus hiſtoriam, ex eius ætatis ſchedis, illuſtrauerit; eo quod, fundamenta illic iacta ſunt pacis ſequutæ.

o) Lege Pacificationem Viennenſem, ad XII. numero 16.

p) *Quo quiſque eſt maior*, *magis eſt placabilis ira*,
*Et faciles motus mens generoſa capit.*
*Corpora magnanimo*, *ſatis eſt proſtraſſe leoni;*
*At lupus & turpes inſtant morientibus vrſi.* OVIDIVS.
Si alias nuſquam; hic profecto, maculam nomini ſuo inuſſit, ſummus ILLÉSHÁZYVS, deditque præcipitis iræ, ac turpis vindictæ, nefandum documentum.

q) In RVFINVM, Lib. I. ỽ. 1. 3. ỽ. 20.

r) THYE-

SENECA. (r)

*Quem dies vidit veniens ſuperbum ,*
*Hunc dies vidit fugiens iacentem.*
*Nemo confidat nimium ſecundis ;*
*Nemo deſperet meliora lapſis.*
*Miſcet hæc illis prohibetque Glotho*
*Stare fortunam, rotat omne fatum.*
*Nemo tam diuos habuit fauentes ,*
*Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri.*
*Res Deus noſtras cleri citatas*
*Turbine verſat.*

## Anno MDCVI.

Hoc anno, ob obſeruatam in ſuam Maieſtatem Cæſaream ac Regiam, & patriam *Hungariam*, fidem, integritatemque debitam, tum ob alia multa præclara facinora, in diplomate ſuæ Maieſtatis ſpecifice expreſſa ac declarata; titulo & honore, *Liberi* perpetuique *Comitis de Arva*, ſua *Magnificentia*, *Comes Georgius Thurzo*, cum omnibus hæredibus ſuis, ornata eſt, bonaque & caſtrum *Aruenſe*, (s) iure perennali ſuæ Magnificentiæ, per ſuam Maieſtatem collatum.

*Eodem*: Certos & bonos ob reſpectus, ſua Maieſtas Cæſarea, Generoſos, *Dominum Andream Jakuſith*, & *Andream* ac *Stephanum Oſtroſith*, e ſtatu nobilium caſtrenſium, in numerum *Magnatum* adoptauit, ad ſingularem ſuæ Magnificentiæ, *Comitis Georgii Thurzo*, commendationem.

*Eodem* anno: Menſe *Auguſto*. Magnificus Dominus *Emericus Balaſſa*, & Domina *Sophia Mérey*, e captiuitate (t) *Bezterczenſi* ſunt dimiſſi.

Die II. *Septembr.* Profecta eſt ſua Magnificentia, *Comes Georgius Thurzo*, *Viennam*, vbi, præter alia publica negotia, induciarum & pacis cum *Turca*, tractationem, cum certis nonnullis, ad id delegatis Dominis commiſſariis, *Comaromii* congregatis, aſſumſit, eamque, diuina adſpirante gratia, feliciter perfecit.

Menſe *Octobri*. *Coſmas Delj*, & *Paulus Palay*, capitanei *Botskaiani*, cum numeroſiſſimo *haydonum* exercitu, in Comitatum hunc *Trentſchinienſem* irruentes, damnis infinitis eum affecerunt, ac tandem, ope & arte ſuæ *Magnificentiæ*, *Georgii Thurzo*, moti ex eodem Comitatu, die XXVII. *Nouembr.* abſceſſerunt.

Die XVIII. *Decembr.* Compoſita, tam inter *Hungaros*, cum ſua Maieſtate, quam cum *Turca*, deſiderata pax.

Eodem anno. Manipulus *haydonum*, quibus præfuit capitaneus, *Hayda Gergel* vocatus, vice-capitaneusque, *Váczy Nagy Iſtván* dictus, in ipſa ſtatim æſtate, Comitatum *Aruenſem* ingreſſi, eundem miſerabiliter populabantur,

Zzzz 2

r) THYESTE, *verſu* 613. Lege totam, eius *Chori*, cantilenam, *Act.* III.

s) Expromſimus hæc THVRZONVM iura, quam potuimus, diligentiſſime, in arcis ARVA hiſtoria, TOMO VI. operis noſtri proditura.

t) In quam eos *Sigiſmundus Balaſſa*, exeunte anno ſuperiore, compegerat. quod ſane, non ſua ſponte, ſed ex præſcripto ſanctionis, quam exhibet *Pacificatio Viennenſis*, Numero XII. §. 16. feciſſe putandus eſt *Sigiſmundus*.

u) Aquam

tur; donec tandem, die XXVII. *Decembr.* per colonos *Arvenſes*, capitanei primum, tum ceteri *haydones*, circiter 400. miſere cæſi, trucidati, & in fluuiu *Arva* proiecti, iuſtas ſui latrocinii dederunt pœnas.

Die XXIX. *Decembr.* hora quinta diei, Illuſtriſſimus STEPHANVS BOCSKAY, Sacri Romani Imperii & Tranſiluaniæ Princeps, Siculorum Comes, finem (u) vitæ ſuæ & regiminis fecit *Caſſouiæ*; cuius cadauer tandem, anno mox ſequenti, die II. *Febr.* pompoſe *Caſſouia* eductum, ac tandem XXII. *Febr.* in præſentia pauciſſimorum ſuorum aſſeclarum; multitudo ſiquidem, ad ciendas nouas turbas formidabilis erat; *Albæ Juliæ* in Tranſiluania, ſepultum.

## Anno MDCVII.

Eodem anno die XXVII. *Januar. Michaël Kátay*, cancellarius *Bocskayanus*, ob propinatum, vti fertur, eidem *Bocskayo*, letale toxicum, (x) in foro *Caſſouienſi*, ad puteos ciuitatis, ex deliberato ſuperiorum, per *haydones* obtruncatus, & fruſtratim diſſectus, perpetuæ infamiæ notam ſibi, ſuisque omnibus, reliquit.

Circa diem XXVII. *Febr.* Malus genius, in arce *Eched*, ſuas exercuit præſtigias, lapidibus homines impetendo, & fercula commutando.

Die XVII. *Aprilis. Stephani Hertczek*, iudicis ordinarii *Caſſouienſis*, ſextam conſortem, e ſtatu, vti dicebatur, virgineo, ſingulas ducentis, nuptiæ celebratæ. quibus, & ſua *Magnificentia, Georgius Thurzo*, interfuit. *Paradoxon*!

Die XX. *Maii.* Ociſſime vocata ſua Magnificentia, *Comes Georgius Thurzo*, primum *Viennam*, mox XXIX. huius *Pragam* verſus profecta eſt, quo, die XXX. *Maii* peruenit, & XXXI. audientiam habuit: vbi inſignium, ſeu armalium ſuarum, optatam (y) auctionem, & Bonorum Tokaienſium, certo iuris titulo, collationem nacta, poſtquam de pace, atque induciis cum *Turca* fiendis, ſecundum concluſionem iam antea factam, diu multumque; vtinam non fruſtra laboraſſet.

Eodem anno, Menſe *Septembri.* Conſpectus eſt horribilis cometa, *Pogonias* dictus. quæ omnia, tanquam præternaturalia, (*negatur, vir bone*!) irati numinis iram, & mala quæque portendunt, ac minantur; nam vt dicitur:

*Grande trahit ſecum, quisque cometa malum.*

Item: *Nusquam fictilibus excanduit ignibus æther.*

Nuptiæ, in arce *Bitsebæ*, Magnifici Domini *Andreæ Jakuſſith*, nec non Illuſtriſſimæ ac Magnificæ virginis, *Judithæ Thurzo.* C. P. D. A. celebrantur: qui tandem XXVIII. *Octobr.* Anno MDCXXIII. in *Oroſzlánkő*, placide obiit.

Die XXVII. *Nouembr.* Circa horam ſeptimam noctis, clara luna, *chaſma*, ignis, vſque de cælo, cum intonatione, & terræ motu labens, apparuit, tum hic *Bitſchæ*, tum aliis plurimis in locis.

Anno

u) Aquam intercutem, alii accuſant, alii, propinatum a *Michéle Kátayo*, venenum, inter mortis cauſſas, recenſent.

x) Ita PETRVS de REVA, Coronæ Hung. Cent. VI. p. 115.

y) Referebant ea olim, *Leonem aureum*, dimidia ſui parte, *rubro* in campo, prominentem, atque tres *Roſas rubri coloris*, campum *aureum*, ad trifolii modum, diſtinguentes. Iam, præter *bicipitem aquilam*, nouo, in meditullio, ſcuto inſertam, *vnicornu*, coloris argentei, quadripartitis ſcuti areolis, priſcis lemmatibus, acceſſerunt. quam inſignium icona, ſcitiſſime pictam, & manu *G. Emerici Thurzo*, decoram, poſſidemus.

z) Pro-

## Anno MDCVIII.

Hoc anno, Sereniſſimus MATTHIAS, Archidux Auſtriæ, (z) conuocatis *Poſonium* regnicolis Hungariæ, tam de ſedandis *haydonum* tumultibus in ſuperiori *Hungaria*, poſt obitum *Botskay*, denuo excitatis, easdemque partes grauiter infeſtantibus; quam de *Turcica* pace, per muneris honorarii in portam *Ottomannicam* transmiſſionem, denuo confirmanda, cum regnicolis tractauit ac concluſit; atque tam cum ſuperiori, quam inferiori *Auſtria*, nouam confœderationem, ratione tranſactionum *Viennenſium*, inſtituit. quibus ad optatum finem deductis, contra illos, qui eidem tranſactioni contrariabantur, eundum eſſe duxit. Vnde, collecta, tam *Hungarorum*, quam *Germanorum* militum, non exigua manu, fines *Morauiæ* inuaſit, iisque aſſenſum præbentibus, ac denuo confœderatis relictis, per totam Bohemiam, vsque vrbem *Pragenſem*, cum toto exercitu peruenit, ibique caſtris fixis, a RVDOLPHO II. Romanorum Imperatore, *S. Coronam Hungariæ* repetiit, eaque accepta, id quoque, vt in deſignatum *Regem Bohemiæ* eligeretur, effecit. Habita igitur *Regni Hungariæ Corona*, iterum in *Auſtriam* reuerſus, regnicolis *Hungariæ*, tanquam ipſorum gubernator, publica comitia indixit, in quibus, perpenſis ac conſideratis in nationem *Hungaricam*, ipſius meritis, a regnicolis, *Poſonii*, in *Regem Hungariæ*, electus, ac ſolemniter coronatus eſt. Anno ætatis ſuæ 52.

Die XV. *Januar.* Sereniſſimus Archidux MATTHIAS, tanquam gubernator Regni Hungariæ, promulgata regnicolarum congregatione, magna cum comitiua & ſolemnitate, *Poſonium* intrauit.

Vltima *Januar.* regnicolæ, conuiuio lauto, a MATTHIA excepti.

Die III. *Febr.* FRANCISCVS FORGÁCH, Cardinalis creatus, & rubra veſte indutus, conuiuium lautiſſimum & apparatiſſimum, celebrauit.

Die XXIV. *Martii.* Turcæ, pro noua pacis tractatione, cum CLXV equitibus *Ujvárinum* (a) ingreſſi ſunt, cum quibus, pro legatis, a Baſſa *Budenſi* miſſi fuere: *Ambat Tibaja*, *Muſtapha Effendi*, & *Huſſam Begus* (b) Simontornyenſis. Sequentibus diebus, vſque ad XXVII. cum iisdem *Turcis*, tractatum ac diſceptatum; tandem, Deo auxiliante, tam de ſemel concluſæ pacis confirmatione, quam oratorum *Conſtantinopolin* dimiſſione, ſimul & *baydonum* condeſcenſione, concluſum ac determinatum eſt.

Die XXVII. *Junii.* (c) Diæta Bohemorum *Pragæ* concluſa, ac ſua Serenitas MATTHIAS, in deſignatum *Regem Bohemiæ* promulgata.

Eodem die. Corona Regni Hungariæ, oratione a *Dietrickſteinio* Cardinale Olomucenſi, item Epiſcopo Veſprimienſi, & etiam a Domino *Comite Georgio Thurzo*, (d) habita, cum omnibus ſuis clenodiis, Hungaris reſignata eſt.

Aaaaa Eodem

z) Prolixe, hanc rerum Hungaricarum periodum, PETRVS de RÉVA, in Corona Hung. Centuria VII. initio, expromſit.

a) Fuit hæc, nuperæ pacis *Sitvatorokenſis*, inſtauratio. cuius conditiones PETRVS de RÉVA exhibet, loco citato, p. 120.

b) Noſtri contra legati fuere: *Georgius Thurzo; Ioannes Preüner; Sigefridus Kollonitſch*, & *Adamus Buchaim.*

c) RÉVA, diem fuiſſe XVII. adnotauit.

d) Totius pompæ, quam dicto loco, prolixe RÉVAYUS deſcribit, GEORGIVS THVRZO, & dux fuit, & ſtructor.

e) Dedi-

Eodem die, in ipſo loco, vbi Corona reſignata eſt, cum ſua Serenitate cœnatum.

Die XXII. *Octobr.* Sua Serenitas, cum maximo applauſu *Poſonium* introducta eſt.

Die XVI. *Nouembr.* Electio Regiæ Maieſtatis, publice facta, & proclamata, & XIX. coronatio (e) ſuæ Maieſtatis Regiæ, feliciter peracta.

## Anno MDCIX.

Indicta & promulgata fuit per ſuam Maieſtatem Regiam, generalis diæta, pro *Feſto* omnium *Sanctorum, Poſonii* celebranda: in qua Illuſtriſſimus *Comes Dominus* GEORGIVS THVRZO, ſummo cum deſiderio regnicolarum & adplauſu, die VII. Decembr. *in Regni Hungariæ Palatinum*, legitime electus eſt, tandemque, ſequenti mox die, in arce Poſonienſi, coram ſua Maieſtate Regia, ſolemne ad hoc officium præſtitit iuramentum. Cum antea die V. Maii. Illuſtriſſimus Dominus STEPHANVS ILLÉSHÁZY, Regni Hungariæ Palatinus, inter V. & VI. horam veſpertinam, ſupremum clauſiſſet diem *Viennæ Auſtriæ*: tandem, die V. Auguſti in *Bozin* honorifice tumulatus, anno ætatis 70.

## Anno MDCX.

Die XXX. *Junii.* Inductitia *Corona Turcica*, olim Principi *Botskayo* (f) donata, in arce *Sáros Patak*, ad manus Illuſtriſſimi Domini Comitis Palatini, per curatores orphani *D. Valentini de Homonna*, tradita eſt & reſignata. Tandemque per ſuam Celſitudinem, Viennam ad ſuam Maieſtatem Regiam, præmiſſa ſolemni oratiuncula, deportata & exhibita eſt, die IV. Octobr. anno currenti.

Die XII. *Auguſti.* Fuerunt Tranſiluaniæ legati, apud Dominum Palatinum. cum quibus tandem certis interiectis articulis & conditionibus, confœderatio inter inclytum hoc *Hungariæ Regnum*, ac inter *Tranſiluaniam*, feliciter peracta, literisque vtrinque datis, ſtabilita eſt, Caſſouiæ XV. Auguſti.

In eodem anno, (g) circa finem, cum rediret *Poſonio*, ex *Octauis Iudiciis*, intelligens ſua *Celſitudo Palatinalis*, iam antea, de facta inquiſitione, ſuper horrenda, Magnificæ Dominæ *Eliſabethæ Báthori*, relictæ viduæ Spectab. ac Magnifici olim Domini *Comitis Franciſci de Nádasd*, laniena & carnificina, quam miris & diris modis, in ſexum femininum, pediſequasque ſuas, a longo tempore exercuit, earumque ad *ſexcentas* prope, crudeliter enecauit. Aſſumptis ſecum, Spectabilium ac Magnificorum Dominorum, *Nicolai a Zrinio*, & *Georgii Homonnay*, generorum, præfatæ relictæ viduæ, certis ſeruitoribus, nec non, *Generoſo Domino Emerico Megyery*, eandem Dominam, in caſtello, in oppido

e) Dedimus inaugurationis hiſtoriam, Notitiæ Hung. Tomo I. p. 299. §. XI. ſequ. quam illic recognoſcat cupidus lector.

f) Vide, Monumentum VII. §. XVIII. p. 329. vbi, de eodem diademate, plura. Adde, tumultuantium *Haydonum*, præpoſtera conſilia; *Turcica Corona* hac, *Botskayo* mortuo, regem ſibi inaugurare volentium. PETRVS de RÉVA Cent. VII. p. 118. Vt æquiſſima omnino fuerit ſanctio illa, qua Coronam eam, comitiis, An. MDCIX. Art. XX. repetendam, decreuerunt Status & Ordines.

g) Expromſimus nefandum hoc facinus, Tomo IV. in arcis & oppidi CSEJTE, hiſtoria, p. 468. §. II. ſeq. additis ſimul LADISLAI THÚRÓCZY commentariis, in Hungaria, cum ſuis Regibus, Parte I. p. 189.

h) Expe-

oppido *Csejte* exſtructo, in flagranti crimine deprehenſam, (vnam ſiquidem, tum quoque puellam, miſerabiliter, & flagris, & vſtulationibus enectam, repererunt) ſua Illuſtriſſima *Celſitudo*, ex officio & auctoritate ſua *Palatinali*, perpetuis carceribus, in arce *Chejte*, adſeruandam addixit & mancipauit. *Iohannem Ficzko* famulum, capite plexum; *Helenam*que, & *Dorotheam*, coadminiſtras tantæ lanienæ, iuris ordine, in oppido *Bitche*, conuictas & flammis adiudicatas, iuſte puniri fecit. Die VII. Januar. An. MDCXII.

## Anno MDCXI.

Die XIV. *Mart.* Quodam modo, præter conſuetudinem, tonitrua ſunt audita intempeſtiue.

Die XV. *Maii.* Solenni ceremoniarum ritu, in arce *Arua*, ſacellum, denuo, per ſuam *Celſitudinem Palatinalem* exſtructum & adornatum, DEI Opt. Max. honori & cultui dedicatum ac conſecratum eſt.

Eodem menſe, *Octaualia iudicia*, in partibus ſuperioribus, *Eperieſini* celebrata.

Die XXV. *Maii.* In ipſis feriis Pentecoſtes, Sereniſſimus Hungariæ Rex, MATTHIAS *ſecundus*, magno cum vniuerſæ gentis Bohemicæ deſiderio & adplauſu, ſolemniter admodum, in *Regem Bohemiæ*, coronatus eſt *Pragæ.*

*Viue ſecunde diu!* MATTHIA! viue SECVNDE!
*Chriſticolisque faue, ſic Te DEVS inferet aſtris.*

Die XXIX. *Junii.* Expeditus fuit *Sigismundus Forgách* (h) in caſtra, contra *Báthóreum.* quæ expeditio, varia fortuna, magis tamen aduerſa, permixta, tandem, menſe *Decembri* ſoluta, ac res patriæ quodammodo pacactæ ſunt.

Die XII. *Iulii.* RADVL, conflixit cum exercitu *Gabrielis Báthori* ad Braſſo, in quo conflictu plurimos ſeruitores amiſit, ſolusque cum paucis quibusdam Cibinium ſeſe recepit.

Menſe *Octobri.* Electorum & Principum conuentus, cum magna Ducum, Comitum, Baronum, aliorumque quam plurimorum Monarcharum Chriſtianorum legatorum frequentia, *Norimbergæ* eſt celebratus, quo, de imperialibus comitiis, *Ratisbonæ* celebrandis actum eſt.

Die IV. *Decembr.* Solemnitas nuptiarum ſuæ Maieſtatis, cum Sereniſſima ANNA, Serenniſſimi Achiducis *Ferdinandi* filia, *Viennæ* celebratarum, peracta.

Die XXVII. *eiusdem.* Poſt varias, vltro citroque diſputationes factas, tandem alma pax, cum *Principe Tranſiluaniæ*, eſt compoſita.

## Anno MDCXII.

Die XX. *Januarii.* RVDOLPHVS II. Romanorum Imperator, in imperatorio & regio multorum regnorum ſolio, anuis longa ſerie feliciter, ad ipſam vſque ſenectam deductis, multis victoriis contra Chriſtiani nominis hoſtes partis, clarus, ex eoque, immortali ſibi nominis gloria acquiſita, poſt varios



h) Expeditionis finem occaſionemque, ad hunc annum, expromunt, SZENT-IVÁNY, in Synopſi Chronol. & poſt eum, TIMON, ad eundem annum.

i) Vide

varios casus, variaque discrimina rerum, fatis concessit, *Pragæ*, circa horam septimam matutinam. Cui tandem a I. *Octobr.* incipiendo ad tertiam vsque eiusdem, vltimæ exsequiæ, ac sepultura, per modernam suam Maiestatem, determinatæ exstiterunt. Regnauit annis XL. obiit anno ætatis LXI.

Die XXVII. *Aprilis.* Sententia, in *Petrum Sokolyi* lata, qui *Posonii*, læsæ maiestatis criminis reus pronuntiatus fuerat, executioni demandata est. cui in publico foro, caput amputatum est.

Die XIII. *Junii.* Sua Maiestas Regia, MATTHIAS II. Hungariæ & Bohemiæ Rex, posteaquam intra triennii spacium, *Hungariæ* primum, *Bohemiæ* secundario, regnorum diadematibus insignita, *Francofurtum* ad Mœnum se recipisset, vnanimi Electorum ac Principum imperii voto, tertium, excelsissimi fastigii gradum, conscendit, in *Romanorum Regem* electa, inaugurata, & constituta.

Die XXIV. *eiusdem.* Eadem sua Maiestas Regia, in Romanorum Regem & Imperatorem, solemniter, *Francofurti* ad Mœnum; sequente Reginalis quoque Maiestatis, pariformiter coronatione, (k) coronatæ sunt.

Circa finem *Augusti*, aliquot noctibus, magna *chasmata* in cælo, horrenda visu, conspiciebantur. quorum effectus in manu Dei consistit.

## Anno MDCXIII.

Die VII. *Martii.* Sua Maiestas, ad diætam *Posonium* læta adpulit, quæ tandem XII. Aprilis. non adeo bene contenta, discessit.

Die XXV. *Martii.* Suæ Maiestatis, Cæsareæ Domina consors, in maxima procerum frequentia, sacro diademate decorata & coronata est, atque ad reginalem istius regni dignitatem euecta, tempore dietæ generalis, pro tunc ibidem *Posonii*, a Statibus & Ordinibus regni, celebratæ.

Die I. *Aprilis.* Oppidum *Varyn*, (l) miserabiliter exustum, ab hora septima diei. cui, anno MDLXXX. simile excidium acciderat.

Die XVII. *Augusti.* Publicis regni huius negotiis sic vrgentibus, signanter tamen, quia præter constitutiones regni, & assensum regnicolarum, quidam *Rudolphus a Tieffenbach*, pro supremo *Ujváriensi* capitaneo (m) electus, ac cum Germanis militibus, *Ujvárinum* immissus fuerat, conuentus Dominis consiliariis *Tyrnauiæ*, per suam *Celsitudinem* Palatinalem, indictus fuerat. in quo, Sua Maiestas, per *Illustrissimum Dominum a Molarad*, sub spe futuræ meliorationis, sese resoluere dignata est: literæque ad *Comitatus*, de expeditione instituenda, sunt transmissæ. Quo finito, sua *Celsitudo*, in montanas

---

i) Vide, Anni MDCIX. Artic. LX. vbi eius caussa, precibus agunt cum MATTHIA, Status & Ordines; sed frustra elaboratum fuisse, euentus hic docuit. De *Petri Zokolyi*, irrequiete, vide Art. XLI. An. MDCXIII.

k) Ab inauguratione ea, reduci MATTHIAE, ad diem XXVI. Nouembr. Viennæ, Hungariæ Status & Ordines, tantæ accessionem dignitatis, prolixa oratione, quam possidemus, gratulati sunt. REVA, Cent. VII. p. 129.

l) Oppidum est *Comitatus Trentsiniensis*, supra *Solnam*, Vago, in additu vallis *Sztrecsen*, adpositum.

m) Multum, hæc *Capitaneorum* Germanorum, in arcibus Hungariæ haud tolerandorum, contentio, negotii, iam tum, Hungaris facessiuit. Vide, eorum annorum *Decreta.*

n) Quid

tanas ciuitates diuertit, ac controuerſiam, inter ciues *Neoſolienſes*, (n) iam pridem vigentem, certis ſub conditionibus tranquillauit & compoſuit.

Die XXIII. *Septembr.* Turca, pagorum deditiorum negotium vrgente, & contra pacis initæ formulam, excurſiones faciente, circa *Ujvár*, & *Léva*, ac alia vicina coadiacentia loca; ad remouenda eiusmodi facinora, ſua *Celſitudo*, ipſamet bonis auſpiciis deſcendit, ac in poſſeſſione *Soporny* conſtituta, qualemcunque exercitum, ex vicinis *Comitatibus* collectum, in omnem euentum, præſto habuit.

Die XXIII. *Octobr.* *Gabriel Bethlen*, Turcarum adminiculo, pulſo ex Tranſiluania *Gabriele Báthory*, per trium nationum Tranſiluanicarum communem aſſenſum, in *Vayuodam* electus, & deſignatus eſt. *Claudiopoli* XXIV. iuramentum præſtitit. XXV. vexillum & cambucam, a Turcarum imperatore, ad *Tordam* ciuitatem, ſuſcepit. Principis huius progreſſum & ſublimationem, (o) vide vlterius ab anno MDCXIX. Cor Regis in manu *Iehouæ*!

Die XVI. *Nouembr.* Terræ motus in oppido *Solna*, & aliis vicinioribus locis, circa horam XII. meridianam exſtitit.

*Timeat multos*, *quem multi timent*, dixit olim *Mimus Pub.* quod verum eſſe, præter alia, tum hoc ſubnotatum triſte docet exemplum. *Gabriel Báthory*, Princeps Tranſiluaniæ, in ipſa florida ætate, poſtquam, tum perfidia ſuorum, tum maxima vi Turcarum & Tartarorum compulſus, Tranſiluania exceſſiſſet, ac Varadini conſtitutus fuiſſet, nil quidquam aduerſi ſibi euenturum metuens, inſidioſe, per *Ioannem Silaſſy*, *Gregorium Nadány*, ac alios complices, miſere confoſſus & trucidatus eſt, XXVII. *Octobr.* (p)

Eodem anno. Paſſim in ciuitatibus, *Poſonii*, *Viennæ*, *Pragæ*, *Cracouiæ*, horrenda, permiſſu diuino, peſtis deſæuiit, qua, plurima hominum millia, e viuis ſublata ſunt.

Eodem anno, & præcedentibus aliquot, DEI benignitate, & vini generoſi in regno hoc, ac partibus vicinis, & frumenti quoque, haud mediocris copia fuit; ita, vt *tritici* puri *corus* (q) vnus, XXX. circiter denariis *ſiliginis* XXVIII. denar. *hordei* XX. denar. *auenæ* X. denariis, venerit.

## Anno MDCXIV.

Die IV. *Martii.* In ciuitate Tranſiluaniæ *Megyes* dicta, *Gregorius Nadány*, *Stephanus Zambo*, & *Ioannes Silaſſy*, cum aliis complicibus, qui in miſeram *Báthorii* Principis ſui necem, conſpirauerant, iuſto DEI vindicis iudicio, ex turri templi igne ſuccenſa, deiecti, & a ſectatoribus *Bathoreis* interfecti, ac fruſtatim diſſecti, dignas ſui ſceleris luerunt pœnas. (r)



n) Quid hoc fuerit controuerſiæ, excuſſimus Tomo II. *In Hiſt. vrbis Neoſolienſis*, p. 422. §. X. vbi *Zádvodſzkii* hanc, de Palatini in ea re ſedulitate, notam, lector interſerat.

o) Poſſideo, Casparis Böjthini, Pannonii, de rebus geſtis Gabrielis Bethlenii, Hiſtoriarum Libros III. manu exaratos, neque excuſos adhuc. Scripſit vero Lib. XII. quorum tamen IX. poſteriores, nondum indipiſci potui.

p) Prolixe, laudatus nunc Böjthinvs, coniurationis, in *Bathorium*, ſeriem, & indignæ cædis atrocitatem, deſcribit, Lib. II.

q) Corvs, aridorum menſura, Hebræis, Iosefho auctore, vſitata: *Slaui*, inde Koretz fecere.

r) Legi, in eandem hanc rem meretur, Böjthinvs noſter, Libro eod. in MSc. *Decad. I. Monumentum VIII.*

Die VII. *Aprilis.* Spectabilis ac Magnificus Dominus *Christophorus Thurzo*, longa phtysi extenuatus & contabescens, pie obiit. Sepultus Leuchouiæ, XXVI. Maii.

Die XIII. *Iulii.* Conuentus *Posonii* indictus fuerat; ex quo deinde nonnulli Domini consiliarii Hungari, (s) ad generalia imperialia Comitia, *Linczinum* deputati fuere in legationem, qui & subiuerunt id itineris, & negotia regni, coram sua Maiestate, aliisque principibus, Archiducibus &c. proposuerunt publice.

Die XXI. *Augusti.* Elisabetha Báthory, relicta vidua *Francisci de Nádasd*, ante annos (t) aliquot, ob inaudita & crudelissima sua facinora, in perpetuos carceres detrusa, in iisdem misere, tempore nocturno, exspirauit.

## Anno MDCXV.

Die V. *Ianuarii.* In ipsa aurora, *chasma*, ac si ignis cælitus delapsus fuisset, vel iridis instar, in plerisque vicinis locis visum, quod tonitrua & terræ motus statim sequebantur.

Die XX. *Februarii.* Circa horam quartam matutinam, tam in ciuitate, quam suburbio *Viennensi*, terræ motus factus est. Quod omen Dominus DEVS, in bonum vertere dignetur!

Die IV. *Maii.* Ciuitas *Filekiensis*, vna cum parte sepimenti, conflagrauit.

Die XXVI. *Iunii.* Cum *Ambat Tebaja*, Turcarum imperatoris ablegato, *Viennæ*, tractatus de pace initus, & ex parte conclusus est. A parte suæ Maiestatis erant: Reuerendissimus ac Illustrissimus Dominus *Franciscus Forgách*, Cardinalis Strigoniensis, *Melchior Kleselius*, *Joannes a Molard.*

Die VII. *Julii.* Quod felix faustumque diuina reddat clementia, Illustrissimus Comes Dominus *Emericus Thurzo*, continuandorum & confirmandorum studiorum gratia, in almam *Vittebergensium* Academiam iter suscepit. quo perueniens, per Electorem primum, tum per alterum Saxoniæ Ducem, honorifice admodum exceptus, tandemque XVIII. Octobris, in *Magnificum Rectorem* (u) eiusdem Academiæ, electus & inauguratus est.

Die XIX. *Septembr.* Igne, e domo *Domini Francisci Forgách Cardinalis*, Tyrnauiæ exorto, vltra XC. domus conflagrarunt, & personæ aliquot flammis suffocatæ, misere deperierunt ibidem.

Die

---

s) Vide, anni antegressii MDCXIII. Decretum Artic. vltimo. Fuere autem legati: *Demetrius Náprágy*, Archi-Ep. Colocens. *Valentinus Lépes*, Episcopus Nitriensis; *Petrus Demitrovvith*, Episcop. Zágrábiensis; *Petrus de Réva*, supr. Comes Thúróczienfis, *Nicolaus Eszterházy*, de Galantha; *Vitus Melyth*; *Iohannes Sandorleuich*, & *Christophorus Lackner*, consul Semproniensis. Quorum, PETRVS quoque de RÉVA, meminit, CENTVRIA VII. p. 119. Venere in comitia, d. XIX. Augusti, quamque viua voce dicere debebant orationem, iussu Cæsaris, scripto exhibuerunt. Est ea in *adparatibus* nostris, suo tempore edenda.

t) Vide, ad annum MDCX. diem XX. Ianuarii.

u) Exstant, Academici huius magistratus, ab EMERICO, summa cum laude administrati, monumenta, duæ nimirum orationes, quas possidemus, *Vittebergæ*, an. MDCXVI. for. quadrip. editæ. Lepidum, quem *Aruenses*, honestando huic axiomati, actum edidere, *Vittebergæ* præsentes, leges olim, Tomo VI. Hung. Nouæ, in Historia Comit. Aruensis, parte Gen. Memb. II. §. II.

x) Oppi-

Die X. *Octobris.* Cruculam auream, magnitudine grani auenarii ✠ cælitus delapſam, per Vetuſolienſes, Suæ Celſitudini, ad videndum transmiſſam, vidimus & contrectauimus.

Die XVI. *Octobr.* Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus *Franciſcus Forgách Cardinalis*, nullis diutinis diuexatus morbis, verum vegetus & alacer, in oppido (x) *Szent-Kereſzt*, leui correptus febricula, vltimum vitæ ſuæ diem clauſit. *Tyrnauiæ* ſepultus, III. Decembris. Vidi, die XIX. Sept. omen ignis, ex domo ipſius prorumpentis, voraginem!

Die II. *Nouembr.* Ad *Iudicia Octaualia*, Poſonium deſcenſum fuit, quæ propter nondum confirmatam cum *Turca* pacem, iuſſu Suæ Maieſtatis, iterum diſſoluta ſunt.

Die Feſto S. *Ioannis Euangeliſtæ*, tota fere nocte, fulgura corruſcantia, tonitruaque horrenda fuere.

Eodem anno, annonæ, ob infœcunditatem anni præteriti, vis tanta fuit & caritas, vt tritici *corus*, floreno vno & vltra, mixti *corus* 80. denar. venderetur, & ſic de aliis. Benignitate tamen diuina, annus iſte MDCXV. & frugum, & generoſi vini admodumque dulcis, vbertate coronatus eſt. Hoc ipſo anno, ingens ſiccitas, præſertim in partibus regni inferioribus, fuerat, adeo, vt etiam ſata iam ſemel pro autumno inſita, de nouo Tyrnauiam verſus, & alibi, ſeri debuerint: homines, pecoraque, lue peſtifera infecta, ob defectum aquæ, quam plurima enecta ſunt: & quod maius, etiam ipſa gramina, in plerisque locis, ab inſigni ariditate accenſa, exurebantur.

## Anno MDCXVI.

Die X. *Ianuarii.* Coronatio imperatricis, in reginam Bohemiæ, peracta.

Die XI. *Ianuarii.* Ad ſpecialem ſuæ Maieſtatis commiſſionem, congregatio Dominorum Conſiliariorum, & iudicum Regni ordinariorum, *Trentſchinii* celebrata fuit, in negotio Magnifici Domini *Sigiſmundi Balaſſa.* qui tamen, non exſpectata (y) aliqua deliberatione, aut informatione, per *Rudolphum Teuffenbachium*, Gereralem partium Cis-Danubianarum capitaneum, in arce ſua (z) *Kékkö*, die VII. Ianuar. captus, cuſtodiæque, in arcem *Poſonienſem*, traditus eſt.

Die XXX. *Ianuarii.* Impuriſſimus impoſtor, *Iohannes Moſchovius*, qui libros Photinianos & Arianos, paſſim in regno hoc diſſeminabat, multosque, tam peſtilenti labe inficere ſtuduit, per Illuſtriſſimum Dominum *Comitem Palatinum*, medio certorum *haydonum*, *Moſchouiæ* captus, & *Bitscham* adductus fuerat. In quem, *iure eccleſiaſtico* primum, mox *ſeculari*, animaduerſum, durior-



x) Oppidum eſt Archi-Epiſcopale, cum inſigni caſtello, in *Comitatu Barſchienſi*, Grano amni, ab aquilone, adpoſitum, cuius hiſtoriã, inibi dedimus, Operis noſt. Tom. IV. p. 227. ſq. mortis ſimul Forgáchianæ mentione habita. Annus idem, Calendis Aprilis, Nicolao quoque Istvánffyo, luculento rerum Hungaricarum ſcriptori, emortualis fuit: cum annis *octoginta* vixiſſet. Egregie, de eius hiſtoria iudicauit, Gregorius Pethö, ad initium huius anni, in *Chron. Hung.*

y) Ita, iam tum, equeſtris ordinis non tantum; ſed magnatum etiam prærogatiua, legibus alioquin fulta, periclitari cœperat.

z) Deſcriptam arcem eam, vide, Tomo eodem IV. p. 126. ſeq. in *Hiſtoria Comitat. Neogradienſis.*

a) Iſthic

duriorque sententia in eum lata fuisset, nisi pro eo, certorum regni (a) Poloniæ procerum, ipsiusque Palatini Cracouiensis, interuenisset intercessio. Libris nihilominus, tam virulentis, & plane Atheis, in circulo oppidi *Bitsche*, publice exustis. Dein *Moschouinus*, perpetuo a regno hoc, exsilio damnatus est. Die XXVI. Febr. An. MDCXVI.

Die VI. *Maii*. Turris S. *Stephani*, Viennæ Austriæ, hora circiter X. pomeridiana, cælesti fulmine tacta est, succensis laquearibus, quibus campanæ appensæ sunt, lapidibusque aliquot decussis. Fulmen istud, ante eiusdem templi vestibulum, sat grandi vestigio post se relicto, decidit, lapidemque sepulchralem, illæsum tamen, ad vnius vlnæ profunditatem, in terram detrusit.

Die XXIX. *Maii*, & sequentibus. De tumultu Domini *Sigefridi a Kolonics*, ex aresto *Viennensi* dimissi, ac circa *Teuben*, & alia loca marchionatus Morauiæ, ac Hungariæ, excitato, rumor increbuerat, qui non parum homines perterefecerat. Sed vicissim, eodem *Domino Kolonicsio*, in priorem, & fortasse duriorem custodiam recepto, turbo iste, cum suis procellis, conquieuit.

Die II. *Iunii*. Illustrissimus Dominus Comes *Emericus Thurzo*, rediit *Vitteberga*.

Hoc mense *Iunio*. Illustrissimus *Raduelius*, ac *Georgius Homonnay*; ille Valachiam; hic Transsiluaniam, nulla legitima exposcente vocatione, nancisci & occupare volentes, oleum & operam ambo perdiderunt.

Die XIV. *Augusti*. Celebratio sponsaliorum *Domini Stephani Vesselény*, cum generosi quondam Domini, *Ieremiæ Pongrácz*, filia, permissu summi Pontificis, in effectum deducta.

Die XXVIII. *Septembr*. Publicatus per suam Maiestatem *Petrus Pázmány*, Præposituraque Thurocziensi donatus, pro *Archi-Episcopo* Strigoniensi, *Pragæ*.

Die V. *Decembr*. Plurimis regni huius difficultatibus, & grauaminibus exigentibus, aduenerat huc in arcem *Bitsche*, *Petrus Pazmány*, a sua Maiestate, cum credentionalibus, ad suam *Celsitudinem Palatinalem*, expeditus, cum adiuncto sibi Domino *Petro Balassa*. Eodem superuenerat, & Spectabilis ac Magnificus Dominus, *Comes Sigismundus Forgách*, ac Magnificus Dominus, *Sigismundus Rákóczy*, qui postremum *vale*, Domino *Comiti Palatino* dixerunt.

## BREVIS SYNOPSIS, VITAE ILLVSTRISSIMI COMITIS, DOMINI GEORGII THVRZO. (b)

NAtus est Georgivs Thvrzo, in arce *Léthaua*, Francisco Thvrzo, & *Catharina Comitissa* a *Zrinio*, parentibus, anno Christi M. DLXVII. dia II. Septembris.

In

a) Isthic nempe, infanda *Socini* hæresis, tunc, *Rakoviæ* potissimum, hospitabatur: in Transsiluaniam inde, Iohannis Sigismundi ætate, propagata. quam *Moschovinus* hic, in Hungaria spargere nitebatur; prouidentia C. *Thurzonis*, propulsatus.

b) Recognouimus hæc singula, in eadem *Comitatus Aruensis Historia*, Parte posteriore, Memb. I. Sect. I. §. XXIII. vsque ad §. XXX.

z) Luxit

In aulam ERNESTI Archiducis Auſtriæ traditur A. MDLXXXIV.

SOPHIAM FORGÁCH duxit in conſortem, MDLXXXV. circa *Martini.*

ELISABETHAM CZOBOR, alteram conſortem, MDXCII. d. II. *Febr.*

Conſiliarius RVDOLPHI II. Imp. creatus MDXCVIII. in *Martio.*

*Pincernarum Regalium* per Hung. *Magiſter*, & *Baro*, A. MDXCIX.

*Generalis* Partium Cis-Danubianarum, & ſupremus Vjvarienſis *Capitaneus* factus, Anno MDCII. d. XII. *Septembr.*

*Dapiferorum* Regalium *Magiſter*, A. MDCIV.

Comitis perpetui de ARVA, titulo inſignitus, per RVDOLPHVM II. Anno MDCVI.

Inſignium, ſeu Armorum auctione, per eundem Imperatorem decortatus, A. MDCVII.

Coronam Regni Hungariæ, cum MATTHIA Archiduce, Praga feliciter reportauit, A. MDCVIII. *Quo Theſarii etiam Regni officium ipſi deferebatur.*

PALATINUS & Locumtenens Regius creatus, A. MDCIX. in qua dignitate, per integros annos ſeptem, laudabiliter & vtiliter perſtitit.

Tandem, Domino DEO ſic moderante, vltimam vitæ ſuæ periodum, pie admodum placideque clauſit, in arce ſua *Bicſenſi*, die XXIV. *Decembr.* circa horam noctis nonam, A. Domini, MDCXVI. ætatis ſuæ XXXXIX. *Cui ego non vane ſic parentaui.*

SOLSTITIVM brumale fuit, cum PANNONIAE SOL
THVRZO PALATINVS, Patriæ Pater occidit (c) Eheu!
Inſtat naufragium, ſerua nos CHRISTE Redemtor!

* *Confer Annos ſequentes & excute.*

Super effigiem vero intumbati ſic:

THVRZO GEORGIVS ARVENSIS COMES INclytus oræ
Atque PALATINVS Regni, PROREXque, peremtus
Morte immatura; tali requieſcit in vrna.
Huic Sanctæ PIETATIS, JVSTITIAEque tuendæ
Ac bene CAESAREA de MAIESTATE mereri,
Optata & PATRIOS ſeruare in PACE PENATES,
Præſidio eſſe BONIS, SONTES punire ſeuere,
Maxima cura fuit. Tali labente COLVMNA,
Orba flet HVNGARIA, & fidi triſtantur AMICI.

*Scripſi mœrens in arce Lethaua, Menſe Nouembri, quo Præſidium Varadienſe, per deditionem in poteſtatem Turcicam redactum.*

Georgius Zavodſzky ſenior
A. 1620. ætatis 51.



c) Luxit mortem hanc GREGORIVS PETHŐ, pro eo, ac meruit: *Mortuus eſt* inquit, GEORGIVS THVRZO *Palatinus, magno fatiſcentis regni Hungariæ damno. Fuit enim vero, inſignis Hungariæ libertatis defenſor, cuius propterea, iuſtum apud Hungaros eſt deſiderium. Is certe, ſi vixiſſet, motus, qui mox conſequuti ſunt, & horrendæ regionis euaſtationes, nunquam eueniſſent.* Contra, quam ei laudem circumponit ISTVANFFIVS, Epitome Lib. XXXVIII. mordicans, ni fallor eſt, *Decad. I. Monumentum VIII.*

d) Oppi-

Die XVII. *Octobris.* Exanime corpus Spectabilis Domini Petri Bethlen vectum in Transiluaniam, copia hominum honorifice comitante; cui ego:

*Relliquias, o* PETRE! *tuas comitatur turma virorum,*
*Copia Magnatum, tumbaque parua vehit.*
*Flet Comes Illustris, Comitissæ lachrima salsa*
*Defluit ad terram, defluit inque Genas.*

## Anno MDCXVII.

Die X. *Februarii.* Soles tres sub vesperam ad occasum visi: quid significent *Parelia*, consule MEVERERII Meteorologiam.

Die XVII. *Februar.* Soles duo ad Orientem visi.

Die XIX. *Februar.* Exsequiæ Domini *Comitis* PALATINI in Ecclesia *Bicsensi*, honorifice admodum, liberaliter & ornatissime peractæ.

Die XV. *Martii.* Illustrissimus Comes Dominus *Emericus Thurzo*, in Generali congregatione iurauit in *Nagy falu* (d) publice ad officium Supremi & Perpetui Comitis in *Comitatu Aruensi.*

Die XVII *Martii.* Vitulus biceps, & cum duabus caudis, in Svvynna natus. Dii tale auertite monstrum!

Mense *Iulio. Adamus Venceslaus*, Dux Tessiniensis mortuus.

Die XXI. *Augusti*, & sequentibus. In *Semphte*, (e) cum Domino *Stanislao Thurzo*, ratione possessionis (f) *Gaidl*, & oppidi *Paztóh*, Illustrissimus Dominus *Comes Emericus Thurzo*, conclusit negotium, cui interfui: similiter & de decima tractus *Rayeczensis*, *florenos* LXXV.

Die XXIX. *Augusti.* & sequentibus. De territoriis *Porubensibus* finaliter determinatum, quibus pariter interfui.

## Anno MDCXVIII.

Die XXV. *Februarii.* Nuptiæ *Magnifici Domini Michaelis Vizkelety*, cum Comitissa *Maria Thurzo*, *Bitschæ* feliciter celebratæ.

Die I. *Iulii.* Viuente adhuc MATTHIA Imperatore & Rege, FERDINANDVS II. primo in *Bohemiæ*, nunc in *Hungariæ* Regem electus, & coronatus. (g)

Mense *Octobri.* Cometa grandis, & nostro seculo vix visus, ab oriente solstitii autumnalis procedens, ad occasum, per noctes aliquot tendebat; adeo inquam grandis, vt dum supra arcem *Bicse* appareret, cauda sua totam aream arcis superuestiret.

Die XV. *Nouembris.* Illustrissimus Comes, Dominus *Emericus Thurzo*, cum Illustri ac Magnifica Virgine *Christina Nyáry*, magni illius olim Hungariæ Achillis, *Pauli Nyáry de Bedegh*, supremi præsidii Varadiensis Capitanei

d) Oppidum est in *Comitatu Aruensi*, Slauis *Welkávvesí.* quod illic descriptum leges.

e) Arx est, *Comitatus Nitriensis*, occidentali Vagi ripa, sex milliaribus, Pisonio, in ortum æstiuum seposita, TOMO IV. p. 388.

f) Loca sunt Comitatus itidem Nitriensis. TOMO I. p. 443. num. 72.

g) Inaugurationis eius solemnia, luculenter descripsit, PETRVS de RÉVA, Centuria VII. p. 1. 33. seq. Kheuenhillerus, *Annalium Ferdinandeorum* TOMO XI. initio. Et nos, in notitia Hung. TOMO I. pag. 302. §. XIV. seq.

h) De

pitanei &c. filia, in oppido *Helmecz*, nuptias (h) feliciter celebrauit. Tandem XXVIII. *Nouembris* ad *Bicse* ſoſpes rediit.

## Anno MDCXIX.

Die IX. *Februarii.* Magnifica Domina *Barbara Prinj*, primo *Emerici Czobor*, mox *Nicolai Derſeffy*, tandem *Andreæ Oſztroſith*, Magnificorum, conſors, placide animam CHRISTO redemptori ſuo reddidit *Caſſouiæ*. Sepulta in Nagyida.

Die XX. *Martii.* Hora IX. pomeridiana, MATTHIAS Imperator, Rom. Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Rex &c. &c. annis vix decem rerum potitus, vitam cum morte, & imperium terreſtre, cum cæleſti gloria, commutauit, (i) *Viennæ Auſtriæ.* Nota hic horrendum, qui præceſſerat, cometam.

Eodem *Menſe*, *Urſula Derſeffy*, primo, Magnifici condam Domini *Franciſci Magóchy*, tandem *Nicolai Eſzterházy* coniunx, moritur.

Die XXVII. Maii. Sua Celſitudo *Emericus Thurzo*, ad diætam *Poſonium* deſcendit.

Menſe *Septembri.* Dum prius *Bohemia*, *Morauia*, & vicinæ prouinciæ, bello inteſtino concuterentur, tandem, Illuſtriſſimus Princeps Tranſilvaniæ *Gabriel Bethlen*, per regnicolas (k) inuocatus, in Hungariam venit, cuius conatus, quales ſucceſſus habuerint, ſequentia docent.

Magnificus Dominus *Sigiſmundus Balaſſa*, (l) ex captiuitate Poſonienſi, in qua ab anno MDCXVI. hæſerat, dimiſſus, in arcem ſuam *Beſzterczze*, incolumis rediit, XIII. Sept. MDCXIX. qui tandem in *Februario* Anni MDCXVIII. moritur.

Die XIV. *Octobr.* Militum Cæſarianorum, in ciuitate *Poſonienſi*, per *Haydones* cæſi, (m) vltra *Mille trecenti.*

Die IV. *Novembr.* FRIDERICVS, Palatinus Rheni, & Elector, in Regem Bohemiæ (n) coronatur Pragæ.

 Circa

h) De harum celebritate, ad inuidiam vſque exaggerata, ſcite P. KAZY, nuperus ſcriptor: *Memorabiles ſunt* Emerici Thurzonis *nuptiæ, regia prope pompa celebratæ. Quingentos armatos equites, pedites centum, ad ſpectaculum inſtruxit, totamque pene Hungariæ nobilitatem, in tres, ac ſexaginta currus collegit. Cum hoc comitatu, ad magnificentiam dignitatemque adornato*, Helmeczium, *prouinciæ Zemplinenſis oppidum, inuectus, nuptiarum ſolemnia inchoauit;* Tokay *triduo*, Bitſæ *demum, vno admodum menſe celebrauit.* Hiſt. Hung. Lib. II. p. *143.* quem locum, in arcis quoque *Bitſchenſis* hiſtoria dedimus, Tomo VI. in Comitatus Trentſinenſis deſignatione, Partis Spec. Memb. I. ſect. I. de Arcib. Proceſſus Super. num. IV. §. VI. exhibendum. *Fuimus Troes!*

i) Confer laudatum FRANCISCVM KAZY, Hiſt. Regni Hung. Lib. II. p. *144.* vbi characterem MATTHIAE, paucis expreſſum verbis leges.

k) Laaudatus nunc, KAZY eius molitionis architectos, *Hieroslaum Zmeskal*, *Georgium Rákoczium*, *Franciſcum Perény*, *Georgium* item *Szétſium* fuiſſe, ait, Lib. III. initio, quem lege.

l) Nauauit poſtea operæ nonnihil *Ferdinando*, aduerſus *Bethlenium.* Ita KAZY: Sigiſmundus Ballaſſa, *quo faciliorem in gratiam* Ferdinandi, *reditum haberet, in arcem ſuam* Vagh-Beſzterczenſem *ſe recepit, & Bethlenianis hoſtem ſe præbuit. Plures nobiles viros, factioni adhuc adhærentes, ſui quam maxime ſecuros, intercepit, ac in arctam cuſtodiam tradidit.* Lib. III. p. *191.*

m) Dux horum *Tieffenbachius* fuit. Funeſtam cladis mentionem, videſis TOM. I. p. *171.*

n) Plena, de hac tragœdia, apud ſcriptores ſunt omnia. quæ hodie ibidem luditur denuo, iam iam iiſdem euentibus terminanda.

o) Lau-

Circa XXV. *Nouembris*. *Georgius Homonnay*, ex Hungaria in Poloniam profugiens, cum *Kosacis*, partes superiores regni, circa *Makouiczam*, *Bartpham*, *Cassouiam*, & *Nagy Idam*, (o) vastat. Exitum ejus vide infra.

## Anno MDCXX.

Die XVIII. *Ianuarii*. Diæta Posoniensis, per *Gabrielem Bethlen* indicta; sed factis ad diem vsque *S. Michaelis Archang*. cum *Ferdinando* Imperatore induciis, soluta.

Die 1. *Febr*. Ex improuiso, *Kosacones*, circa *Teschinium*, in Silesiam transeunt, & eam vastant.

Die I. *Martii*. Magnificus Dominus *Stephanus Thökoly*, Dominus in *Kesmark*, feliciter celebrauit nuptias, cum Magnifica virgine, *Catharina Thurzo*, perpetua Comitissa de *Arua*, *Byttschæ*.

Die XXI. *Iunii*. Intoxicatus, vti creditur, *Georgius Homonnajus*, exsul in Polonia, (p) diem obiit, anno proxime elapso, superiori, *Hungariæ*, cum *Polonis*, & *Cosacis*, grauis atque luctuosus.

Die XXV. *Iunii*. Phalanx Cosacorum, *Ferdinando* in suppetias veniens, *Solnensium* suburbium incendit, oppidanos circiter LXXX. misere trucidat, opes diripit. Quorum tamen plurimi in *Vago* submersi, alii passim, per vias cæsi, pauci ad locum destinatum, peruenerunt.

Die XX. *Augusti*. Post continuas pluuias, tam horrenda eluuio aquarum est secuta, qualis circa *Vagum*, & fluuium *Zilinka*, a memoria non fuit hominum.

Die VIII. *Octobr*. Henricus *Du Val*, *Comes à Tampiero*, partium Cæsarianarum strenuus dux, sub *Posonio*, sclopetario globo traiectus, tandem decollatus, tragicum vitæ suæ habuit exitum. (r)

Mense *Nouembri*. FRIDERICO Rege Bohemiæ, cum corona, in partes Silesiæ versus *Vratislauiam* deflectente, *Praga*, per *Buquoy* capta est.

## Anno MDCXXI.

Die XIV. *Februarii*. Hora XXII. noctis antecedente, nata est Illustrissimo Domino Comiti *Emerico Thurzo*, filia primogenita, ex Illustrissima ac Magnificentissima Domina *Christina Nyáry*, in arce *Léthava*, quæ tandem, die XXI. eiusdem mensis, nomen *Elisabethæ* in S. Baptismate feliciter sortita est. Viuat DEO!

Mense *Majo*. arx Posoniensis (s) Cæsarianis dedita.

*Breznobanyenses*, (t) per *Georgium Zéchy* cæsi.

*Petrus*, & *Franciscus Balassa*, repente mortui.

Die

o) Laudat facinus, KAZY, loco citato p. 172. tamquam, a iusto zelo profectum. quod non moramur.

p) Exstat honorarium eius monumentum, *Tyrnaviæ*, in æde *S. Nicolai*, quod P. KAZY exhibet ibidem, p. 189.

q) Historiam explicatiorem, lege apud laudatum toties KAZYVM §. I. p. 177.

r) Meminimus, hunc viri fortissimi, occasum, Operis nostri TOMO I. Hist. Vrbis Posoniensis Cap. IV. §. XXVIII. p. 239. funus autem a BETHLENIO, ritu militari curatum §. seq. p. 240. iteratumque postea a Cæsare.

s) Ibid. §. XXXI. p. 244.

t) Vrbicula est Libera Regiaque, in *Comitatu Zoliensi*, TOM. II. p. 443. designata, iam, ære alieno, propemodum ad incitas redacta. u) Con-

Die X. *Iulii.* Comes a *Buquoy*, famosus dux exercitus Caesariani, ad *Ujvárinum* (u) interfectus.

Die XXVI. *Iulii.* Spectabilis ac Magnificus Dominus *Sigismundus Forgách*, Regni Hungariae Palatinus, debitum naturae soluit *Tyrnaviae.*

Mense *Augusto.* Magnificus Dominus *Moses Szunyok*, (vv) Lib. Baro Budyetini, *Brunae* Morauorum, excessit e viuis.

Die XXVI. *Augusti.* Magnificus *Christophorus Erdődy*, Viennam rediens, moritur. A. aetatis XXXVII. die 21. *Novembr. Tyrnaviae* sepultus.

Eodem *Mense.* Tractatus in negotio pacis *Nicolspurgi* institutus, ad quem feliciter continuandum, Illustrissimus *Comes, Dominus Emericus Thurzo*, (x) a parte principis *Bethlen* designatus, profectus *Nicolspurgum.* Ibidem:

Die XIX. *Octobris.* Hora V. matutina, annum aetatis XXIII. ingressus, immatura morte e viuis sublatus: tandem in sacello arcis *Arua*, die XIX. Januarii, anni sequentis, MDCXXII. sepultus. Cui ego hoc Epit.

## IN SILENTIO ET SPE.

*Exuuias* EMERICE *tuas haec excipit vrna.*
*Mens paradisiacis laeta perennat agris.*
*Maxima* THVRZONVM *generis lux, gloria, moestae*
*Solamen matris*, CONIVGIS *atque piae:*
*Nutantis columen* PATRIAE *& velut alter Achilles*,
*Concidit heu! propera morte, dolete* PII!
*Templa, scholas, Ciues, hunc deseruisse Dynastam:*
*Laetitia omnis abest; luctus at omnis adest!*

Die XII. *Decembr.* Duce *Mepso Egri*, castellano Varadiensi, circa *Opaniam* ad 500. Caesariani caesi promiscue.

Hoc eodem anno, eluuiones aquarum maximae, septenis vicibus segetes corrumpentes, famem & summam annonae caritatem, permissu superum induxere. Moneta *Ledensis* passim in vsu fuit.

## Anno MDCXXI.

Die XIX. *Ianuarii.* Post peractas, praenominati Domini Comitis *Emerici Thurzo*, funebres ceremonias (y) Illustrissima Domina *Comitissa Elisabetha Czobor*, relicta Illustrissimi Domini Comitis Palatini *Georgii Thurzo*, vidua, die XXII. huius, per Comitatum *Aruensem*, (z) nemine reluctante, in

Ddddd

u) Consule de hac eius caede, *Iulium Bellum*, Historiar. sui temporis Lib. V. p. 452. b.

vv) Primus hic titulum *Liberi Baronis* familiae proprium fecit. *Brunam* is fugerat, ne parere iterum *Bethlenio* cogeretur, *Tyrnaviae* in Nouembr. sepultus.

x) Male iam tum valuisse EMERICVM, dum isthuc proficisceretur, hausisseque in vltimo *Bethleniano* epulo, dum *Tyrnauia* moueret, venenum, idonei auctores perhibent. Vide, Operis nostri TOM. I. Hist. Vrbis Pisoniensis Cap. IV. §. XXXIII. p. 247. Et Hist. arcis Aruensis, §. XXXII.

y) In arce nimirum *Aruensi*, sicuti notauimus loco nunc citato.

z) Meminimus, inusitatam rem, in Hist. Comit. Aruensis, parte Generali, Membro posteriori Politico, §. IX. exemplo MARIAE, viduae Ludouici, addito, quae Mosoniensis prouinciae, a FERDINANDO I. Suprema Comes, anno MDXXVIII. creata fuit, TOMO VI. Et in Hist. Comit. Mosoniensis suo loco.

 a) Lau-

in *Supremam ac perpetuam Comitem* eiusdem Comitatus *Aruensis*, electa & confirmata est.

Conditiones *Pacis Niklspurgensis* publicatæ; *Bethlen* regno cessit.

Die XXV. *Martii.* Enixa est Domina *Christina Nyáry*, relicta condam Domini Comitis *Emerici Thurzo*, partum posthumum, cui *Christinæ Thurzo*, in sacro Babtismate nomen inditum est.

Die I. *Maii.* Diæta Soproniensis, per suam Maiestatem Cæsaream indicta, celebrari cœpit. Constitutiones exstant.

Die V. *Iunii.* Dominus *Petrus* de *Réva*, sacræ Coronæ Regni Conseruator moritur *Trentschénii.* (a)

Die XXIII. *Octobris.* Nuptiæ Magnifici Domini *Ioannis Szunyogh*, cum Illustri virgine *Anna Thurzo*, perpetua Comite de *Arua*, *Bicsæ* celebratæ & faustiter peractæ. Laus Deo!

## Anno MDCXXIII.

Mense *Februario.* Magnificus Dominus *Sigismundus Balassa*, mortuus.

Die XXVI. *Octobris.* Magnificus Dominus *Andreas Iakussith*, hora VI. vespertina, placide animam Domino DEO creatori suo, reddidit, die XII. Nouembris, in *Pruszko* sepultus.

*Eximia quondam clarus* VIRTVTE FIDEQVE,
ANDREAS JAKVSITH, *mole sub hacce iacet.*
*Nobile* STEMMA *suum illustrauerat* INCLITA *coniux,*
*Nata* PALATINO, JVDITHA THVRZO *Patre.*
*Quatuor hæc illi* NATOS *&* FILIOLAS *sex*
*Produxit casti, germina chara, thori.*
*Liuida parca quidem corpus prostrauit; at idem*
*In* CHRISTO *vitam, nam bene vixit, habet.*

## Anno MDCXXIV.

Die XIX. *Ianuarii.* Nata est Magnifico Domino *Ioanni Szunyogh*, ex Domina Comitissa *Anna Thurzo*, consorte sua, dilectissima filia, in arce *Létbaua*, cui die XXI. huius, *Annæ Elisabethæ*, in sacro baptismate, nomina indita sunt.

Mense *Martio.* Dominus Comes *Thomas Erdődy*, in Slauonia mortuus.

Die VI. *Martii.* Tonitrua *Viennæ* turrim S. Stephani & altaria aliquot, concusserunt.

Per totam hiemem, vix vnquam memoranda niuium copia durabat. Feræ, præ nimia pabuli inopia, emoriebantur. *Cerui* fame pressi, in villas aduentabant. Festum *Paschatos*, contra naturam; niuibus prægrandibus, non floribus vernalibus, ornatum celebrauimus. Omnia obriguerant, brumis & gelu. Quæ niues demum circa X. *Aprilis* solutæ, liquescere cœperunt.

Die XVI. *Aprilis.* Annulorum commutatio, inter Dominum *Nicolaum Esterházy*, & Dominam *Christinam Nyáry*, relictam, Illustrissimi Comitis

a) Laudes eius lege apud KAZYVM, Lib. III. p. 201.

b) Op-

tis *Emerici Thurzo*, viduam. Dein XXI. *Iulii*, nuptiæ, in *Sucsan* (b) concelebrantur.

Die VIII. *Maii.* Generalis amniſtia, per Imperatoriam Maieſtatem omnibus delinquentibus facta.

Die V. *Iunii. Kozakones*, ex Morauia venientes, *Vjbelinum* (c) ad *Vagum*, miſere vaſtant, ad minimum, vtriusque ſexus Chriſtianorum D. horribiliter trucidant: *Præpoſitum* eius loci, in captiuitatem abducunt, ex qua, perſoluto lytro, eliberatur.

In *Februario.* Sigefridus a Kolonitſch, moritur *Leuæ.*

Die XII. *Martii.* JOANNES GEORGIVS, Dux *Carnouiæ*, & *Iagendorffi*, ſub præſidio *Bethlenii*, Leutſchouiæ moritur.

---

## APPENDIX AD ANNVM MDXCIII.

### EXEMPLVM LITTERARVM

# SERENISSIMI ARCHIDVCIS MATTHIAE

### ad *Haſſan Baſſam* Budenſem. (d)

DVbium nobis non eſt, quin & antea, & iam aliquoties intellexeritis; quanta inſtantia, quantis poſtulationibus & requiſitionibus, tum per litteras, tum per oratorem ſuum, Conſtantinopolim deſtinatum, *Cæſarea Maieſtas*, & frater nobis obſeruantiſſimus, in porta ſummi Imperatoris veſtri, ſicut & apud eiusdem *Vezirios*, inſtiterit, vt *Baſſa Boſnienſis*, hoſtilitates, direptiones, irruptiones, incendia, occupationes præſidiorum ſuæ Maieſtatis, iam inde a tempore prærogatæ pacis, hoc eſt, ab anno MDXCI. ſine vlla legitima cauſa, contra datam pacem, ſanctam eam, ac a veſtro Imperatore confirmatam, fidem & iusiurandum, intentatas, debito modo compeſcerentur; isque, tanquam auctor periurii ac perfidiæ, ab officio remoueretur, puniretur, & ablata reſtituerentur. Id tamen tantum abeſt, vt a *Sua Cæſarea Maieſtate*, obtentum, & iuſtiſſimis atque æquiſſimis eius poſtulatis, locus ſit datus; vt etiam, dicto illi *Baſſæ Boſnienſi*, ſicuti compertiſſimum habemus, quodammodo de felicibus & auſpicatis eius ſucceſſibus, muneribus amplis miſſis, congratulatum, intentiones ac progreſſus eius laudatos, atque is, in propoſito, miſſis etiam aliunde auxiliis, corroboratus fuerit; in tantum, vt anteceſſores etiam veſtri, præſertim *Mehemet Baſſa Budenſis*, (e) tantam, & tam apertam perfidiam excuſare, & *Cæſareæ Maieſtati*, ſi quid contrarium moliretur ſuſciperetque, apertas minas intendere auſi fuerint. Cum vero nunc demum, poſt iniquiſſime occupatum *Vihiczium*, *Hratzoviczam*, ac reliqua multa præſidia ſuæ Maieſtatis, & iam in ſuæ *Maieſtatis indiſputabili territorio*, exiſtentia, quorum reſtitutio, adhuc ab *Eodem* iuſtiſſime vrgentur; etiam ad occupandum *Siſcium*, cum IX. Begis, ac ſex armatorum millibus, traiecto flumine *Collapi*, in ditione *Maie-*



---

b) Oppidum Comitatus *Thuroczienſis*, TOMO II. p. 328. deſcriptum.


c) Recognouimus eandem hanc cladem, TOMO IV. cum oppidum illud deſignaremus, p. 462. ſeq.

d) HASSANIS huius hiſtoriam dedimus, TOMO III. in Deſignatione Budæ, Periodo I. §. XLIII. p. 337.

e) Habes, & latronis iſtius mentionem, ibidem, §. XLI. p. 331.

*ſtatis Suæ*, longe lateque proceſſiſſet, idque caſtrum & fortalitium, aliquot diebus, multis tormentis bellicis, maximaque ſuorum vi adhibita, oppugnaſſet; tandem, ſuperueniente militum noſtrorum exercitu, iuſtiſſimo DEI, (omnis perfidiæ ac periurii ultoris,) iudicio, ad internecionem vſque, conciſum, & profligatum eſſe, iam vobis ſine dubio etiam innotuit. Et id vobis propterea ſignificamus, ut rem eam geſtam, Sereniſſimo Imperatori veſtro ſignificetis, & ipſimet etiam iudicare poſſitis; an non homo ille perfidus, ac publicæ pacis violator iniquiſſimus, neque vllam DEI ac hominum rationem habens, quaſi ante ipſam portam arcis *Siſciæ*, in ipſa propemodum expugnatione, inter *Sauum* & *Collapin*, noſtros duplici ac numeroſiſſima acie expectans, iuſtiſſimas ſuæ perfidiæ pœnas luerit. Quicquid igitur a noſtris, pro officio ſuo debito, in defenſionem ac propulſationem tot iniuriarum ac maleficiorum, contra dictum *Baſſam Boſnienſem* factum exſtat, & forte adhuc ſuſcipietur, *Suæ Cæſareæ Maieſtati*, nec *Nobis*, vllo modo, (qui toties pro publica pace, pro data fide, & iuramento obſeruando, tot adiectis iuſtis conditionibus, ac pollicitationibus noſtris, nimirum, nihil hoſtile attentaturos eſſe conſtituimus) culpa vlla; ſed dicto *Baſſæ Boſnienſi* imputari poteſt ac merito debet: ſicut & in poſterioribus litteris Noſtris, ea de re prolixam, & amplam mentionem fecimus. *Nos* quidem, qui munera honoraria, iam ſub manibus noſtris in promtu habemus, eaque intra paucos dies, hinc expedituri ſumus, pacis quam maxime ſtudioſos eſſe, & impoſterum futuros, dummodo, vt veſtri in officio ac intra limites ſuos ſeſe contineant, adhuc affirmamus. Quod ſi vero id minime obtinere poterimus, & in contrariam partem, & a Nobis Veſtratibusque vllo modo hoſtile quid ſuſceptum, & ſic munera honoraria rurſus impedita, hic remorata fuerint; *Sua Maieſtas*, nec *Nos*, noſtris rebus deeſſe poterimus. Atque in eum caſum proteſtatum volumus, *Nos* ſemper ad ſalutarem pacem, & adhuc inclinatiſſimos, nullam; ſed vos veſtroſque eius rei cauſſam & anſam dediſſe. Quæ vobis, hac data occaſione, perſcribenda eſſe cenſuimus. Quibus alioquin benigne propenſi ſumus.

Datæ Viennæ 25. Iunii Anno MDXCIII.



# DAVIDIS FRÖLICHII

Cæsarei per Hungariam Mathematici

# PRODROMVS

*Maioris Chronici*

# HVNGARIAE.

Ex Germanico Latine redditus, atque nunc demum luce donatus.

*Accessit*

APPENDIX EPISTOLICA

De

*ORIGINE HVNGARORUM.*

EXCERPTVM

Item


*De Migrationibus Hunnorum in Americam.*

DECADIS I. MONVMENTVM IX.


Excellentiſſimo, Reuerendiſſimo
*Atque*
Illuſtriſſimo
*DOMINO DOMINO*
# GABRIELI ANTONIO,
*E Comitibus*
ERDŏDY de MONYOROKEREK,
Epiſcopo Agrienſi,
Montis Claudii, & Comitatuum Varasdienſis Perpetuo, Heueſienſis vero, & Exterioris Szólnok, Supremo Perpetuo Comiti, Abbati S. Georgii Militis & Martyris de Ják;
SACRAE REGIAE MAIESTATIS
Actualis Intimi, & Regio-Locumtenentialis Conſilii Conſiliario,
*Domino Gratioſiſſimo,*
DAVIDIS FRŐLICHII
PRODROMVM HVNC,
Tanquam Pietatis ſuæ exſtans
MONVMENTVM
In laudatiſſimum quondam
Præſulem Agrienſem,
*Conſummatiſſimo iure, animo & verbis eiusdem, iterum Sacrum nuncupat*

Deditiſſimus

MATTHIAS BEL.



*REVERENDISSIMO*
Atque
*ILLVSTRISSIMO*
DOMINO
D. GEORGIO LIPPAI,
DE ZOMBOR,
Epiſcopo Agrienſi, Comitatuum Heves & vtriusque Szolnok, Perpetuo Comiti, S. C. R. M. Conſiliario intimo, & per inclitum Regnum Cancellario, &c.
*DOMINO PATRONO SVO GRATIOSISSIMO.*
S. P. D.
*Auctor.*



SOlet natura igniculos quosdam in hominum generoſis animis abſcondere, quibus incenſi ad antiquitatis admirationem, neſcio quo impetu, feruntur. His ſtimulis & ego agitatus, antiquitates Patriæ dulciſſimæ, quoad origines & migrationes populorum variorum, in primis Germanorum, eam vel antiquitus, vel hodie inhabitantium, in hocce codicillo, quaſi in ſpeculo, exhibere volui. Duo autem fuere, quæ me, Hiſtoriam hanc meditantem, diuerſis cogitationibus diſtractum, diu ancipitem detinuere. Studium primum erga patriam, natura omnibus inſitum: argumenti dein ad hanc diſſertationem pertinentis, inopia & raritas. Vt enim illud animo, in hanc rem propenſo, acres ſubiecit ſtimulos: ita hæc, dignum quid, & patria, & eruditorum oculis, efficiendi, omnem facultatem atque viam denegare viſa eſt. Patriæ namque, (quæ ortus noſtri partem ſibi vendicat) poſteritatisque contemplatio, inuitarunt facile, vt, quæ de maiorum noſtrorum origine alibi exſtarent, ab interitu obliuioneque vindicarem: cetera vero, vel minus obuia,

Eeeee vel

vel densissimis vetustatis tenebris obsita, in memoriam, lucemque, quantum meæ vires ferrent, reuocarem. Maiores enim nostri, viri boni potius esse, quam celebrari malentes, huic rei minime incubuisse, videri possunt; vt si quid cordatius verbo factoque, apud eos contigisset, id scriptis continuo in totum euulgarent orbem; quemadmodum *Græcos*, atque *Latinos*, quantum in ipsis fuit, factitasse cernimus. Hinc nostrorum pleraque virtutis ac sapientiæ exempla interciderunt; nisi paucula forte, quæ de posteritate magis solliciti homines, litteris mandarunt: quo nomine nos, aliis politioribus gentibus, *barbari*, *rudes*, *rerumque ignari*, visi sumus. Sed & multa, de exactorum seculorum rebus gestis, litteris commendata, *Turcarum*, *Tartarorum*, *Hussitarum*, *&* *Hussaronum*, expilationes, sustulerunt, nec non dirissimæ incendiorum voragines, absorpserunt.

II. Possem hic eorum quoque (*) inuidiam incusare, qui, si quæ a maioribus notata habent, sine omni vsu, vel in archiuis, vel bibliothecis delitescere, situque obduci; quam in patriæ ornamentum, multorumque vtilitatem, a me publice & priuatim requisiti, proferre malunt. At, diu multumque, sub variis eiusmodi difficultatibus fluctuantem, ingenitus, alteque residens in patriam affectus, me tandem impulit, vt si quid hic ingenio atque labore effici posset, id ipsi omne impenderem, nec ista, quamquam tenuia, perire sinerem. Hac autem ratione, in primis viam mihi ad *Pannoniæ Chronologiam*, a me ad vmbilicum iam perductam, sternere, & virium, qualiumcunque mearum (de quibus nonnulli nostrates plus æquo diffidunt) periculum facere, simulque eorum, qui candidi rerum æstimatores sunt, iudicia, & si quæ operi Chronologico locupletando opportuna, hinc inde latitarent, elicere, atque ita, PRODROMVM hunc præmittere volui.

III. Ceterum illum nemini conuenientius dicari posse, vel debere, iudicaui, quam Rev. Illust. TVAE: quæ, vt *Libertatum*, sic & *Antiquitatum* patriæ est studiosissima, amantissimaque, diuina insuper & humana scientia excultissima, a pieta-

*) Eadem, nostra ætate, aut certe iniquior, luditur fabula. quod equidem, in honestissimis moliminibus, patriæ caussa susceptis, sexcentis documentis, magnoque studiorum meorum impedimento, condidici. Sed, *littus aramus*, cum ista querimur; alioquin, *Iliada* querelarum, in hanc hominum nostrorum inexpugnabilem duritiem, scribere, procliue foret.

tate, morum ſuauitate, & integritate laudatiſſima, omnigena experientia, iudicii dexteritate, ſapientia, ceterisque virtutibus, ad ſtuporem vſque, a DEO, ſingulariter dotata: hinc non immerito *Sac. Cæſ. Reg. Mai.* præ cunctis Regni Hungariæ proceribus, atque conſiliariis ea eſt chariſſima. Beatam igitur fore noſtram Hungariam exiſtimo, ſi quando quam plurimos Reuerendiſſ. Illuſtriſſ. T. perſimiles viros ſit habitura. Sed vouendum iſtud potius, quam ſperandum! Acceſſit, Reuerendiſſ. Illuſt. D. TVAE patrocinii hactenus pro me gratioſe ſuſcepti, beneficiorum in me collatorum, potiſſimum autem apud *Sacram Cæſaream Regiamque Maieſtatem* commendationis & promotionis ſtudiorum meorum, iucundiſſima memoria.

IV. Proinde, pauculas haſce pagellas, meæ humilimæ, gratæque erga R. I. T. obſeruantiæ teſtes certiſſimas, vt EA ſereno vultu ſuſcipere, me, meaque preſſa ſtudia, ſuo & impoſterum patrocinio gratioſe complecti, & Sac. Cæſ. Reg. Mai. meos qualescunque in patriam & rem litterariam conatus, commendare dignetur, infimis precibus oro, obteſtorque. Faxit optimus ille maximus, malorum omnium auerruncus, vt Chriſtiana Eccleſia, respublica, & litteraria, *Reuer. Illuſt.* TVAE conſiliis, diu ſalua maneat, Ipſamet valeat, viuat, diuturnior clientulorum recreatrix, quam maturior cælitum comes, Eius inſuper virtutes laudentur ſeculis innumerabilibus! Dabam *Cæſareopoli Gepidiæ Hungarorum*, ſub ingreſſu ſolis in *Scorpionem*, Anni Chriſtiani MDCXLI.

*REUERENDISSIMAE ILLVSTRITATIS TVAE*

Clientulus deuotiſſimus

DAVID FRŐLICHIVS,
Cæſareus Mathematicus.



# Lectori. S. P. D. Editor.

DAVIDIS FRÖLICHII Prodromum *hunc*, *in Adparatum nostrum adsciscere placuit: tum*, *quod maioris*, *vti nuncupatoria epistola testatur*, *operis* Chronici, *lineas quasdam exhibeat*; *tum*, *quod primus*, *ad eam vsque*, *qua vixit*, *ætatem*, *inter nostros homines fuerit*, *qui profundius vestigatis*, Germanorum, *iuxta* & Hungarorum, *per* Pannonias, *originibus*, *lucem rebus nostris nitebatur adfundere. Tamersi enim*, *non defuit patriæ suæ*, M. JOHANNES THVROTZIVS; &, *qui eius* Chronica, *subinde vltra omnem modum exaggerat*, ANTONIVS BONFINIVS; *tamen*, *ita in toto eo negotio versatus vterque est*, *vt præter manifestas fabulas*, *auitis plerumque*, & *a reliqua historia*, *dissonis auditionibus*,*vel adhæserint*, *vel eas quomodocunque interpolauerint.*

*II. Neque vero vadimonium obierim*, *vtrum semper adcurate*, & *ad fidem faciendam idonee*, *in hoc suo* Prodromo, *versatus sit* FRÖLICHIVS. *Non potuit enim non deerrare a vero*, *cum* Getas & Gothos *suos*, *eosdem perpetuo populos fecit*, & *vtrorumque actus*, *expeditiones*, *bellaque*, *permiscuit*: *id tamen præstitit*, *vt gentium*, *cum omnium*, *tum*, *quæ* Pannoniam, & *regiones ei connexas*, *primitus inhabitauerunt*, *emigrationes*,*non ex* Scandinauia,*cum* JORNANDE,& *huius sequacibus*; *sed ex oriente*,*quod* & *sacræ paginæ faciunt*, *arcessiuerit. Atque*, *vtinam eodem tramite institisset continenter*, *neque*, *seu* BEROSVM, *seu audaculos coniectatores alios*, *suam in rem vertisset*; *maius profecto fecisset operæ pretium. Quidquid eius sit*, *sparsit omnino bonus hic noster*, *in toto hoc opusculo*, *ea*, *priscæ historiæ vestigia*, *quæ non potuerunt non*, *reliquum laborem*, *saltem præcipua sui parte*, *scriptoribus* Hungaricis, *qui eum ætate anteiuerunt*, *multis modis*, & *luculentiorem fecisse*, & *adcuratiorem.*

*III. Illud doleas*, *egregium*, *atque omni prædicatione maius cœptum*, *antequam* Minerua *propitia*, *in lucem emergeret*; *vel*, *in auara docti cuiusdam* Euclionis *scrinia*, *defossum*; *vel*, *quod nunquam dedolueris*, *ad turpia ministeria collaceratum fuisse*: *communi id lucubrationum eruditarum malo*; *vbi auctoribus*, *ex improuiso*, *letalis somnus incubuit*; *sed nobis tamen* Hungaris, *quod iterum dolenter querimur*, *ita proprio*, *vt nulla id cura*, *studio ac prouidentia nulla*, *possit auerruncari. Funesta sunt*, *sed commemoranda omnino*, *ad retentandam*, *ab iniuriis istiusmodi*, *posteritatem*, *exempla*: JANI PANNONII; NICOLAI OLÁHI, JOHANNIS MICHAELIS BRVTI; ANDREAE DVDITHII; STEPHANI SZAMOSKÖZY; LEONHARDI VNZII; AMBROSII SIMIGIANI; THOMAE BORSOS; PETRI ÖRMÉNY; FRANCISCI MIKO; JOHANNIS CSINDI; FRANCISCI FORGÁCH; NICOLAI GABELMANNI, JOHANNIS BOCATII; MICHAELIS MAYTÉNY; CASPARIS BÖYTINI; SAMVELIS GRONDZKII; VOLFFGANGI BETHLEHEN; MELCHIORIS INCHOFERI; CONRADI SPEERVOGEL; DANIELIS TVRKVS; CASPARIS HEYN, KOLII item: & *quis recensendo prosequatur reliquos? quorum singuli*, *aut iustos annales condiderunt*; *aut singulares bellorum obsidionumque euentus*, & *res patriæ*, *cum ciuiles*, *tum ecclesiasticas*, *retulerunt in litteras*; *non alio*, *quod sanguineis lachrymis querare*, *successu*, *quam vt fatorum*, *an hominum potius inuidia atque malignitate*, *hucdum pleraque æternis tenebris sepulta maneant.*

*IV. Eadem profecto*, *si non iniquior fortuna*, *perductum ad vmbilicum*, *opus* FRÖLICHII, *cuius nunc* Prodromum, *ex Germanico latine factum*, *protrudimus*, *viuo adhuc auctore*,*mansit. Quod ipse querule fatetur alicubi*: fusiorem,*inquit*,& adcuratiorem huius regni, (Hungariæ) descriptionem, mea Chronologia Pannoniæ (quæ ex defectu Patroni, hactenus cum blattis & tineis rixas mouit, nec in lucem prodire valuit) suppeditabit. *Vnde colligere est*, *quam auctore fatis concedente*, *laboriosissimi iuxta* & *vtilissimi operis*, *fortunam fuisse oportuit*: *nempe*, sub vmbras iuit, *vix vnquam*,

*nisi*

*nisi cum* chaba redierit, *in lucem reuocandum. Ego certe, omnem moui lapidem, vti tumulum saltem, Frölichianarum lucubrationum, potuissem indagare; quod sperabam, eruderaturum me inde, chartarum quidpiam, quo, & me ipsum solarer, & publico, eruditorum desiderio, satisfacerem; sed*, laterem laui. *Proinde, sarcienda, tanti operis iactura fuerat, hisce paginis, ne & eæ,*

Irent obscuræ per vmbram.

*Inscripsit eas auctor:* Der uhralte Deutsch-Vngerische Zipserische und Sibenbürgische Landsmann; *das ist:* Vorlauffer der neuen Ungarischen Chronic. (*)

*V. Ad ipsum* FRÖLICHIVM, *quod adtinet, non habemus de eo plura dicere, quam, quæ congessit* DAVID CZVITTINGERVS, *dum eius vitam, & scripta,* (**) *expromeret. Fuit nimirum patria* Kesmarkiensis-Scepusius, *Mathematicis disciplinis, eo vsque innutritus, vt a* FERDINANDO III. *Imperatore, & Rege Hungariæ, in* Cæsareum per Hungariam, Mathematicum, *egregio honoris vocabulo, adsciscere tur. Vir omnino impiger, patriæ, quod videre est, vnice studiosus, & non vulgariter in omni scientiarum genere, versatus. Cecinit has eius laudes,* ABDIAS TEÜ. (***) *quas hic recitauisse, nihil piget:*

Posse Mathematicum non artibus esse peritum
In reliquis, Momo credula, turba putat.
Tu vero Lector, præsentem hunc adspice librum,
Nam te longe aliud littera quæque docet.

*Theologum, Historicum, Linguis catum, & arte Sophorum.*
*Cernes, & Medicum, denique Iuridicum.*

Mutua nempe sibi coniungunt brachia Musæ,
Nec nisi iuncta aliis aduenit vna viro.
At tu nunc reliquis etiam artibus esse politum,
Posse Mathematicum, liuida turba nega.

*Tu* LECTOR *benevole! hoc, quantillumcunque est, quod* TIBI *ab* FRÖLICHII *nostri profectum diligentia, in manus tradimus:*

Accipito placide, plene & laudare memento.

*Vtinam vero, integrum eius* CHRONICON, TIBI *offerre licuisset, fecissemus id sane, eo promtius, quo maius & obstinatius nobis, res patriæ iuuandi studium insedit. Vale, & languentibus Musis nostris, firmitudinem, ac diuturnitatem, bonus precabere.* PISONII, *A. MDCXLII. VI. Cal. Septembr.*



*) Prodiit libellus *Leutschoviæ* A. MDCXLI. forma quadrip.

**) In specimine Hungariæ Litteratæ, p. 160. vbi scriptis eius adde: HEMEROLOGIVM *in computum Ecclesiasticum*, siue Calendarium perpetuum redactum, stylo tam nouo, quam veteri, & Cælo ac solo Pannonio accommodatum: principaliter autem, pro priuatis, cuiusuis necessitatibus, &c. destinatum. Bartphæ, A. MDCXLIV. for. 4.

***) Matheseos *Professor Publ. Aldorfi.* ibid. apud CZVITTINGERVM, p. 161.

# PRODROMVS CHRONICI HVNGARIAE.

## SYNOPSIS.



***Quod numen diuinum auspicato fieri, Patriæ feliciter cedere, mihique omnis bonus bene, nec vllus malus male, vertere velit!***

### §. I.

*Qua regione, quoue loco, primi mortalium habitarint?*



Iuinæ tradunt litteræ, DEVM optimum maximum, humani generis primos propagatores, postquam eos creauisset, collocauisse in hortum *Eden*, seu *Paradisum*, quæ sane, earum orbis partium, quæ in orien-

(a) orientem ſpectat, regiuncula fuit, omnium amœniſſima: complectebaturque *Babyloniam*, ſeu *Chaldæam*, & quæ in primis meruit nominari, *Auranitidem*, ſeu *Audanitim*. Poſtea, in vetita prolapſos, licet eiecerit DEVS ex horto *Eden*, poſitisque Cherubinorum excubiis, ſtricto ancipitique gladio, aditum, ad *arborem vitæ*, prohibuerit: tamen, in vicinia eosdem, agrum colere, atque cum ſudore vultus panem quærere, herbisque veſci, permiſit: circa *Damaſcum* (b) præſertim, quadraginta, vt quidam ſcribunt, milliaribus Hieroſolymis diſſitam. Hoc itaque tractu, degebant primores noſtri, horumque poſteri nati, nepotes, pronepotes, qui occupatis deinde vicinis regionibus, tanta incrementa capiebant, vt non orientis modo; ſed totius vniuerſi, terram opplerent, cuncta ſimul proteruia mortalium inundante. Sed quinam horum primi, regiones noſtras, occidentales iſtas, tenuerint, nihil in litteris ſacris, nihil in profanis hiſtoriis, reperias. Deinde, diluuio ob ſcelera, quæ nimium iam inualuerant, deletis primis mortalium, ſolus NOACHVS, cum filiis SEM, CHAM, & JAPHET, ſuperuixit. Hic igitur, in *Armenia*, Hieroſolymis, in ſeptentrionem, *centum quinquaginta* milliaribus ſubmota, deſæuiente diluuio, prope montem *Ararat*, Ptolemæo *Gordeum* dictum, in quo arca ſubſtiterat, ſedem fixit. Ex *Noæ* filiis, noua iterum propago mortalium ſuper orbem vniuerſum, ex oriente progreſſa, diffuſa eſt; vti caput *Geneſeos* nonum, teſtatur. Poſtquam igitur *Semus*, Noæ filius, in *Salem*, quod poſtea *Hieruſalem* vocabatur, ſedem poſuiſſet, genus eius occupauit regionem verſus *Meſa*, vſque ad *Sophar*, iuxta montem orientalem. *Chami* poſteri, ad quos & *Nimrod* refertur Babylonius, fines *Sidonis* tenuerunt, vſque ad *Sodoma*, *Gomorrha* & *Laſa*. Inſulas autem, terras gentium, ſuis ſingulas nationibus, linguis & nominibus diſtinctas, repleuit *Japheti* generatio, ſicut *Geneſis X.* recenſet. (c) At, quum DEVS, Babylonis, grandem illam incolarum multitudinem, & cum nouandæ religioni, tum etiam turri, Deo inuito, exſtruendæ, intentam, confuſis linguis, diuiſisque dialectis, diſperſiſſet; *Noæ* poſteri, nouas iterum quærere cœperunt ſedes. Et *Semitæ* quidem, FLAVIO, & reliqua hiſtoria teſte, occuparunt ripas *Euphratis* in Aſia, verſus meridiem vero *Chamitæ Jordanis*, & *Nili* tractus, videlicet *Chanaan*, *Aegyptum*, *Aethiopiam*, *Libyam*, & reliquas regiones *Afri-*



a) De PARADISI terreſtris ſitu, eruditiora, ſolidioraque dabunt: STEPHANVS MORINVS, in Diſſertatione de Paradiſo, quæ eſt, cum mappa chorographica, operum T. I. SAMVELIS BOCHARTI Geographiæ ſacræ, editionis recentiſſimæ, Lugduni Batauorum, A. MDCCXII. fol. maiori, præmiſſa. Ipſius præterea incomparabilis BOCHARTI, excerpta, ex Epiſtola, ad LVDOVICVM CAPELLVM, de eiusdem Paradiſi terreſtris ſitu. quas lector eruditus conſulat.

b) Eandem Syrorum, opinionem a MORINO relatam legas, extremo loco laudatæ iam diſſertationis, p. 71. vbi & de *Adami*, & *Euæ*, ſepulcris.

c) De Filiorum NOE poſteris, nemo vnquam, ſiue ſcrupuloſius, ſiue fuſius, ſiue adcuratius diſſeruit SAM. BOCHARTO, Geographiæ ſacræ Lib. II. de *Semo*. Lib. III. de *Iapheto*. Lib. IV. de *Chamo*.

*canas.* *Japhetitæ*, ad occidentem conſederunt; partim in *Aſia minori*; partim *Europa*: quamobrem *Japhet* complurium gentium *Europæarum* pater ſalutatur; *Teutonum* in primis, qui ab *Aſcenate*, *Aſcane*, *Tuiſcone* dicto, hiſtoricis, ortum trahunt. (d)

### §. II.

*Ex quo genere veterũ Pannonii Teutones prouenerint?*

NEque uero ad hos *Teutones*, qui a *Japheto* deſcendunt, referri omnino debent *Pannonii*, qui in *Hungaria*, *Dacia*, & *Scepuſio*, a priſcis iam temporibus ore loquuntur *Teutonico*; quin potius hi a Semo deriuantur, *Noæ* filio altero; *Malchiſedecum* (e) adpellant ſacræ litteræ, qui ſacerdos, & rex in *Salem*, ſeu *Ieruſalem*, omniumque Patriarcharum, qui a diluuio ad Abraham vſque vixerunt, pater, ipſiusque CHRISTI etiam typus fuit. Ex hoc *Hebræi*, *Iſraelitæ*, *Iudæique*, ac ipſe SERVATOR mundi prognatus: ab hoc & complures aliæ gentes, vt *Iudæi* tradunt, prouenerunt. Eiusmodi originem *Pannoniorum* a Semo deduci poſſe, ſacra etiam pagina haud obſcure innuit. Inter eos, qui nepotes erant *Semi*, recenſet *Geneſis* (f) *Gether*, qui militem ſignificat. Par nomen & inter filios *Semi* commemorat liber, primus Paralypomenon. Ab hoc *Gether*, veniunt (g) *Gethæ*, gens bellica, fortis, & glorioſa, quæ non modo *Pannoniam*, *Italiam*, *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Germaniamque* debellauit; ſed erectis integris regnis, vrbem Romam quoque, omnium gentium ferme victricem, ſubiugauit, vaſtauit, depopulauit. Quapropter magni *Gethas* Græcis fuiſſe habitos, STRABO (h) auctor eſt.

### §. III.

*Quomodo, vnde, & quando Gethæ ſeu Teutones veteres, in Europam venerint; quasnam regiones primum in eadem occuparint; & quam variis nominibus innotuerint?*

SCire porro cupientibus, qua ratione a *Gothis*, Hungarici *Teutones*, *Scepuſii*, & *Tranſiluani* ortum trahant; ante omnia ſcrutari par eſt, quomodo, vnde, & quando *Gethæ* in *Europam* irruperint, quasue regiones primum in eadem occuparint: quo facto nodus diſputationis noſtræ ſponte ſoluetur. Mature autem præmonendum eſt, clarius intelligendi argumenti noſtri cauſſa, quod a *Getis*, *Gepidæ* quoque nonnulli, & *Thyſſagethæ* (quaſi Gethæ ad Thyſſam, ſiue Tibiſcum) nomen ſumſerint, quodue *Gothi*, *Gothini*

d) A quibus autem horum populorum, habitari cœpit *America?* vnus, poſt GROTIVM, & COMTAEVM, omnium, quemadmodum reor, accuratiſſime, coniecturis, rem confecit, GEORGIVS HORNIVS, eo libello, quem de Originibus Americanis, erudite conſcripſit. *Hagæ Comitis*, A. MDCLII. *for. oct.* vbi toto Libro III. laudem, excultæ Americæ, *Scythis* generatim, tunc ſpeciatim HVNNIS adtribuit.

e) Ita *Iudæi* potiſſimum, quorum tamen ſententiam, confutat BOCHARTVS, Geographiæ ſacræ Lib. II. cap. I. p. 69.

f) Cap. X. 23.

g) Nihil horum legas apud BOCHARTVM, quando profeſſa opera agit de *Gether*, eodem lib. II. cap. X. p. 82.

h) Libro VII. p. 204. ſeq. ex recenſione ISAACI CASAVBONI. fol.

i) In-

*thini*, & *Gothones*, æque a (i) *Gethis* nuncupati ſint. Quo referuntur, & *Daci*, interdum *Dai*, *Daui*, ſeu *Dani* dicti: quemadmodum vnius eiusdemque gentis nomina variari, ex antiquis, & recentioribus ſcriptoribus, obſeruamus, præſertim ex HERODOTO, STRABONE, MELA, PLINIO, IVSTINO, DIONE, VOPISCO, EVTROPIO, POLLIONE, CLAVDIO, NAZIANZENO, RVTILO, CLAVDIANO, HIERONYMO, OROSIO, SOCRATE, METHODIO, IORNANDE, WARNEFRIDO, NICEPHORO, AGATHIA, BONFINIO, VOLATERRANO, SABELLIO, LAZYO, AVENTINO, MELANCHTONE, PEVCERO, DRESSERO, CROMERO, ALBINO, CVRAEO, SCHIKFVSIO, &c. Nam, vbi *Gothorum* nomen, *Valentis Imperatoris* temporibus increbruit; deficiente antiqua nomenclatione *Gethæ*, ſucceſſit deinceps noua *Gothi*, *Gothini*, & ſic porro. Vnde decepti antiqui, & recentiores hiſtorici, putauerunt, diuerſis nominibus, diuerſas gentes notari, *Gethasque*, a *Gothis* (k) differre. De *Gepidarum* nomine tenendum eſt: poſtquam *Gothi*, *Berigo* rege, ex mediterraneis locis, ad littora ſarmatica nauigiis tribus adpuliſſent, tertium paullo tardius adpulſum, ob tardidatem, quæ (l) *Gepantha* ipſis dicitur, *Gepidarum* nomen accepit. Itaque, duo in vnum contracta Gothica, ſeu priſca Teutonica vocabula, haud quidem ſonant aliter, quam hodierna Germanorum *Geh bald*, *Geh bh'end*, cum feſtinanter iubemus ire quempiam. De his, vt & de *Dacorum* cognatione, legi poteſt BONFINIVS in rebus Hungaricis. Proinde, ex facili poterimus colligere, *Gethas*, & reliquos populos in *Europam*, haud aliunde, quam ab oriente veniſſe, ſucceſſuque temporum, in *Pannonia*, aliisque locis, conſidendo, regiones excoluiſſe. Nemo enim exiſtimarit, terras poſt diluuium tam cito, tantaque multitudine incolarum oppletas illico fuiſſe, quanta regnis conſtituendis ſuffecerit. Multo minus fieri potuit, vt eædem gentes, ſemper regiones easdem habitauerint, quas temporibus ſequioribus tenuerunt, & a ſcriptoribus palam, diuerſis vicibus, diverſimode vocatæ ſunt: quin potius, lento gradu factum id eſt, vt populi ſenſim paullatimque, alter poſt alterum, ex oriente progreſſi, longius in dies, ad incultas regiones proceſſerint; adeo, vt continua migratione diſtricti, alter, alteri, pedetentim ſucceſſerint. quod cum in *Europa* vniuerſim accidit, tum in primis in *Germania*, & *Pannonia*. Cuius nomine non veniunt modo regiones *Hungariæ*, *Scepuſii*, & *Tranſiluaniæ*; de quibus heic ſpeciatim actu-

Ggggg ri

i) Inueterata hæc apud ſcriptores opinio eſt; vt *Getas*, & *Gothos*, populos vnius ciuitatis faciant. Ita IORNANDES, & dux ſuus ABLABIVS; IVLIVS CAPITOLINVS, in Maximino cap. V. SPARTIANVS, in Anton. Caracalla, cap. X. VOPISCVS, in Probo, cap. XVI. CLAVDIANVS, de bello Getico, quod Gothicum tamen fuit. PROCOPIVS, rerum Gothicar. Lib. I. AVSONIVS, Idyll. VII. PRVDENTIVS; OROSIVS; HIERONYMVS, alii. Nos, cum CLVVERO, & PONTANO; quidquid dicant, OLAVS RVDBECKIVS in Atlantica, & GEORGIVS STIERNHIELM, in Anti-Cluuerio, facimus, in Daciæ Antiquæ deſignatione.

k) Atque id ita ſane eſt.

l) Ex IORNANDE fabula hæc petita eſt.

m) Li-

ri ſumus; ſed etiam *Dalmatiæ*, *Illyrici*, *Myſiæ*, *Valachiæ*, *Bauariæ*, *Auſtriæ*, *Styriæ*, reliqua, vt memorant hiſtorici. Et tametſi regiones nequiuerunt tam cito, ob longa, ab oriente, interualla, occupari, replerique; tamen, ad extremum ita oppletæ ſunt, vt populi, partim remigrarint in *Aſiam*, partim in *Africam* mare traiecerint. quod in primis *Pannoniæ*, & *Germaniæ* euenit. Ex his enim, *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Italiam*, & *Britanniam*, inſeſſas fuiſſe, teſtes ſunt: *Celtæ*, *Longobardi*, *Gothi*, *Vandali*, & *Saxones*.

## §. IV.

*Numne omnes populi, qui in* Pannonia *olim conſederunt, ex ſeptentrionali regiũcula illa,* Scandauia *adpulerint?*

ERrant multi veteres, & recentiores hiſtorici, qui ſomniabundis ſimiles, adſeuerant, populos illos, qui poſtea *Pannoniæ*, *Germaniæ*, *Italiæ*, *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, ciues dederunt, omnes ex inſula *Scandauiæ*, quam PLINIVS (m) Scandiam, Codanoniam MELA (n) a ſinu Codano, Germani *Schonen*, ſeu *pulchrum tractum* vocant, quamque *Dania* (Suecia) ſibi nunc vindicat, velut ex abſtruſo, & frigido maris Baltici & ſeptentrionalis angulo, non ſecus, atque ex equo Troiano, prorepſerint. Cuius ſententiæ IORNANDES adſtipulans, *vaginam quaſi multarum nationum*, eandem vocat; quum tamen verum ſit, multos populos recentiores, qui ab oriente venerant, æque in eas partes, inter quas *Scandia* iacet, certis vicibus, conceſſiſſe, illicque conſediſſe, *Gothos* maxime, quorum nomen & poſteros, adhuc ibi reperiri, in poſterum recenſebimus. Ex *Aſia* namque in *Europam* commigrantes, non modo verſus *Pannoniam* & *Germaniam*; ſed partim in ſeptentrionem, partim in occaſum, & meridiem ferebantur. Multi igitur, quum ad maritima deueniſſent, traiectis aquis, inſulas ſeptentrionis, & vliginoſas tetras, occuparunt, & iterum multi inclinarunt ad meridiem, factoque illuc itinere, & eiectis, quos offenderunt, incolis, ipſi eouſque illic conſederunt, dum viciſſim ab aliis laceſſiti, exturbarentur.

## §. V.

*Quid de peruulgata illa migratione* Tuiſconis *&* XX. *ſociorũ eius tenendum?*

NEc magis probari poteſt opinio, perhibentium ex *Beroſo* illo fictitio, aliisque ſuſpectis auctoribus; quod complures, & præcipuas *Europæ* regiones poſſederint gubernarintque, ſocii viginti *Tuiſconis*, quem Moſes (o) *Aſcenam*, filium *Gomeri*, & *Iapheti* nepotem, dicit. Sed, quoniam magna ſe ſpecie, magnaque auctoritate, ſententia hæc commendat, non modo, quod ſacris litteris non contrait, ſed etiam facilior tironibus eſt, in addiſcendis variis

m) Libro VIII. Cap. XVI.

n) Lib. III. c. VI. Alii legunt SCANDINOVIA, quomodo VOSSIVS. in obſeruationibus in hunc locum, p. 550. edit. ABRAHAMI GRONOVII, Lugduni Batauor. Anno MDCCXXII. for. octaua.

o) Geneſ. X. 2. 3. Confer huc, antiquæ Germaniæ ſcriptores: CLVVERIVM; ALTHAMERVM; BEATVM RHENANVM; AVENTINVM; SPERNERVM filium &c.

p) Im-

variis *Europæ* nomenclaturis & dominiis, quam si ex aliis certioribus, prolixioribus tamen, captuque difficilioribus fundamentis, deducerentur: (oo) itaque operæ pretium erit, vt digressi veluti, singulas heic, ad Chorographiam D. *Iacobi Schopperi*, recenseamus. Postquam linguarum diuisio, aliquot iam annis præcessisset, & *Nimrodus* inchoato *Assyriæ* imperio, vicinos populos domans, in vnius regni formam coegisset; tunc, aiunt, *Tuisconem*, viginti stipatum sociis consanguineis, *Teutonice* secum loquentibus, ex *Armenia*, prima *Noachi*, atque filiorum eius, post diluuium, statione, in *Europam* adpulisse, occupatoque primum septentrione, & exturbatis incolis, qui ignari oris *Teutonici* essent, religionem, & formam reipublicæ, more suo, instituisse, atque singulorum sociorum nomina, singulis familiis, a quibus quæ prognatæ essent, imposuisse. Fuisse autem nomina sociorum hæc, vt tradunt: *Primum* dictum fuisse SCYTHAM, cognomento *Priscum*, Principem, *Tuisconi* haud dissimilem. Quare TVISCO, in *Tartaria*, *Moscouiæ* finitima, ad flumen *Tanaim*, *Don* vocant accolæ, primum consedit, deinde transtulit sedem versus *Carpathum*, aliter *Sueuum*, *Germanorum* olim, & *Dacorum*, nunc *Hungarorum* & *Polonorum*, *Germanorumque*, disterminatorem. Hic SCYTHA, traiecto *Tanai*, totam illam regionem, quæ trans flumen in orientem prospicit, occupauit, legibusque obstringens gentem, & *Scythiam* nominans, vna cum *Magogo*, gubernauit. Ab hoc, & socio *Magog*, seu *Mosok*, filio *Iapheti*, nomen *Moscouitæ* acceperunt. *Moscouita* enim perinde est, ac *Magog*, seu *Mosoch*, *Scytha*. *Alterum* socium aiunt fuisse SARMATAM, qui *Danubium* inter, & *Niperum*, Russiæ fluuium, sedem habuit. *Tertium* DACVM, aliter DANVM, qui *Daniam* primum fundarit, deinde in meridiem versus, partim *Valachiam* magnam, partim *Transiluaniam* inhabitarit. Hinc *Daniam*, ad aquilonem; *Valachiam*, & *Transiluaniam*, Daciam, ad orientem dictam fuisse. *Quartum* socium vocant TIBISCVM, præfectum illius regionis, quæ flumen eiusdem nominis circumiacet, quæue postea *Hungaria* adpellata sit, qui quidem *Tibiscus*, seu *Tissa* amnis, hodieque ista regione, labitur, a piscium multitudine, & soli, quod rigat, fertilitate, memorabilis. *Quintum* socium GETHAM, aliter GOTHVM, vocarunt, qui conscio *Tuiscone*, *Noruegiæ* viciniam occuparit colueritque, quæ ideo, ab eodem nomen *Gothiæ* mutuauerit. *Sextus*, *septimus*, *octauus*, dicti fuere MOESVS, BRIGO, THYNO: quorum duo posteriores, *Moesi* filii fuerunt, patrem in *Europam* sequuti, quique eam regionem, quæ a *Danubio* & *Sauo*, vsque ad *Euxinum* mare procurrit, sorte sint indepti. Itaque, *Moesiam* a patre nominarunt; quæ postea in *Moesiam* superiorem, & inferiorem diuisa fuit. Incolæ eius vocabantur *Bosnæ*, *Seruii*, & *Bulgari*, superiori ætate, iugo Turcico subiecti. *Nonum* socium dicunt DALMATAM, regionis dominum, quæ *Moesiam*, & *Liburniam* contingens, *Dalmatia* dicta sit. *Decimum* & *vndecimum* aiunt fuisse, IA-



oo) Damnosissimum tironibus compendium, vbi pro *Iunone*, *nubem* coguntur amplecti, errores postea erroribus cumulaturi.

ERVM, & ALBANVM, indeque ortam *Albaniam*, quæ Dalmatiam, & Epirum interiacet. *Duodecimum* inquiunt SAVVM, cui *Tuiſco*, regionem *Pannoniæ* interamnanæ, *Pannoniæ* Bubaliæ, *Raſciæ* item, & *Boſniæ* interſitam, hæreditario iure contulerit. Ab hoc, *Sauo* fluuio nomen inditum eſt. *Decimum tertium, decimum quartum, & decimum quintum*, PANNONEM fuiſſe tradunt, cum fratribus SALONE, & AZALO, qui *Auſtriam*, & *Hungariam*, indepti ſint, ideoque, ambabus nomen *Pannoniæ* impoſitum. *Decimum ſextum* nominant HISTRVM, qui ad lacum *Botnicum*, Algauiam, Sueuiam, Bauariam item ſuperiorem, atque Danubii partes anteriores conſederit, indeque *Iſtri* nomen Danubio impoſitum. Miſit hic & partem aliquam gentis ſuæ, in illos tractus, quos *Italia* ſibi obiectos habet, a quibus vſque huc, nomen *Hiſtriæ* increbuit. *Decimum ſeptimum, decimum octauum, decimum nonum, vigeſimum*, memorant fuiſſe ADVLAM, DICLAM, OBALVM, & EPIRVM, quos rex *Tuiſco*, ob eorum præclaras dotes, compluribus prouinciis dedit præfectos & duces. Et *Adulas* quidem imperitauit inter *Oenum, & Rhenum*, quæ ditio adhuc *Adula* vocatur. Græciæ autem prouinciam conſequutus eſt *Epirus*. Reliqui duo, tenuerunt prouincias in *Germania*. Itaque ad hunc modum TVISCO, illas *Europæ* regiones, quæ inter *Rhenum, Danubium, Sauum, Tibiſcum, Tanaim, & Euxinum* mare, iacent, *Teutonica* gente impleuiſſe, occupaſſeque perhibetur. Verum, parentibus horum, fato functis, poſterorum pars haud exigua, a Germanis defeciſſe creditur, quæ nationibus exteris permixta, nomen & linguam *Germanicam* commutauit. Sed hanc nos *Europæ* diuiſionem, ſuo loco relinquimus, neque, ſeu cuiquam ad credendum obtrudimus, ſeu ipſi propugnamus, cum res ea, ſicuti diximus, veritatis ſit *dubiæ*. (p)

## §. VI.

*Quomodo ex Oriente in Pañoniam Germaniamque hodiernam priſci Teutones commigrarint?*

PAr, contra fuerit, vt fuſius paullo demonſtremus, quomodo ex oriente in *Europæ* regiones, præſertim in noſtram *Pannoniam*, *Germaniam*que vicinam, priſci illi *Germanorum* populi, migrationes ſuas inſtituerint. Caput omnis mutationis in populis Germanicis erat, copia populorum in oriente, queis in dies inualeſcentibus, ob defectum ſedium, coacti *Gothi & Cimbri* cum vicinis *Tuiſconibus*, & *Caicis*, vt ne ſuis moleſti amplius eſſent, receſſerunt ab eis paullum in *Aſiam*. Sed laceſſiti poſtea, a bellicoſa gente *Aſiatica*, quum alios quoque quærendarum ſedium cauſſa, pone ſequi aduertiſſent, promouerunt pedem vlterius, dum in *Europam* ingreſſi, *Pannoniam, Germaniamque* adtingerent. Itaque vti cognatæ hæ gentes, initio ſimul inuicem cohabitabant; ita, diuerſimode, ex ſedibus ſuis prioribus, ſe proripiebant. Etſi vero tempus primi ipſorum exitus, annis certis diſtingui nequit: tamen lucu-

p) Immo vero, *nullius*: quin potius, tam manifeſte falſa, vt nihil vnquam hiſtoriæ infarciri potuerit abſurdius. Nobis certe Poetarum fabulæ, loco ſunt potiore, quam putida hæc figmenta. Nempe:

*Spectatum admiſſi, riſum teneatis amici.*

Iuculenter satis videre ex historiis est, alios mox finito bello *Traiano*; alios, paullo ante *Cyri* imperium; alios, eosque plurimos, ineunte prima *Persarum* monarchia, post captum *Croesum*, annis DXLIII. ante CHRISTI natiuitatem, ex *Asia* emigrasse; nempe, quod a *Cyri* satrapis, & militiæ ducibus lacessiti, tyrannidem eorum diutius ferre non possent. Adeo namque adflictas tum bellis eas gentes fuisse, scribunt historici, vt promiscue, viri, feminæ, & liberi, immensa multitudine, naues ingressi, hauriri aquis, præ onere, perireque cateruatim maluerint, quam bellorum istas calamitates tolerare. Notum est, in primis *Gothos*, post *Troianum* bellum, haud longe ante *Cyri* imperium, *Asia* egressos, nouas sedium mutationes instituisse; quemadmodum & DIO (q) tradit, *Gethas*, *Mysis* finitimos, inter *Istrum*, & montem *Hæmum*, aliquantisper sedisse. Iam *Darii* temporibus, DIX. annis ante CHRISTVM, *Danubium* Gethæ accolebant, si HERODOTO (r) qui eosdem laudat, habenda fides est. Meminit eorum *Strabo* (s) etiam. Immo, non ante Darii tantum, sed etiam ALEXANDRI M. tempora, qui annis ducentis prius vixit, in Pannonia regnum constituerant. Nam, cum dominari cœpit ALEXANDER M. ait MELANCHTON, (t) tum in primis, ad petendam pacem coegit regem Getharum, cognomento *Sirmum*, a quo *Sirmium* ciuitas Pannoniæ, Comitatusque *Sirmiensis*, inter Sauum & Danubium, vino eius nominis, Malaatico nobiliore, memorabilis. Factum autem id est, anno CCCXIII. ante CHRISTVM. Ex STRABONE refert SCHIKFVSIVS; *Henedos*, seu *Vendos*, duabus diuersis vicibus, sedes sibi quæsiuisse. *Primum*, duce *Antenore*, traiecisse eos mare *Adriaticum*, quod MCLXXIX. annis, ante CHRISTVM, factum fuisse oportet: *deinde*, intrasse in *Europam*, instigantibus eosdem comitantibusque *Cimbris*. quorum nomen *Hunni* etiam, PROCOPIO teste, tulerunt. Accidit hoc ante Christum, anno MCLXVI. Istis enim temporibus, vt LAZIVS ex BEROSO coniicit, Cimmerii, ex *Cimmerio Bosphoro*, seu *Taurica Chersoneso*, primis suis sedibus, pulsi a *Gothis*, vna cum duce *Helono*, ad *Pœones*, in *Macedoniam* transiuerunt; qui post inter *Sauum*, & *Danubium* considentes, toti illi regioni *Pannoniæ* nomen adtulerunt: quamuis LAZIVS, (u) *Pannoniam* ipsa iam voce *Pœoniæ* intelligat. Atque ista quidem relatio, vero quam simillima est. *Cimbris* enim, ex eadem ripa pernoscendæ plagæ septentrionalis, ius & occasionem terra marique, habentibus, dubium non est, quin eadem lingua & moribus cognatæ inuicem gentes, vbi tot bellorum sæuitia, & tyrannide adflictæ fuissent, experien-

Hhhhh

q) Lib. XV.

r) MELPOMENE, cap. LXIII. & totis postea tribus capitibus, p. 261. seqq. Edit. IACOBI GRONOVII Græco-Lat. A. MDCCXV. Lugduni Batau. fol. vbi eximias gentis laudes legas.

s) Lib. VII. quem locum, supra dedimus.

t) Chron. Car. Lib. II. III. IV.

u) Perperam! tametsi Græcos, in eo errore habeat præambulones; qui *Pannones*, vulgo *Pœones* adpellant, quod iam animaduertimus, ex DIONE Lib. XLIX. p. 413. *Decad. I. Monumentum IX.*

perientia didicisse, vastas adhuc, & amplissimas solitudines in septentrionem restare, in quibus Scythæ vagantes, nusquam diu substiterunt. Par huic & DIODORI SICVLI testimonium est, quum adserit, ex *Paphlagonia*, *Media*que, nonnullas gentes, pulsis *Scythis*, desertas terras septemtrionales occupasse, *Scythas*que eiectos, rursus fines *Persiæ*, quos prædictæ gentes dereliquerant, adgressos, victoresque *Cyrum* interemisse. Refertur id ad annum DXXVII. ante partum Virginis. Iisdem quoque temporibus, incitati *Heneti*, *Ascanii*, & *Lugii*, missa *Asia* minore, *Cimbros* pone sequebantur. Accesserunt his alii, moribus & lingua similes, circa mare *Caspium*, quales erant *Teutones*, *Arii*, *Daci*, seu *Dacii*, *Getæ*, *Alani*, *Sassones*, *Vandali*, *Burgundiones*, qui cum *Rugis* & *Gepidis*, a *Ptolemæo* in *Gothis* censentur. Enim vero, copiosos fuisse populos liquet, non modo ex frequentia incolarum, quibus vastas, & ingentes terras oppleuerunt; sed etiam, quod expulerunt *Scythas*, quorum tunc robur, & multitudo propemodum immensa fuit. Nec dubium est, quin hos plures sequuti sint, quum cognoscerent, quam bene, qui præcesserunt, profecerint, quodque regiones adhuc superessent, nemini inhabitatæ. Non secus, quam insulæ, quæ maiorum nostrorum temporibus detectæ sunt, sensim, paullatimque habitatoribus sunt excultæ. Et quoniam migratio populorum, quos adtigimus, in longinquis prouinciis, haud celeriter, sed gradatim tantum processit: itaque consederunt ante omnia ad *Tauricam Chersonesum*, penes lacum *Mæotidem*, in confluente maris *Euxini*. Vnde nomen *Bosphori*, *Cimerii*, adhuc dum ibi obuium; certumque est, diu illic *Gothos* incoluisse, postquam expulerunt *Cimbros*; vt alias ostendimus. Erat in *Taurica Chersoneso* vrbs celebris, quam *Theodosiam* falso scriptores dixerunt. *Demosthenes* enim vocat *Teudosiam*, hoc est, *Teutschhausen*, quam adhuc auorum nostrorum ætate, vrbs *Genua* possedit, antequam execrabilis ille tyrrannus *Muhamedus*, occupato *Bisantio*, hos etiam populos conuulsisset. Sunt, qui constanter adfirment, (v) dari illic adhucdum *Gothos*, qui Germanica loquantur. Inter alios, meminit SCHIKFVSIVS in Chronico Silesiæ, audiuisse MELANCHTONEM, a BIRKHEINERO Noribergensi, quemadmodum mercatores Noribergenses, dum cum *Venetis*, in Cretam, & Cyprum nauigassent, infaustis ventis abrepti, & ad maris *Aegæi* vsque litus adpulsi, haud procul a *Bosphoro Thracico* emerserint. Illic, nec hominum, nec terræ gnaros, quum hinc inde errabundi, puerum, currum ducentem, cantantemque eminus obseruassent, accedentes ei propius, didicisse, Germanicum eum hymnum modulari: adtonitis similes, & nescio, quod spectrum metuentibus, quum postea, vndenam esset, vernacula eundem lingua interrogassent, respondisse adolescentem *Teutonice*, monstrato colle proximo, haud procul ab eo sibi patriam esse, ibidemque *Gothos*, gentem suam incolere, & nullius rei magis in ea

v) Adi BVSBECKIVM, Epistolam Turc. IV.

x) *Hun-*

ea valle, quam ſalis egere, ideoque defectum aliunde penſaturos, & per inclinantem auctumnum, antequam itinera gelu hiemis obduruerunt, adportare ſibi debere.

## §. VII.

QVin & veteres *Teutones*, in *Tanſiluania*, *Gothorum*, *Getharum*que ſunt reliquiæ, quos THVCYDIDES, ante, & ſub imperio *Macedonico*, in iisdem prouinciis longe lateque fuiſſe dominatos, commemorat, qui nominis *Saxonici* gloriam, haud immerito ambiunt. Nam refert lingua ipſorum, priſcum illud dicendi genus *Saxonicum*, tametſi ab illo, quod hodie floret in *Saxonia* inferiori, in multis diſcrepet. Quod enim vel a CAROLO M. imperatore, qui terras has numquam viderat, ex *Saxonia* deducti; vel ex *Hameliticis* pueris, quos, ſeu murium aliquis venator, ſeu malus quiscunque genius, in montem A. MCCLXXXII. ſeduxerit, occulto meatu iſthuc venerint, demonſtrari poteſt (x) numquam. Ceterum *Gothi*, *Tranſiluaniam* glorioſe adeo obtinebant, vt a finibus eiusdem DARIVM *Hiſtaſpen*, Perſarum regem, integro cum exercitu, propulſarint. Immo annis ducentis, poſtea, *Lyſimachum*, ALEXANDRI M. ducem, & ſucceſſorem in *Thracia*, & *Dacia*, non ceciderunt modo ſæpius, ſed captiuum etiam duxerunt, poſteaque ornatum muneribus, liberum dimiſerunt. Refertur id ad annum CCCXX. ante CHRISTVM natum. Inde fit, vt in agro *Devenſi*, & *Várhelyenſi*, numi ſubinde reperiantur, cum iconibus LYSIMACHI, ALEXANDRI M. DARII, PERGAMI, MILONIS, CROTONIATAE, HERCVLIS, SEMIRAMIDIS, COTISONIS, aliorumque, id genus, priſcorum heroum, quorum ne nomina quidem reperias in hiſtoriis. *Gothinorum* præterea, ad Carpathum orientalem, ſeptentrionalemque, TACITVS (y) & PTOLOMAEVS, meminerunt, quorum nomine, partim Tranſiluanos intelligas, partim *Scepuſios*, aliosque Hungaros, qui *Carpathum* accolunt. Itaque ad metallicos refert eos TACITVS, (z) vt hodiedum in montibus Tanſiluaniæ, quæ *Carpathi* iuga ſunt, & Marmatiæ accedunt, metalli fodinas reperias. Idem & de *Scepuſii* locis adfirmarim, quos propius ad Carpathum occupant *Neudorffienſes*, *Vagendriſſienſes*, *Dobſauienſes*, *Smolnicenſes*, *Gölnicenſes*, *Suedlenſes*: vlterius item *Schemnicenſes*, *Cremnicenſes*, *Neoſolienſes*, reliqui. Immo vero, propius olim ad prærupta montium *Carpathiorum*, qua ferri fodinas

*Ex quanam veterũ gentiũ* Tranſilvani Teutones, *quos* Saxones *adpellamus, ſint oriundi?*



x) *Hungaros* profecto, rerum in *Tranſiluania* dominos, inuſitatum hoc, & inexſpectatum immigrationis genus, latere nequiuiſſet, qui ad omnem populorum, circumquoque habitantium, fineſque ſuos contemerantium, motum fuerunt adtentiſſimi. Legeſis, de genuinis *Saxonum*, ſeu Germanorum in Tranſiluania, originibus; TOPPELTIVM, & eo recentiorem, FRANCK a *Franckenſtein*. quorum, egregiam habet mentionem, LEIBNITZIVS in Otio Hannouerano, p. 84. ſeqq. Conferatur item, MARTINI SCHOOCKII Fabula Hamelenſis, Gröningæ. A. 1662. form. 12.

y) Germ. c. XLIII, 3.

z) *Gothini*, inquit, *quo magis pudeat*, *ferrum effodiunt*. l. c.

dinas fuiſſe cultas, arguunt, cum nomina, tum veſtigia operarum, cuniculorumque, in *Schlakendorffianis*, *Kæſmarcenſibus*, & *Leibicianis* montibus, paſſim occurrentium. Præterea, vlterius quoque progreſſæ gentes *Gothicæ* & *Heneticæ*, occuparunt *Pannoniam* occidentalem, cum haud exigua parte *Germaniæ*. Oppreſſerunt hos poſtea, deleruntque propemodum *Hunni*, duce ATTILA; quum tamen *Gothi*, easdem *Pannonias*, aliquot centenis annis, contra vim tuiti *Romanorum*, vitam, atque facultates oppoſuerint, multotiesque domati a *Romanis*, ſeruitutem haud prius exuerint, quam ad annum CCCLXXXII. ante Seruatorem natum: vbi, fugato, & in tugurio ruſticano, combuſto VALENTE imperatore, exercitum eius proſtrauerunt. Tertio, poſt demortuum ATTILAM, anno, *Hunnorum* denuo potiti, *Pannoniam* poſtliminio occuparunt *Gothi*. Deficientibus enim ab *Hunnis*, *Velamir*, & *Theodomir*, ducibus *Oſtrogothicis*, vt & *Gepidarum* rege *Ardericio*; tametſi magna vi, *Hunni*, Oſtrogothos & Gepidas, reducere ad obſequia adlaborarint; tamen ab eis ſuperati, & partim cæſi, partim in *Scythiam* verſus *Pontum*, in priſtinam patriam ſuam, repulſi ſunt. Soli enim *Gepidæ*, cæſis triginta millibus *Hunnorum*, ELLACVM, Attilæ filium, ſimul occiderunt. Parta victoria, *Oſtrogothi*, *Pannoniam*, *Daciam* ripenſem *Gepidæ*, occuparunt, retinueruntque annis plus minus centum; vsque ad IVSTINIANI imperium, quo ineunte, Oſtrogothi rurſus ab *Hunnis*, a *Longobardis Gepidæ*, partim cæſi, partim ſubiugati ſunt.

## §. VIII.

*Quales olim Populi Scepuſium vicinaque loca incoluerint, atque vnde latina vox illa, Sepuſium, & Germanis Zips, orta ſit?*

OStrogothorum reliquias, *Cumanos* putat LAZIVS, & *Boſnios*; qui tamen *Germani* non ſunt. *Gepidarum* autem reliqui, tenebant valles *Carpathi*, a quibus teſte *Lazio*, *Procopio*, & aliis, *Gepidia* vocabatur ille tractus, (a) qui hodie *Scepuſienſi*, *Saroſienſi*, *Liptouienſi*, *Aruenſi*, *Thurocenſi*, *Trencſinienſi*, *Nitrienſi*, *Abaujuarienſi*, *Tornenſi*, & *Poſonienſi* Comitatibus, diſtinquitur. Immutato poſtea nomine *Gepidiæ*, in *Gepuſiam*, *Chepuſiam*, ſequioribus temporibus *Sepuſium* dictum fuit. Pro eo nonnulli ſcribunt *Zepuſium*, *Cepuſium*, *Scepuſium*, vel *Szepuſium*. Incolæ autem *Zepuſii*, pro *Gepidis* adpellabantur, mutatis aliquando litteris per *Antitheſin*, aut prauam pronunciationem, peregrinæ alicuius gentis, in hiſce, & vicinis partibus olim commorantis: in primis vero *Italicæ*, a qua & oppidum *Wallendorff*, hoc eſt, *Italorum vicus*, ſuum nomen ſibi acquiſiuit. *Itali* enim, dum mollius loqui ſtudent, ſæpe *s* pro *g* proferunt. Immo in lingua etiam *Hungarica metaplaſmi* in litterarum & ſyllabarum transformatione, receptiſſimi ſunt. Nonnulli noſtratium peregrini in antiquitatibus, *Sepuſium* deriuare volunt, a *ſepibus*, quod tractus hic ſepis inſtar, monte *Carpatho* circumdatus eſſe videtur. Germanicam autem vo-culam

a) Audacius iſta, quam veroſimilius, *Gepidarum* ſuorum amore, auctor adfirmat. Nos, quid de *Scepuſiorum* originibus ſentiamus, in Hiſtoria eius Comitatus, Operis noſtri TOMO VI. expromemus.

culam *Zips*, deducunt a *Zippel*, ſeu fimbria, ſiquidem terminum tenet *Hungariæ*. Etſi, logica docente, vnius nominis diuerſæ dari poſſunt notationes, veroque eſt ſimile, ex argumento comparatorum etymologias has deſumi: tamen *alluſiuæ* mihi, iocoſæque & ridiculæ eſſe videntur; quæ tametſi veræ non ſunt, ſed tantum adparentes; tamen ſuam habent, in declaranda re, ſiue vtilitatem, ſiue iucunditatem. Nobis itaque placet notio, quæ a *Gepidis* deducitur; tum quod antiquiſſima ea eſt, veriſſimaque; tum, quod ab omnibus fide dignis ſcriptoribus adprobatur; licet vulgo abſurda, inconueniens, & præpoſtera videatur. At voces, ſemper varias pati mutationes, quis eruditorum ignorat?

## §. IX.

*Origo Teutonum, qui Danubium adcolunt.*

ILli autem *Germani*, qui infra *Poſonium*, trans-Danubium, circa *Sempronium*, *Jaurinum* & *Comaromium* ſedent, originem a *Romanorum* Leg. X. Germanica, ducunt, (b) quæ in regionem iſtam, in primis inſulam *Schütt*, ſeu *Scythicam*, collocata, tuendæ a *Quadis*, *Pannoniæ* inuigilabat. Poſt hanc, & *Heruli*, Germanicæ nationes iſthuc acceſſerunt. Inde, *Auſtriaci* quoque Transdanubiana hæc loca, & quæ *Auſtriæ* fines contingunt, ciuibus adauxerunt. Legio XIV. Romanorum, ſtatiuis intra *Budam* & *Veſprimium* habitis, procul dubio, ciuitatibus nonnullis adiacentibus, nomen dedit. *Buda* enim, a vocula Germanorum *Baden*, (c) dicitur: quippe, baiis, quas *Bad* Germani vocant, exundans. *Veſprimium* vero, a *Weisbrun*, eo quod hodieque, ſub veteri arce Epiſcopali, fontem oſtendat, qui Germanis *Weisbrunn* vocatur.

## §. X.

*Vnde fuerint Teutones antiqui intra montes colentes?*

GErmanorum vero, qui *Cremnitium*, *Schemnicium*, *Neoſolium*, & reliquas montanas vrbes incolunt, primores erant *Miſnici*, metallorum colendorum cauſſa eo delati. Hodie tamen, reperias *Styrios* quoque, *Carinthios*, *Tyrolios*, & *Auſtriacos*, quorum & linguam adfectant indigenæ: quippe, præcipuis *Cameræ Regiæ* præfectis, ex *Auſtria*, inter ipſos degentibus. Illi etiam, qui montanas *Scepuſienſes* incolunt, vti *Svedlerienſes*, *Schmolnicenſes*, *Gölnicenſes*, *Wagendrüſſelenſes*, *Einſidelenſes*, *Stoſſenſes*, *Topſauienſes*, imitantur Auſtriaca; ſed corrupte nimis, & præpoſtere. Cuiusmodi dicendi genus induxerunt, partim priſci montanarum rerum præfecti, qui ex *Auſtria* venerant; partim incolæ, vbi rei metal-



b) Quia hæc regio, veteribus, *Deſerta Boiorum*, dicitur; ſæpius venit in mentem, de *Boicis*, Germanorum huiatum originibus, ſuſpicari. Neque tamen vero ſimilibus coniecturis aliis velim contraire.

c) At vero Germani, non *Budam*, ſed *Ofen* adpelant, a furnis calcis exurendæ factos, arceſſito vocabulo. Quid autem cum BONFINIO egeris, a *Budinis* populis; quid? cum THVROCIO, a fratre Attilæ *Buda*, idem deriuantis. Vide, LAZIVM de Rep. Romana Lib. XII. Se. II. cap. XIII. initio, & Operis noſtri TOM. III. De *Buda noua*.

*Decad. I. Monumentum IX.*

licæ gratia, in vicinas montanas vrbes, commigrantes, & ſermone *Auſtriaco* illic conſueto, imbuti, domum viciſſim ad ſuos redierunt. Nihilo tamen minus, horum quoque, vt & reliquorum *Scepuſiorum*, maiores *Gepidæ* erant.

## §. XI.

*De veteri* Scepuſiorū *migratione & bellis.*

SEparati vero a *Gothis*, *Gepidæ*, vbi longe lateque *Europam*, vicibus diuerſis, peragrarunt, geſto, cum exteris populis, bello grauiſſimo, ſubſtiterunt aliquantiſper in *Tranſiluania*, in vtraque ripa *Danubii*, in *Pomerania*, *Lituania*, *Pruſſia*, maxime circa *Gedanum*, & *Elbingam*; in *Polonia* item, atque circa *Viſtulam* paſſim, dum integros *Carpathi* montes, vallesque, inde a *Viſtulæ* primordiis, hodie ducatu *Teſchinenſi* in *Sileſia*, vſque in *Hungariam*, vt dictum eſt, coloniis oppleuiſſent, de quibus fuſe ſcriptores hiſtorici. *Gothos*, *Vandalos*, *Francos*, & *Longobardos*, Germaniam intus & extus inhabitaſſe, teſtatur ante alios IORNANDES Gotus, qui ad annum Chriſti DL. vitam duxit. *Daci* vero, alias *Dai*, & *Dani*, auctore IVSTINO, pars Gothorum, ideoque anteceſſores Tranſiluanorum, Germaniam, TACITI ætate, nondum incoluerunt, quemadmodum ex libro eius, initio ſtatim, liquet; quum a *Germania* ipſos, veluti finitimas gentes ſeparet, his verbis: *Germania omnis* &c. *a Sarmatis Dacisque mutuo metu, aut moribus ſeparatur.* Quod & de *Gethis* tenendum, qui etſi tempeſtiue ad *Danubium*, extra *Germaniæ* tamen fines, adpulerint; tamen nondum *Germanis* noti fuerunt: quemadmodum & *Danorum*, ſeu *Daorum* nomina, ad mare *Balticum*, vbi nunc *Dania*, & *Suedia* eſt, habitantium, ante ANTONII Imper. tempora, vt ex PTOLEMAEO, ſcriptore ætatis eius, colligi poteſt, obſcura fuerunt, mox poſtea illuſtranda.

## §. XII.

*Quæ* Dacorum *ſedes, antiqua illa fuerit?*

DEgebant autem intra *Pannoniam*, & *Danubium*, CORNELII TACITI temporibus, qui prætoris dignitate, imperante Domitiano, perfungebatur, vt ex *Dione* diſcimus. Ait enim hic, Decebalum regem, *Daciæ*, ſeu *Valachiæ*, & *Tranſiluaniæ* dominum, *Romanos*, annis ſedecim, bello multum adflixiſſe, idque anno quartodecimo poſt Coſſ. & Imp. Domitianum, nempe LXXXVIII. virginei partus, primum accidiſſe. TRAIANVS Imp. cum *Dacis*, ad *Danubium*, annis quinque dimicabat, (d) atque, vt regem ipſorum, *Decebalum*, eo premeret grauius, Danubium ponte iunxit, e quadrato lapide, arte ſumma, immenſo labore, ſumtuque inſano. Erat enim innixus (e) pillis viginti, altus pedes quin-

d) Conſule omnino, *Analecta Lapidum Vetuſtorum* STEPHANI ZAMOSII cap. II. & III. item, LAVRENTII TOPPELTINI, Origines & Occaſus Tranſiluaniæ, paſſim: vt TRÖSTERVM taceam.

e) Hauſta hæc ſunt ex DIONIS Lib. LXVIII. p. 776. ſed, quam præter omnem fidem ſint ſcripta, ex MARSIGLII *Danubiali Opere* conſtat. TOMO II. p. 25. ſeqq. quod ſæpius monemus.

quinquagenos, latus ſexagenos, ſingulis pilis paſſibus centenis ſeptuagenisque a ſe inuicem diſtantibus, quarum ſingulas alti fornices committebant: opus iure merito, ſeptem mundi miraculis adnumerandum. Nam, neque flumen deriuari aliorſum poterat, & ob ripas vtrinque vliginoſas & lacuſtres, cum imbribus intumuit, maris potius, quam fluuii dedit ſpeciem: quodque inter montes præruptos clauſum impeditur, furit prorumpitque tanto impetu, tantaque aquarum vi, vt nulli facile pontes his in anguſtiis queant ſuperinſtrui. Ex his facile eſt ad colligendum, priſcorum virtuti Romanorum fortiſſima quæque cedere debuiſſe. Eodem ponte, biennio vix celerius exſtructo, transduxit TRAIANVS exercitum, profligatoque *Decebalo*, regiam eius diripuit, grandi theſauro, quem Decebalus in fluuio *Sergetia* occultauerat, potitus. Eapropter, perturbatus *Decebalus*, toxico ſibi mortem conſciuit. *Traianus* autem peracta tam inſigni *Dacorum* clade, pontem viciſſim (f) disiecit, vti *Xiphilinus* tradit. Alii ab HADRIANO, ſuceſſore Traiani, disiectum ſcribunt, vel quod honorem tantum Traiano inuiderit, (erat enim homo inuidus) vel ideo, vt ne *Seruia*, hodie *Bulgaria*, ſeu *Myſia* ſuperior, aliæque trans Danubium, a Romanis occupatæ prouinciæ, a *Dacis* opprimerentur, Romanæque legiones deturbarentur. Sed reſtauratum viciſſim a IVSTINO imperatore, quadringentis annis poſtea, vult PROCOPIVS. BONFINIVS & LAZIVS, ſua ætate adhuc aliquas pontis reliquias exſtitiſſe ſcribunt: quemadmodum & in mappis Pannoniæ hodiernis, *Danubio* ad *Seuerinum*, aliis *Seuerianum*, ſeu *Sebaſtum*, aut *Sebacium*, vrbem, a Geographis verba hæc, cum ſignis nonnullis adponuntur: *Pontis Traiani veſtigia.* Vtrum vero rudera hæc hodieque illic viſantur, nec ex hiſtoricis recentioribus, nec ex peregrinatoribus hucdum diſcere potui. (g) TRAIANVS poſtea victoria potitus, in Daciam Romanas deduxit colonias; quarum reliquiæ in *Valachis* Tranſiluanis, adhuc ſuperſunt: quippe, qui *Romani* oris qualemcunque ſpeciem adhuc (h) referunt, licet corruptam.

## §. XIII.

DVcunt autem *Valachi* ortum a FLACCO, Romano præſide, a quo tota poſt regio *Valachia* dicta fuit. Ex eo enim tempore, quo prouinciæ *Flaccus* præſedit, quæ a *Danubio*, vſque in *Scythiam* extenſa erat, nouimus indubitato, *Flacciam* vocatam fuiſſe, neque aliunde, quam a linguæ corruptione, *Valachiæ* poſtea nomen accepiſſe. Nam non mores tantum, & ſtatuta Romanorum *Origo Tranſiluanorum* Valachorũ.



f) Minime! ſub HADRIANO diſturbatas pontis partes ſuperiores, idem XIPHILINVS ſcribit. quod monendum erat, ne ſilentium noſtrum, errori *Fröli-chiano* videretur patrocinari, quem ipſe recantauit.

g) Noſtra ætate, demonſtrauit ea MARSIGLIVS, in Oper. Danubiali, loco nunc citato. Vide præterea, quæ de ponte hoc erudite disquirit, IVSTVS LIPSIVS Lib. III. de Magnitudine Romana, Cap. XIII.

h) Meminit Linguæ *Valachicæ* TOPPELTINVS, Originum Tranſilvan. Cap. IX. p. 71. Et TRÖSTERVS paſſim.

*Valachi*, fed, vt dictum eſt, voces etiam retinent, quæ latini ſermonis ſunt vernaculæ. Proinde ſunt, qui *Valochos*, & *Valachos* eosdem eſſe putant, cum *Volſcis*, Latii olim incolis. Sed non eſt, cur tam ſollicite in notionis originem inquiramus, quum vel a *Wahlen*, vel *Welſchen* (g) Germanorum, opportune poſſit deriuari. Alioquin ex hiſtoricis conſtat, ANTONIVM *Pium Imp.* rebelles *Dacos*, anno CLIV. poſt natum ſeruatorem, feliciter repreſſiſſe.

## §. XIV.

*Quomodo Daci Aquilonē verſus proceſſerint?*

LApſu temporum, *Dacorum* nomen, in Germaniam quoque pertigit. Enim vero, occupatis inſulis ſeptentrionalibus, diu de poſſeſſione, cum indigenis, decertarunt, cum Sueuis in primis, quorum pars haud poſtrema *Iulii*, & *Auguſti* temporibus, partim in maritima loca, vbi iam *Pomerania* eſt; partim ad *Rhenum*, conceſſit. Immo, & inter ſe diuiſi eouſque diſſidebant, dum *Daci* & *Dani*, occupata priſcorum *Cimbrorum Cherſoneſo*, cui hodie *Daniæ* & *Iutlandiæ*, nomen, famam incolarum veterum deleuiſſent, *Gothis* interim, adiacentes inſulas, magnamque partem *Suediæ* intercipientibus. Manſerunt tamen *Sueuorum* antiquiorum nonnulli, iisdem iſtis regionibus, a quibus nomen *Suecicum* manauit.

## §. XV.

*Diſcrimen Oſtrogothorum, & Viſigothorum, & vbinam vtrique conſederint?*

ERant hi ſeptemtrionales *Gothi*, vti antea dictum eſt, *Dacorum* ad Pontum in Aſia, accolæ, qui apud *Danos*, & *Suedos* poſtea in *Oſtrogothos*, & *Viſigothos*, diſtinguebantur. Eodem hoc nomine & illi *Gothi*, qui in patria manſerunt, diſtincti, ingentem famam, rebus præclare geſtis, meruerunt, *Oſtrogothis* nempe in *Pannonia*, in *Hiſpania Viſigothis*, conſtituto imperio, immo & in *Aquitania*, & *Gallia Narbonenſi*, aliquantiſper dominantibus.

## §. XVI.

*Quinam populi inter Gothos antiquitus numerati ſint, queue modo Pannoniam inhabitarint?*

ALioquin *Gothis*, vulgo *Burgundiones* quoque & *Vandali*, *Alani* item, & *Rugi*, *Oſi*, atque *Heruli*, *Myſi*que, accenſentur. Germanico hi ore loquebantur, & *Pannoniam* diuerſimode inhabitabant. Habebant res ſuas, in *Pannonia* multoties, & *Galli*, cum *Boiis*, *Senonibus*, *Cimbris*, *Brennis*, & *Longobardis*, item, *Franci Saxones*, *Germanicæ* ciuitatis omnes; donec, partim ab hoſtibus vi expulſi, partim ſponte egreſſi, primum finitimas regiones *Germaniæ*, & *Italiam*, deinde remotiores, *Galliam* puta, *Hiſpaniam*, & *Africam*, infeſtis armis adorti, illic ſedes poſuerunt. Quomodo id factum ſit, breuitatis cauſſa præterimus, inſtituti noſtri memores, cuius non eſt, talibus hic immorari. Sunt, qui præcipua quæuis, luculenter adſignarunt, in primis PEVCERVS, vbi non

i) Omnium optime a Slauico *Wlach*, quod *Italum* notat, hoc, quidquid eſt nominis, deriuaueris; ſiue gentem exiſtimes, ſiue regionem. Ita vero, ſequiore tempore, a *Iazygibus Metanaſtis* cis Tibiſcum colentibus, adpellatos fuiſſe credo.

non plane nil reperias. Plura occurrunt in Münsteri Cosmographia, editionis recentioris, quae correctior est, & auctior. Hactenus itaque ostendere, *Lectori Beneuolo*, connitebamur, tum ex veris quibusdam praesumtionibus, e diuinioribus litteris depromtis, tum ex solidis historicorum, fide dignissimorum, testimoniis, quinam primi, iidemque antiquissimi *Germani* in *Pannonia*, eorumque maxime, qui in *Transiluania*, *Hungaria*, *Scepusio*, Germanica loquuntur, maiores fuerint, & propagatores: vnde item, & quibus temporibus, ad has oras peruenerint? Nunc porro, indicandum fuerit; qui regionis huius primi, ante memoratos *Getas*, seu *Germanos* priscos, incolae? qualesue populi, sub, & post *Gothorum* aeuum, heic imperarint? vnde item *Pannonia*, & deinceps *Hungaria*, adpellata; & quam variis nominibus *Hungarica* gens fuerit insignita?

## §. XVII.

*Quomodo gloriam aboriginum nōnulli sibi vin dicent?*

Communi more receptum est, vt, qui vel praedicare suos, vel commentari de eis, quod memoria posteritatis dignum est, constituunt, hi pene omnes, etiam doctissimi quiuis, gentem suam *autochtonem*, nullaque ex extera natione, sed ex eo, quem incolit, loco, & patria, inde a primis, qui reuolui memoria possunt, temporibus, prognatam aiant. quod in *Graecis* factitarunt *Athenienses*, & *Thebani*; aborigines in *Italia*. Qui autem altius sapuerunt, nescio, qua ridicula antiquitatis affectione, aliquot millenis annis prius, quam mundus coepisset, fuisse suos finxerunt. Eodem crimine *Arcadii*, προσεληνους semet adpellabant; de quibus nec tempus dicendi est, nec locus. Atque superba aeque, litium ferace antiquitatis aestimatione, posset etiam prima *Pannoniorum* origo, non secus ac aliorum, idque fundamento forsitan solidiori, auspicaciorique opera, inde a retrusissimis temporibus arcessi: tametsi haud negauerimus, subinde extitisse, qui se iis, ritu inquilinorum, admiscuerint. Sed mittam nunc ista, vt ne veteri illi, de praerogatiua antiquitatis populorum disceptationi, locum facere videar. Nam vt alios praeteream, *Aegyptiis* certe, vitio olim vertebatur, quod in negotio consimili, contra *Iudaeos*, *Phryges*, & *Scythas*, disputantes, nouam procuderint *Chronologiam*, id quod ex Ivstino, & Herodoto (k) condiscas. Quin & *Scythas*, a reliquis populis, censoria virgula notatos fuisse legas, quod se omnium terrarum orbis populorum, & antiquissimos profiterentur & optimos; id simul comminiscentes, sese, cum primum mundus ex chao digesto, aut igne, aut aqua, conderetur, procreatos fuisse. Graeci certe, peculiari erant superbia erga alias gentes exteras. Quare, ipsis primam humani generis Laertivs adscribit origi-

Kkkkk

k) Evterpe, cap. II. p. 89. vbi tamen *Aegyptii*, antiquitatis palmam, ridiculo adducti experimento, Phrygiis concedunt. Sed apud Ivstinvm, ex ea concertatione, *Scythae* superiores fere abeunt.

*Decad. I. Monumentum IX.*

riginem. Itaque, gentes reliquas, contemtim, *barbaros* adpellabant, hoc est, feros & intractabiles, iuxta sermonem *Ebræum*, (l) bestiisque haud absimiles; tametsi aliam STRABO (*) voci illi originem, a dura, & inculta lingua, conciliet. Ex iisdem Græcis, *Athenienses*, pari in vicinas gentes contemtu, multa *Arcadios*, *Argiuos*, atque *Thebanos* contumelia adficiebant; ipsi, ab his, æqua vicissim, vt fieri solet, despicatus talione, repetiti. Enim vero, cum *Athenienses* se nullo ex alio loco, quam in quo degerent, ortos, adeoque *autochthones* esse gloriarentur, eo moti *Arcades*, natales suos ipso cælo, lunaque antiquiores referebant. Quapropter, hos cognati ipsorum, vti aiunt, *Cetei*, siue *Latini*, in *Italia* imitantes, *Aborigines* adfectant nominari. Nam quod ad ipsorum spectat cognationem, Latini, auctore *Suida*, a *Ceteis* orti, aliud nomen, a *Latio* regione, acceperunt; *Ceteis* interim & *Arcadibus*, vtrisque a *Cethim*, natales suos deriuantibus. Sed abrumpamus heic filum, vt ineptæ opiniones, eo præpediantur facilius, in primis veterum *Philosophorum*, qui *Aubano* teste, homines & bestias, in meridionalibus prouinciis, in *Ægypto*, & Æthiopia, primo omnium ortos fabulantur. Qua opinione, ductus forte *Diodorus* quoque, Æthiopes, antiquitate aliis omnibus populis anteponit. Cauendum etiam ne recoctis rursus BEROSI, suppostitii illius, aliorumque id genus fabulis, alia vetustiora certioraque fundamenta sacrarum litterarum postponantur. At iusto forte plus, narrationi huic indulsimus.

## §. XVIII.

*Quando & a quo Hungaria ante Scytharum aduentum inhabitata, & vnde sit* Pannonia *nominata?*

QVidquid horum sit, quæ de veterum disceptationibus adtulimus, vero tamen simile est, suntque plures, qui adferant, ex scriptoribus, in primis LAZIVS, & BERTIVS, *Pannoniam*, post diluuium mox inhabitatam, primos omnium incolas *Pæonos*, siue *Pannonios* habuisse. BOISSARDVS (m) *Pannonem*, filium *Iapheti*, annis CLV. post diluuium, primum ante alios, heic considentem, *Pannoniæ* nomen dedisse arbitratur. Alii, pro filio *Moesi*, *Semi*que pro nepote habent Pannonem. Primum etiam regem prouinciæ *Pannonem* vocatum volunt, BEROSVS, PTOLEMAEVS, DION, & METHODIVS. BONFINIVS, & HIERON. ORTELIVS, aliique *Pannoniam*, non tam a primo domino, quam a monte *Pannonio* dictam putant; qui inter *Dotim*, seu *Tatam*, & inter *Iaurinum* situs, *D. Martini* Episcopi, natione Pannonii, templo, quod in vertice ostendit, nobilitatus est. A *Pœone*, filio *Endimionis*, qui Græcorum ducem agebat in Macedonia, partum id nominis, tradit *Herodotus*, & *Pausanias*. Cui

l) Ita CHRISTIANVS BECMANVS, in Originibus Linguæ Latinæ, in voce *Barbarus*, p. 287. sequen.

*) Lib. I. 14.

m) In Historia Chronologica Pannoniæ, p. 1. quam THEODORVS de BRY, Tabula Chorographica, & iconibus, illustratam euulgauit, *Francofurti*, Anno MDXCVI. for. quadrip. Iterabatur editio inibi, A. MDCVIII.

Cui vltimæ opinioni; quippe, nec LAZIO, nec BERTIO contrariæ, adstipulor & ipse ego. (n)

§ XIX.

NOmen *Pæon*, vti ex HOMERO, EVRIPIDE, THVCYDIDEque di- *Vetus Pannoniorum, & gens, & lingua Græcanica ex parte fuit.* scimus, antiquissimum, Græcis luctatorem strenuum, & qui pugnas ardeat, significat. Quodsi vocabulum id Græcum est, haud difficile erit ad colligendum, linguam *Pannoniorum Græcanicam* (o) quadantenus fuisse, ipsosque a *Græcis* propagatos, ripas primum *Strymonis*, Macedoniæ finitimas, insedisse; quippe quas, iam THVCYDIDIS ætate incoluerunt. Postea, vbi a *Strimone* sensim paullatimque recedentes: *Poeonii*, *Danubio* adpropinquarunt, vocata est regio, quem occuparunt, *Pannonia*, nomine priori paullum immutato. A *Græcis* his populis, & *Belgradum* nomen indeptum, dum *Alba-Græca* nominatur. *Albam-Iuliam* vero, Transiluanorum metropolim, & *Albam-Regalem* BONFINIVS (p) a *Leucis*, seu *Albanis*, Græcis nempe, qui a *Scythis* orti, *Asiam* incoluerunt, deriuat. Quemadmodum alii etiam *Græci*, *Pannoniæ* ciues dederunt; vti AGRIANI, qui *Agriam* reliquerunt, & *Bastarnæ* Macedones, temporibus ALEXANDRI M. & hoc mortuo, *Gallo-Græci*, qui ex *Gallis* (seu *Gallatis*, aliter *Celtis*, quorum nomine omnes illæ nationes veniebant, quæ ea loca, vbi nunc *Galli*, & Germani degunt, incolebant) & ex *Græcis*, mixtum quoddam populi genus, exstiterunt. Nimirum, postquam eiectis ex Italia *Brenno*, & *Camillo*, horum populares *Galatæ*, templum *Delphicum Apollinis* expilassent, idoli, quod spoliauerant, furore, in varias regiones dispersi, pars cum *Brenno* in *Asiam* transiit, pars in *Pannoniam*, versus *Istrum* cum tribuno *Bathanacio*, vti LIVIVS & ATHENAEVS memorant. Inde nomen *Bathiensis* Comitatus sortitus est. Mistis ita, ex *Græco Gallis*, seu *Gallatis*, lingua quoque mista fuit, aliis *Græce*, aliis *Germanice* loquen-



n) Alii *Pannoniam*, dictam a pannis volunt; quod Pannones vestes gererent ex variis *pannis* consutas ac variegatas. Vid. CASAVBONVM, ad *Suetonii* AVGVSTVM Cap. XXI. quod ille ex DIONIS CASSII Lib. Hist. XLVX. hausit: cuius locum suum fecit LAZIVS, de Migrat. Gentium, ad Lib. IV. p. 12. Neque silendi sunt, qui a *pane* repetunt *Pannoniorum* vocabulum; quod *panosa* eorum regio fuerit. Sed aliter DIO: *hordeum*, inquit, *solum & milium edunt*, *similiter & bibunt.* loco citato; ergo, panis inops fuit regio. quod hodie aliter se habet.

o) Aliter VELLEIVS PATERCVLVS, Hist. Rom. Lib. II. Cap. CX. 5. p. 530. sequen. *In omnibus Pannoniis, non disciplinæ tantum; sed linguæ quoque notitia Romanæ, plerisque etiam litterarum vsus.* Quod LAZIVS, dicto loco, de vniuersæ gentis sermone interpretatur; & cum eo SCHÖNLEBEN, Annalium Carnioliæ Antiquæ Parte III. p. 135. ad An. CHRISTI VII. Ego crediderim, in *prouinciales* cum primum subacti fuissent *Pannonii*, lingua vti eos cœpisse *Romana*; siue commerciorum necessitudine; siue dominorum imperio. Nam, vti obseruat CVRTIVS, Lib. VI. Cap. X. 23. *Solet natiuus ille sermo commercio aliarum gentium exolescere; & tam victoribus, quam victis, peregrina lingua discenda est.* Quid si coniectationem nonnullorum sequamur, & *Illyricum*, quod postea *Slauicum* dictum est, idioma *Pannoniis* fuisse, pronunciauerimus? PANNON enim, ea lingua, idem est, quam *Pan on*, hoc est: *Dominus ipse*, seu *autocrator*: & *Pannonii*: forte *Pani oni*, quasi: *rerum domini.*

p) Nugatur hic, sicuti sexcenties alibi, audax coniectator BONFINIVS.

loquentibus. Sic & *Gallatæ*, ad quos epiſtolam dedit PAVLLVS, *Germanica* dialecto vtebantur poſt tempora *Apoſtolorum*. Inde eſt, quod in lingua Germanorum Græcas quoque nonnullas voces obſerues, vti ſunt: θύρα, *thier*; κυσσεῖν, *küſſen*; μετὰ, *mit*; ἱμάτιον, *hembd*; γῆ, *gaw*; ἐχθρὸς, *ächter*; μύλη, *mühl*; χέλλιος, *ſchädlich*, λυχνος, *licht*; ἀργὸς, *arg*; φαῦλος, *faul*. Ex *Græco* ſermone promanarunt etiam: *Burg*, *Bach*, *Magd*, *Schaff*, *Spade*, *Plette*, *Kopff*, *Leiter*, *Maus*, *Carn*. *Item*: *lallen*, *fallen*, *liegen*, *ſitzen*, *lindern*, *ſieden*, *brennen*, *reiſſen*, *rathen*, *irren*, *wol-len*, *ſchlemmen*, *Küriſs anlegen*, & his ſimilia plura.

*Qui & quales populi peregrini, præter Pæones in Pannonia conſederint, quorum primi Iudæi erant, & Iſraelitæ; deinde Romani; tum Vindi & Slaui, a quibus Slaui originem ſuam velint deducere; poſt Bulgari; hinc Siculi; inde Hunni a quibus ortus & nomen Hungarorum; fabula item de origine Hungarorum; & deniq; Auares. Siculorũ primi parentes.*

## §. XX.

PRæter *Pœones*, (q) ſeu *Pannonios*, ex *Græcia* profectos, nullus dubito, quin alii quoque populi, regionem hanc inſederint: quemadmodum ex nonnullis in *Hungaria* repertis, & litteris *Ebræis* inſcriptis monumentis, forte non ab re, coniectat LAZIVS; (r) terras has *Ebræis*, ante (s) & poſt diluuium, haud caruiſſe. Placet & PHILIPPO MELANCHTONI, Gothos, & alios populos, cum in Pannoniam, & Germaniam migraſſent, Iſraelitis permiſtos, aduениſſe. Diſſipatis namque tribubus decem, multi *Iſraelitarum* in *Aſiam* (t) minorem ingreſſi, Gothicis ſe nationibus adiunxerunt. Atque ita numinis prouidentia factum eſt, vt diuinæ lucis notitia, gentibus quoque nonnullis illuxerit. Quare ſcribit HERODOTVS, ſe in *Colchide*, quam Cimbri olim incoluerant, circumciſionis morem reperiſſe. Ceterum, *Iudæi*, iam ante natum CHRISTVM, Germaniam, Pannoniamque inhabitabant. Conſtat etiam *Venetias*, & *Italiam* peragrantibus, *Iudæos* ex Media, Turcia, & Conſtantinopoli eo delatos, Germanica callere, & ſermocinari. Quod ad *Romanos* adtinet, hi conſule *Lentulo*, primum regione hac, bello potiti ſunt. Inter *Romanas* prouincias, adſeruit eam AVGVSTVS Imperator. TIBERIVS autem *Auſtriam*, *Styriam*, lacum *Peiſonem*, & *Balatonem*, nec non *Schimeg*, Romanæ ſubiecit ditioni. CLAVDIVS Cæſar, ſuperiorem Hungariam, vltra Poſonium, vſque ad Coloſſos, Colocſam vocant, perdomuit. Daciam ſubiecit TRAIANVS, quam hodie *Tranſiluaniam*, & *Valachiam* vocamus. Reliquas par-deper-

---

q) Non ſunt *Pœones*, & *Pannonii* iidem. Aduertit errorem DIO, loco laudato: *Quidam Græcorum errore, & ignorantia ducti*, inquit, *Pannonios*, *Pæonas adpellabant. Vetus quidem hæc nominatio eſt: attamen non ibi, ſed in Rhodone & Macedonia tum habitarunt, quæ protenditur noſtris temporibus ad mare vſque.* Quapropter, ego hos quidem *Pæonas*, illos vero *Pannonios*, adpellarim. quod diſcrimen tenendum eſt.

r) Fecit id omnino fine Libri I. *de M. G.* ſed ſucceſſu plane nullo: recentiora enim ſunt ea monumenta, quam quæ poſſint canam illam antiquitatem euincere.

s) Infeliceter hæc dicuntur; *Hebræorum* enim gens & vocabulum, ignorabatur ante diluuium, ex patre demum EBERO profecta. Videatur BOCHARDVS Geographia Sacra, Lib. IV. Cap. XXXVIII. p. 318. lin. 26.

t) Malim dicere: in *Aſiam ſeptentrionalem* ſparſos, & Scythis commixtos fuiſſe, actos in captiuitatem *Iſraelitas*. Certe in Lingua Hungarica, quam a Hunno Scythis accepimus, inſunt locupletes vocabulorum Hebraicorum reliquiæ, quod alibi docebimus, peculiari ſchediaſmate: *De Linguæ Hungaricæ Indole Orientali*; Miſcellaneis Berolinenſibus, quæ Soc. Scientiar. Regia edit, inſerendo.

tes, ab ANTONIO, & aliis Imperatoribus Romanis occupatas, & deperditas, recensebimus iusto ordine, in *Chronologia* nostra. *Sarmatæ*, alias *Heneti*, mox *Slaui*, *Slauini*, mox *Vendi*, & *Vindi* dicti, *Pannoniam*, imperante ANTONIO CARACALLA, primum adorti, ac CL. annis postea, anno nempe XI. imperii VALENTINIANI, indepti sunt. qui, licet sæpe eiecti a *Romanis*, tamen iterum reduces, *Illyricum*, *Dalmatiam*que, & ex his enatam *Slauoniam*, post tempora IVSTINIANI; imperante vero LEONE, & MAVRITIO Rasciam, Bosniam, Seruiam, Carniam, Croatiam, & alias *Pannoniæ* prouincias, occuparunt. HERACLII autem temporibus, complures ipsorum in occidentem, & septentrionem ducti, obsederunt ima *Carpathi*, mixtique, partim *Germanis*, hinc & illinc in oppidis metallicis, vicisque *Scepusiensibus*, nec non in Comitatibus, *Sarosiensi*, *Gömöriensi*, *Liptouiensi*, *Aruensi*, *Thuroczienſi*, & *Threncsiniensi*, reliquerunt posteritatem; partim progressi vlterius, *Poloniam*, *Morauiam*, *Silesiam*, *Bohemiam*, aliosque finitimos tractus *Germaniæ*, ad mare vsque *Balticum*, interceperunt; dum ab HENRICO LEONE, & huius successoribus, ex iisdem locis maritimis, vicissim eiicerentur. In eo quidem sunt, *Slaui*, *Vindi*, *Moraui*, & *Bohemi*, vt ortus sui antiquitatem demonstrent, ex diplomate, quod ab ALEXANDRO M. vna cum regionibus, inter *Aquilonem* & *Austrum*, ad *Italiam* vsque protensis, ob nauatam sibi præclare operam, accepissent; sed, commentitium esse *diploma* illud, ex eo patet, quod nomen *Slauorum*, Græcis & Latinis ignotum adhuc, IVSTINIANI primum temporibus, annis plus quam mille post *Alexandrum* increbuerit; vti CROMERVS (u) ostendit, refutata contraria falsa opinione. *Bulgari* venerunt in *Pannoniam*, imperante ferme IVSTINO, consideritesque ad *Sauum*, & *Danubium*, vsque huc *Turcis* subiecti, illic degunt. Hi, & inter *Slauos* erant, & *Sarmatas*: quippe, quorum ore loquuntur. Multum cum his certaminum Romanis Imperatoribus intercessit. *Siculi*, (x) Hunnorum reliquiæ, a Scythis orti, postquam annis ter centenis *Pannoniam*, auctore IOANNE PISTORIO, incoluissent, translatis in *Transiluaniam* sedibus, vsque huc degunt ibidem, nobilium priuilegiis gaudentes. RANZANVS CICVLVS, deriuare eos vult ex *Sicilia*, quasi vero *Siculorum* legio, sub ATTILA militans, electis in *Pannonia* sedibus, mores, & sermonem prouinciæ receperit. Vereor tamen, ne *Ranzanus*, affectu abreptus, maiores suos a *Siculis*, gente *Italiæ* humaniore, moratioreque, quam a *Scythis* barbaris, deducere maluerit. HVNNI, a quibus *Hungari*, & Pannonia inferior, *Hungaria* dicta est, habitarunt olim in *Scythia Asiatica*, ad



u) De Rebus Polon. Lib. I. cap. XV. p. 16. *initio*.
x) De Siculis legi meretur STEPHANVS ZAMOSIVS, in *Analectis Daciæ lapidibus* Cap. III. p. 12. auersa, sequ. Errat FRÖLICHIVS nimium, quando RANZANVM, Ciculum facit *Transilvaniæ*. Siculus namque fuit, ad MATTHIAM *Coruinum* legatus. Crimen itaque non aliud commisit RANZANVS, quam quod *Ciculos*, siue *Székelios* ciues suos fecerit.

ad paludem Mæoticam, trans *Tanaim*, quem *Don* vocant hodie. Poſtquam autem, ex tergorum, & pellium venundatione, vicinas adamauiſſent regiones, peroſi patriæ ſterilitatem, & copiam populi, collectisque *decies centenis millibus* virum, vna cum vxoribus, & liberis, pecoribusque, & tota ſupellectile, trans paludem *Mæoticam*, in *Scythiam Europæam*, ſub VALENTE Imperatore, tranſiuerunt. Illinc exturbatis *Gothis*, duce *Bela*, haud longe poſt maioribus cum copiis, *Pannoniam* ingreſſi ſunt. Fabula eſt, quod narratur a IORNANDE, THVROZIO, BONFINIO, aliispue priſcis ſcriptoribus, *Hunnos*, ex *Alraunis*, ſeu ſagis, quas ob artem veneficam, caſtris expulerit *Filimerus*, Gothorum rex, ortos propagatosque eſſe: & cum temporis lapſu inualuiſſent, ductu ceruæ, trans *Mœotim* lacum, in *Scythiam Europæam*, commigraſſe, *Pannoniamque* pro equo, capiſtro, & ephippio, quæ nomine ducis *Arpad*, pro vna lagena aquæ danubialis, vola terræ, & graminis manipulo, SVATOPLVGO duci obtulerant, intercipiſſe. (y) LAZIVS ait, eos duce *Balambero* in Daciam tranſiuiſſe, qui imperante MARTIANO, primum in *Pannoniam*, traiecto *Tibiſco* perueniens, præeunte ATTILA, Romana præſidia, caſtris eiecerit profligaritque. Vndenam *Auares* acceſſerint in *Pannoniam*, in ſcriptoribus nil reperias. Sunt, qui *Hunnos* eos fuiſſe tradant, qui MAVRITIO imperante, cum Scythico illo *Balocalabra*, fraudulenter *Hunnis*, in *Pannonia* immiſſo, & iterum in priſcam patriam ipſorum profugo, altera vice in *Pannoniam* ſint ingreſſi, *Siculis* deinceqs propagandis dediſſe originem.

## §. XXI.

*Hungarici nominis etymologia.*

NOn plane nulli, *Auares* Hunnorum vicinos fuiſſe tradunt, qui, ex regione vltra *Moſcouiam*, *Iubra*, ſeu *Iugoria* ei nomen eſt, imperante IVSTINO, primum egreſſi & innoteſcentes, *Hunnis*, poſt ATTILAE mortem centum annis, viciſſim *Gothos* adortis, & regionem ipſorum occupantibus, ſe adiunxerint, *Thraciam*que vniuerſam, cum finitimis prouinciis, non ſecus, ac *Hungariam*, inſederint: atque eo tempore primum, nomen *Hungarorum*, quaſi ex nomine *Hunni* & *Iubra* concretum, innotuiſſe. PETRVS PETRAEVS: (z) *Ruſſiæ* ducatus *Iugorſchis*, inquit, *diſſidet ab vrbe Moſcouiæ, milliaria ter centum, & quinquaginta, verſus ſeptentrionem, & orientem. Heic caſtrum occurrit, cum ciuitate nomine Iugra. Ex hac regione putant Ruſſi, ortos, & egreſſos Hungaros, primum accoluiſſe lacum Mœotidem, deinde Danubium, circa quem nunc Hungarorum ſedes eſt. Hinc gloriabundi* (a) *Ruſſi, talibus ſe dicunt populis fuiſſe dominatos, a quibus tota Italia, Gallia, & Germania, vaſtata ſit.* Hæc ille. Quidquid huius ſit, certum tamen eſt,

y) Profeſſa opera, fabulas, a veritate hiſtorica diſcriminauit FRANCISCVS FORIS OTROKOCSI, in Originibus Hungaricis, Parte I. qui vel hoc nomine, lectione digniſſimus eſt.

z) In Hiſtoria Moſcouitica.

a) Idem PETRVM I. CSARVM ſæpe iactitaſſe, ex ciuibus noſtris didici, quibus id exprobabat identidem, cum in ſuo comitatu verſarentur.

eſt, Hunnorum nomen non venire a patria: quippe nuſquam regionem, ſeu in Ruſſia, ſeu in Scythia, ſeu in quibusuis Aſiæ, & Europæ locis repereris, quæ *Hunnia* nominetur. Etſi eſt in Tranſiluania geminus locus, alter in Hungariæ, in Valachiæ finibus alter, quem Hungari *Hunyad* adpellant: tamen a neutro poteſt nomen eorum deduci. Quare, malunt hiſtorici, vel vocari eos ab *Hunn*, duce ipſorum, & principe haud poſtremo, vel ab *Hunna*, Croatiæ fluuio, ad quem primum, quum veniſſent, conſederant. Neutrum tamen horum probari indubitato poteſt.

§. XXII.

*Vnde Hungari hodierni prouenerint, & vbinam primi Hungari interierint?*

A Priſcis Hunnis lingua diſcrepant Hungari (b) hodierni, acceduntque magis Auaris, a quibus & mores acceperunt. LAZIVS Hungaros hodiernos, poſteros eſſe autumat *Magyarorum*: quippe ad quos proximi, teſte etiam IORNANDE, habitarint trans *Tanaim*. Accedit, quod ab OTTONE I. proſtrati ſint, deletique priſci Hungari, qui ARNOLPHI, LVDOVICI IV. HENRICI & OTTONIS I. temporibus, laceſſiuerant *Germaniam*, *Galliam* & *Burgundiam*. Tenebant autem *Hungari*, & *Auares*, *Pannoniam*, vſque ad CAROLI M. imperium, quo *Auſtria* primum, diremta ab *Hungaria* eſt.

§ XXIII.

*Quæ varia & inuſitata nomina Vngari olim acceperint?*

NOmina (c) priſcorum *Hungarorum*, multa nimium ſunt, & perplexa. A ZOSIMO vocantur, *Hunno-Vngari*, *Scythæ regii*, & *Az regi Magyarok*. *Nomades*, *Cimbri*, & *Cimmerii* a PROCOPIO. A NICEPHORO, *Nebri*. *Aviri* a IORNANDE. A CALLISTE, *Vdir*, *Var*, *Saberi*, *Cunni*, *Sogor*, *Sorosgi*. *Attacori*, & *Thyri* a PLINIO. Ab ORTELLIO, & IORNANDE, *Acatziri*, *Hunni*, *Magores*, *Acatiri*, *Agaziri*. *Thynni* ab HERMOLAO BARBARO. *Thunni* a VADIANO. A PTOLOMAEO *Chuni*. *Turci*, non quidem hodierni a PLINIO, HERM. BARBARO, & ORTELLIO. *Cotriguri*, PROCOPIO *Contrognori*, *Vvitiguri*, *Cattiguri*, *Eutaſæli*, *Hugorvæ*, *Hungari*, *Hunnigari*, *Vltizuri*, *Aulziagri*, *Alziagri*, *Vlziagri*, *Burgundi* ab AGATHIA, PROCOPIO, LAZIO, & IORNANDE. *Vgri* a POMPONIO LAETO, & AVENTINO. *Saraguri*, *Vrogi*, *Hunogari* ab AVENTINO. *Vlzinguri*, *Argiſciri*, *Bitugores*, *Bitugores*, *Bardores*, *Sacromantiſii*, *Foſatiſii*, *Lumbardi* a IORNANDE. *Abiri*, *Avares*, *Adueni* a ROMANIS. *Orarchonitæ* a TVRCIS. *Magyari* a THVROZIO. Hæc nomina, *Hungaris*, non *Hunni* vernaculi; ſed exteri populi, & ſcriptores adtribuerunt. Quæ variatio, & nominum diuerſitas, ita perplexos reddit ſæpius ſcriptores, vt quo ſe inter *Hungaros* vertere debeant, non diſpiciant, neque poſſint ſeſe, niſi multum operæ, ſtudiique adhibeant, extricare.



b) Non eſt ita, *Vir bone!* quod ad PRISCI RHETORIS,. Attilam, non vno argumento docebimus.

c) Non ſunt hæc vniuerſæ gentis; ſed tribuum nomina. Ergo, neque, ſeu poſſunt, ſeu debent ſingula toti nationi adtribui. Nam, *Auiri*, *Attcori*, *Acatziri*, *Acatiri*, iidem ſane exiſtimandi ſunt, ſeipſos ita adpellantes; a ſuis præfectis, quaſi hodie diceres: *Acat-Uré*, *Cotrig-Uré* &c. quemadmodum noſtri ſolent reſpondere, ſi interrogentur: *Ki katonája vagy? Csák-Uré*, *Forgách-Uré*.

§. XXIV.

*Emolumentum, ex perpetua illa gentium migratione, & remigratione in Pannoniam.*

EX his omnibus, quæ narrauimus, vbertim poteſt colligi, quam variis mutationibus obnoxia fuerit *Pannonia*. Scilicet, volubili fortunæ luſui, & verſatili globo ſimilis fuit: quippe quæ, aliis alios ſemper exturbantibus, mox huic, mox alteri turbæ exhibuit diuerſorium. quod dubio procul primum contigit *Ebræis*, *Iſraelitis*, & *Iudæis*; deinde *Græcis*, & in his *Pœonibus*, *Albanis*, *Agrianis*, *Baſtarnis*, & *Galatis*. Ex Germanis erant *Getæ*, *Gothi*, *Gepidæ*, *Thyſſagethæ*, *Gothini*, *Gothones*, *Oſtrogothi*, ſiue *Oſtgothi*, *Veſtrogothi*, ſiue *Veſt-* & *Viſigothi*, *Daci*, ſeu *Dai*, *Dani*, *Daui*, *Alani*, *Arii*, *Vandali*, *Butgundiones*, *Cimbri*, vel *Cimmerii*, *Longobardi*, *Rugi*, *Oſi*, *Heruli*, *Myſi*, *Galli*, *Celtæ*, *Boii*, *Senones*, *Franci*, *Saſſones*. Sequebantur *Itali*, in primis *Romani*, & *Valachi*. Ex Sarmatis erant: *Heneti*, *Vendi*, *Vindi*, *Slaui*, *Illyrici*, *Dalmatæ*, *Bulgari*, *Raſcii*, *Boſnici*, *Croatæ*. Denique ex Scythis, *Ciculi*, Germanis *Zekler*, *Hunni*, *Auares*, *Hungari*. Hi, præter alios, regionem hanc, & occuparunt, & tenent quadam parte adhuc. Proinde, æquum eſt, vt egreſſus, ingreſſusque populorum in *Pannoniam*, migrationesque, & peregrinationes earum, ſeria penſitatione metientes, inconſtantiam rerum humanarum, vanitatemque, nobis exinde cordi ſumamus, paremusque omnes animi ingeniique vires noſtras, ad quasuis conuerſiones, eo fortius excipiendas, conſtantiusque & patientius tolerandas; præcipue, cum nonniſi peregrinatio ſit vita humana, in qua non ciuitas, non locus vllus ſtabilis ſit. quin potius, ciuitas noſtra, in cælis eſt, quorſum, vt connitamur, par eſt, habitaturi apud DEVM, & omnes Sanctos in perpetuum.

---

Appendix Epiſtolica,

*De*

# ORIGINIBVS HVNGARORVM,

*Ob materiæ ſimilitudinem, iſthic adtexta.*

I.

## *V. CL. MATTHIAE BELIO*

S. P. D

## *THEOPHILVS SIGEFRIDVS BAYER.*

CVm primum cognoui, qua in re Tibi mea ſtudia accomodari velles, ſcripſi *Gedanum*, ad *Kleinium*, Secretarium Senatus, rerum talium perquam curioſiſſimum virum, & amantiſſimum mei, miſique ad eum Epiſtolam tuam, vt ex ea confirmaretur, publico vſui fore, ſi operam in negotium hoc contuliſſet. Reſponſum tuli, plenum amicitiæ, ſed rei inane. Quantumcunque enim, & ipſe, & per amicos, de *Dacia Opitii* quæſiuit, nihil indagari potuit. Fortaſſis autem, quod nunc nuſpiam inuenitur, alicubi in *Pruſſia* latet. In quam rem, non deſinam admonere populares meos. Hæc dudum ad te perſcripſiſſem, niſi interea, maxima rerum mearum mutatio, interceſſiſſet. *Petropolin* enim vocatus ſum, vt in ea Societate, profeſſione antiquitatum perfungerer. Stipendium, ceteraque omnia, ampliſ-

ſima deſtinata ſunt. quæ equidem minimi, (homo, nullius rei minus, quam pecuniæ appetens) facio, præ ea felicitate, qua ſummorum virorum, qui eodem, fere ex tota Europa vocati ſunt, collegio allectus ſum. Summum autem momentum, in eo negotio, conſiliis meis adtulit ea cogitatio, quod ex inſperato diuinaque prouidentia, mihi conditio talis obuenit, de qua nunquam cogitaueram. Ita, cæleſtis numinis imperium, mihi omnem reliquam deliberationem tollebat. Eo igitur, paucos poſt dies proficiſcar, cum coniuge, tribusque liberis. Horret animus, itineris moleſtias, & improuiſa in futurum contemplans. Sed, fiducia mihi omnis in Deo eſt poſita, cuius in manu, quid aliud eſt genus humanum, quam pila, illic quietura, in quem miſſa locum fuerit; aut, ſi ei ſit viſum, perpetua agitatione, hac illac proturbanda? Hæc tamen res, & continuit me adhuc ab officio, quod Tibi debeo, & adhuc retinet, quin Tecum, quod cupio, ſuper quibusdam, conferam per litteras. Longe enim alia ſententia mihi in quibusdam eſt, quam tibi eſſe intelligo, poſſetque fieri, vt noſtra diſſenſio, comparatis inter ſe argumentorum momentis, aliquid conſtitueret, quod in ea parte hiſtoriæ, adhuc incertum eſt habitum. Vnum tantum adtingam, quod, vt opinor, in ea cauſſa eſt præcipuum. Quæritur inter nos: *quænam gentes ſtirpem ſuam ad Scythas referant?* Inuenio igitur, *Alanos*, *Lithuanos*, *Verulos*, ſeu *Herulos*, *Fennos*, *Lapponas*, *Aeſtios*, *Liciones*, *Pruſſos*, Scythici corporis, a maiorum ſtirpe eſſe: at *Sarmatas*, *Slauicas* gentes omnes; *Hungaros* noſtros, (nam & ipſe patrem, auum, atauum Hungaros habui) aliarum originum populos fuiſſe. Et *Scythas* quidem, antiquitus intra *Viſtulam* & *Volgam*, coluiſſe doceo; vltra eos autem fluuios, nihil fere *Scythicæ* ſtirpis fuiſſe, niſi *Maſſagetas* ad Orxantum. Itaque, ad *Valentem* vſque, teſte *Ammiano Marcellino*, diligentiſſimo eorum temporum & motuum ſcriptore, quidquid trans *Volgam*, *Hunni* obtinuere, id ne commerciis quidem cum *Alanico*, ſeu *Scythico* populo, miſcebatur. Fuere a *Volga* vſque ad *Sinas*, ab antiquiſſimis temporibus magna imperia, vt *Hunnorum*, ſub Chaganis; *Chriſtianorum*, ſub Vngchano, a quo *Ioannis Presbyteri* fama ad nos peruenit, Gingiſcanidum, (notior ceteris) & *Tametlanis* poſtea. Si *Bagaduri Chani* hiſtoria Tartarica, quam manuſcriptam habeo, ederetur a *Stralebergio*, tribuno militum inter *Suecos*, vt ſe facturum recepit in litteris, quas ab eo accipi multa pars eius, immo & noſtræ hiſtoriæ in ſumma luce poneretur. Magna, inquam, ea imperia fuere, e quibus *Hunni* profecti ſunt; Sed *Scythicæ* originis non fuiſſe, compertum habeo. Quin immo, vehementer abhorreo, ab ea ſententia, quæ eſt communis omnium, *Hungaros noſtros, ab Hunnis, aut, vt Græci ſcriptores illorum temporum eos vocant, Turcis eſſe oriundos.* Leibnitivs, in miſcellaneis Berolinenſibus, ab *Hungaris*, iuxta *Fennos* colentibus, Hungaros deduxit, ex quo factum ſit, vt multum *Fennici* ſermonis *Hungari* adhuc retineant. quod *Olaus*, Olai filius Rvdbeqvivs, non ita pridem, diligenter oſtendit. Hunnigaros, Leibnitivs e *Iornande*, & *Gulielmo* de *Rubruquis* cognouerat. Sed *Agathias*, eosdem Hunnis accenſet, *Priſcus* quoque Rhetor, & Menander Protector commemorant. A quibuscunque deriuem maiores noſtros, *Scythæ* nunquam fuerunt. *Scythas*, a *Magogo* prognatos dici patior, & pæne inuicto ratiocinio, oſtendere poſſum: *Hungaros*, ab eodem prognatos dici, non patiar. *Amazones*, Sarmaticæ fuerunt mulieres, non

*Scythicæ*; teſtis eſt luculentiſſimus HERODOTVS. *Parthi*, *Bactriani*, *Americanæ* gentes, nihil commune cum *Scythis* habent. *Scytiſmus*, de quo & *Faſti Siculi*, nihil ad *Hunnos*, aut *Hungaros*; vt neque dii, quos HERODOTVS recenſet. Res a *Scythis* geſtæ, nihil ad *Hungaros*, nihil ad *Sarmatas*. Equidem ſcio, poſt *Herodotum* extitiſſe, qui *Scythicum* nomen latius extenderent. quibus EPHORVS præluſit, cuius fragmentum *Coſmas Aegyptius* nobis ſeruauit. Sed hi, per compendium, totas regiones, vno vocabulo comprehendebant, vt nos *Aſiam*, *Europam*, *Africam*; illi *Scythas*, *Aethyopias*, *Celtas*. Nec nos tamen ideo omnes in *Aſia*, aut *Africa*, gentes cognatas putamus: nec, qui ab EPHORO, *Scythæ* vocantur, idcirco vnus populus fuerunt. Ex eo tamen errore manauit, vt in *Eddicis* fabulis, etiam *Sueci*, *Scythis* accenſerentur. De his luculentius, ſententiam meam, ſi Tibi videbitur, explicabo. Nunc, inter publicam rerum mearum auctionem, quam facio, vix ſatis compos ſum animi, ita in multas partes & curas diſtrahor. Niſi ſcirem, quæ Tua eſſet humanitas, quantaque ex omnibus paginis eluceat, quantumque alios Tecum conferre cogitationes ſuas ſuper iis, concupiueris, longa vſus fuiſſem excuſationis præfatione. Quam nunc, tanto magis prætermittendam duxi, quanto maioris apud me Tua admirabilis virtus, cum ſumma doctrina coniuncta, æſtimatur. Lædere mihi videor, Tuum illum ſanctum & leniſſimum animum, ſi quid ſecus ſuſpicari me, deprecando oſtendam. Ita faciam potius, vt, ſi commercia hæc inter nos frequentabuntur, integritatem, Tuæ æmulam, in me reperias. Scribes autem per *Marthium*, optimum virum, quem multum ſaluere meo nomine iubebis, dum conſtitutis *Petropoli* rebus meis, ſignificabo, ad quem alium redire debeant litteræ. Vale *Prid. Iduum Ianu.* cIɔ Iɔcc xxvi. Et Tu quoque *Marthi* optime, ſuauiſſime, vale, meique memor eſto, hominis tui obſeruantiſſimi.

II.

CLARISSIMO VIRO

*THEOPHILO SIGEFRIDO BAYERO*,

S. P. D.

*MATTHIAS BELIVS*,

Eccleſiaſtes Piſonienſis, & Regiæ Societatis Scientiarum Berolinnenſis Collega.

VEhementer lætatus ſum litteris TVIS, quas mihi Clariſſimus *Marthius*, vir TVI amantiſſimus, reddidit: tum, quia habebant ſignificationem, amicitiæ, ſimplicis illius, & alienæ a fuco; tum, quia petitione mea honeſta, & relata ad egregium publicum, prouocatæ; abs TE vero, ea tempeſtate profectæ erant, qua quidem de dandis litteris cogitare, difficile fuit, ac fere impeditum. Et primo quidem omnium, TIBI gratulor, mihi gaudeo, optime Bayere! quod non modo ſtudia TVA, eum locum nacta ſint, vbi commode ſe queant explicare; ſed repererint etiam, ea præſidia, quæ TVA virtus ex ſe pridem meruit, boni autem omnes, TIBI, toto animo, deſtinabant. Faxit Deus, vt hæc TIBI honorum & fortunarum acceſſio, fauſta ſit, felix ac fortunata! Poſtea, illud ſummi beneficii loco habeo, quod in *Daciam* OPITII antiquam, voluiſti inquirere. Facile eſt ad coniicendum manibus eam teneri auidis, ac forte inexorabilibus: facies tamen pretium operæ, ſi in eam, apud *Pruſſos* TVOS, porro indagaueris; ne, aut peni-

penitus difpereat, aut in tenebris detineatur diutius: tametfi non credam, latere eam poffe, in ifta contentione popularium TVORVM, circa eruderanda, cum prifca, tum recentia litterarum monumenta. In primis autem probauit fe mihi, apertus ille animus TVVS, quem mihi, antiquitates ciuium meorum veftiganti, prolixe teftatus es. Præterquam enim, quod libere promis, quid de *Hungaricis Originibus*, dubiis illis, & abftrufis ab hominum memoria, fentias; non poterat profecto miaor effe bonitas TVA, quam quod in partem difficillimæ indagationis, vltro ac lubens venias. Ita eft, multa in ifta hiftoriæ parte, dubia funt; plura incerta; omnium autem plurima, fabulis contaminata: vt non omnino luferimus operam, fi elaborauerimus quidpiam, ab iftis, quod dixi, neuis, fecretum, & in luce collatum haud dubia. Vnicum eft, quod me a fpe melioris fucceffus propemodum deturbat, nimirum, fententiarum, quibus vterque fauemus, nimia, ac fere non concilianda diuerfitas. Nam, fi, quod fentio, dicere liceat, videris mihi omnino, arctius *Scythiam* antiquam compingere, quam ea olim diffundebatur. Vnde iftud confequitur, vt & in admetiendis ei populis, iufto videare parcior, & ab recepta hiftoricorum fententia, alienior. Scythiam ego femper geminam credidi, *Afiaticam* & *Europæam*, idque, antiquiorum fcriptorum auctoritate adductus. Sui vtrique populi fuerant, ab HERODOTO, STRABONE, PTOLOMAEO, MELA, & PLINIO defcripti, & varie ii quidem permixti: neque enim easdem conftanter fedes tenuerunt; fed plerumque tamen, referentes prifcæ originis indicia. Profecto, *Alani*, *Heruli*, *Aefti*, *Liuones* atque *Pruffi*, quos TV audacter *Scythici* corporis facis, omnium confeffione, *Germanicæ* ciuitatis fuerunt, tametfi extra Germaniæ fines, cum in *Sarmathis*, tum in *Scythia*, habitarint. Quis vero non videt; male ex fedibus populorum, de eorum originibus duci argumenta? Igitur concefferim id equidem, habitaffe gentes eas, *Sarmatiam* & *Scythiam Europeam*, quin & *Afiaticam*; fed vt credam, *Scythicæ* fuiffe propaginis, in tanta hiftoriarum luce, nequeo a me impetrare. Porro, latiffime *Sarmatarum*, gentem nomenque, tum per Europam, tum per Afiam, propagatum fuiffe reperio. Certe, *Slauicæ* gentes omnes, late longeque poftea fparfæ, natales *Sarmatis* debent. At vero, *Hungarorum* maiores, iis accenfere nequeo, cum & lingua ab eis difcrepaffe, & fedibus primitus fuiffe difcriminatos, certum fit: quæ funt omnino, diuerfarum gentium exftantiffima indicia. Quæ LEIBNITIVS, e *Iornande*, ac *Gulielmo de Rubruquis*, in mifcellaneis Berolinenfibus conjectat, ea, pace tanti viri dixerim, titubare mihi videntur, atque non tam docere, quod *Hungari* Sarmaticæ fint originis; quam quod gente omnino *Hunniaca* prognati. *Hunnigari* enim, Bizantinorum auctorum fententia, populus omnino fuit, ciuitatis *Hunniacæ*, qui fuis aliquando fedibus excitus, quod infra docebimus, potuit, vicinus *Fennis*, latiffime tunc per feptentrionem habitantibus, adfediffe. Quæ hinc, linguarum *Hungaricæ* & *Finnicæ*, fecuta cognatio eft, nihil aliud mihi perfuadet, quam quod, feu ex vicinitate, feu ex iisdem fedibus procliue erat, vtramque gentem, mutua contagione, fi non penitus mifceri, faltem quomodocunque temerari. Quid? quod fint, qui *Finnos*, in *Hunnis*, nihil dubitent cenfere. Proinde, fiquidem nequeunt *Hungaris*, apud *Sarmatas*, incunabula adfignari; confentaneum eft, vt ea in *Scythia Afiatica*, inter *Hunnos* quæramus, qui erant omnino, omnium prifcæ ætatis fcriptorum confenfione, gens, e *Scy-*

*this* profecta, & sub VALENTE, Europæ primum illapsa. Ab *Hunnis* autem, *Hungaros* arcessere, adeo nihil habet opprobrii, vt multum etiam laudis, cum in aliis rebus, tum in eo in primis positæ, quod ex *Hunniacæ* originis communione, in gloriam veniant rerum, a *Scythis*, in Asia & Europa, fortiter gestarum. Præterea, *Hunnos*, *Turcas* passim adpellari, non me fugit: verum, fuit hoc conuitii nomen, quod *Persæ*, *Hunnis*, genti sibi infestissimæ, adspersérunt, vti SIMOCATTA, apud EVSTACHIVM testis est. quam demum adpellationem, scriptores Bizantini, suam passim fecerunt, quemadmodum obuium est, *Nicephorum*, *Cedrenum*, *Ioannem Curopalatem*, & *Zonatam*, legenti. Atque, si maxime cum *Turcis*, consobrini sint *Hunni*; non id ego, ad infamiam *Hungarorum* quemquam interpretari posse, crediderim: nisi hos forte, qui, cum sint impotentis animi, in calumniam vertunt, quicquid a suis originibus, vel moribus alienum est: quales, obscuros illos Chronicorum molitores, esse video. Hæc, cum ita sint, Cl. BAYERE? non equidem imprudens in eam concessi sententiam, quæ *Hungaros* ab *Hunnis*, istos vero ab *Scythis* deducit: sicuti neque id præter rem facio, cum Scytharum actus, *Hunniacis* præmitto; quippe, ab auita *Hunnorum* virtute profectos. Sunt autem, non *Hunni* tantum, sed *Bactriani* etiam, atque *Parthi*, Scytharum soboles, multo ante propagatæ, quam eædem istæ gentes, quin & *Hunni*, in *Americam* demigrauerunt. Constans veterum traditio est: *Scythas*, superiori Asia potitos, *Bactrianum* & *Parthicum* imperium condidisse. Sane de *Parthis*, IVSTINVS: *Parthi*, inquit, *Scytharum exsules fuere: hoc enim ipsorum vocabulo manifestatur: nam Scythico sermone*, Parthi, *exsules dicuntur*. Omnino, hodieque *Pártos*, Hungarica lingua, seditiosum significat, & a reliquo cœtu secessionem facientem, ideoque, sua culpa exsulem. Porro, deorum *Scythicorum*, quæ sunt apud HERODOTVM nomina, nullius linguæ adminiculo facilius explicaueris, quam *Huugaricæ*. cuius rei documentum, suo loco dabimus. De *Amazonibus*, *Scythicæ* sint an *Sarmaticæ* mulieres, non equidem laborarem, nisi & hic veterum auctoritate niterer. Quis vero nescit? misceri subinde ab Historicis, gentium vicinarum res gestas, & actus eosdem in laudibus poni, gentium diuersissimarum. Vt taceam, pluribus, iisque multum disiunctis regionibus, suas fuisse *Amazones*. De *Liburnia* certe, nuper me docuit, celeberrimus IACOBVS FACCIOLATVS, decus illud Italiæ, & vtriusque nostrum, communis amicus. Ista, de *Hunno-Scythica Hungarorum origine*. Iam, quod *Hunnorum* nomen, immensos aliquando populos complexum est, nemo ignorat. HORNIVS alicubi: *Alanos*, *Auares*, *Fennos*, *Lapones*, *Lucumores*, *Tartaros*, *Tingcesios*, *Molg-Zomios*, *Saberios*, *Vngros*, & *Barbaros* omnes, qui glacialem oceanum accolunt, *Hunniacæ* ciuitatis populos facit. Sic & *Nicephorus*, *Abares*, *Barsilt*, *Cunos*, *Mogorés*, qui nunc *Magyari* dicuntur, *Mucritos*, *Vniguros*, *Taberos*, & *Veros*, ad fines & contiguas gentes fuisse, scribit. Nempe, vaga *Hunnorum* gens fuerat, & nouandis sedibus, ritu *Nomadum*, dedita; vt potuerit omnino; vel ante, per littora oceani glacialis diffundi, quam traiecta palude *Mæotide*, in Germaniam venerunt *Hungarorum* maiores; vel sub idem tempus, diuerso profectionis tramite, ad eum modum demigrationis societatem partiri, vt pars in occidentem, pars in septentrionem, diffunderentur. Et tunc, aut condiderunt gentes illas, aut certe ciuitate accepti, in eorum nomina moresque transiuerunt. Eadem

hac

hac ratione, *Hunnos*, in *Americam* penetrasse, constituisseque illic vastissima regna populosque, constat inter eruditos, & nos eo capite *antiquæ Hungariæ*, quod de colonis *Scytharum* aget, prolixe docebimus. Atque hinc patescit iam, si vel maxime ex *Iubria*, *Saberis* vicina, vltima *Hungarorum* emigratio, suscepta sit; *Hungaros* nihilominus originis *Hunniacæ* esse: quippe, cnm gentes istæ, multis ante seculis isthuc fuerint propagatæ, atque nouis forte coloniis, tunc auctæ, cum pulsi ex Pannonia *Hunni*, auitas sedes cogerentur repetere. Immo pronum hinc est caussas reddere, cur eadem gens, nunc *Hunnorum*, nunc *Auarum*, nunc *Hungarorum*, nomine insigniatur. Nimirum, prima in *Pannonias* impressione, penes *Hunnos*, generatim ita dictos, rerum summa fuit; quibus depulsis, altero demum aduentu, *Auares* vocabantur, quod ea natio tunc reliquum agmen Hunnorum ducebat; sicuti denique tertio, *Hunnigari*, siue *Hungari* vocitati sunt; tametsi gentes omnino, vel consobrinæ, vel certe eædem fuerint. quod cum alia multa, tum lingua in primis docet, *Hungaris* cum *Hunnis*, & *Auaris*, communis; in cuius rationes, quia non satis inquisiuit ὁ πάνυ Leibnitzivs, *Hunnos*, & *Auares*, *Sarmatis* seu *Slauis*; *Hungaros* vero *Finnis* accensuit: quod equidem, ob eas, quas adtuli, caussas, nihil morarer, dummodo ad eandem *Hunnos*, & *Auares*, cognationem admisisset. Ne dicam, minus sibi constare, saltem memoria labi, summum virum, cum in eadem illa designatione meditationum suarum, p. 8. fine. *Hungaros* e regionibus *Siberiæ*, Iornande teste, aduenisse scribit; postea vero, paucis interiectis, p. 9. media, ex *Scythia Asiatica*, in *Pannoniam* irrupisse ait. Præterquam enim, quod de tertio *Hungarorum* aduentu, nihil apud Iornandem legas: quippe qui, primum tantum descripserit; loca profecto, vnde sint egressi *Hungari*, non satis caute definiuit summus *Leibnitzius*. Quæ enim *Siberiæ*, cum, *Scythia Asiatica*, adfinitas? Cuicunque demum regioni adsignes vltimos *Hungaros*, facilem me habebis; modo id mihi concesseris; *Hunno-Scythas* fuisse. Sunt, qui audiuerunt PETRVM, Russorum Imperatorem, *Francisco Rákotzio* principi, in Polonia tunc exsuli, iocabundum adfirmasse: *Hungaros suæ ditionis homines esse, eosque ex Iubria profugos*. Non refugit hoc, quidquid est criminis, gens Hungarica; si tamen crimen sit, pro eorum temporum ingenio, armis, nouas sedes quærere; modo ei sarta relinquatur origo, *Hunniaca*. Nunquam Hungarum offenderis magis, quam si *Slauonica* natum gente dixeris; ita illi, non respuunt tantum *Slauum* nomen, sed oderunt etiam. Hinc illud apud Hungaros prouerbium: *Tót nem ember; Szál-fa nem erdő; Taliga nem szekér*. Slauum æque hominem dici haud posse, sicuti arborem vnam solamque, siluam haud constituere. Sed modum epistolæ supergressus sum, cui TV, pro singulari TVA humanitate, si minus TIBI satisfecerim, ignoscas, atque ita de me statuas, velim, in nulla re magis elaboraturum, quam vt meam TIBI voluntatem officiaque probare possim. Etenim, tanti TE, doctrinamque TVAM, cum summa animi coniunctam moderatione, facio, vt optarim omnino, posse veterem maiorum nostrorum patriam, de qua disputamus, repetere, modo TVA mihi familiaritate inibi perfrui, & cæli illius asperitatem, doctissimis TVIS sermonibus, liceret mitigare. Hic enim, reuera in barbariæ finibus degimus, & *Vestri* orbis felicitatem miramur adtoniti. Ego interea, vt loco-

locorum & temporum, quæ degimus, calamitatem leniam, pergo in elaborando opere meo; lentis quidem passibus, sed eo tamen comparatis, vt propositi rationes, exsequi aliquando liceat. Nunc in *Hungariam Nouam* in primis incumbo, antiquitatibus, in aliud tempus, reiectis: vt suadeo bene omnino feceris, Celeberrime BAYERE, si perexeris, frequentare inchoatum iam litterarum commercium. Non is sum, qui abs re eruditis alterius coniectationibus bellum indicat; aut ita sibi placeat, vt veritati, idoneis explicatæ rationibus, herbam porrigere nolit: quin immo, nihil æque gratum acceptumque mihi est, quam si liceat, alieno eruderatam labore, veritatem, meam facere. Atque id est, cur abs TE peto, quam possum vehementissime, ne me TVARVM fructu litterarum, diu carere sinas. Vellem enim, vt, quod nobis sumsimus disputandum, quam primum expeditum reddamus. Ad quam rem multum profeceris, si promseris vberius, quæ nupera epistola, paucis complexus es. Præterea, cum ignotæ mihi sint rationes, *Linguæ Finniacæ*, præclare de instituto nostro mereberis, si *Grammaticas*, eius idiomatis, præceptiones; quas exstare nullus ambigo, mittere ad me, per amicos *Regiomontanos*, volueris. Nam, RVDBEQVII commentatio, qua is *Finnici*, & *Hungarici* sermonis cognationem, explicuit, ad nos delata est nondum. Anne etiam in *Georgii Hikesii* thesauro, linguarum septentrionalium, *Finnica* reperias? mihi enim liber ille non est visus. Quid vero *Bagaduri Chani Historia* illa *Tartarica?* licetne eam sperem? Nuper apud Batauos prodiit: *Histoire Genealogique de Tartares, traduite du Manuscrit Tartare d' Abulgas Baiados, Chan &c.* Nonne hinc aliquid, ad institutum nostrum præsidii? fac me quæso certiorem. Sed finem scribendi tandem faciam, si TE rogauero, vt *Illustrem* GOLDBACHVM, meis verbis amicissime salutes, eique memoriam nostri, commendes. Cl. *Marthius*, multam TIBI salutem. Est is TVI omnino studiosissimus, quique non minus, quam qui sunt TIBI deditissimi, gaudet fortunarum TVARVM accessione. Vale & feliciter age. Pisonii, in Quadorum finibus, A. CIƆ IƆCC XXVI. VIII. Calend. Octobris.

## III.

## MATTHIAE BELIO.

S. P. D.

*THEOPHILVS SIGEFRIDVS BAYER.*

CVm superiores litteras iam obsignassem, venit ad me GMELINVS, meus collega, (c) TVAEque amicitiæ cupiditate accensus, me orauit, vt bonam causam pro se apud TE agendam, susciperem. Quod facio equidem, tanto alacrius, quanto magis huic eximio viro, cui secundum Deum, vitam e grauissima, ab hypochondrio malo, valetudine, restitutam, debeo; quanto deinde magis, eius, in naturæ contemplatione, studiis, quanto denique incrementis Academiæ nostræ, omnibusque bonis artibus faueo. Cepi experimentum, commendationis bene collocatæ, quando illum amici, quibus eum conciliaui, plus amant, nunc, quam memetipsum. De *Grammati-*

c) Fuit is in Acad. Petropolitana, Medicinæ D. Chymiæ & Historiæ Naturalis Professor, qui suis me litteris, ad mutuam, in hoc studii genere, operam, inuitabat. nunc, per interiorem Moscouiam, Hist. natulis caussa, sumtu Cæsareo, peregrinatur *Feliciter!*

*matica* TVA, amo TE, amicissime BELI. De *Fennicis* (d) haud equidem meam operam polliceri possum: attamen illam ipsam Grammaticam, in Sueciam missurus sum, ad amicos, qui hoc genere litterarum delectantur. Credo enim TE vidisse, quæ OLAVS RVDBEQVIVS, *Olai* istius *Atlantici* filius, de *Hungaricæ*, & *Fennicæ* linguæ conuenientia edidit. Sunt mihi isthic amicissimi, ETICVS BENZELIVS, antea *Episcopus Gothoburgensis*, nunc *Lencopensis*, & ejus frater, *Nobil. Benzelstiernæ*, *Secretarius Regius*; tum *Henlinus in Archiuo Regio Peringsiuoldorum* successor; *Henricus Brenner*, *Secretarius Regius*, alii, quos nominaui, si qua in re iis vti velis, possis. Magis tamen exquirendum duco, quantum *Hungarica* lingua concordet cum *Morduana*. *Morduanos* audio, a *Fennis* intelligi: esset sane operæ pretium, omni studio hoc totum indagare. His *Hungari* nostri (vtar enim peruulgata voce, quamquam mea sententia, *Hungari* non sunt *Hungari*) aut potius *Magyari* atque *Vzi*, finitimi fuere, *Constantini Porphyrogenetæ*, Imperatoris temporibus, quod ostendam in *Tabula Geographica Russiæ*, vicinarumque regionum, vt fuit circiter A. C. DCCCXCIII. tum, cum *Turcæ*, reuera inquam *Turcæ*, Pannoniam tenerent, *Chazarorum* necessarii. Et paullo ante isthoc tempus, maxima pars regionum, inde vsque a Volga, ad Oceanum septentrionalem, & Balthicum mare, nationibus inculta fuit, quæ *Fennicæ* locutæ sunt. Inde opinor, *Magyaros* (Μαζαροὶ, Constantino) commercio cum his populis permixtos, contagionem sermonis peregrini traxisse. Nam, quantum iudicare possum, ex *Molnari* dictionario, maior & potior pars *Linguæ Hungaricæ*, a *Fennica*, abhorret. TIBI videtur, *Hungarica Lingua* aliquid orientalis naturæ habere. Huic opinioni, tantum abest, vt repugnem, vt ei vehementer cupiam bene. Ad radices fere *Caucasi*, septentrionem versus, non ita longe a *Tanai*, rudera ingentis vrbis lapideæ reperta sunt. Hanc vrbem & sedem *Mazarorum*, finitimi omnes Generales Chiliarchæ, *Garbero* ediderunt, qui aliquod annos litibus dirimendis, & definiendis limitibus, iudex datus fuit ab nostra aula. Ita ex eius relationibus cognoui, quas haud ita pridem ad aulam misit. Si mihi tantillum otii superesset, & chartam istam meam, a *Delisliana*, in *Banduriano* imperio orientali, multis in locis discrepantem, auctam deinde superioribus regionibus versus boream, vt tum maxime fuerunt, ad TE mitterem. Nam quod ad naturalem Geographiam, tractus inquam marium, fluuiorum, montium adtinet, æri iam incisa est: nomina vrbium, regionum, populorum, adscribendi otium non est. De hac re videbimus alias, quando video per *Frankium*, omnia ad TE commeare posse, sine TVA molestia. Inter alias litteras quas ad TE misi, credo, neque enim satis recordor, fuisse etiam eas, quas *Nobilissimo Habnio*, Vindobonam misi, TIBI vt rederet. Nunc, ne ille quidem quidquam mihi respondet, nec FACCIOLATVS. Vtrumque, quia TIBI bene cupere scio, velim, meo nomine salutes, deque meis querelis certiores facias ambos. Nihil illis, aut TIBI periit, cum meæ litteræ interciderunt; mihi vero multum; videri enim vobis possim, officio deesse. Vale. PETROPOLI, prid. Non. Septemb. cIↄ Iↄcc XXXII.



d) FENNICAM linguam, cum HVNGARICA nostra, conuenire, superioribus litteris ad me scripserat BAYERVS. Cuius rei, vt experimentum illic caperent docti, *Grammatices Hungaricæ* exemplar, a me editum, ad eum mittendum volui.

# EXCERPTVM,

## *De Hunnorum Originibus & Cognatione.*

Ex GEORGII HORNII Originibus Americanis. Lib. III. Cap. IV. p. 144.

HVNNI, magna gens, complexa nomine ſuo Alanos, Auares, Saberos, Vngros, Turcas, Tataros, Fennos, Lucumores, Tingœſios, Molg-Zomios, & quotquot glacialem Oceanum accolunt, barbaros. quos magnam partem NICEPHORVS complectitur, Lib. XVIII. cap. XXX. cum inquit: *Turcas, Abares, Mucrios, Sogores* (legendum Mogores) *Veros, Cunos, Barſilt, Vniguros, Saberos, contiguas & potentiſſimas gentes fuiſſe.* Quos omnes, HVNNORVM nomine inſignimus: partim, quod Imperium Hunnorum, per illas gentes ampliſſimum; partim quia antiqui ſcriptores, eos ita adpellant. De Turcis CEDRENVS (e) Τέρκων ἔθνος γένος μὲν ἐστιν Οὐννικὸν, πολυάνδρωπον τε καὶ αὐτόνομον. Idem JOHANNES CVRAPOLATES, & ZONARAS, qui bis dicit: *Turci Iſtrum accolentes*, qui & Vngri. SIMOCATHVS apud Euſtathium in περιηγητὴν teſtatur, *Hunnos a Perſis Turcas adpellatos.* Iidem cum Tataris, & nomine & gentium numero conueniunt. Quemadmodum enim Tatari in ſeptem Hordas diuiſi, atque *Mogores* dicti: ſic Hunni quoque ſua lingua *Magyari* ſunt; & ipſorum ſeptem gentes, quod ex Nicephoro adparet; vbi ſe Chaganus, Abdelarum Imperator, in oratione ad Mauritium Imperatorem, *Septem gentium, & ſeptem orbis Terræ climatum, regem ſe adpellat.* Apud CEDRENVM, *Moageras* nomen Hunnici regis. Et A. C. IↃCCXLIV. ſeptem exercitibus, ſeptem diuerſis itineribus, ac ducibus, in Pannoniam redierunt. Sic nomina, Hunnorum & Tatarorum, conueniunt. *Tudun*, Hunnorum dux, a Carolo Magno victus, vt annales Francorum Fuldenſes, a Marquardo Frehero editi, teſtantur. *Taudun* Vlahku kain filius, apud Texeiram. *Toxa*, Geyzæ pater. *Taxy*, filius Chinguis. *Buda*, frater Attilæ. Tataris *Baido*, *Bathi*, *Peta*. Alani, plerumque Hunnis apud Hiſtoricos coniunguntur. De quibus ita Marcellinus: *Alani, ex montium adpellatione cognominati, paulatimque nationes conterminas crebritate victoriarum attritas, ad gentilitatem ſui vocabuli traxerunt, vt Perſæ. Hunnis per omnia ſuppares, verum victu, mitiores & cultu.* Nec *Euthalitæ*, Hunni apud Procopium, alia ab Alanis gens. qui & Albanos fuiſſe putat. Cedreno *Nephtalitæ*. Quod corruptum nomen: nec quidquam pro Iudaica origine.(f) Sicut & Euthalitarum nomen, a Græculis ita detortum. Quod ex Nicephoro diſcimus; vbi de Cagano loquens: *Abdelarum* inquit: (alius dixerit Euthalitarum) *rex*. Emirkhondo Abdela, regni Mettopolis: vnde Abdelani, & breuius Alani. Qui non in occidentem tantum, verum & orientem vſque ad Gangem extenſi. Sed quod CEDRENVS inquit, *Hunni qui & Slauini*: verum non eſt. Nam diuerſa gens, Slaui & Hunni, ſicut ex lingua patet. Slaui in Europæa Sarmatia, egreſſi ex Aſia & profundo Berſiliæ, vt Solinus, Græcus ſcriptor, apud Byrkhaymerum teſtatur. Quod ſi verum, crediderim Berſiliam eſſe illam, quam Nicephorus *Barſilt*, Venetus *Barſcol* nominat. *Auares*, Hunnica gens, quia ipſorum reges Cagani. Elmacino *Hazari*. Sedes circa Turqueſtanam, apud Nicephorum. Nam pars Verorum & Cunnorum, ex oriente in Pannoniam pulſi, metu Auarum, in idem nomen conceſſerunt. Illi *Veri* Cunorum vicini, Parthis, originem & nomen dediſſe videntur. Parthos, Scytharum ſobolem eſſe, antiqui vno ore teſtanttur. De quorum in Perſiam aduentu, mirum eſt viros doctos nihil hactenus certi eruiſſe. Conſtat Scythas, Cimmeriis fugatis, Duce Madya, cum ingenti multitudine in Mediam irrupiſſe, & totos viginti octo annos, Imperium Aſiæ Superioris tenuiſſe, de quo legendi Herodotus & Strabo. Factum hoc tempore Cyaxaris Mediæ, Ioſiæ Iudææ, Pſammetichi, Aegypti Regum, A. Mundi termilleſimo trecenteſimo decimo ſexto. Madyas, Indathyrſus ille Scytha eſt, quem ex Scythia erumpentem, Aſiam, ad Aegyptum vſque peruaſiſſe, ex Megaſthene, Strabo, ſub initium libri XV. & Arrianus in rerum Indicarum libro, referunt. Atque hoc eſt, quod veteres tradunt, *Scythas Superiori Aſia potitos, Bactrianum & Parthicum imperium condidiſſe.* Quanquam enim illorum Imperium

e) Latine ſic reddimus: *Turcarum natio, Hunniacum eſt genus, copioſum ſane & ſuorum inſtitutorum, iurisque.*

f) Nam, ex tribu *Naphtali*, creduntur propagati.

perium breue ac fere ambulatorium fuerit, passim tamen suæ gentis colonias reliquerunt; in Syria *Scythopolin*, quam & *Magog* dictam PLINIVS refert; in MediaParthos, qui & Persæ. Non enim maior differentia inter Parthos & Persas, quam inter Cattos & Hassos; Assyrios & Athyrios. quod iam dudum viri docti monuerunt. Ac mirifice hanc sententiam confirmat, & illustrat, quod paulo post, & nomen & Imperium Persarum ac Parthorum innotuerit. TROGVS, apud Iustinum: *Parthi Scytharum exsules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur: nam Scythico sermone exsules dicuntur.* Si proprius nosse cupias, a qua Scytharum gente orti, Massagetas eorum conditores putarim: qui vtrique, & Massagetæ & Persæ, soli equos immolarunt; hac ratione, quod celeri Deo, celer hostia conueniat. Hunni, *Saberi* apud CEDRENVM & PROCOPIVM, vel cum Auaribus, vel Siberiis Russiæ, vel cum vtrisque iidem. Ab ipsis *Sabaria* Hungariæ dicta. De Vngris, & Vniguris, certa res: qui *Iubri*, hodie, Siberis vicini. Vnde Hugari a Slauis dicuntur, quos Hungaros vocamus. *Fenni*, magna gens, olim Hunnis vicini. MELAE, PLINIO & aliis, Fanesii. Eorum lingua tam peculiaris, vt a Scaligero, inter vndecim matrices Europæarum ponatur. Finnorum propago *Lappones*; vtrique Hunni. ex quo nomine, si durius aspires: Funni, & Fenni proueniunt. *Lappones* orientales circa Kolam, Suedis *Frinnes*, Russis *Terscha-nowoloch*; sibi ipsis *Pyhenieni.* Quod perinde est, ac si Hunnos dicas: vnde fit, *Pyhunen*, & *Pyhenen.*: sicut Funnos, Finnos, Fennos dicimus. Idem de Molg-Zomiis, Lucumoriis, Fingœsiis, putandum est. De quibus in genere antiqui, cum dicunt, *Hunnos Glacialem Oceanum accoluisse*, quæ verba MARCELLINI sunt. Et clarius adhuc incomparabilis seculi sui RVBRVQVIS, tradit: *trans Wolgam ad septentrionem esse regionem Pascatir, ex qua orti Hunni & Hungari. Vnam Hungarorum & Pascatirarum linguam esse. Iuguros a Pascatiris distingui. Nam illos peculiares litteras habere,* (g) *& scribere deorsum progrediendo, a sinistra versus dextram, ita vt lineæ pendeant. Hunc scribendi morem, Tataros a Iuguris accepisse, & tales litteras, Mangum Canem, ad Ludouicum Regem Franciæ, misisse.* Iuguros autem, facit vicinos Moalis & Tartaris.

## Caput V. ibidem, p. 149.

## *De migratione Hunnorum in Americam.*

NEc diu quærendum est, quid hos Scythas mouerit ex nostro in alium orbem migrare: quippe, duas caussas fuisse reperimus: bellum, & abundantiam hominum. Bella inter ipsos æterna: *aut cædunt, aut cæduntur*, inquit LVCIANVS. Igitur, infirmiores & victi, sedes mutare cogebantur. Quo & illud eos mouebat, ne hostium cibus fierent. Hostes enim comedere, Scythicum. Ipsa gens in primis fæcunda. *Hunnorum*, in antiqua patria, centum & octo tribus. Turcarum fere totidem, vt ex *Aitono* patet. Quare, multitudinis domi minuendæ caussa, migrandum plurimis & velut sacrum ver, in alias emittendum terras. Feras quoque, perpetuis & vagis venationibus sectabantur. Vt quemadmodum illæ ex Asia, in Americam, ea occasione deuenerunt; probabile sit etiam, venatores eo delatos. Et hoc modo *Hunnos*, ex interiori *Asia*, in *Europam* venisse, BONFINIVS testatur. Ipsa etiam Scytharum vita, instabilis semper & vaga, sine sedibus fixis, vt campus, vt fons, vt nemus, inuitabat; ita aliquandiu commorabantur: tum denuo, fugientium similes, alias terras, & sibi adhuc incognitas, petebant. Via, vel mari, vel si nulla continens, per glaciem, qua totus *Septentrio* connectitur: vt non anxie quærendum ibi, vel fretum, vel alius transitus. Nam, *Oceanus* glacialis, hyeme continentis vicem obtinet, & cum hostes inuadere, ac vltro citroque commeare, *Tartaris* receptum. Quod expertissimus RVBRVQVIS testatur, qui tradit: *Supra Tartariam in glaciali Oceano, Tautas & Mansas, insularum habitatores: hyeme per glaciem a Tartaris inuadi.* Quemadmodum in Suecia quoque fieri, *Olaus*, & *Magnus* Vpsalensis scribunt.

De tempore, quo hæc transmigratio *Scytharum* primum cœpit, cuncta nobis, vt in tanta antiquitate & tenebris, incognita sunt. Id certum, longe recentio-



g) Commentati aliquando fuimus: DE VETERE LITTERATVRA hac HVNNO-SCYTHICA, forte, studio, quam satis fuerat, scrupulosiore. Prodiit Dissertatio, *Norimbergæ*, An. cIↄIↄcc XVIII. forma quadripartita.

*Decad. I. Monumentum IX.*

tiorem *Phœnicum*, in *Americam* aduentu, quia septentrio, immensis terrarum spatiis, vsque in nouum orbem, fere sub ipsum siderum cardinem, qua via transiuerunt, extensus, non ante multa secula, cultoribus impleri potuit. Nam, quis terras adspectu fœdas, & æternis niuibus ac glacie horrentes, nisi pulsus ab aliis, adire velit? Rari hodieque in *Lappia*, *Gronlandia*, *Samoieda*, & omni ad glacialem Oceanum, tractu, habitatores. Rari quoque in septentrionali America. *Omnis Virginia*, inquit PVRCHASIVS: *Noua Anglia*, *Terra Noua*, *& ceteræ ad polum, ac centum interius milliaria, regiones, non tantum hominum habent, quantum Londinum. Regio, Angliam magnitudine superans, vix millia quinque in aciem producet.* Quod argumento, tardius ad septentrionem habitari cœptam, & si coniecturæ locus, non ante annum CHRISTI quadringentesimum. Quippe, tum temporis horridus *Septentrio*, commoueri præ multitudine hominum, & agmina sua, in omnes orbis partes, effundere cœpit. Impulsi a vicinis, alios impellebant, & exundabant in omnes mundi plagas. HVNNI, tum ab ipso fere glaciali Oceano, progressi in austrum sunt. Nec dubium, alios vel venandi studio, vel prementibus vicinis, qua data via, siue per occidentem, siue per orientem, in *Americam* penetrasse. Quippe, *Chichimecæ*, circa An. Ch. IↃCC. in *Mexitanam* venerunt. Porro, illa perpetuo vaga & venationibus dedita gens, sua barbarie, quicquid est miserabilium *Finnorum*, *Samoiedarum*, *Tatarorum*, non æquat tantum, sed superat. Trecenti, vel quadringenti anni, spatium satis amplum sunt, quo per *septentrionalem Americam* spargi, & sobolem suam, magno incremento, augere potuerunt. Vt hæc secunda transmigrationis *Americanæ* periodus, *Hunnica* in tempora, post natum CHRISTVM, probabili coniectura, incidat.

Ita HVNNI, ex interiore *Asia* in *Septentrionem*, & horridas frigoribus plagas, delati sunt. Vbi postea diuisi, parte in orientem, in occidentem alia migrante, vtraque via, tandem in *Americam* venerunt. Quæ hinc *Asiæ*, inde *Europæ*, maximis, & magnam adhuc partem incognitis plagis interiacentibus; siue illæ insulæ sint, quod ignoratur, vel alicubi vna continens proximat. Nam freta si intercedunt, non admodum magna esse oportet. quod nos animalia docent; quæ eadem via, in *Americam* delata sunt; natandi non adeo perita, vt magno mari transmittendo sufficiant.



# HVNGARIAE PERICLITANTIS IMAGO,

*Gemina Legatione,*

FERDINANDI PRIMI

altera; altera

RVDOLPHI SECVNDI,

Regum Hungariæ,

AD

SIGISMVNDVM AVGVSTVM,

prior; posterior

AD

SIGISMVNDVM III.

Serenissimos Poloniæ Reges,

*expressa*,

Nunc, ne obsolescat apud posteros, in lucem edita.

DECADIS I. ADPARATVS AD HISTORIAM HVNGARIAE MONVMENTVM X.

Excellentiſſimo Illuſtriſſimoque

*DOMINO DOMINO COMITI*

# IOSEPHO ILLÉSHÁZY,

De Eadem,

Hæreditario in Trentſin, Eiusdemque & Liptouienſis Comitatuum Perpetuo Supremo Comiti,

## SACRAE REGIAE MAIESTATIS

Conſiliario Actuali Intimo, atque Dapiferorum Regalium per Hungariam Magiſtro,

*FELICITATEM!*



QVoties, COMES EXCELLENTISSIME! diuinos illos gentis TVAE Duumuiros, STEPHANVM & NICOLAVM ILLÉSHÁZIOS, memoria recolo; quod & ſæpius, & cum ſingulari quadam iucunditate facio; ſimul animum ſubit, de mirifica ea fatorum benignitate cogitare, quæ in rebus vtriusque, ad prodigium vſque emicuit. Nam STEPHANVS quidem, poſt longam, priſcæ nobilitatis auorum ſeriem, alter quaſi familiæ ſuæ conditor ſtatorque, id, diuino munere conſequutus eſt, vt quam ex ſe nequiuit relinquere poſteritatem; ſterili enim matrimonio CATHARINAE PÁLFFIAE vſus eſt; in ſuis eam, ex FRANCISCO fratre, nepotibus, parco quidem, ſed felici tamen traduce, hucuſque propagauerit, non auitis magis laudibus, quam domeſticis virtutibus inclutam.

Longum foret, atque ab nuncupatoriæ huius epiſtolæ, quam breuem eſſe oportet, ingenio, perquam alienum, prona in vtramque fortunam, ſummi viri fata; dura nempe iuuentutis exordia; progreſſus deinde felices; & ſequutam hos triſtem conuerſionem; iterumque læta, non honorum minus, quam opum incrementa, oratione proſequi: feci id alibi*, preſſius licet ſtrictiusque, quam pro euentuum ſingularitate: hic profecto nequeo a me impetrare, vt honorum illam arcem, in Hungaria, culmem PALATINALE volo, ſilentio prætercam, quo ille, tum ob nauatam ante, in placandis pacandisque patriæ ciuibus, inſignem operam, tum poſtea, ob concordiam, inter RVDOLPHVM, & MATTHIAM, fratres, egregie conſocillatam, nemine non bono certatim ſuffragante, cohoneſtatus eſt. Tametſi enim ob eas res, quas dixi, cum cura adminiſtratas, accidit STEPHANO, quod in commune queritur HORATIVS:

*Virtutem incolumem odimus,*
*Sublatam ex oculis quærimus inuidi;*

tamen, ita erant tempora, vt nequiuerint aliter reparari in melius, quam iſta virorum, Regis & Patriæ, ex æquo ſtudioſorum, irrequieta ac laudabili quadam contentione. Quid? quod ita eſt vita hominum, vt cum Comico loquar, quaſi cum ludas teſſeris: ſi illud, quod maxime opus eſt, iactu non cadit; illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas. iſtud vero, & caute agebat STEPHANVS, & cogitate.

Iam

Iam ad NICOLAVM, TVVM, Illustrissime COMES! GENITOREM optimum, quod adtinet, fatear, necesse est, meam me tenuitatem retentare, ne virtutes EIVS; quæ & plures sunt, & excellentiores multo, quam vt exili hoc dictionis genere, digne queant prædicari; audacius contemerem: quippe, materiam alio loco daturas opportunam, in qua, pedesttis etiam oratio possit exsultare. Seculum intercessit integrum, cum NICOLAVM, simillimo, in quem STEPHANVS inciderat, rerum habitu, & IOSEPHO, Regi indulgentissimo, & laceratæ seditionibus patriæ, inusitato hactenus exemplo, CANCELLARIVM, fata donauere. Hanc ille prouinciam, nescio, an sollicitius adcuratiusque administrauerit; vel ornauerit exquisitius? toto eo tempore, cum, partim male quieti ciues, extra modum diffiderent studiis; partim IOSEPHO, rebus humanis regnisque, inopina morte subrepto, sidus illud Regum Hungariæ, CAROLVS III. ex vltima Iberia, ad capessenda Hungariæ sceptra, auspicato reuocaretur.

Difficile, atque impeditum existimauerim, susceptos exantlatosque, in eo munere, pro Rege & Patria, labores, pro eo, ac merentur, verbis explicare. Mihi profecto, ne ingrato silentio beneficium inuoluam, cum ad innoxium, ac forte non illaudabile, patriæ illustrandæ institutum hoc, in quo adhuc elaboro, animum inducerem; eamque ob caussam, apud Cæsarem Regemque CAROLVM, criminum insimularer, vel memoratu nefandorum; id operæ, bonus præstitit NICOLAVS, vt, non ante cessarit, quam CAESARVM optimo, iniectam de me suspicionem, animo eximeret; destinationis contra ea, innocentiam, decus, atque vtilitatem penitus insinuaret; atque, ita iubente Patre Patriæ, de fama, forte & salute, periclitanti, auctor existeret grauissimus, vti cœptis, animo imperterrito, insisterem strenue, & si quid forte intercederet, quod remoræ esse possit honestissimo instituto, ad Se id, sanctioremque, cui præsidebat, senatum, sine cunctatione referrem: vt sane, quod hucusque in vasto eo scribendi genere, quantumcunque profecerim, post DEVM, & D. Cæsarem, NICOLAO ILLESHÁZIO, in acceptis referre necessum habeam.

Aduertis proinde, Excellentissime COMES, DOMINE Illustrissime! quæ ea fuerint auctoramenta, quæ me permouerunt, vt TIBI in primis HVNGARIAE PERICLITANTIS IMAGINEM hanc, duabus, ad *Polonos*, legationibus, viuis, quod dicunt, coloribus expressam, dicandam sacrandamque voluerim. Nimirum, quod & Pater TVVS, NICOLAVS, & adoptione Abauus, STEPHANVS, Duumuiri illi fuerint, quorum pro se quisq;, non periclitantem modo; sed labascentem iam, & pronam ad interitum, Hungariam, humeris, quantum in se fuit, subiuerunt; quodque alii foris, prudenter administrarunt pro patria; id hi domi, magna egregii publici accessione, adfirmationeque, maturo consilio, sollicita cura, atque præsentanea ope, effecerunt. Quorum, vti gratam TIBI, Excellentissime DOMINE! acceptamque recordationem futuram confido; ita, in spem venio certissimam, fore, vt, pro TVA bonitate, atque singulari in meliores litteras propensione, ausus hos benigne accipias, Musasque meas, quarum destinatio omnis, huc adtinet, vt dignos laude viros mori vetent, TIBI habeas quam commendatissimas. Vale diu ac feliciter!

EXCELLENTISSIMI ILLVSTRISSIMIque
DOMINI, DOMINI COMITIS,

*Obsequentissimus*

MATTHIAS BEL.

* Egimus, de Illustrissima ILLÉSHÁZIORVM gente, NOTITIAE HVNGARIAE NOVAE, Tomo I. Historiæ Comitatus Posoniensis, Parte Gener. Memb. II. p. 67. §. XVII seqq. Et agemus porro, Tomo VI. in Historia Comitatus Trentsinensis, Parte Generali Memb. II. §. IX. atque alibi passim.

# AD LECTOREM AMICVM.

V*Ltimo hoc, quod vides,* COLLECTIONIS *nostræ* MISCELLAE, *Tomi I. Monumento, geminam Cæsarum Regumque laudatissimorum,* Legationem *ad* Polonos, *exstare voluimus; vt constet apud posteros, qua cura, quaque sollicitudine, cælestissimi illi Principes, Hungariam iuerint defensum. Prior, quam* FERDINANDVS, *ad* SIGISMVNDVM II. *misit, nullum præfert annum, scribæ, credo, qui eam in aduersaria retulit, incuria; quem tamen pronum fuerit definire, si orationis, non inelegantis, argumentum, cum temporum habitu, libuerit contendere. Obibatur nimirum, dum quinquennales induciæ illæ, cum Turca quomodocunque confocillatæ, quarum* ISTVÁNFFIVS, (a) *passim meminit, fide vtrinque dubia, traherentur; cumque* ISABELLA *Regina, artibus* Georgii *Monachi adducta,* Transsiluaniam, *cum vicinis in* Hungaria *prouinciis,* FERDINANDO (b) *cessisset. Id enim, grauiter adeo* SOLYMANNVS *tulit, vt non* Maluetium *modo, Constantinopoli rerum Ferdinandi procuratorem, in vincula* (c) *compingendum; sed bellum quoque in* Hungariam, *magnis adparatibus fieri curauerit.*

II. *Hoc ergo, trepidarum rerum habitu, post cædem* Monachi *iam patratam, A.* CIƆ IƆLII, *Legationem hanc* FERDINANDVS, *ad* SIGISMVNDVM AVGVSTVM, *Fratrem* ISABELLAE, *misisse censendus est. Sed, qui Legationem eam administrauerint, non æque facile possis designare. Illud certum est, haud quidem ex comitio; sed senatus admodum consulto, adornatam fuisse; tunc forte, cum in itinere, ex* Transsiluania *in* Poloniam *suscepto, moras suspectas,* Cassouiæ *necteret Isabella. Hic vero, in eam trahor coniecturam, eosdem illos viros, munere isto perfunctos, qui* ISABELLAE *dotem, & debitas ex pacto pecunias,* FERDINANDI *iussu, persoluerunt. Fuere vero.* Georgius Vernherus, *Scepusiensis ærarii præfectus, &* Georgius *alter* Rakouszky *Thuroczlensis, I. C. de quibus adeundus omnino* ISTVÁNFFIVS. (d) *Hæc mea, de priori legatione, sententia est, dum certiora docuerint alii.*

III. *De posteriori, non est opus disquirere; luculenter eius* ISTVÁNFFYVS (e) *meminit, Legatorum simul nominibus, in litteras relatis.* Publicis, *inquit,* votis mittuntur *Demetrius Náprádius, Aradiensis Collegii Præpositus,* ac *Nicolaus Socolius,* & *Michael Kellemesius. Sed, irritus* (f) *legationis conatus fuit; quando* Zamoscius, *regni Cancellarius, & regi, & ordinibus, facile persuasit, ne dubiam Martis aleam, quantumuis paci non satis tutæ, præferrent, seque & rempublicam, nouis fluctibus committerent. Ceterum, oratio hæc legatorum Hungariæ, cum alia, quam habuere* Cæsariani Oratores, *anno sequenti* CIƆ IƆ XCVI. Cracouiæ, *ex officina* LAZARI, *in lucem prodiit: nescio, an etiam in* REVSNERI *Syntagmate? neque enim ad manus est auctor. Nobis exemplar manu exaratum,* STEPHANI OSTROSITH *de* Gilletincz, *Sacræ R. H. Coronæ duumuiri, collectio suffecit.*

IV. *Atque hæc sunt* DECADIS PRIMAE, *quæ congessimus,* MONVMENTA. *Magnus eorum adhuc* ADPARATVS *superat,* Tomos *plures facile expleturus. quorum tamen, edendorum, spem, neque temere abiicere volumus, neque facere: quandoquidem & ipse ego,*

tessa carina vehor;

*& in importuoso, quod nauigamus, mari,*

Dextrum Scylla latus, læuum implacta Charybdis
Obsidet. (g)

*Vale, amice Lector, atque fluctuantibus Musis nostris, animo faue & lingua.* PISONII, *Anno* CIƆ IƆ CC XLIII. *die* XXIV. *Februar.*

I. LE-

a) Libro XVI. p. 267, 46. pag 277, 20. Adde, WOLFFGANGVM BETHLENIVM, Lib. Histor. III. p 144. *initio.*

b) Honestissima, ad eam rem FERDINANDI auctoramenta, vide apud BETHLENIVM, ibidem p. 146. *medio*, &, rem omnem, fide varia administratam, habes apud eundem, toto Libro IV. quam aperte, & ex vero descripsit. c) ISTVÁNFFYVS Libro XVII. *initio.*

d) Libro eodem, pag. 315. 14. e) Libro XIX. pag. 649. 30.

f) Ideoque, frustraneum fuit PAVLLI FORRÓ, quod adiunximus, augustum illud augurium.

g) VIRGILIVS, Aen. III. v. 420.



# I. LEGATIO
## *Serenissimi Romanorum Regis*
# FERDINANDI I.
*AD*
## SERENISSIMVM REGEM
*ET*
## SENATVM POLONIAE,
Cracouiæ habita.

I.



DE re magna & graui, Sereniſſime REX! Reuerendiſſimi in Chriſto Patres, Illuſtres, Spectabiles, & Magnifici Proceres! ad Regiam Maieſtatem & Dominationes Veſtras, a Sacratiſſimo Romanorum Rege FERDINANDO &c. legati venimus. Quæ res, quia non minus ad Maieſtatem Veſtram, inclytumque hoc Poloniæ Regnum, atque alias Maieſtatis Veſtræ ditiones, quam ad Romanorum Regem, eiusdemque regna & prouincias, ipſamque adeo Rempublicam Chriſtianam omnem pertinet; eo benignius atque libentius, nos, a Regia Maieſtate, & Reuerendiſſimis, Illuſtribus, Spectabilibus & Magnificis Dominationibus Veſtris, audiri par eſt.

II. Venimus autem Regis noſtri nomine, cum Maieſtate, & Dominationibus Veſtris, de incolumitate & conſeruatione, vicinorum vtriusque *Maieſtatum Veſtrarum*, regnorum, aduerſus certos, perpetuos, & communes vniuerſi Chriſtiani nominis & ſanguinis hoſtes *Turcas*, acturi: quos bellum ingens & atrox nobis inferre velle, & reliquiis celeberrimi *Hungariæ regni*, finitimisque prouinciis, extrema quæque minari, exploratum eſt.

III. Porro, vt actionem talem, per legationem præſentem, Sereniſſimus Romanorum Rex, apud Maieſtatem, & Dominationes Veſtras, proponere non dubitet, plures cauſſæ ſunt. Intima videlicet ſanguinis, affinitatis, beneuolentiæ, & amoris ſinceri, quæ Maieſtatibus Veſtris intercedit, neceſſitudo; ſumma vtriusque populorum cognationis coniunctio, ac ſanctiſſima, bonæ fidelisque vicinitatis, iura; præcipue vero, ſacroſancta Chriſtianæ profeſſionis & pietatis, qua ſub cælo, nihil eſt inter homines, ad animorum

morum conciliationem, & charitatem veram, firmius, aut efficacius, communio; mutua item, tum ſecundarum, tum aduerſarum rerum, participatio; tum autem, ab vtriusque Maieſtatum Veſtrarum maioribus, laudatiſſimis principibus, pie, ſanc̃teque inita fœdera. quæ ab illis, quaſi per manus recepta, Maieſtates Veſtræ, quarto ab hinc anno, magna religione inter ſe renouarunt, confirmarunt, auxerunt; vt quibus, ad arctiſſimam Maieſtatum Veſtrarum amicitiam, mutuamque inter ſe officiorum & beneficentiæ obligationem, requiri nil poſſit amplius.

IV. Sed, tum ita res & tempora tulere, vt princeps *Turcarum*, ab vtroque Veſtrum exceptus ſit & reſeruatus, propter inducias, quæ vtrique Maieſtati Veſtræ, cum eo, tum temporis, pactæ fuere, vt alter alteri, contra illum, auxilium & opem ferre, non deberet. Ceterum, cum induciæ tales, a *Turcis* ipſis, vtrinque ſint violatæ, alia iam res eſſe cœpit, & exceptio, ſiue reſeruatio huiusmodi, non Maieſtatum Veſtrarum vitio, ſed ipſorum Turcarum culpa, obtinere amplius, aut valere deſiit. Venio enim ad eum locum, vt Sereniſſimi Romanorum Regis nomine recenſeam, non eſſe nobis ſeruatas a Turcis inducias eas, & ſimul commemorem, quas illi, belli nobis inferendi, aſſimulent atque prætexant cauſſas, vt Regia Maieſtas, atque Dominationes Veſtræ, tantam rei indignitatem, barbarorumque perfidiam apertam, certius cognoſcant.

V. Sereniſſimus Romanorum Rex, inducias cum Turcarum principe, ad quinquennium pactas, a ſuis inuiolabiliter ſemper ſeruari curauit: eas autem contra, *Baſſæ*, & milites limitanei Turcici, variis modis fregerunt. Et *Baſſa* quidem Budenſis, cum Romanorum Regi ſcripſiſſet, ſe a principe *Turcarum*, domino ſuo, in mandatis habere, vt inducias firmiter ſeruaret, & fumum nobis quietis vendidiſſet: triduo poſt, ex omnibus partibus, in ditionem Maieſtatis Suæ, ex improuiſo, maximo impetu, hominibus noſtris, propter inducias ſecuris, & nihil minus, quam quicquid eiusmodi exſpectantibus, excurrit; & cum pleraque loca, ferro & igne vaſtitati dedit, tum tres arces noſtras, ſubito oppreſſit, & poteſtati ſuæ ſubegit. Qua fraude, quid poteſt excogitari immanius, aut ſceleſtius?

VI. In earum induciarum tractatu, diſertis verbis conuentum & cautum fuit, vt ea, quæ in manibus Chriſtianorum eſſent loca, tempore, quo pax illa quinquennalis pacta fuit, de cetero etiam, durante pace quinquennali, in poteſtate eorum permanerent; & itidem, quæ tum in ditione *Turcarum* erant, & a copiis militibusque eorum tenebantur, in manibus iſtorum permitterentur.

VII. Sed enim, pacto eiusmodi & conuentioni, *Turcæ*, per multas ſiniſtras machinationes, fraudem fecerunt; quippe qui, diuerſas *practicas* (vt vocant) inſtituerunt, & pernicioſa conſilia cœperunt, de *Transſiluanis* Regni Hungariæ partibus, quo iure, quaue iniuria, occupandis. Et res eo iam deducta fuerat, vt Sereniſſimo Regi Ferdinando; vel rationes omnino aliquæ ineundæ eſſent, quibus eas ipſas Tranſiluanas partes, ad Regnum ſuum Hungariæ, cuius quaſi corporis præcipuum membrum ſunt, reduceret, ac in fidem protectionemque reciperet; vel videns, prudens ac ſciens, ipſe eas in poteſtatem *Turcarum* redigi pateretur. Poſterior vero illa conditio, dura omnino & illiberalis eſt viſa, indignaque prorſus, quæ a pio, Chriſtiano, & Catholico Rege, probari poſſet. Itaque, re tanta, mature pro-

beque

beque deliberata, Sereniſſimus Romanorum REX, pro pietate & prudentia ſua, facile animaduertit, ſi manifeſtus & communis vniuerſæ Chriſtianitatis hoſtis, *Transſiluaniam*, tanquam reliquiarum Regni Hungariæ, Regnique huius Poloniæ, & aliarum vicinarum regionum, natura ſimul & opere, munitiſſimam arcem & propugnaculum firmiſſimum, inuaſiſſet, occupaſſet, atque ditioni ſuæ ſubiugaſſet: cum, modo dictis regnis atque prouinciis, exitium præſens; tum etiam omni Reipublicæ Chriſtianæ, certum inde ac irrecuperabile prouenturum eſſe detrimentum.

VIII. Vidit illud quoque Maieſtas ſua, quod *Transſiluaniæ*, & in inferiores Regni *Hungariæ* partes, ex ſingulari gratia DEI, in Chriſtianorum, non in *Turcarum* manibus eſſent, nec a copiis & præſidiis eorum tenerentur; Maieſtatem Suam, eas recte, ſine aliqua induciarum violatione, ad ſubiectionem & ditionem ſuam reducere poſſe. Proinde, a Maieſtate Sua eſt factum, vt cum eis, in quorum poteſtate erant, Chriſtianis, de illis, honeſtis & æquis conditionibus tranſigeret, concordiam iniret, & regni ſui Hungarici reliquias, quantum in Maieſtate eius ſitum fuit, ſine cuiusquam iniuria, iniret atque redintegraret. Qua in re, ſacratiſſimus Romanorum REX, non tam ſuam ipſius reputationem, dignitatem & commodum; quam DEI optimi maximi honorem, & totius Reipublicæ, & Eccleſiæ Chriſtianæ, vtilitatem, maxime vero, vicinorum Chriſtianorum regnorum & populorum ſalutem, extremamque neceſſitatem, in conſilium adhibuit.

IX. Acta & tranſacta hæc res eſt, per præcipuos quosdam Maieſtatis ſuæ Conſiliarios & Commiſſarios, cum Sereniſſima Principe, Domina ISABELLA, Regina Hungariæ &c. vidua, tam Sua, quam Maieſtatis Veſtræ Sorore, & conſanguinea chariſſima, eiusdemque Illuſtriſſimo Filio, Domino Duce IOANNE SIGISMVNDO, nec non quondam, Cardinale & Epiſcopo Varadienſi, Fratre GEORGIO, ac *Petro Petrovich*: atque ita per amicabilem compoſitionem & concordiam, *Transſiluania* tota, ſimul cum inferioribus Regni Hungariæ partibus, ſicuti ab eis, eo vſque poſſeſſa fuerat, omnium incolarum accedente conſenſu, ſine bello & ſanguine, in manus Maieſtatis Suæ, tradita eſt, & conſignata.

X. Quo ſane in tractatu & negotio omni, Sereniſſima Regina ISABELLA, ſeſe erga Maieſtatem Suam, ſingulari affectione, beneuolam prorſus, & propenſam exhibuit; perlibenter namque id Maieſtas Sua agnoſcit & fatetur. Id ipſum vero, cum Maieſtas Sua, prudenti & fraterno Maieſtatis Veſtræ conſilio & ſuaſu, factum eſſe credat; non poteſt Maieſtati Suæ, Maieſtatis Veſtræ officium & pietas tanta, non eſſe, quam gratiſſima. Cuius rei, & Sacratiſſimus REX Romanorum, vt aliquam de ſe, inſignem præberet ſignificationem, ad alia compenſationis, & concordiæ capita, amici, beneuolentis, & fraterni erga Serenitatem eius animi, omni propenſione amplius declaraturus; illud inſuper adiecit, vt Sereniſſimam chariſſimamque filiam ſuam, natu minimam, Dominam IOANNAM, Serenitatis eius Regalis Filio, Illuſtriſſimo Domino Duci IOANNI, deſponderet, eundemque Ducem, in dilectiſſimorum pignorum, & filiorum ſuorum numerum, benignamque & paternam tutelam, atque defenſionem ſuam, cooptaret atque ſuſciperet; pro eo, atque Maieſtas Sua, de rebus hiſce omnibus, Maieſtatem Veſtram, ab ipſa regina ISABELLA, certiorem eſſe factam, opinatur.

XI. Verum enim vero, vt certius, tutiusque poſſeſſio vacua *Trans-*

ſiluaniæ, & inferioris regni Hungariæ partis, reciperetur, atque etiam, ſi quid præter ſpem accideret, defenderetur, militares quasdam copias, Rex Romanorum eo miſit; & non ſolum actiones huiusmodi ſuas omnes, in nullum detrimentum Turcicæ ditionis, ſaluis omnino induciis, inſtitutas, ad principem Turcarum perſcripſit; verum etiam eidem, quietis & tranquillitatis obſeruationem, vt Maieſtatem Suam pacis obſeruantiſſimam eſſe cerneret, obtulit.

XII. At ille, Beglerbegum Græciæ, cum ingenti exercitu, ad eas, quas diximus, Hungariæ partes, Maieſtati ſuæ eripiendas, miſit. Hic Danubio, & Tibiſco, amnibus transmiſſis, in inferiora regni loca, magna vi, hoſtiliter irruit, arces, oppida, & vicos plures, occupauit, (tam breui enim tempore, loca ea communiri non poterant) & Themeſienſem arcem & oppidum obſedit. Rex Romanorum contra, copiis ibidem ſuis auctis, fidelibusque ſuis in Hungaria ſubditis, ad arma concitatis, ea barbaris virtute, per milites ſuos, reſtitit, vt ille rebus infectis, ac detrimento etiam non leui accepto, obſidionem Themeſienſem ſoluere, ac pedem inde referre, opus habuerit. Impoſuerat, idem Beglerbegus, præſidium, prope quinque millium Turcarum, oppido & arci Lippenſi, eique Vliman Begh præfecerat; verum & hic, præſente ope Dei, adiutæ copiæ noſtræ, rem præclare & fortiter geſſerunt. Nam oppidum ipſum, cum ingenti Turcorum ſtrage, expugnarunt; idem quoque, eiusdem Dei ſubſidio, de arce, in quam Turcæ reliqui profugerant, facturi, niſi certorum hominum, (a) in partibus noſtris, ſiniſtra conſilia obſtitiſſent. Quam tamen etiam arcem, per deditionem receperunt; Transſiluaniam ipſam, & in inferioribus regni Hungariæ partibus, caſtella, arces, & oppida pleraque, ex Turcarum manibus recuperarunt; duabus tamen arcibus, quæ in infima ea regione ſunt ſitæ, exceptis. Tantum certe hoc anno eſt in Hungaria, auxiliante Deo, certaminibus pluribus, per milites noſtros, peractum, vt Turcæ, in conſilio cœptoque ſuo eluſi, cum clade, & ignominia ſua magna, recipere ſe in ſua, ſint compulſi.

XIII. Hæc eo, Sereniſſime Rex! ac Patres, & Proceres lectiſſimi, paucis ſunt commemorata, vt Maieſtas, & Dominationes Veſtræ, vna cum Romanorum Rege, miſericordiam & bonitatem Dei, cui proſperum hunc ſucceſſum rei omnem, Maieſtas ſua acceptum refert, grate recognoſcant, atque interim etiam obſeruent, quam inique & cupide, Turcæ, nulla iuſta de cauſa, induciis violatis, belli contra nos gerendi occaſionem arripuerint.

XIV. Et, cum Sereniſſimus Romanorum Rex, omnium fere exploratorum, multis ex locis renunciatione, pro comperto habeat; principem ipſum Turcarum, hoc anno, perſonaliter, cum numeroſiſſimo exercitu, contra Maieſtatem Suam, eiusdemque regna & dominia, in expeditionem bellicam exiturum; periculi id magnitudo efflagitat, vt ad bellum tam ſæuum, a ceruicibus Chriſtianis propulſandum, ſecundum præſentem Dei opem, quam ſibi adfuturam eſſe ſperat, ſe, quam maximis queat, viribus & copiis, inſtruat, muniat & armet. Egit iam Maieſtas Sua, cum quibusdam regnis & prouinciis ſuis, de ſubſidio bellico præſtando. quæ ſane, ad ſtipendium & auxilium Maieſtati ſuæ conferendum, ſe tam officioſas & promptas exhibuerunt, vt poſt initam regnorum & ditionum Maieſtatis Suæ, diuina fauente clementia, adminiſtrationem, nunquam maiorem illæ contulerint contributionem. Idem quoque, cum reliquis regnis & populis, nulla interpoſita

a) Georgius Monachus, Istvánffius Lib. XVII. p. 307.

ta mora, Maieſtaas Sua eſt actura, cum certa ſpe atque opinione, ſumma itidem ab eisdem auxilia obtinendi.

XV. Ceterum, quia vnius Regis & Principis Chriſtiani opes & copiæ, ad obuiandum, atque reſiſtendum, tam valido, vniuerſæ Chriſtianitatis hoſti, impares ſunt; & ob eam cauſſam, Rex Romanorum, Maieſtatis Veſtræ, vt filii, & vicini ſui chariſſimi, atque inclyti huius Poloniæ regni, regnis & prouinciis ſuis contermini & affinis, aliorumque item Chriſtianorum principum & potentatuum, opem & auxilium pium, implorare opus haberet, ſicuti Maieſtas Sua, iam a Sacri Romani Imperii principibus, Electoribus & ordinibus Germanicæ nationis aliis, ad neceſſarium hoc bellum, ſatis magnum ſubſidium, communis videlicet denarii, quem vocant, collationem, in proximo Imperiali Conuentu Auguſtano, impetrauit; Maieſtas Sua, a Maieſtate & Dominationibus Veſtris, paterne & amice, & benigne petit, vt Maieſtas & Dominationes Veſtræ, ad communem hoſtem, a *Tranſſiluania*, & regni *Hungariæ* reliquiis, nec minus, ab hoc regno, ac Chriſtianitatis ipſius viſceribus, Deo bene adiuuante, reiiciendum, & Regnum *Hungariæ* defendendum, conſilia, opes & vires ſuas, cum ceptis armis & copiis Maieſtatis Suæ, coniungere & conſociare velint. Id quod Maieſtas Sua, eo facilius ſe a Maieſtate, & Dominationibus Veſtris obtenturum arbitratur, quo plures exſtant Maieſtati, & Dominationibus Veſtris, quam aliis populis, communis nobiſcum periculi amoliendi, cauſſæ & rationes. quas Maieſtas, & Dominationes Veſtræ, nobiſcum conſiderare, & expendere fideliter dignentur.

XVI. Antiquitus, & patrum noſtrorum memoria, duo hæc regna, *Hungariæ* & *Poloniæ*, plerumque ſemper, cum communibus hoſtibus *Turcis*, communiter, vel bellum geſſerunt, vel pacem, induciis factis, ſeruarunt. eaque communio & ſocietas vtrisque populis, commoda & ſalutaris fuit: floruerunt enim Reges ipſi, & Regna eorum, & extra periculi metum viguerunt. At, poſtquam eo res, temporum aduerſorum iniuria, redacta eſt, vt alterum regnum, inducias cum *Turcis* paciſceretur, alterum autem, bello cum eisdem implicaretur; alteris quidem populis improſpere & aduerſe; alteris autem, incertæ & ambiguæ res fuere: illos enim, bello labefactari, atque accidi neceſſe fuit. Cum interim, his quoque finitimis auxiliis decedentibus, periculum crearetur, & hoſtis communis, alterius Regis opportunitate excidendi ſibi præbita, in dies creſceret, ditionemque ſuam, & imperium, cum maxima reipublicæ Chriſtianæ iactura, & detrimento, proferret atque dilataret. Fuerunt aliquando *Turcis*, Hungari, Poloni, Croatæ, & qui eiusdem linguæ & gentis ſunt, populi, alias formidabiles; neque per Europam omnem, nationes alias eſſe puto, quæ meliorem, bello, terra patrando, operam, aduerſus hoſtes eos, nauare queant: ita illæ, a leuiore equitatu, & expeditiori armatura, qua *Turcæ* etiam fidunt plurimum, ſunt paratiſſimæ. Eas illi, hodie quoque metuerent cunctas, quas aliquando disiunctas, contempſere & obtriuere. Dubitari profecto non poteſt, ſi res, inter prædicta regna, ad priſtinum vnanimitatis & ſocietatis conſenſum, contra communem hoſtem, communibus conſiliis & viribus, aut bellum ſumendi, aut pacem agitandi, reduceretur; quin priſtina quoque, ad vtrosque populos, commoditas & ſecuritas reuerteretur. At, ſi ad eum, ſicut cœpere modum, res ire pergat, & periculi neceſſitatisque tempore in ſubſidio feren-

ferendo, alterum regnum, ab altero deſertum atque derelictum fuerit; quis non videt, mox alterum quoque, non diuturna interpoſita mora, ab hoſtibus callidis, & ad omnem occaſionem, rei, ex ſententia tuto gerendæ, intentis, oppreſſum iri? Quippe qui, per ſimulationem amicitiæ & ſocietatis, maxime fallunt, & per inducias, prælia magis differunt, quam quietem permittunt. Et altero regno periclitante, ſi alterum ad diſcrimen illius conniueat; non illud ſe, ad reſiſtendum communi hoſti, firmius; ſed ad cladem excipiendam, magis obnoxium, aut ſaltem vel initium victoriæ, vel finem belli fore putet. Niſi forte illud magni æſtimet, quod vſura quadam temporis medii, non ita longi, & pacis breuis ac incertæ, qua exitium differatur, tamen non auferatur, perfrui liceat. Vnum enim hoc inſigne beneficium, Cyclopicum videlicet præmium, in eos conferri ab hoſte ſolet, qui ſe fidei ſuæ commiſere; vt cum ſtatim forte, ſine periculo ſuo, perdere non poſſit, poſtremos eos, proximis exſtinctis, conficiat.

XVII. Hæc porro, quæ dicuntur, certius quoque euentura eſſent, ſi *Turcæ* (quod magno conantur opere, & Devs auertere dignetur) *Transſiluania* potirentur. qua non alia eſt, in regionibus hiſce noſtris, ad arma inde ab hoſtibus, in quasuis circumquaque partes, longe lateque inferendi, graſſandi, vaſtandi, a ſociis autem & amicis, vicina & circumiacentia loca, omnia contra hoſtiles excurſiones & expeditiones, defendendi, tuendi, & amiſſa vindicandi, prouincia opportunior. *Transſiluaniam*, inquam, ſi *Turcæ* ſibi ſubiicerent, tam illi in Maieſtatis Veſtræ regnum, & dominia, impreſſionem faciendi, expeditionesque ſuſcipiendi; quam reliquias *Hungariæ* regni excidendi atque debellandi commoditatem magnam conſequerentur. Id ſane idipſum, per *Valachiam* quoque & *Moldauiam* facere, communes hoſtes poſſent; ſi præfectos ſiue *Vaiuodas* earum, qui *Transſiluania* amiſſa, tueri ſe contra vim eorum nequirent, vel tollerent, vel ſubigerent. Salutem quidem certe earum prouinciarum, ex incolumitate *Transſiluaniæ* conſtare, certum eſt.

XVIII. Manifeſtum igitur eſt, ex quo & Maieſtatis Veſtræ, ac Regni Poloniæ eiusdemque adnexarum prouinciarum, & Regis Romanorum, atque eiusdem regnorum dominiorumque; & proinde; reliquæ Chriſtianitatis totius, *Transſiluaniam*, tanquam commune propugnaculum, & arcem, finitimorum horum populorum, defendi, plurimum referre; eamque regionem, ad communem, vel ſalutem, ſi conſeruetur, vel perniciem, ſi amittatur, multum habere momenti. Quo modo enim nunc, ab ea parte, *Hungariam* verſus, regnum Poloniæ, & prouincia Ruſſiæ, & loca alia, vel natura, fluminibus, ſaltibus, iugisque montium; vel opere, propugnaculis, caſtellis, & arcibus munita ſint & firmata, Maieſtas, & Dominationes Veſtræ, optime norunt. Iam, quæ ſtabilitas ſit Turcicarum induciarum, & pactionum, cum ſæpe antea Maieſtatis Veſtræ anteceſſores, magno fidelium ſubditorum ſuorum malo didicerunt; tum Maieſtas quoque Veſtra, æſtate proxima eſt experta. Animaduertit certo Maieſtas Veſtra, qua fide & conſtantia, principis *Turcarum*, præfecti & milites, pacem ſeruare ſoleant. Eſt quidem vis omnis & impreſſio hoſtilis, grauis & ærumnoſa, magis tamen illa ſolet eſſe, cui fraus vulpeculæ eſt adiuncta, odioſa & exitioſa: ab illa enim tibi, aperte illata, conſilio aut viribus oppoſitis, cauere poteris;

hæc

hæc autem, ſecure agentem nihilque metuentem, ſubito opprimit, atque peſſundat.

XIX. Luctuoſiſſima vero, & miſerrima eſt rerum facies, barbaris hoſtibus, præter ſpem & exſpectationem omnium, contra fidem datam, in regionem aliquam irrumpentibus; non dico, pecora ab eis abigi, bona ciuium diripi, incendiis, publica & priuata ædificia abſumi; quæ omnia, per ſe ſunt acerbiſſima; ſed vtriusque ſexus homines, vel ferro crudeliter concidi, vel horrendis aliis ſuppliciis affici; puellas & matronas, ad ſtuprum rapi; paruos pueros a complexu parentum auelli, elidi, excarnificari, plurimum mortalium numerum, a ſacroſanctis numinis delubris, a pænatibus dilectis, ex dulci patria, in Scythiam, & perpetuam ſeruitutem, & actionem viliſſimam trahi; Dei, atque hominum fidem implorantium, & vicem ſuam miſerabili comploratione deteſtantium. quibus, ita derepente, vi fraudulenta oppreſſis, cum nemo hominum opem ferre poſſit, eorum certe ſanguis, ſtrages & calamitas, in ratione Deo reddenda, ab eorum requiretur manibus, quorum illi mandati ſunt fidei.

XX. Spectaculum hoc, tam deforme & miſerandum, ſi quis animo tantum & cogitatione conſideret, aut verbis recenſeri audiat, nemo eſt ita durus aut ferus, quin collachrimet, & dolorem ſuum, commiſeratione ſimul, & indignatione, aperte teſtetur; quid vero facturi eſſemus, ſi oculis ipſi noſtris, ærumnam tantam, auribus intollerabilem, conſpiceremus? adhiberemus, me hercle! ad oculos, mentis aciem & iudicium, neque vnquam pactionibus & induciis talibus, fidem habere in animum induceremus.

XXI. Dulce eſt nomen pacis, M. T. Cicero inquit, res vero ipſa, tum iucunda, tum ſalutaris, qua tecta quoque letari videntur. Nihil hac in terris hominibus contingere poteſt, preſtabilius & optatius; eique, citra controuerſiam, ſi nihil haberet inſidiarum, periculi & damni, vel præſentis, vel futuri, ſemper eſt conſulendum, nunquam ea non complectenda & colenda: at enim, ſi ſub eius nomine, bellum latitet; atque ea ſub ſpecioſo tranquillitatis titulo, paulo poſt erupturum alat exitium, repudianda illa venit, & non modo bello, ſed morte etiam repellenda.

XXII. Maieſtati Veſtræ, Rex optime! magnæ ſunt virorum, armorum, equorum, opes, & regnum eſt florentiſſimum, magnum hoc, Maieſtas Veſtra, a Deo, & diuo parente ſuo accepit, donum: num vero, Maieſtas Veſtra id, in gratia aliqua & Deo, & Regi Sigismvndo, patri beatæ memoriæ, referenda, melius gratiusue collocare queat; quam ad Eccleſiæ & reipublicæ chriſtianæ, ſanguine filii Dei redemptæ, atque coniunctiſſimi regis, prouinciarumque eius, & proprii regni, populorumque Maieſtati Veſtræ ſubditorum protectionem & tutelam? Neque aliam magis ob cauſſam, Maieſtas Veſtra, gladium ſibi a diuina Maieſtate commiſſum geſtat, quam vt eo, contra regnorum, ditionumque ſuarum, ac Chriſtianitatis vniuerſæ, communes & maleficos hoſtes, vtatur.

XXIII. Non ad præſentem modo rerum ſtatum, qui fortaſſe hominibus quibusdam, ad tempus vtcunque tollerabilis eſſe videatur, magnos Reges ſpectare, pro animi magnitudine & pietate ſua, decet; ſed futuri etiam temporis, & profteritatis habenda eſt ratio: eo quod bono principi, non minori curæ eſt, qualis respublica regni ſui, poſt mortem eius futura ſit, quam qualis hodie ſit. Et profecto, vere regium eſt, conſiliis cœptisque

fortibus, quoad eius fieri poteſt, non præſenti tantum; ſed ſubſecuturæ etiam ætati, pacem certam atque ſtabilem, conciliare & relinquere.

XXIV. Chriſtiani vero maxime regis eſt, non ſolum de ſui ipſius, ſed de finitimis quoque atque longinquis populis, & de vniuerſa Chriſtiana reipublica, bene mereri, eaque re diuini numinis benignitatem, ad plurimos ſeſe effundentem, æmulari. cuius rei præſtandæ, magna Maieſtati Veſtræ datur occaſio, quam Maieſtas Veſtra, neſcio, an ſalua pietate, quæ Chriſtianum & Catholicum Regem decet, prætermittere, aut negligere poſſit. Parum certe tutum fuerit, bellum Turcicum, quod Regnum hoc Poloniæ effugere nequit, vicino rege, & vicinis populis in periculo ſuo deſertis, ita differre, vt poſtea id, illis (quod DEVS benignus prohibeat) deuictis, per ſe ſolum ſuſtinere cogatur.

XXV. Falluntur vero, Rex Excellentiſſime! & patres ac proceres clariſſimi, falluntur inquam, qui aliena calamitate, ſuam protelando, ſatis ſibi in ſe ipſis virium eſſe, opinantur, ad hoſtem ſubmouendum, aut ſe ipſos defendendos, cum finitimis ſubactis bellum ad ipſos peruenerit. Nam, qui hodie hoſtibus pares, vicinis ſuis coniuncti eſſe poſſent; multo, tunc eos inferiores fieri oportet: propterea, quod quicquid ipſis, & rei Chriſtianæ illorum clade adimitur, id hoſtium opibus accedit. quo loco illud etiam eſt conſiderandum, facilius eſſe, ſtantes ſocios, ne cadant, retinere, quam graui ruina lapſos, erigere.

XXVI. Hæc non ita a me dicuntur, quaſi dubitandum ſit, vt certe dubitandum non eſt, an Rex & regnum, bellum in Turcas ſuſcipere debeat; ſed, vt de tempore belli talis gerendi, deliberatio ſuſcipi poſſit. Quod vero, opportunius & commodius, magisque adeo neceſſarium eſſe tempus *Polonis* poteſt, cum iſtis hoſtibus belligerandi; quam cum illi, propugnaculum harum regionum petunt, & arcem ſummam, *Transſiluaniam* dico, inuadunt; cum ſocium ſe belli ſimul, & pacis, Rex Romanorum, cum regnis & prouinciis ſuis omnibus aduerſus eos hoſtes offert; cum adhuc in vicinia, longe lateque graſſans, & iam parieti proprio imminens incendium, maiore commoditate, aut certe minore diſcrimine, reſtinguere, & alios item principes & populos Chriſtianos, exemplo ſuo, ad ſocietatem, tam ſalutaris, & neceſſarii belli, adducere liceat. Iam *proximus ardet Vcalegon*, apud quem, Viri *Poloni*, mature flamma exſtinguenda eſt. Viciniæ in primis habenda cura, vt ea conſeruata, minus vobis ſit ab incendio periculi. Nam ea, ſi negligentia noſtra conflagrarit, qua ſpe & fiducia, a longinquis opem, ædibus noſtris, petemus, quam ipſi proximis noſtris denegauerimus? quod vero potiſſimum, ſalus nobis vicinorum, in caſibus huiusmodi, eſt tuenda, vnde ſalus quoque noſtra dependet; priuatæ nos & domeſticæ res, harumque ſecuritas, ſatis docent, quæ nobis neutiquam conſtare queunt, ſi familia vicini laboret atque periclitetur. Porro, vt res nunc ſunt, expeditionem talem, & tam neceſſariam, in tempus, communis, & publici, Chriſtianorum principum & populorum omnium, conſenſus, proferre, perniicioſum eſſe videtur; cum regibus & nationibus quibusdam exſpectationem eam, exitio fuiſſe, non ignoremus: quorum exemplis permotos, dare nos inuicem nobis operam, vt vires finitimas, aduerſus ingruentem communem hoſtem, coniungere decet.

XXVII. Itaque, non ſolum illud dico, bellum iſtud, a Maieſtate Veſtra,

ſtra, & Regno Poloniæ in aliud tempus differri, haud debere; ſed neceſſario id nunc nobiſcum, contra communes & perpetuos hoſtes, ſuſcipiendum eſſe: quibuscum, non de laude, gloria, aut imperio; ſed de vita, ſalute, ipſisque adeo aris & focis, capitale certamen eſt; ſiquidem Maieſtati & Dominationibus Veſtris, reipublicæ Chriſtianæ, innumerabiliumque animarum periclitantium, & vicini Regis, cunctorumque nobis populorum, ac propria denique, & veſtra ipſorum dignitas & ſalus, eſt curæ, vt certe curæ eſt, quam maxime.


XXVIII. Turcis ipſis, excidio orbis Chriſtiani natis, cum nationibus, prouinciis, regibus & principibus cunctis, vna cauſſa bellandi eſt, inſatiabilis imperii & diuitiarum cupiditas: ideo illi bella bellis continuando, & finitima quæque loca & dominia carpendo, in partes orbis arma intulere, regnaque ſibi plurima ſubdidere. Verum, vt nos ita oppreſſum, exciſum atque exſtinctum eant, religionis inſuper Chriſtianæ odium accedit, quam illi præ impia ſuperſtitione ſua, rident, deſpuunt atque deſpiciunt; in nullum certe genus hominum crudelius, quam in Chriſtianos, ſæuiunt. Proinde, non eſt, quod *Poloni*, Turcas ſibi parſuros eſſe ſperent; quin potius, ſibi, ad quamuis occaſionem, ne ab eis opprimantur, metuere debent; tum quod Chriſtiani ſunt; tum quod opibus florent, quibus illi, ſpe prædæ maxime inhiant, atque inſidiantur. Fuit autem aliquando, quorundam hominum opinio, inuictam eſſe armis *Turcarum* gentem, propterea, quod plures & graues ſæpe Chriſtianæ reipublicæ intulerint clades; ſed documentis certis, hac æſtate, oſtendit Deus optimus maximus, inhiberi poſſe a nobis bellicum Turcarum curſum & furorem, atque vinci etiam eos poſſe, propalam declarauit.

XXIX. Ex quo tempore Rex Romanorum, regnorum ſuorum ſceptra tenuit, vnus ipſe maximam turcici belli molem, terra, humeris ſuis ſuſtinuit. Et princeps ipſe *Turcarum*, perſonaliter, cum omnibus copiis & viribus ſuis, quatuor, aduerſus Maieſtatem Suam, expeditiones ſuſcepit; in quibus ille, tametſi propoſitum (Deo conſilia eius nefaria inhibente) non tenuit, neque tantum armis ſuis effecit, quantum effecturum eſſe, et ipſe ſperauerat, & homines noſtri metuerant. Eſt itaque, quod hoc nomine, maximas diuinæ Maieſtati agamus gratias. Nuper vero, etiam ſub ipſiſſima *Transſiluania*, atque in aliis etiam *Hungariæ* partibus, non contemnendis, diuina benignitute annuente, *Turcæ*, a noſtris ſunt affecti cladibus, vt in dubia iam ſpes ſit, proſperiores Chriſtianis hominibus, aduerſus Mahometicos hoſtes, non virtute ſua, ſed vitiis alienis magnos, quorum iam, vt Amorheorum olim impleta eſt iniquitas, & impietas, deinceps Dei ope fore ſucceſſus, præcipue, ſi ita, vt dictum eſt, Maieſtates Veſtræ, & vicina coniunctaque hæc regna, communibus conſiliis & opibus, cum illis, vel pacem ſimul fecerint, vel bellum geſſerint.

XXX. Itaque, vt tandem orationis huius vela contraham, cum tam multa ſint, non tantum inter Maieſtates Veſtras, charitatis intimæ; verum etiam inter regna & populos vtriusque, coniunctionis ſummæ vincula, ſanctaque, & vetera, & noua fœdera; commune denique, vtrorumque Regum, & regnorum, a communi hoſte, bello impendente, periculum: cuius repellendi, nulla diuturnior reliqua eſt mora. Et, cum ex breuibus quidem illis, & ſimpli-

plicibus, liquidis tamen & certis, quæ adduximus, argumentis, ſatis conſtet, & totius Chriſtianitatis, & vicinorum horum, Hungariæ & Poloniæ regnorum, aliarumque contiguarum terrarum, maximopere intereſſe, vt *Transſiluania* conſeruetur; Sereniſſimus Rom. Rex, a Maieſtate Regia, & Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis & Magnificis Dominationibus Veſtris, paterne, amice, & benigne iterum atque iterum petit, rogat, & poſtulat; vt Maieſtas, & Dominationes Veſtræ, aduerſus huiusmodi communem hoſtem, communi belli & pacis ſocietate inita, Maieſtati Suæ, eiusdemque regnis & populis, & Chriſtianæ ipſi reipublicæ, ad *Transſiluaniam*, & Regni *Hungariæ* reliquias defendendas, auxilium ferre, & ad initium proximi veris, firmum validumque ſubſidium decernere, præſtare, inſtruere, atque ita ordinare velint, vt ex eo, Deo opitulante, Maieſtas Sua, cum ſuis & Sacri Romani Imperii, regnorumque & prouinciarum ſuarum, copiis, feliciter optatum fructum percipere,& rempublicam bene adminiſtrare, & bellum proſpere gerere, poſſit. Id quod Regnum quoque *Poloniæ*, & Maieſtatis Veſtræ dominia alia, *Turcarum* iniuriis & contumeliis expoſita, opportuna, tametſi non clara voce, & quiritatione publica, flagitare videtur. Inuitant huc certe, Maieſtatis Veſtræ maiorum exempla illuſtriſſima, qui barbaris hoſtibus, a Chriſtiana republica propulſandis, immortalem apud Deum & homines, gloriam ſunt adepti. Sic Maieſtas, & Dominationes Veſtræ, cum ingenti ſua laude & gloria, Deo omnipotenti, maxime gratum & acceptum, reipublicæ & Eccleſiæ Chriſtianæ cunctæ, comodum & ſalutare, Regi Romanorum, eiusdemque Regnis & populis, ſibi item ipſis, & Regno huic Poloniæ, aliisque cunctis prouinciis, pium & neceſſarium officium præſtabunt, Maieſtati & Dominationibus Veſtris a Diuina Maieſtate æternis atque cæleſtibus præmiis remunerandum, atque a Rege Romanorum, quouis tempore, pari gratia, atque omni paternæ & ſinceræ amicitiæ ac beneuolentiæ, Regiæque benignitate genere, compenſandum.

*DIXI.*



II. LE-



II.


# LEGATIO
Augustissimi Romanorum Imperatoris
HVNGARIAE REGIS

# RVDOLPHI II.
*Ad*

## Serenissimum Regem & Senatum
POLONIAE.
*Seu*

## HVNGARIAE PERICLITANTIS
## *ORATIO.*

I.



SAcratissimus Romanorum Imperator RVDOLPHVS Secundus &c. Dominus & Rex noster clementissimus, Comitia, ad decimam præteriti mensis Februarii diem, omnibus Hungariæ Statibus & Ordinibus, *Posonii* celebranda indixit. Quo, dum vniuersi Proceres confluxissent, antequam felicia auspicia Comitiorum Regni nostri posuissent, & antequam ad aliorum Regni negotiorum tractatum venissent: primo omnium, Nos, ad Vestram Serenitatem, atque ad omnes huius inclyti Regni ordines, tanquam Dominos amicos & vicinos, propriæ salutis atque incolumitatis, & communis Reipublicæ Christianæ permansionis amatores, mittendos decreuerunt, & quædam per nos, commuui omnium voto & suffragio, huic amplissimo ordini dicenda, in mandatis dederunt. Atque in primis, *Sacratissimæ Regiæ Maiestati*, demissa obsequia & obseruantiam, tum omnibus huius potentissimi Ordinis proceribus, prompta & parata officia, omneque bonæ vicinitatis studium deferentes, in rebus agendis prosperitatem ac felicitatem, regno isti florentissimo, pacem & tranquiliitatem, fortunæ constantiam, denique omnibus & singulis, vitam diuturnam, salutemque precantur. Nosque, de rebus, periculis, extremoque fere excidio, afflictissimi Regni Hungariæ, in hoc pulcherrimo ornatissimoque Vestro consessu, breuiter dicturos, vt attentis & benignis auribus exaudiatis, officiose petunt.

II. HVNGARIAE quondam Regnum, magnitudine, elegantia, vbertate florentissimum, camporum, omnia pecorum genera sponte producentium, spatio latissimum; fruges omnigenas, quas ad vsum humani generis prouidentissimus DEVS, ex terræ visceribus, modicis saltem laboribus, educit, vnico aut altero aratro, tam colentibus copiosissime producit, & sæpe, dum siliginem recipit, selectissimum triticum effundit, & quidem tanta in

abundantia, vt cumulis & aceruis, non horti, non horrea, non pagus integer; ſed vix campi ipſi ſufficiant. Eadem terra, eodem anno, in iisdem paſcuis, greges pecorum paſcit, fœnum copioſiſſime largitur, tandem aratro ſulcata, diues fructibus, meſſores lætos excipit. Accedit, tanta ouium, boum, omnisque generis pecorum multitudo, vt vnius tantummodo oppidi, non dico ſigillatim, ſed greges numerandi, fruſtra laborem ſuſcipias. Et quamuis vicinas prouincias & regna, ſingulis annis aliquot armentorum millibus reficiat, ſuisque incolis etiam ſufficientem carnium copiam præbeat; integros tamen campi, & paſtores habent greges, non deſcreſcit eorum numerus, nihil accolis deſit, non conqueruntur lanii. Ac veluti ſilua feris plena, nec externis venatoribus edicto proprii poſſeſſoris publico prohibita; apris, ceruis, damis, leporibus, & aliis quam plurimis feris, cum ad neceſſitatem, tum ad voluptatem hominum procreatis, refertiſſima eſt; ſic per totum fere Regnum Hungariæ, pecorum innumerabilis copia diffunditur.

III. Quid commemorem ſinuoſos, profundos, latos, rapidosque fluuios, quorum, vt plerique fide digni Hiſtorici tradunt, tertia pars, variis piſcium generibus, decurrit. *Tibiſcum* intelligo, *Danubium*, *Sauum*, *Drauum*, quibus Hungaria, veluti platea quædam, contra irruentes hoſtes, ferreis cathenis cincta, hoſtem, tutior & ſecurior ſpeculabatur. Taceo montium altiſſimorum admirabilem fertilitatem, qui, quam præſtantia claritate, odore, ſuauitate & fragrantia progenerent vina, teſtes ſunt, cum aliæ vicinæ nationes, tum *Poloni* ipſi, qui ſingulis annis, horum beneficio, recreantur, ornantur, exhilarantur. Sileo præterea, cum feris varii generis, tum ære, cupro, ſtanno, argento, auro, denique aliis pretioſiſſimis metallis, ſuperbos montes. Quod enim aurum, huic noſtro, vel puritate, vel ſplendore, vel pondere comparandum? REGNVM ipſum, circumiacentibus vndique prouinciis, vtpote: *Transſiluania*, *Moldauia*, *Valachia*, *Bulgaria*, *Raſcia*, *Slauonia*, *Croatia*, *Dalmatia*, quaſi fortiſſimis quibusdam propugnaculis, munitum, arcibus, magnifice exſtructis, ciuitatibus, oppidis, frequentibusque villis, & maximis, & populoſis, pulcherrimum. Cardinalibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Eccleſiaſticorum denique omnium, frequentibus ordinibus, honoribus, titulis atque dignitatibus, templis, aris, ſacerdotum collegiis, ampliſſimisque reditibus, ditiſſimum: religionis integritate, pietate, diuino cultu, ceremoniis, atque omnium virtutum cumulis, ita ſplendidum, ita ornatum, vt totum fere orbem Chriſtianum, ad naturalem ſui reuerentiam & admirationem, rapuerit, ad pietatis, fortitudinis, hoſpitalitatis, liberalitatis, pudicitiæque exemplum, incitarit. Quæ enim gens vnquam in ſua patria, tam diues, tam opulenta, generis ſplendore, tam præclara exſtitit, quæ aliquando ad honores titulosqueHungaricos, non adſpirauerit? Exſtant apud nos vſque ad hodiernum diem, multorum illuſtrium virorum nomina, qui relictis paternis laribus, ſolo Hungarico contenti, eiusque opibus ac diuitiis illecti, vitam potius, quam vt ad propria redirent, amiſerunt.

IV. Sed, quomodo, Proceres ampliſſimi! mutatum eſt aurum? quomodo obſcuratus color noſter? quomodo deiecta, pulcherrima capitis noſtri corona? Eheu! in miſerabilem luctum verſa eſt cythara noſtra! proſtrata, conculcata, ac pene deformata pulchritudo noſtra! Eheu! quomodo pudiciſſima lectiſſimaque virgo, inauribus, monilibus, corona ſpecioſa, gemmis & veſtibus pretioſiſſimis olim exornata, iam penitus denudata? Noſtra-

ne, obſecro, ſocordia, vel Chriſtianorum diſſidiis, diſcordibusque animis, vel certe Hungarorum peccatis, id ita commerentibus, fœdæ, barbaræque Turcorum & Scytharum genti, violanda relinquitur? O tempora, nunquam exſpectata! o fortunæ inconſtantiam! o miſerandam felicitatis noſtræ mutationem, nunquam antea præuiſam, ſed ne cogitatam quidem! o noſtram ſimplicitatem, qui hoſti, multis cladibus, virtute maiorum noſtrorum fracto, credidimus. Audite quæſo, *Nobiliſſimi Ordines*, in quantam, quamue miſerabilem calamitatem & anguſtiam, leuitas, inconſtantia, perfidiaqueTurcica, nos præcipitauerit? Nobiliſſimæ Hungariæ regiones, vaſta ſolitudine & ſitu fœde horrent: vbi, quot agros, quot vrbes, quot templa, quot aras, pietatis loca, profane & ſacrilege, teterrimi hoſtis manus, his tantum elapſis temporibus, euerterunt: nec euerterunt ſolum; ſed in abominandum *Mahumedis* ſuperſtitionem mutauerunt. Nulla domus in Hungaria, luctu & mœrore vacat. Liberi ante parentum ora, parentes in conſpectu liberorum, honeſtiſſimæ matronæ, & pudiciſſimæ virgines, pars, dictu miſerabile, atrociſſime ceduntur, pars, ad explendam turpiſſimam, inſolentiſſimi hoſtis, libidinem, in miſerandam funeſtamque ſeruitutem rapiuntur. Domini Sacerdotes, in ipſis diuinis ſacrisque operibus, cæduntur, & impie immaniſſimeque trucidantur, eorumque innocenti ſanguine, & cerebris, gladio hoſtili diſperſis, templa, aræ, & ſacræ veſtes, quibus in tremendo ſacroſancti ſacrificii opere, veſtiuntur, inaudita atrocitate, commaculantur. Quot incendia, quot calamitates, quanta mala, ſuperiore quoque anno acceperimus? vtinam nobis audiſſe potius, quam ſpectaſſe, & proh dolor! pertuliſſe, licuiſſet. Nunc etiam, vniuerſam *Hungariam*, miſerrima ſeruitus opprimit, neneque focos, aut aras habere, neque patriis bonis frui, neque fungi honoribus, inpoſterum fas erit; niſi benigniſſimum, *Seruatoris Optimi Maximi* numen, & externa, gentium vicinorumque regnorum, indomita virtus, præſto illi fuerit.

V. Circumuallatum, *Regnum Hungaricum*, munitiſſimis propugnaculis, nimirum vtraque *Miſia*, *Dardania*, *Dalmatia*, *Illyria*, *Raſcia*, *Bulgaria*, fuerat, quibus omnibus, per fraudem hoſtilem amiſſis, nunc iam ſqualida & mœſta *Hungaria*, ſe ipſam luget. Cum ipſe mecum reputo, prouincias, quibus ſpoliati ſumus, vix tempero profecto a lachrimis, tum recordatione malorum, quæ patimur, tum vero vltimi exterminii, quod *Iaurino*, natura & arte munitiſſimo, tum aliis vicinioribus præſidiis occupatis, haud dubie ceruicibus noſtris imminebit. Ceteræ prouinciæ nobis ademptæ, vectigalia & fines noſtros minuerant, ſedesque Regias occupauerant: at capto *Iaurino*, hoſtis immaniſſimus, non *Pannoniæ* tantum reliquias; ſed, proh dolor! omnium regnorum vicinorum & prouinciarum fines, audaciſſime penetrauit, atque *Sacri Romani Imperii* claues, manibus fere concluſit. Duo tanrum reſtant anguli in Hungaria, non ita ab hoſte tuti, quam integri: alter *Meridiem* verſus, alter *Septentrionem* verſus, quos hoſtis truculentiſſimus dilatandarum ſuæ tyrannidis finium auidiſſimus, armis, opibus & numeroſo milite, afflictiſſimis Hungarorum rebus longe ſuperior, vnica ex Thracia, copiarum ſuarum expeditione, ſuo imperio & nefandæ crudelitati mancipabit.

VI. Sed, quieſcet tandem hoſtis diriſſimus? & Hungaria potitus, ſolaque illa contentus, in Thraciam, victor ad ocium redibit? neque regnis &

prouinciis conterminis, in amicitiam ſuam ſemel receptis, bellum mouebit? Non quieſcet, mihi credite, non, cruenta bellua. Tanta enim ipſius eſt rabies, tanta impudens arrogantia, tanta auaritia, tantaque temeritas, vt exiguæ felicitatis ſucceſſu elatus, victoriæ terminum, orbis terrarum finem ſtatuat; & maiorem in ſanguine Chriſtianorum profundendo, quam in finibus amplificandis, voluptatem ponat. Speculabitur ſtatim, impaſta, rabidaque fera, tanquam ex vicina ſpecula, proximam & per primam occaſionem oblatam prædam: illinc, *Auſtriam*, *Carynthiam*, *Styriam*, *Sclauoniam*; hinc *Morauiam*, *Sileſiam*, *Poloniam*, & vicinas prouincias.

VII. Ac proinde, Rex Sereniſſime, Illuſtriſſimique Principes, ceteraque clariſſima Poloniæ lumina! tria a vobis, vti ſociis, amicis, & vicinis, omnes omnino *Hungariæ Ordines*, Veſtra pietate, amicitia & vicinitate freti, amice & officioſe petunt. Primvm: *Velitis aliquot auxiliares copias, Veſtris propriis ſumptibus conſcriptas, in ſubſidium* periclitantis Hungariæ, *ſtatim primo vere expedire.* Altervm: *Non tantum, propriis ſumptibus conſcripto milite, nobis auxilio vos eſſe: ſed &, ſi quos milites, ex ampiiſſimo Regno hoc, ac vicinis eius prouinciis, aut noſtris, aut aliorum Chriſtianorum Principum expenſis, educere coacti fuerimus, eis, liberam in* Hungariam, *proficiſcendi facultatem, concedere.* Deniqve, *nouo perpetuoque fœdere, nobiſcum ſancte pacto, Veſtram in armis, in copiis, aliisque, contra manifeſtum Chriſtiani nominis aduerſarium, belligerandi facultatibus ſocietatem, virtutemque heroicam, qua, apud omnes gentes mirifice excellitis, cum noſtra, quamuis parua & exigua manu, coniungere.*

VIII. Conſideranda enim in primis Vobis eſt, noſtra, & patriæ noſtræ conditio; extremum, quod ex interitu noſtro, Vobis immineat periculum; tum huius ſanctæ ſocietatis, nouique fœderis, ſumma neceſſitas; tum etiam hoſtis importunitas; tum denique expeditæ eius copiæ, perfidia, & inconſtantia, atque in auguſtiſſimum Iesv Christi nomen & gloriam, inſitum illi a natura odium. Nos Chriſtiani ſumus, ſocii, vicini, & amici Veſtri. Perpendite, obſecro, & reuocate in memoriam, inter Hungaros, & Polonos, mutua ac alterna, ex confœderatione antiqua, auxilia & pacta ſanctiſſima, & pro florentiſſimi quondam Regni Hungariæ libertate, & defenſione maiores Veſtros, Regesque huius inclyti Regni potentiſſimos, ſanguinem & vitam, vltro, patrum memoria profudiſſe. Moueat Vos, Sereniſſime Rex, ſaltem ſancta, pia, & pene diuinitus nuper inſtituta, inter Veſtram Maieſtatem, & Principes noſtros, affinitatis coniunctio, ex qua non tantum capitum, ſeu Principum, ſed & regnorum, & membrorum acceſſit compaginatio. Ponat ob oculos *Maieſtas Veſtra*, curas, vigilias, expenſas infinitas, quas in gratiam Reipublicæ Chriſtianæ, Imperator Chriſtianiſſimus, Veſtræ Maieſtatis affinis, amicus & vicinus, dies & noctes facit. Nihil enim ipſe, quod ad conſeruationem & incolumitatem noſtram pertinet, prætermittit. Nihil eſt, quod noſtra cauſſa ſtrenue & inuicto animo non ſubeat. Non parcit laboribus, non theſauro, non denique ſanguini & vitæ. Neque Vos, Senatores ampliſſimi, cæterique ordines inclyti huius Regni! paucitas noſtra, vires adtritæ, exiguæ Regni noſtri, iam iam labaſcentis reliquiæ, ab hac ſanctiſſima confœderatione, mutuaque belli ineundi ſocietate, deterreat.

IX. Pauci ſunt Hungari, verum eſt; ſed, non deeſt illis præpotentiſſimus Devs, cui tantum eſt in paucis, quibus benedixit, vincere, quam multos,

multos, quibus maledixit, profligare. Non deeſt nobis, vſitata, & quaſi innata, in campeſtribus prœliis, exercitatio. Non defuerunt quoque annis ſuperioribus, de atrociſſimis hoſtibus, viribus & numero armisque potentiſſimis, glorioſiſſime partæ victoriæ. Non inquam defuerunt! quam feliciter enim in *Sclauonia*, apud *Ziſzek*, cum *Haſon Baſſa* pugnatum ſit: quam turpiter, *Baſſa Budenſis*, apud *Albam-Regalem*, cum ſelectiſſimis prætorianorum militum cohortibus, fuſus, fugatusque ſit, nonne audiſtis? quid commemorem, memorabilem illam ac pulcherrimam victoriam, apud arcem *Hatvan*, in campo Turano, ex *Beglerbego Græciæ*, *Baſſis*, *Budenſi* & *Temesvárienſi*, exigua manu reportatam? Nonne etiam apud arces, *Filek*, & *Szécsén*, eiusdem *Beglerbegi*, *Baſſæ* vtriusque, *Budenſis*, & *Temesvárienſis*, auxiliares copias, noſtra caſtra, eadem, vel ſequenti nocte, per ipſos inuadenda, primo ſtatim impetu, ad internecionem propemodum omnes deleuimus, extinximus. En! maiorum noſtrorum exempla, in poſteris quoque ſuis, luce meridiana clariora. Hvngari, diu ab annis circiter ſeptingentis, pro ſua, & communi Chriſtianitatis quiete, excubias continenter agunt, fines Chriſtianorum, non ſine cruentiſſimo certamine, tutantur: ſæua tamen profecto mercede, quoniam in alendis copiis diuerſis, & per tot hoſtium frequentes eruptiones, ſpolia & cædes, tot iam annis labentibus, omnes *Hungarici* regni Ordines, defecerunt.

X. Iam, deuicta tota *Hungaria*, quæ gens, tot annorum ſpatio depreſſa? quæ natio, tot cladibus vexata? quod regnum, tot incendiis, calamitatibus, ferro, carceribusque afflictatum, tam potentem & inquietum hoſtem, infracto conſtantique animo, tam diu ſuſtinebit? In hoc nobiliſſimo Poloniæ regno, virtutem in armis, magnanimitatem & tollerantiam in aduerſis, patientiam in laboribus, belli facultates, opes ingentes, arma victricia, innumeram variarum gentium multitudinem, omnemque belli apparatum, quis vel mediocri iudicio præditus, non videt? Sed regnum hoc, non ita a natura, vt *Hungaria*, montibus vndique, fluminibus profundis, ciuitatibus & arcibus præſidiisque, contra hoſtem, arte, multisque laboribus munitum eſſe, quis non modice Polonicarum, & regionum, & rerum peritus, non animaduertit? Quare, ſi ex *Hungaria*, in *Poloniam*, acceſſum ſibi nactus fuerit, non ſecus, atque accipitres, aues rapaciſſimæ, caueis incluſæ, & poſtmodum dimiſſæ, in ſpacioſo hoc aëre, libero volatu, prædam exercent; per totam *Poloniam*, impune, per tot campos effuſus, vagabitur, per tot ciuitates & oppida, ex materie lignea fere conſtructa, incendio & depopulatione, graſſabitur. Ex his autem arcibus, non tam munitis, quam elegantibus, quas terras, quosque *Poloniæ* fines, inter exiguum temporis interuallum, non peruadet?

XI. Conſiderate itaque Proceres inclyti! qualis clypeus, qualisque murus fuerit hactenus *Hungaria*, *Poloniæ*, & quanta præſtiterint arma Hungarorum, cum orthodoxæ fidei, tum maxime tranquillitati Veſtræ, & quantum deinceps ſalua præſtitura ſit. Nolite floccifacere, & quietem Veſtram, & fortunam, quæ totæ ex ſalute Hungariæ pendent! Nolite repellere, ſacroſanctam perpetui fœderis ſocietatem, nunc vobis amanter oblatam. Et nos aliquando hac gloria, hac pulchritudine, hac admirabili conſenſus Veſtri elegantia, his templis, his palatiis, hisque ſuperbis turribus, fulſimus. Eadem Vos fata, eadem fortunæ conditio & caſus, niſi tantis, in tempore,

occuratis malis, manebunt. *Hungaria* igitur Vobis, in primis curæ esse debet; *Hungaria* Vobis, copiis quam maximis; *Hungaria* inquam, quam primum iuuanda est. Ibi obstruendum hosti iter, si Vos, & Vestra omnia salua esse vultis: ita regiones Vestras integras, facilius ex longinquo tutari poteritis, quam postea ex propinquo, laceras reficere, tueri, defendere. Nunc iuuate socii, nunc arma capite, dum hostis potentia minor, dum longinquior, fines Vestros non pertingat! Nunc, nunc! Vestra virtute bellica, truculentissimo orbis Christiani inimico, nobiscum occurrite, cum *Hungarorum* vires, minus attritæ, nosque superstites, socia arma Vobiscum capessere possumus. Nonne gloriosus & laudabilius erit, si lætior, simul ac certior, nobis firmissimo societatis ac vicinitatis vinculo confœderatis, ex hoste triumphus, & vberiora spolia contigerint; quam vt afflictis nobis, & perdita *Hungaria*, inopinata Vos sollicitudo, de salute regionum fortunarumque Vestrarum, incautos corripiat. Cauete, prudentissimi, fortissimique Heroes! ne idem & Vobis eueniat, quod olim *Græcis*, primo, exiguam opem recusantibus, tandem, non suppellectilem modo, sed & vitam offerentibus, amissa Constantinopoli, accidit. Quid enim turpius, quid fœdius, quam non præuisis calamitatibus, quæ certissimæ sunt, excœcata mente, pertinaciter, in manifestissimum periculum, seipsum præcipitem agere? Quid rursum pulchrius, quid prouidentius, quid felicius, quam in alieno periculo doctum, & cautum se exhibere?

XII. Videtis! Christianum, amicum & vicinum Regnum, concepto igni, flagrare: videtis, flammam longe funestissimam, penatibus Vestris, iam iam, nisi occurratis, imminere! Ab aliisne igitur, vt restinguatur, exspectabitis? Vtinam, Scythicum quoque illud incendium, in finibus *Hungariæ* nuper exortum, per nostros, comprimi & restingui potuisset. Non fines *Austriaci*, ingenti terrore perculsi, acceptas iniurias, inflictaque lamentarentur vulnera; non iam in *Hungaria*, tanta solitudo, vastitas, cædes tot infantulorum interitus tot lachrimæ, tantique parentum pro liberis, partim dire cæsis, partim in fœdissimam seruitutem abreptis, fusi eiulatus forent. Non tot oppida, & curiæ nobilium pulcherrimæ, ab incolis desertæ, palatiaque illustrium magnifica, suppetias alienas expeterent; neque Turca, victoriam ex Christianis, qui ante *Tartarorum*, in fines nostros excursionem, copiis *Sinan Bassæ*, vel pares, vel superiores fuerunt, vllam, superbus in *Thraciam* reportasset. Quid? imo nec *Iaurinum* cepisset. At postea tanti hostis pernicitate, qua in depopulationibus, tanquam volatu quodam celerrimo vtitur, distracti & perturbati, minus sufficientes exstitimus. Quas & nunc, in Regno strages *Tartarus* faciat, quam miseranda, & a Christiano homine merito deploranda suæ crudelitatis vestigia relinquat, quotidie cum suspiriis & lachrymis, o afflicti! cernimus.

XIII. Verum, resarcire istud malum, fortissimi HEROES! poteritis, & hanc pestem, inter omnes gentes abominandam & execrandam, tollere facile, innocentemque sanguinem, quo impius hic hostis, sacrilegas suas manus, commaculauit, vindicare, si volueritis, valebitis; nisi placuerit fortasse, hostium perfidis blandimentis, adulationibus, fraudulentis induciis, & iniquissimo ipsorum fœderi, fidem habere, dum, florentissimo huic *Poloniæ* Regno, sub specie amicitiæ, & pacis inconstantissimæ simulatione, perpetuam pacem & tranquillitatem promittunt. Nolite, Ordines inclyti! nolite

lite! hoſti nefario & perfido, qui dum Chriſtianos, fide & amicitia ſua decepit, iam certiſſimam ſibi ſalutem, eamque interminabilem conceſſam eſſe credit, aures animosque, tam facile præbere. Parcit lupus oui, & nonnunquam etiam ſimulata amicitia blanditur, adulatur, quia prædæ abripiendæ opportunitatem nondum habet; verum, vbi occaſionem vel exiguam nanciſcitur, illico rabidam voracitatem, in miſeram ouiculam exercet. Ita nos maiorem Regni noſtri partem amiſimus: amicitiæ namque, & fucatis pollicitationibus, fideique *Turcarum* nimium credentes, tuti, ſecuri, ſub induciis in pace viximus; illi autem, nulla a noſtris iniuria laceſſiti, quibusuis iniuriis leuiuſculis, falſo prætenſis, opportunitateque ea, ex noſtrorum otio capta, contra omnem amicitiæ legem, & ſacroſanctam icti fœderis pacem, contra omne ius gentium, in vindictam, vt hoſtes turbidi, inquieti, immanesque, exarſerunt. Regiones noſtras, incendio & ferro vaſtarunt, arces, admotis tormentis bellicis, expugnarunt, fines ſuos, quam latiſſime potuere, cum maximo Regni noſtri detrimento, dilatarunt; vel certe, vbi aperto marte inuadendi modus ipſis defuit, technis, machinis, arte denique, plus quam Pelasga, noſtris, ad vnum trucidatis, præſidia noſtra, munitiones noſtras, in ſuam poteſtatem redegerunt.

XIV. Deplorant, hanc ipſorum perfidiam, multa Hungariæ caſtra: *Simon-Tornya*, *Dombó*, *Dobrekőz*, *Ozora*, *Kaposujvár*, *Baboltſia*, *Korothna*, *Buyak*, *Zanda*, *Dregely*, *Filek*, *Szécsén*, *Zólnok*, *Hatvan*, *Divin*, *Kékkő*! Deplorat *Croatia* vniuerſa! deplorat *Sclauoniæ* pars maior! deplorant denique, quam plurima huiusmodi loca munitiſſima, quæ ſub induciis iſtorum infidelibus, aſtu & fraudulentia occupata ſunt. Hos ipſos eorum callidos aſtus & fraudes, iam tota pridem luget Europa. Neque *Polonia*, omni ex parte, iſtius calamitatis immunis eſt: nonne, tam vetera, quam noua fœdera, ſancte Vobiſcum pacta, non ſuperiore ſaltem anno, per tranſitum & depopulationem Tartarorum immaniſſimam, verum etiam, tertio ab hinc anno, egreſſu & potentia *Beglerbegby*, impius & perfidus Turca rupit, violauit, confregit? Tanta eſt, hoſtis iſtius nefarii, leuitas & perfidia. Vindicate igitur hanc atrocitatem, & cum CHRISTI JESV, DOMINI NOSTRI hoſte, manus conſerite! Doleat vobis iactura, & pernicies Chriſtianitatis, occurrant arma Veſtra tot malis & periculis. Veſtram opem implorant, pueri, in campis vagantes! Veſtra auxilia expetunt, cadauera Chriſtianorum, per agros crudeliſſime paſſim iacentia! Veſtras ſuppetias, viduæ lectiſſimæ, & virgines pudiciſſimæ implorant! Vos ſocios & vicinos, *Hungarorum* Regio & terra afflictiſſima, ſociorum & vicinorum Veſtrorum ſanguine inebriata, vindices, & iuſtiſſimos vltores, expoſcit! Vos denique, ad perpetuum fœdus, ad armorum victoriarumque, ac omnis fortunæ, tam aduerſæ, quam proſperæ, ſocietatem inuitat. A vobis præſidium *Hungaria*, extenſis brachiis, quæ *Poloniam* tot annis, quaſi clypeus, & murus aheneus, animoſe defendit, flagitat, orat, depoſcit. Vobis, ipſa, & poſteris Veſtris, conſtans immobilisque fœderis, vicinitatis, bellicoſæque, contra communem hoſtem, ſocietatis vinculum, vltro amanterque defert.

XV Quod ſi, non pietatis ſtudium, non zelus fidei, non amicitiæ, & vicinitatis antiqua iura, neque hæc noſtra iuſta, amica, legitima, mutuaque conſuetudo, in hanc ſumme neceſſariam ſanctiſſimamque expeditionem

Vos mouent, & armant; moneat ſaltem TE, Sereniſſime REX! Vosque ornatiſſimique PROCERES! gloria, ſacroſancta belli ſocietas, neceſſitas, denique, cui omnes ſapientes parent. Regum namque, & Principum ſceptra & diademata, gloria, bellicis virtutibus parta, exornantur. Quid enim, vt *Iulius Cæſar*, toto terrarum orbe, ob res præclare a ſe geſtas, celeberrimus, gloria ſuſpiciendus eſſet, effecit? virtus bellica! Quid *Pompeium*, *Scipionem*, *Hannibalem*, *Alexandrum Magnum*, ad imperium totius orbis aſpirantes, incitauit? virtus bellica! Quid *Carolum Magnum*, *Carolum Quintum*, *Ioannem Coruinum*, Regni Hungariæ quondam Gubernatorem fideliſſimum, *Matthiam*, Regem inuictiſſimum, & alios complures præſtantiſſimos Regni noſtri heroes, ad bella, infracto inconſternatoque animo, ſuſcipienda, pro Chriſtianæ Reipublicæ ſalute, & conſeruatione, ad quæuis pericula ſubeunda tantopere incendit? virtus bellica! Quid *Caſimiros*, *Vladislaos*, huius florentiſſimi Regni, glorioſa diu germina, per totum huius vaſtiſſimi orbis ſpatium, inter tot gentes, celeberrimos laudatiſſimosque effecit? virtus eadem bellica! Quis vnquam magnanima illa heroicaque natura exornatus, pro gloria conditionis ſuæ, proque nominis CHRISTI celebritate, vitæ, necisque periculum aliquando exhorruit? quid rurſus hæc laudabili ſocietate, in qua religio, fides, æternaque DEI Optimi Maximi ſymbola defenduntur, pulchrius? quid amabilius? quid ſuauius? CHRISTVS, pientiſſimus Pelicanus, ſanguinem pro nobis nudus fudit, nudus pro communi ſalute, erecto crucis trophæo, cum hoſte truculentiſſimo, congreſſus eſt, ſanguinem ſuum vitamque, pro Veſtra pace & tranquillitate, profudit; Vos vero eam, eiusque gloriam defendentibus & honorem, hoſtibusque illius, bellum mouentibus, auxilio & ſocietate Veſtra, adeſſe non vultis? Ille inimicis, & humani generis hoſtibus, vltro bellum indixit; Vos autem perfidis & teterrimis eius aduerſariis, ſanctiſſimumque nomen & Diuinitatem eius, continue blasphemantibus, armis occurrere recuſatis?

XVI. Sed, quid hæc amplifico, dum pretioſiſſima pulcherrimaque hæc munera, cælitus Vobis data, quibus exornati eſtis, ſponte Vos, contra tam immanem truculentumque CHRISTI Domini hoſtem, impellant & excitent, atque adeo neceſſitas ipſa, etiam nolentes, trahat. Malo enim Vos conſiderare, quam fando ominari, qualis *Poloniam*, periclitante *Hungaria*, fortuna maneat. Horret animus, admonitione eorum, quæ ventura ſunt; niſi huic incendio, mature eatur obuiam. Omnia mala, quæ nos paſſi ſumus, & etiam nunc patimur, Veſtris capitibus & fortunis, imminent. A *Turcis*, diriſſimæ ſeruituti, viri mancipabuntur; pueri, feminæ, puellæque promiſcue ad ſtupra rapientur; ac cum parum proderunt lachrimæ, tum dolebitis, dum non licuit iuiſſe huic incendio obuiam. Non crediderunt hæc olim futura Græci, non Macedones, non Dalmatæ, non denique reliquæ nationes, quæ nunc omnes, miſeram ſeruiunt ſeruitutem.

XVII. Rumpite igitur moras, Sereniſſime REX! & Vos ornatiſſimi PROCERES! & cum iam Vos neceſſitas ipſa cogat, arma, contra infeſtiſſimum hunc hoſtem, Veſtrumque ſanguinem ſitientem, capeſſite, noſtrumque fœdus, oblatamque amicitiam, quam hodierno die Vobis noſtri offerunt, ſincero libentique animo acceptate, admittite, confirmate, & cum ſumma nominis Veſtri gloria, annalibus Veſtris inſerite! Quod ſi feceritis, *Hungariam*, longo iam ſitu ſqualidam, priſtino decori reſtituetis, ac immaniſſima ſerui-

ſeruitute, tot annis oppreſſam, in libertatem vindicabitis; immaculatam Christi præpotentis fidem, pro execranda Mahumedis tabe, plantabitis; pacem, pro bello; cultum diuinum, pro armorum cura; iuſtitiam, pro iniuria; & cum diuini nominis certiſſimo auxilio, diu ex hoſtibus deſideratam victoriam, nobiſcum reportabitis; *Hungaricam* gentem, perpetuo vobis deuinctam, confœderatam, & in omnibus Veſtris, fortunæ & vitæ periculis, auxiliarem habebitis. Veſtræ denique genti, tot illuſtrium hiſtoricorum commendationibus & ſcriptis celebratæ, decus, gloriam, nomenque immortale, nulla vnquam poſteritatis memoria, aut temporis iniuria, delendum, inter omnes orbis Chriſtiani populos & nationes, comparabitis. *DIXI.*

*Ad Sereniſſimum*

# SIGISMVNDVM TERTIVM,

Poloniæ & Sueciæ Regem &c.

## NICOLAVS SZOKOLY

De Kis-Varda.

HAEc ſunt Pannonidos patriæ triſtiſſima noſtræ
Iam iam labentis vota precesque Tibi!
Rex vicine? malis fer opem: nam flamma propinquat
Sarmatiæ; noſtris Rex pie diſce malis.
Flammas vicino conceptas igne moratur
Intacta arſurus, qui ſua tecta cupit.
Perſurit Odryſius gladiis immanibus hoſtis,
Et quatit Hungarici mœnia pulchra ſoli.
Barbaricis aras manibus funeſtat, honores
Diuorum ſacros, impietate premit.
Omnia ſuccendit, vaſtat, debellat, inundat,
Vulcano, telis, Marte, cruore, Geta.
Tolle decus Regni, Regum fortiſſime ſceptrum!
Et proſterne hoſtis colla ſuperba trucis.

*PAVLLI FORRO TRANSSILVANI,*

Illuſtriſſimi D. D. Andreæ S. R. E. Tit. S. Ang. Card. Bathorei, Epiſcopi Varmienſis &c. clientis humillimi

*διωνοσκοπία.*

VIx ardentis adhuc rutilantia lumina Phœbi
Portitor ad veris feſtinans ſenſerat Helles
Tempora, cum virtute potens & Marte ſuperba,
Diues agri, diues pecoris fuluique Metalli,
Piſcoſis ornata vadis, & flore virorum,
Pannonis ad fortes Legatos ora *Polonos*,
Paciferæ nimis ornatos ſubmiſit olyuæ,
Fœdere, qui inter ſe ſocient duo regna perenni,
Et renouent ſanctum cognati numen amoris,
Iuſta parent armis Rodopeio bella Tyranno,
Publica frangenti iura & ſacra fœdera pacis.


Turrigeras populanti arces monumentaque Regum
Priſcorum, & pia templa DEVM, ſacroſanctaque ſacra,
Vaſtantique feris Hunnorum inſultibus agros.
Qui putat omne nefas ſibi fas, atque omne nefandum
Illicitum, licitum eſſe: pios dum cæde madenti
Chiſtiadum cœtus, prô! deteſtabile monſtrum
Proſternit, perimit. Mæotide ſæuius ara,
Sæuius & Procruſte truci vel Buſtride ſæuo,
Sæuius & Beſſo, & Phalari, diroque Nerone.
Veſter honos igitur viget, æternumque vigebit
Legati Vngarici! afflictis ſuccurrere rebus.
Queis patriæ mens tanta fuit; quæ præmia linguæ
DEMETRI auriflue! capies Antiſtes honores.
Vngariæ CICERO, qui prouida pectora Regis
Sarmatici, & magnum flexiſti voce Senatum.
Quæ vobis vnquam defenſi munera ciues,
Eximii illuſtresque viri dare digna valebunt,
Quæ merces poterit veſtro æquiualere labori?
Sarmatas Heroas claros præſtantibus armis,
Maiorumque bonis & nobilitate potentes,
Ad patriæ auxilium, poſt fœdera pacta vocatis.
Vt conſanguineos nutantes vulnere ciues,
Atque iugum Turci pridem crudele ferentes,
Reddatis libertati decorique vetuſto.
Vicit iter durum pietas & patrius ardor,
Vicit Carpathias facies triſtiſſima rupes,
Pannonidos matris, lachrymæque per ora volutæ,
Nec Veſtra in ventos abierunt irrita vota.
Ecce gradu rapido gelidi ſarraca Bootis
Sarmaticique Duces, animiſque ingentibus, & vi
Indomita, & nunquam fracti virtute tyranni
Iſmarii, atque iugum nunquam exſecrabile paſſi.
Ad Nothon Auroramque parant Mauortia ſigna,
Ducere quadrupedes - - - in bella feroces.
Arma æuo feſſi, viridis fremit arma iuuentus,
Ardeſcunt animi, languentque cupidine belli.
Sanguineas acuunt iras, & brachia iactant,
Tympana, ſcuta, tubæ, gladii, galleæque comantes,
Spicula, trophea, phaleræ, vexilla, ſecures,
Conflantur magna cum ſedulitate virorum
Quocunque aſpicias, lethali incude *Polona*
Mulciber ignipotens geſtit producere ferrum
In gladios, & raſtra truces & ſarcula vertit,
Bellua crudelis nondumne cruore furorem
Effuſa ſatias? rabies nondumne quieſcis?
Tot raptis ſpoliis, variis ex partibus orbis?
Non ſatur Aegypto es, claraque Semiramis vrbe,
Illiricisque agris & maieſtate Pelasga?


Perges

Perges ſacrilegis vltra fœdere lacertis :
Hungarici florem imperii terramque beatam
Scilicet id facies : Bacchaberis orbe Mægera ,
Et populos vrbesque dein ceu tabificus ceps ,
Bellua gorgoneis implebis ſæua venenis ,
Orbem terribili domitabis Turca flagello ,
Phana prophanabis Diuis ſacrata benignis ,
Euertes aras , ritus abolebis auitos.
Scilicet id facies : potuit quoque plurima virtus
Eſſe, fuit; nunc verſa ruit ; retroque fluit ſors.
Iam tibi belli potens imponet *Sarmata* frænum.
Sarmata magnanimus ſceptro tibi cornua franget.
Sarmata iam totis in prælia viribus exit.
Sanguinea dare ſigna tuba iam præcipit, ardens.
Iam conſcendit equos, haſtas vibratque tremendas.
Infert arma tibi ; ſurgunt bella horrida bella
Perfide iam diſces iuſſis parere ſacratæ
Chriſtiados , pones rabiem, dirosque furores.
Sceptigera , SIGISMVNDE potens , REX maxime Regum
Frange manu , hoſtilis colla hoſtica frange tyranni.
Pannoniis fer opem ſociis, miſerere ruinæ
Pannonicæ ; præſto ſis auxiliaribus armis
Hungaricæ , REX magne ! rei , nunc porrige dextram
Labenti populo, qui tot labentibus annis
Bella gerit cum gente truci , patiturque procellas.
Vndique mundantes , ſexcentaque tela malorum.
Sarmatiæ hic ſcutum fuit , & Germanidos oræ :
Sarmatiæ ergo illi ſcutum & Germanidos ora
Nunc ſit , & afflictis nimium ſuccurrat amicis.
Si vobis nobisque trucis ceruicibus Hydræ
Et ferro & flamma exuſtis, penitusque peremptis ,
Non peritura domi pax & victoria circum.
Semper erunt & ſancta quies, ſic aurea Regis
Secula falcigeri redeunt, aſtreaque Virgo
Sic illuſtre decus noſtrum celebrabitur omni
Tempore, laurigerique canent facta inclyta Vates.

*A M E N.*







# INSTRVCTIO

## Domino Præpoſito Agrienſi DEMETRIO NAPRAGY, & Domino *Nicolao Zokoly*, atque *Michaeli Kellemeſy*, Vice-Comiti Comitatus Sároſienſis, data ad Sereniſſimum Regem Poloniæ SIGISMVNDVM, Sereniſſimam Reginam & Status ac Ordines REGNI POLONIAE, per Status & Ordines REGNI HVNGARIAE ex publicis eorum comitiis, nunciis deſtinatis.

*Poſonii* Anno CIƆ IƆ XCV. die IX. Menſis Februarii.

I.

DOmini nuncii Noſtri mutuam intelligentiam, cum oratore Suæ Maieſtatis apud Sereniſſimum *Regem* & *Reginam*, ac vniuerſos *Status*, exiſtentem, habebunt, ac omnium rerum tractandarum, cum ipſo, non ſolum communicato conſilio; ſed & pro maiori auctoritate, ipſis etiam præſentibus in communi audientia inibunt, in omnibusque illud, quod Suæ Maieſtatis auctoritati, ac publico commodo, & permanſioni patriæ noſtræ, ac vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ conſonum videbitur, facient & adgredientur.

II. In primis Sereniſſimo Regi Poloniæ, & Reginæ, ac vniuerſis Statibus, demiſſa noſtra obſequia atque in Suas Maieſtates obſeruantiam; deinde Statibus ac Ordinibus noſtra paratiſſima & perpetua officia, omneque bonæ vicinitatis ſtudium, deferrent ac dicent, Nos hodierna die felicia auſpicia, publicæ *Regni* noſtri dietæ poſuiſſe ieciſſeque: ac, antequam ad noſtrorum negotiorum alium tractatum deueniſſemus, primo omnium nos nuncios noſtros, ad ipſos, tanquam bonos Dominos amicos & vicinos, propriæ ſalutis, ac communis reipublicæ Chriſtianæ permanſionis amatores, mittendos decreuiſſe.

III. Deplorandum & calamitoſum patriæ huius noſtræ ſtatum præſentem, imminentia pericula, periculorum magnitudinem, conſtantiſſimos hoſtium ad euertendas & exterminandas adflictiſſimi huius regni reliquias, conatus, & propoſitum, quo ſibi non ſaltem *Hungariæ*, & vicinarum prouinciarum dominium, verum etiam totius orbis imperium vindicare moliuntur, declarabunt.

IV. Declarabunt porro, quam florentiſſimum hoc *Regnum Hungariæ* fuerit, & nunc in quam deploratum & extremum perditionis ſtatum, ob hoſtis ſæuitiam intollerabilem, deiectum ac redactum ſit: pro quo nempe muro atque propugnaculo ceterorum adiacentium Regnorum; pro Chriſtianæ Reipublicæ ſalute, fide & religione, tot reges, etiam ex Auguſtiſſima Sereniſſimorum *Regum Poloniæ* proſapia, ſanguinem ſuum effuderint; tot viri fortes ac præſtantiſſimi mortem oppetierint, ac infinita hominum millia, partim cæſa, partim vero in duriſſimam ſunt abducta captiuitatem, & ad Mahometicam ſectam, repudiata fide Chriſti, amplectendam ſunt impulſa.

V. Referent, & validis argumentis *Regi* & *Reginæ*, ac Ordinibus *Regni Poloniæ*, inculcabunt, *Hungaricam* hanc nationem, ad extremum vſque interritum, officio ipſorum, ac maiorum virtutibus, & gloriæ ſatisfacere; & non modo fortunis. quas iam acciſas & adtenuatas habent; ſed nec vitæ quidem parcere, paratos eſſe. Verum, in tantum & extremum periculum excidii & imminentis perditionis deuolutos eſſe; vt niſi impendenti huic malo remedia circa dilationem adhibuerint, atque a vicinioribus principiis Chriſtianis, quibus hæc defenſio curæ & cordi eſſe deberet, manus auxiliares petierint, & eorum opem implorauerint; & ipſos Hungaros certe perituros, & alia regna vicina, & contermina eidem ſunt periculum incurſura.

VI. Do-

VI. Doceant eosdem, diligenter considerari debere, quod, si quid aduersi nobis (quod tamen DEVS Optimus Maximus auertat) acciderit: ille sane inter cetera haud facilius loca alia, quam Poloniam, Turcam petiturum. Si enim hostis tam præpotentis, impetu, cuius furori, vires nostræ resistere minime iam valent, aut sufficiunt; nobis vel patria cedere, vel alia in regna fugere, vel vero (absit omen dicto) misere occumbere, contingat: vtroque certe modo, excidium ipsis imminere, dubium non est. Nam, & morte, & fuga nostra, liber hosti inuadenti confinia Poloniæ, & deuastandi, patebit transitus. Cuius terminos, si ingressus fuerit, vix confidere possumus; solum hoc regnum Poloniæ; aut tanta fluuiorum rapacitate, aut iis viarum angustiis, aut ea castrorum fortitudine, aut vero aliis ad resistendum tam truculento hosti, commoditatibus ita instructum esse & munitum, vt eius conatus, vel facile reprimere, vel certe diu sufferre possit; ac tanto magis periculum ipsis immineat, quod duobus potentissimis tyrannis; ac proximis vicinis, *Turcæ* & *Tartaro*, difficillimum erit, soli isti Poloniæ regno, resistere.

VII. His & aliis similibus rationibus, quas ad mouendos præsertim *Dominorum Polonorum* animos accomodatas, pro ipsorum industria Domini nuntii videbunt, sedulam dabunt operam, vt ipsos ad suppetias interritui & excidio nostro, ferendas, accendant; facilius a propria domo flammam arcere posse, si vicini ardentes ædes extinguantur; & quantum ipsis nostrorum capitum periculum, periculi secum attrahat, exaggerabunt. Id quoque Domini Nuntii nostri *Proceribus Polonis* in memoriam recentem reuocabunt, hostes ipsos, tam vetera, quam noua fœdera, cum ipsis sancte pacta, non saltem præterito pertransitu, & depopulatione immanissima Tartarorum; sed etiam, tertio ab hinc anno, egressu & potentia *Begler-Begi*, impie & perfide rupisse; nec eius vnquam fuisse constantiæ, quin, quauis prima occasione nacta, crudelissime & facillime, de veteribus etiam iniuriis, falso prætensis, vindictam summat. Quod nos maximo nostro malo expertos demonstrabunt; ex plurimorum castrorum Regni, & pene totius Hungariæ interceptione, vtpote castrorum: *Simon-Tornya*, *Dombó*, *Döbreköz*, *Ozora*, *Kaposujvár*, *Baboltsia*, *Korothna*, *Buyak*, *Zonda*, *Dregely*, *Filek*, *Szécsén*, *Szolnok*, &c. & alia complurima. Croatia tota & *Sclauonia*, & maioris partis *Hungariæ*, locis munitissimis, sub induciis, & perfidissime, & crudelissime occupatis. Ac hos ipsos eius astus & fraudes, tota Europa iam pridem luget; nec Domini Poloni eius rei immunes penitus fuerunt, qui etiam non leues occasiones per Cozacos præbuerint hostibus.

*Ultimo:* Sacratissimo *Regi* ac *Reginæ* supplicabunt, ac ipsos vniuersos *Dominos Polonos* suis precibus orabunt atque exorabunt, vt habito respectu Christianæ Reipublicæ, communis permansionis, considerato extremo tam nostro, quam ipsorum, quod ex perditione nostra ipsis imminet, periculo propensis inter Hungaros & Dominos Polonos, mutuis ac alternis, ex consideratione antiqua, auxiliis, & pactis sanctissimis, moti in DEVM & Christianam religionem, pietate & propriæ salutis amore, quo maioribus auxiliaribus militum copiis, nobis in extremo versantibus adesse poterint, adsint; Illudque & mature faciant hostem cum validissimo exercitu, iam in procinctu esse, certo sibi persuasum habentes Domini Nuncii sedulo instabunt, qui si conuentus nostros præuenerit, metuendum sane, ne idem nobis, quod olim Græcis, primo exiguam opem recusantibus, tandem non saltem supellectilem, sed & vitam offerentibus amissa Constantinopoli accidit, eueniat. Rogabunt denique eosdem, vt non saltem propriis sumptibus, conducto milite nobis auxilio sint, sed & si quos milites ex eorum regno, aut vicinis prouinciis eius, aut nostris, aut aliorum Christianorum principum expensis educere conati fuerimus, eis liberum ad nos veniendi concedant exitum.

Cetera, quæ de obtinendis contra Turcam auxiliis, & patriæ nostræ afflictissimæ saluti, apud Sacratissimum *Regem* & *Reginam*, & Ordines *Regni Poloniæ*, inter conuersandum ac colloquendum proponenda & inculcanda erunt, prudentiæ & industriæ Dominorum Nunciorum relicta sunt; auctoritate tamen & consilio, *Sacræ Cæsareæ Maiestatis*, Oratorum semper accedente, ea spe, quod nil eorum, quæ ad defensionem, salutem & permansionem Regni huius, & opem ipsi ferendi, & auxilium imploran-

plorandi, perficua fore videbuntur, intermittent. Eius quoque memores sint, quod si in vno aut altero harum rationum puncto, *Sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis* Oratores aliquid mutare, demere, aut addere volent, pro commodiori auxiliorum impetrandorum persuasione, *Suæ Maiestatis*, ac Regni huius bono, ipsis aliquid in mandatis dederit, ei se commode accommodare tenebuntur. Sicque demum nostra humillima obsequia Serenissimo *Regi* & *Reginæ*, ac Venerandis Statibus & Ordinibus studia & auxilia, vbi post DEVM, ipsorum etiam Dominiorum subsidio, victoriam de hostibus reportauerimus, cum nostrorum officiorum, & beneuolæ propensionis commodo, pollicebuntur.

## MANTISSA,
## *Quomodo oporteat Legatos admittere, aut Legatos mittere.*

Ex Codice manuscripto Augustano,
CAROLO CANTOCLARO
Interprete,
EXCERPTIS de LEGATIONIBVS, quæ prodiere PARISIIS, A. cIↃ IↃ Ix.
præmissa.

LEGATI, *aut a nobis, aut ad nos mittuntur. Quando igitur ad nos mittuntur, oportet ipsos humaniter excipere: Omnes enim ipsos honorant:* cum eorum ministris, caute & secure agere, ne quid ab vllo interrogantes discant, & si gentium longo a nobis interuallo distantium legati sint; ne forte inter nos & ipsos, sint aliquæ gentes, quibus, quæ qualia nobis sint consilia, indicent. Idem quoque de his, qui nobis vicini sunt, licet viribus & potentia sint inferiores, obseruandum. qui, etiam si nobis concedant, siue multitudine hominum, siue virtute; non oportet illis ostentare, neque opes, neque nostram mulierum pulchritudinem; sed hominum abundantiam, & armorum pulchre constitutum adparatum, & murorum propugnacula.

Si a nobis *Legati* mittuntur, oportet viros esse probos, pietate insignes, neque publicorum iudiciorum crimine damnatos, qui caram rempublicam habeant, vt pro ea, capitis fortunarumque suarum periculum adire non recusent, sicut *Regulus*; qui prompto animo legationem obeant, non inuiti, sicut *Aegyptius medicus*. Horum primus apud *Carthaginenses* captiuus, & ad *Romanos* legatus pro pace missus, iurauit se reuersurum, si *Romani* pacem nollent. Vbi ad *Romanos* venit, a pace eos dehortatur, tanquam eorum rebus infructuosa, & minime id, quod iuramento promiserat, omnino exequens suadet, vt se ad *Carthaginenses* remittant. Alter vero, cum *Persarum* Regem in Aegypti Regem concitaret, res *Aegyptiorum* pessumdedit.

Oportet autem *Legatos*, vbi ad eos, ad quos mittuntur, venerint, sese humanos & benignos exhibete, magnanimos, liberales, quantum eorum facultates ferre possunt, æque sua & hostium laudare, neque eorum, apud quos Legati sunt, res parui pendere. Decet etiam *Legatos* res cum summa moderatiooe administrare, & temporibus seruire. Nec enim illis necessitas incumbit, quibusuis modis sibi imperata facere. Vt videlicet, est aliquis missus ad dona ferenda vicinis, tanquam amicis, & eos deprehendit hostilia facientes: munera, cum litteris retinuit, sermones beneuolos, pro donis, protulit. Dicet aliquis, neque id immerito, oportuisse *Legatum* dona potius tradere, quibus inimicorum hostilem animum placaret & leniret; vel pretiosiora quidem retinere, alia vero dare; sed non omnia in sua potestate penes se retinere debuisse; cum hoc temperamento: vt velit quidem hostium maleuolentiam compescere & resecare; sed non eos auctiores & validiores opibus, reddere. Probatur vero *Legatus*, antequam mittatur, si illi proponantur capita legationis, & interrogetur, quomodo singula est administraturus; an ita, an aliter, prout res ceciderint.

FINIS DECADIS PRIMAE.

INDEX



# INDEX
## *Rerum Memorabilium.*



 San-

Boquir,

Q.



R.

U.



V.

# F I N I S.



# ATTILA,

MISSIS, ACCEPTISQVE LEGATIONIBVS, ILLVSTRIS.

*EX*

# PRISCO RHETORE SOPHISTA,

*POST*

DAVIDIS HOESCHELII, CAROLI CANTOCLARI, HENRICI VALESII, & PHILIPPI LABBEI, CVRAS,

*Edidit, atque Notas adiecit,*

## MATTHIAS BEL.

ADPARATVS AD HISTORIAM HVNGARICAM,

*DECADIS II. MONVMENTVM I.*

---

POSONII, apud Hæredes Royerianos. Anno MDCCXLV.

CELSISSIMO PRINCIPI,
*DOMINO BENIGNISSIMO,*

# D<sup>N.</sup> PAVLLO ANTONIO

SACRI ROM. IMP. PRINCIPI

## ESZTERHÁZY DE GALANTHA,

AVREI VELLERIS EQVITI, PERPETVO COMITI IN FRAKNO, COMITATVS SEMPRONIENSIS SVPREMO AC PERPETVO ITIDEM COMITI, SACRAE REGIAE MAIESTATIS CONSILIARIO ACTVALI INTIMO,

GENERALI CAMPI VIGILIARVM PRAEFECTO, ET VNIVS LEGIONIS EQVESTRIS ORDINIS HVNGARICI COLONELLO,

*Nec non*

CVBICVLARIORVM REGALIVM MAGISTRO,

*PRINCIPI AC DOMINO BENIGNISSIMO,*

D. D. D.

*Obsequentissimus*
MATTHIAS BEL.

# CELSISSIME PRINCEPS, *DOMINE BENIGNISSIME!*



TTILAE res gestas, & ingentia illa facinora, quæ mirifica quadam fortunæ indulgentia, & belli edidit, & domi adfirmauit, varie sunt, a variis, prodita. Nempe, euenit hoc ATTILAE, quod alicubi in annalibus, de *Nerone*, *Iosephus* refert: *Multi de Nerone historiam composuerunt: quorum aliqui, in gratiam eius, vt bene de se meriti, veritatem neglexerunt; alii, suis indulgentes odiis, tam impudentibus mendaciis, in famam suam debacchati sunt, vt merito sint damnandi.* Enim vero, eadem scribendi malignitate, factum est, vt apud mortalium plerosque, inueterauerit opinio de ATTILA: quod tyrannus in omnes; quod orbis terrarum populator; quod subsessor, publicæ, per Asiam, Europamque, securitatis fuerit. Atque, id quidem, haud moraremur fateri, vbi opus fuerit; si, non id egissent, agerentque adhuc, boni illi; vt, quem viuum non poterant armis, vmbras eius, stilo confoderent, obruerent calumniis. Hoc liuoris fuit institutum, vetus illud, & extra omnem modum, inuidorum mentibus inolitum. At enim vero, quibus mens contigit æquior, excelsiora pleraque omnia, de ATTILA, litteris mandauerunt: id quod doleant perpetuo maleuoli.

Pronum foret, in vtramque partem, tum *Græcos*, tum *Latinos* scriptores, turmatim aduocare, CELSISSIME PRINCEPS! id, si congrueret cum instituti rationibus. PRISCVM ego hunc RHETOREM, in TVVM conspectum, CLEMENTISSIME DOMINE! ex multis adducere, satis existimauerim: qui ATTILAM, incomparabilem heroa, & vnus omnium, coram optime cognitum habuit, & in historia, quam de eo condidit, ex vero, atque ita descripsit, vt, nisi fata nobis, eius commentarios, inuidissent, superarent adhuc, augusta virtutum ATTILAE exempla, nullis facile

Regum, qui bello, ac pace, priſcis illis temporibus, emicuerunt, æquiparanda. Quod vnum mihi auctoramentum, ſatis eſt, vt TIBI, PRINCEPS CELSISSIME! ſcriptorem, fatis maligniori-bus, ex magno, paruum redditum, in ſubmiſſiſſimi cultus teſtificationem, cernuus adferam: quippe, quemadmodum non ſatis cognitum ciuibus noſtris; ita decorum, vtilem atque neceſſarium vnice hiſtoriæ patriæ. Habet enim, iſt hic exhibitus ATTILA, quidquid oggerant hoſtes ſui, non tantum, quæ illi inſectentur, vitia; ſed habet profecto, quod in homine barbaro, immo, fulmine belli, admirere, ea ſimul virtutum documenta, quæ, ſi imitatione vellent exprimere, qui paſſim in orbe rerum iam potiuntur, tota vniuerſim *Europa*, mitiore, in præſens, vteretur fortuna.

Quæ cum ita ſint omnino, PRINCEPS CELSISSIME! maiorem in modum abs TE peto, velis, pro TVA benignitate, deſtinationem hanc meam, eum in modum accipere, ſicuti id, & magnitudo animi, quam a diuiniſſimis maioribus indeptus es; & TVA ipſius virtus, bello & pace exercita, ſuadent, poſcunt, iubent. Nolo, plura cumulare. Erit, in laudes TVAS, excurrendi campus, in feliciſſima, Comitatus Sempronienſis, prouincia, cui optimorum Regum indulgentia, ſapienti conſilio moderaris, atque palam teſtaris, quam TIBI, Indulgentiſſimæ REGINAE ſalus; ſecuritas patriæ; ciuium gloria ac felicitas; & horum, qui TVI ſunt, fauſta vbique requies, cordi ſint curæque. TV porro, numine propitio, per auorum TVORVM veſtigia, ad ſolidam, ſummamque gloriam, graſſabere. Atque id quidem, & domi, & militiæ, maſcule ac conſtanter facere TE, ne ipſa quidem inuidia auſit inficiari. Quin immo, excelſi hanc animi TVI indolem, ſicuti vniuerſa *Hungaria*, ſuſpicit, miratur, & laudibus ad cælum vehit; ita, *Sereniſſima Regina*, MARIA THERESIA, auguſtali quadam munificentia, vti palam eſt, & benigniſſima eius diplomata, liberaliter teſtificantur, non ceſſat fouere, cumulare, accendere. Certe, quod de NICOLAO, viro, in gente TVA, prorſus diuino; & PAVLLO principe; hoc auo, illo abauo TVO; apud omnes publice conſtat; id nunc de TE, PRINCEPS CELSISSIME! totius *Hungariæ* ſermonibus prædicatur: *Nouum* TE *Fundatorem, locupletatoremque gentis Eſzterhazyanæ, ſi non lautiorem; certe illis ſupparem, iam nunc, euaſiſſe. Feliciter!* Vale! HVNGARIAE DECVS incomparabile, & ATTILAM hunc meum, in cuius comitatu confiſus, ad TE venio, facilis admitte, bonus accipe, & benignitate TVA confoue. PISONII, An. MDCCXLV. *Calendis Iunii.*

PRAE-



# PRAEFATIO AD HVNGARVM LECTOREM.



Risci Rhetoris Fragmenta de Legationibus, poſt graues, ſummorum virorum, curas, edimus: non, quod qualicunque hac opella, orbi erudito profuturos nos confidamus; ſed, vt Hiſtoriæ *Hungaricæ*, quam ſemel iuuare cœpimus, lucis quidpiam, e tantillis, nobiliſſimi ſcriptoris, reliquiis, fœneremur. Neque enim, rerum *Hungaricarum* auctoribus, qui, & tenues ſunt, & paſſim fidei non exploratæ, Priscvs, ſaltem fando cognitus, nedum in rem patriæ, ab vllo eorum verſus fuit: ſi Coelivm Calanvm Dalmatam, excipias, qui in Attila ſuo, (a) mentionem eius aliquam iniicit, ex *Iornande*, vti adparet, acceptam. Qua re factum eſt, vt bella quidem Attilae, ſed luxatis plerumque Chronologiæ rationibus, vndecunque poterant, in commentaria ſua conferrent, atque exaggerarent etiam vltra veri modum; ſed internam eius vitam, & adminiſtrandæ reipublicæ artem, oppido exquiſitam, ſilentio præterirent: magno, ſicuti palam eſt, famæ Attilae diſpendio. Quia enim nequiuit fieri aliter, quam, vt eadem illa referrent in litteras, quæ, odio, inuidiaque inflammati, Latini, eius ætatis, Chronicorum architecti, de ſummo hoc principe, commenti ſunt; hiſtoriæ patriæ exordia, quæ illi ab Attila ducunt, fœdarent, atque ex heroe, & bello, & pace, incomparabili, tyrannum facerent, nulli vſquam ſecundum. quod tamen aliter fuerat caſurum; ſi, cum *Latinis* ſcriptoribus, *Græcos* potuiſſent contendere; &, niſi id fata, laudibus Attilae inuidiſſent, Priscvm, cum integer eſſet adhuc, in areolas ſuas deriuare. At enim, fatorum hæc forte dicenda iniuria eſt, non conditorum Hiſtoriæ *Hungaricæ*. In eo peccauere omnino, quod, quidquid in regis vituperium, immo infamiam, memoriæ proditum vſpiam reperere, faciles nimium, & inconſulta opera, annalibus ſuis intulerunt. Hinc, illis Attila: ſuperbus, cupidus vindictæ, ſanguinolentus, mulieroſus, cibi immodicus, vinoſus, atque, in omni vitæ genere, ſibi minus conſtans *: & quod non portentum aliud!

II. Aduerterunt, hunc Scriptorum *Hungaricorum*, ſiue næuum, ſiue culpam, oculatiores patriæ filii; ſed, quomodo malo, in tanta rerum ignoratione, medelam adferrent, redderentque integritati, hiſtoriæ domeſticæ primordia, non facile reperiebant. Si de me ipſo dicendum, quod res eſt; faſtidiebam profecto, res Attilae, ſemel lectas, iterum, ac, quod in hiſtoria neceſſe eſt, tertio ac ſæpius, recognoſcere: tum, quod nihil niſi atrox, truculentum, dirum, & multo fœdatum ſanguine, in iis ſe oggerebat; tum, quod ſuſpecta mihi auctorum fides eſſe incipiebat, ſimul diſcriminare cœpi, quid in hiſtoria, nuda ea, ſi ſit, atque ingenua, *diſtent æra lupinis*. Ergo, non potui me retentare, quin ſubinde, iniquius, geſta Attilae, & ipſe exagitarem, & exagitanda obiicerem aliis. Accidit vero fato meliore, vt nec opinanti, in

)( manus

a) Cap. XII. p. 115. * Defendit Attilam a tyrannidis crimine, Christianvs Adamvs Rvpertvs, in Obſeruationib. in Synopſin Belsodi Minorem. Cap. XV. p. 472. ſeq. quam eius *Apologiam*, alii loco ſeruamus.

manus venirent, FRANCISCI FORIS OTROKOCSI, Origines (b) *Hungaricæ*. Adieci animum ad legendum librum, quantacunque diligentia concinnatum: maximopere, quod in rebus ATTILAE expromendis, PRISCO RHETORE duce vſus, mitiora omnia, fideique exploratioris, adferre videretur. Quam ob rem, ſubiit animum cupiditas, cognoſcendarum penitus *Eclogarum* PRISCI, ex quibus ſua hauſerat *Otrokocſius*. Vt libellum, ex CAROLI CANTOCLARI, anni MDCIX. editione *Pariſienſi*, auidius legere cœpi, fructum inde retuli non vulgarem. Præterquam enim, quod nihil, in tenuibus his fragmentis inerat, quod populorum cædes, clades regnorum, vrbium funera, & quæ alioquin, in actibus ATTILAE, eius farinæ, cenſeri ſolebant, reliqua; certe, ad ciuilis vitæ habitum, belli ac pacis, adeoque iura naturæ & gentium, omni adcuratione percolenda, relata omnia. vt vitam, formidoloſiſſimi alioquin regis, internam, & a publicis rationibus ſecretam, tacitus prætereaṁ : in qua ita ſingula facta reperi; vt, & principem magnificum, popularemque; & patremfamilias, adtente ac decenter rem priuatam procurantem, in eo mihi viſus ſim deprehendere.

III. His proinde rebus adlectus, cum, nondum vltimæ adoleſcentiæ annos fuiſſem egreſſus, optare cœpi, vt plurium, ex *Hungaris*, manibus, & PRISCVS hic noſter tereretur, & laudati OTROKOCSII Origines. In ſpem enim vocabar, fore, vt, qui ex ciuibus noſtris, ſola, rerum bello geſtarum, immani plerumque, ac ſanguinolenta ATTILAE gloria, ducebantur ; quinimmo, quæ ſunt in actibus eius maxime reiectanea, laudibus ad cælum tollebant : ad ea, impoſterum pernoſcenda, animos adplicent, quæ, & vituperationis minimum, & laudis, ſolidæ, illius ac perennaturæ, habent plurimum. At enim, res ea, diu, ac longius, quam voluiſſemus, inter vota adhæſit : quod minutiores quidem PRISCI *Excerptorum* editiones, prorſus non haberentur; Regia autem illa *Pariſienſis*, quam PHILIPPVS LABBEVS adcurauit, vix vni alteriue, qui ſe doctos in patria gerunt, vel viſa, ne dicam, lecta vnquam fuiſſet, penitiusque cognita. Trahebar interea, fato quodam meo, ad res *Hungariæ*, cum cura, ſcrutandas, ſcribendasque; & iam, præter quatuor grandia illa, NOTITIAE HVNGARIAE NOVAE, volumina, ADPARATVM, ad *Hiſtoriam Patriæ* locupletandam, ederam : cum rogare, immo flagitare amici : vti PRISCVM RHETOREM, de quo in ſermonibus familiaribus, non raro, liberaliter, ac fere vltra modum profuſe, ediſſeruiſſem, luce publica donarem; inque COLLECTIONEM illam *miſcellam* inferrem ; ſed iis ſimul notis, obſeruationibusque illuſtrarem, quæ FRAGMENTA PRISCI, popularibus noſtris, ſupellectile libraria non ſatis inſtructis, & lectu iucundiora, & faciliora intellectu, redderent. Tametſi vero ſenſi, præter ceteras curas, non plane nihil negotii, me, ea re mihi conſciuiſſe; tamen, tentare malui, quid poſſent, laſſæ, diuturno labore, Muſæ meæ; quam, pertinaces illas preces amicorum, repellere: de qua nunc opella noſtra, lector condocendus fuerit; vbi, quæ ſunt popularibus noſtris, de PRISCO RHETORE, cognitu neceſſaria, primum expediuerimus.

IV. Fuit PRISCVS (c) gente *Thrax*. (d) Ita THEOPHANES, & auctor *Chronici Alexandrini*, oppido *Panio* (e) oriundus : *Panites* ideo SVIDAE adpellatus.

b) Prodierunt *Franequeræ*, anno MDCXCIII. for. 8.

c) Erronee, pro PRISCO, Πατρίσκος legitur, apud EVAGRIVM, Lib. II. Cap. I. vt obſeruauit diligentiſſimus H. VALESIVS. Et Πέρσικος, apud THEOPHANEM, p. 100.

d) AVCTOR Chronici Alexandrini, p. 318. & THEOPHANES, l. c.

e) De Patria PRISCI, PHILIPPVS LABBEVS. *Quo fit*, verba Chronici Alexandrini recitauerat, quæ Thracem dixerant, *vt cenſeam, erraſſe eos, qui Panopliten atque Ægy-*

pellatus. EVAGRIVS (f) & NICEPHORVS CALLISTES (g) *Rhetorem*; lemma, *Excerptis* de *Legationibus* præmissum, simul *Sophistam* vocat. quod vtrumque vocabulum, vitæ genus, cui se tradiderat noster, indicat, laboriosum ac sterile illud quidem; sed honestum tamen, atque in commune vtile. Est autem *Rhetor*, ne id quoque, nostrorum caussa, sileamus, qui docet litteras, atque traditor est eloquentiæ: *Sophista*, apud quem dicendi exercitium discitur: vtrique *Orator*, in eo cognatus est, quod in caussis, priuatis ac publicis, perfecta vtitur eloquentia. (h) Sed PRISCVM, præter hæc vocabula, in primis *Historicum*, IORNANDES dicit, quoties eum in rem suam aduocat. De eo SVIDAS, (i) vt locum integrum exhibeamus: PRISCVS, *Panites*, *Sophista*, *qui vixit temporibus* Theodosii *iunioris. Scripsit historiam Byzantinam*, & *Attalicam Libris* VIII. *Item Declamationes Rhetoricas*, & *Epistolas*. Vbi HENRICVS VALESIVS, ad finem notarum, in excerpta ex historia PRISCI RHETORIS, bene monuit, scribendum esse: τὰ κατὰ Ἀττήλαν. quam viri doctissimi obseruationem, MARTINVS HANKIVS, (k) LVDOLPHVS KVSTERVS, (l) & IOHANNES ALBERTVS FABRICIVS, (m) celebria, in orbe litterato, nomina, suam fecere. Neque dubitare nos sinit, auctor *Chronici Alexandrini*, res ATTILAE, multa adcuratione scripsisse PRISCVM. Enim vero, cum de bellicosissimi principis, & *Alarici* motibus, atque huius exitio, retulisset, subiungit: περὶ οὗ πολέμου συνεγράψατο ὁ σοφώτατος Πρίσκος ὁ Θρᾷξ. *de quo bello, scripsit sapientissimus* PRISCVS *Thrax*. Quomodo & EVAGRIVS: ὃν περιέργως καὶ ἐς τὰ μάλιστα λογίως Πρίσκος ὁ Ῥήτωρ γράφει. *quem diligenter ac diserte in primis* PRISCVS RHETOR *describit*. Atque, potuit omnino, ea diligentia, vnus omnium, cum laude, ac fide, ad posteros defungi PRISCVS: quippe qui, non coæuus modo ATTILAE fuerit; sed in aula etiam eius versatus, legationis illius occasione, quam *Maximinus*, cum infelici *Bigila*, iussu *Theodosii* iunioris, apud ATTILAM, obibat. quamque, hæc eius fragmenta, fuse descriptam, ad nos transmiserunt: qua in re expromenda, quam aperte versatus sit noster, inde capias argumentum, quod nihil dissimulauerit, comparatas, abs *Theodosio*, in ATTILAM, insidias, & harum administros. In *Latinis* scriptoribus, IORNANDIS meminisse sufficiat, qui, cum de rebus ATTILAE scribit, sæpius PRISCI fidem adpellat: vt satis adpareat, integro eum auctore vsum fuisse, cum *Getica* sua conscriberet. Id doleas, odio subinde stimulatum, a fide PRISCI desciuisse, quæque ille ex vero scripserat, fabulis anilibus contaminauisse.

V. Aetatem PRISCI, nunc ex SVIDA cognouimus. Et sane, res ipsa loquitur, sub *Theodosio* eum iuniore, & qui hunc exceperunt, vixisse, quod non est opus inculcare. MARTINVS HANKIVS, qui de scriptoribus Byzantinis, vnus omnium, diligentissime commentatus est, vltra annum XV. LEONIS THRACIS,



*Ægyptium vocauerunt; cum* πανίτης, *a* Panio *promontorio, haud longe a Cyaneis insulis, aut castro, secus littus maris, teste* SVIDA, *in finibus Heracleæ posito, denominari potuerit.* Tom. I. edit. regiæ p. 50. initio.

f) Lib. I. Cap. XVII. Lib. II. Cap. I. V. XVI. & Lib. V. Cap. XXIV.

g) In præfat. p. 35.

h) Vide MARII VICTORINI Procemium exposit. in L. Rhetor. CICERONIS.

i) In rebus Geticis, Cap. XXIV. XXV. XLII. XLIX.

k) De scriptoribus Byzantinis, Cap. II. vbi, *de bono hoc*, & *vtili scriptore*, vti vocatur VALESIO, adcurate differit.

l) In nota ad SVIDAE Lexicon, voce PRISCVS, Tom. III. p. 174. B. b) edit. *Cantab.* fol.

m) Bibliothecæ Gr. Lib. V. Cap. V. quod est, de *Byzant. Hist. script.* num 4. p. 235.

qui fuit A. C. CCCCLXXI. noſtrum ſuperaſſe, idoneis rationibus condocet. Cui eo procliuius adſentimur, quod habent omnino eius rei indicia, hæ ſuæ *Eclogæ* haud facile repudianda. Illud ſilendum haud eſt: nequaquam PRISCVM, a THEODOSIO in legationem fuiſſe miſſum: quod tamen adfirmat IORNANDES: *Ad* ATTILAM, inquit, *in legationem remiſſus a* THEODOSIO *iuniore*, PRISCVS: quem errorem ſuum poſtea fecerunt eruditiſſimi quique viri, quos iam non commemoro. Non eſt vero ita. MAXIMINVS enim, cum in eam legationem obeundam, precibus euictus, ire conſtituiſſet, ex *Martialis*, Officiorum Magiſtri, & *Chriſaphii Eunuchi*, Imperatoris conſilia moderantium, voluntate, *Bigilam*, interpretem & collegam eius muneris, accepit: ſuo ſibi demum arbitratu, PRISCVM delegit; non vt ſocium, ſed vt comitem partim, partim conſiliarium, in eo haberet, doctum, &, ſi vſus ferret, rebus agendis idoneum. quod & ita euenit. Hæc ita ſunt omnino: niſi credas, alia legatione ad ATTILAM, PRISCVM, iuſſu THEODOSII, fuiſſe defunctum. Nam id quoque, de eo relatum (n) reperio, PRISCVM, *Panitem* noſtrum, THEODOSII epiſtolarum fuiſſe magiſtrum. quod munus, legationum capax tunc fuit omnino. Id, nunquam dedoluerit orbis eruditus, *Hiſtoriarum* PRISCI libros, diſperiiſſe: quod, quemadmodum acciderit, facile fuerit coniicere. Nimirum, ea tempora iam tum ætate PRISCI *Rhetoris*, & poſtea, reipublicæ litterariæ, incubuere; vt homines, male ſeduli, iidem vero ſcioli plerumque, optimos quosque ſcriptores, & vaſta horum volumina, in compendium mitterent, &, vel in ſuos vſus excerperent, vel aliorum, infelici hac ſua opera, deſidiæ velificarentur. Factum iis rebus eſt, vt, cum hæc iſtiuſmodi compendia quærerent, ſuperficiarii illi homines, optimi quique auctores, ſenſim fugerent, euaneſcerent, interirent, (o) damno, nunquam reparabili. quod malum, PRISCVM nobis noſtrum, ante præripuit, quam eius hiſtoria in plurium manibus eſſe inciperet. Facinus id, eo indignius iudicaueris, quod excerptor PRISCO obtigerit, tardioris multo ingenii, quam res poſcebat, & in nullam fere partem curioſi. Nam, & Chronologiæ, & Geographiæ rationes, neglectui plerumque habuit: ea ſola re commendandus, quod cum PRISCO vitam inuiderit, ſuo quodam beneficio, niſi maleficium dicere mauis, vmbram eius ad nos transmiſerit, pridem exolituram, niſi ſuperioris ætatis, docti, & de egregio publico bene meriti viri, eidem fuiſſent obſtetricati: quos iam iam, cum laude nominabimus. Vtinam autem, vera ſint, quæ de PRISCO adhuc ſuperſtite, habet VOSSIVS: (p) *Videtur*, inquit, *ille, hodieque exſtare. Sane, citat* PRISCVM, Baptiſta Fulgoſus, *in Memorabilium libris: inque Bibliotheca Vaticana eſſe, auctor eſt* Raphaël Volaterranus, *Lib. XIII. Anthro-*

---

n) Apud ROB. CONSTANTINVM, in Nomenclatore.

o) Grauiter in eam rem, ANDREAS SCHOTTVS: *Vetus ea, doctiſſimorum hominum, querela eſt, hiſtoricorum veterum, & quidem maiorum gentium, cladem, calamitatemque, non aliunde inuectam, quam ab epitomarum ſcriptoribus: qui, dum ſe compendio, & temporis, & rei familiaris, ſtudere, lectori credulo, pollicentur, næ illi maius ſe diſpendium facere non vident. Hinc enim factum, vt Græcis* POLYBII, *prudentiſſimi ſcriptoris;* DIODORI *atque* DIONIS; *de Latinis vero*, F. LIVII, *multo maxima pars intercurrerit: idque* XIPHILINIS *&* FLORIS, *aliisque ἀνονύμοις, acceptum eſſe referendum: adeoque* IVSTINI *opera*, TROGVM *integrum amiſſum, fruſtra hactenus exſpectari; cum ſex* M. TVLLII, *de Republ. libris: neſcio, in quo infelici terrarum angulo, deliteſcentibus.* In Epiſt. nuncup. AVRELII VICTORIS, ad AVGERIVM BVSBEQVIVM, exlegatum Byzantinum, &c. Eadem ergo ſtrages hæc, & PRISCVM nobis abſtulit. Quid? ſi forte, odio ATTILAE, ſicuti factum in eius laudes, MARVLI Poetæ carmen, a *Latinis*; ita a *Græcis*, PRISCI hæc commentaria exuſta ſunt?

p) De hiſtoricis Græcis, p. 488.

*Anthropologiae. Superesse etiamnum* ait, *in Nomenclatore suo*, Robertus Constantinus. (q) Sed, addit, vbi haec retulisset, ὁ πάνυ FABRICIVS: (r) *Nemo fuit hactenus, qui eum in lucem protulerit, vel in bibliotheca hodie superstite, legisse se, sit testatus.* Nisi me fallunt omnia, imposuerunt, *Fulgoso, Volaterrano*, & *Constantino*, Fragmenta haec PRISCI: quippe, aetate illa, nondum satis cognita. Nos certe, adeo non inuideremus, optimae notae scriptorem, reipublicae litterariae; vt festum etiam eum diem haberemus, quo ex diutinis illis tenebris, in luce publica collocaretur. Tum enim vero adpareret, quid liuor, quid odium, potuerit, in rebus ATTILAE contaminandis. Ceterum, ne id quidem silendum est; scriptoribus *Christianis*, recte PRISCVM, BARTHIO praeeunte, a FABRICIO accenseri. de quo, iam non laboramus: quippe quod, in eadem sumus sententia.

VI. Primus omnium, PRISCVM, DAVID HOESCHELIVS, Augustanus, insigne, sua aetate, *Argentoratensis* Academiae decus, edidit, in *Eclogis, de Legationibus*, Augustae Vindelicorum, anno MDCIII. vti legas, in Praefatione, Graecae suae editioni, praemissa. Quam vero id propitia factum fuerit Minerua, inde possis colligere, quod, cum *Graeca* essent, quae adcurauerat HOESCHELIVS, neque legi ab omnibus possent; CAROLVS CANTOCLARVS, libellorum supplicum, in aula regis Christianissimi, tunc magister, curam, studiumque suum, etiam intra confertissimas, laboriosissimi muneris, occupationes, isthuc conferre, nihil dubitauerit: vt primo quidem, sola haec PRISCI *Fragmenta*; tum & reliqua, quae HOESCHELIVS, luce publica donauerat, latina faceret. Quomodo in eam destinationem inductus fuerit, ipsus ille, in primae editionis praefatione, ingenue fatetur: quando, ad obiectiunculas irrequietorum hominum, respondet: *Tantumne tibi, dices! a re, & priuata, & publica, otii est, ista vt cures? ego vero ista: priuata enim non moror, publica qui possum? quis, & per quos aditus? multi quidem litterarum studiis clari, patrum nostrorum memoria, magistratum, quem gerimus, adepti, in reipublicae administratione, floruerunt; quia reges, & qui sub regibus summae rei praeerant, virorum, doctrina praestantium, opera, in rebus, domi forisue gerendis, vti patriae honorificum, ita sibi gloriosum esse ducebant. Sed, tota iam ista mutata ratio est.* Ergo, ad se, edendi PRISCI, curam, iure optimo pertinuisse, existimabat, illustri loco positus CANTOCLARVS; maxime, cum fastidium quasi quoddam, sine litterarum consuetudine, in procurandis, publici muneris rationibus, sibi obrepere sentiret. *Istius*, inquit, *generis negotiorum, in quibus hodie nostrum munus versari volunt, iam dudum me satietas tenet. Itaque, nuntium illis remittere cogito, & ad veteres me amicos refero. Nisi forte hi quoque nolunt, me in pristinam consuetudinem reuocare; propterea, quod eos, tamdiu deserui. Sed tamen opinor, reuocant, & quodammodo cum illis in gratiam rediisse mihi videor. Etenim, cum anno superiore, in manus meas incidissent:* Ἐκλογαὶ περὶ πρεσβειῶν, *eas, suasu viri ornatissimi, & mihi amantissimi*, PASCALIS, *regii apud Rhaetos legati, percurri. In primis ex* PRISCO *Excerpta, mihi multa cogitatione digna, & quod proxime ad nostram rerum gerendarum rationem accedunt, praecipue, quantum ad legationes obeundas adtinet, continere, visa sunt. Itaque, ea latina feci.* Nimirum, ita sunt comparatae, magnae illae, ac liberales animae, vt munerum publicorum, & quae coniunctae cum iis sunt, splendidissimarum dignitatum administrationem, vsuramque, acerbam putent ac tristem, quam non litterarum suaui-

)( )(

q) Prodiit *Parisiis*, A. MDCV. 8.
r) In Bibliotheca Graeca, loco cit.

suauitas permulceat: quod contra eſt, apud anguſtas, & deditas ſordibus mentes. Eſt enim genus illud hominum, ita intempeſtiuum, durum atque ingratum; vt, cum per litteras ſe, ad honores, & opportunitates alias, emerſiſſe, intime ſibi ſit conſcium; tamen, ſuæ illa felicitatis inſtrumenta, vel odit clam in aliis, vel qua poteſt, propalam inſectatur. Habeant ſibi, quam, ex cacoëthe eo, cœperunt, capiuntque iucunditatem: *Muſis* profecto nunquam vtentur propitiis: quia iratum habent *Apollinem*. Ceteroquin, intelligas ex his CANTOCLARI verbis, quid eum, ad PRISCVM, ante omnes alios, in HOESCHELII illo volumine, editos, latine interpretandum permouerit. Iam, quomodo in ſuo hoc labore verſatus ſit, audiamus: *Quod dum facerem, multo plures locos corruptos & deprauatos, quam in tam breui opuſculo exiſtimaſſem, offendi, quos, partim coniectura, partim diuinatione; nec enim aliud exemplar, quam excuſum habebam; qua potui, reſtitui. Hæc me cauſſa impulit, notas, & eas quidem perbreues, huic meæ interpretationi adiicere: vt, ſi forte vna lectio, aut interpretatio, diſplicuiſſet, pluribus propoſitis, minus fallerem. Quod non eo pertinet, vt quidquam de laude, quam meretur,* DAVID HOESCHELIVS, *cuius beneficio, hæc ad nos peruenerunt, detractum velim: immo, ego illi magnas gratias, vt debeo, habeo, & ab omnibus ſtudioſis haberi debere, iudico.* reliqua. Hæc primæ CANTOCLARI editionis, quæ *Pariſiis, apud Abel L' Angelier, in prima columna Aulæ Palatii, A. MDCVI.* ideoque triennio poſt, quam HOESCHELIVS ſua vulgauerat, lucem adſpexit, & occaſio fuere, & auctoramenta. Fidem poſtea, quam publice fecerat, anno MDCIX. ſoluit CANTOCLARVS, dum iteratam editionem PRISCI, auctam eam, & *Dexippi* Athenienſis; *Eunapii* Sardiani; *Petri Patricii*, *Malchi* Philadelphenſis, atque *Menandri* Protectoris, Eclogis locupletatam, procurauit, apud *Petrum Cheualierium, in monte Divi Hilarii*, excuſam. Totam illam opellam, RENATO & PETRO, filiis, nuncupauit: grauiter de patris, ſuaque honorum acceſſione, præfatus. FRANCISCVS, inquit, *Rex, qui Galliæ barbariem profligauit, & inde* MAGNI *cognomen reportauit, patrem meum, auum veſtrum, non pretio, non ambitu, non ſcorti, non alicuius nebulonis aulici, commendatione; ſed, ob eximiam, tum probitatem, tum doctrinam, primum, Turonibus iuri dicundo præfecit, deinde etiam in ſenatum Pariſienſem adlegit.* Digna ſunt, quæ legantur, cetera.

VII. His, ergo, tribus editionibus, ſub initium ſeculi decimi ſeptimi, PRISCVS, litterato orbi cognitus, immo familiaris factus eſt; dum auguſtior eum, adoleſcente poſtea ſeculo, fortuna, multis modis faceret illuſtriorem. Neque enim, vna ei contigit acceſſio. Nam, HENRICVS quidem VALESIVS, vir doctiſſimus, poſt CANTOCLARI emendationes atque notas, partim in ordinem redegit, nulla temporis habita ratione, conſarcinatas *Eclogas*; partim, id dedit operam, vt, quæ infelicius lecta ſunt a CANTOCLARO, & in Græco textu reſtitueret, & correctius redderet latine, illuſtraretque ex hiſtoria: quæ, vtriusque ſummi viri diligentia, notas nobis peperit, circumtonſas eas quidem, breuesque; ſed auro tamen, cedroque cariores. Hoc habitu, fuerunt PRISCI *Fragmenta*, dum benignioribus fatis, CORPVS HISTORIAE BYZANTINAE, auguſtali *Regis Galliæ* impenſa, adcurante PHILIPPO LABBEO, S. I. condi inciperet. Tunc enim, non in *Catalogo* tantum *Scriptorum Byzantinorum*, (s) ac paullo poſt, in *Adparatu Hiſtoriæ Byzantinæ*, (t) cum laude PRISCVS relatus eſt; ſed in primis dignus habitus, qui poſt HOESCHELII, CANTOCLARI, & VALESII caſtigationes,

s) Tomo I. p. 7. 8. 1. n. 4.
t) Part. III. Alphabeticæ ſeriei ſcript. Hiſt. Byzant. inibi p. 49. ſeq.

nes, *Primo*, tantarum molitionum, *Tomo*, *Græce* & *Latine*, inter *Eclogas de Legationibus*, loco quarto, quam nitidiſſime, excuderetur: (u) eo forte infelix, quod, ob immane, editionis eius regiæ, pretium, non æque, in omnium manibus eſſe potuerit hucuſque. Atque, hac nos quidem vſi editione, noſtram iſtam adornauimus: quam, benignitate *Comitis* IOSEPHI ESZTERHÁZII, *Iudicis Curiæ Regiæ* grauiſſimi, ex inſtructiſſima ſua bibliotheca, quod mirere, ſub idem tempus accepimus communicatam, dum, *Hungaricum* exercitum, in expeditionem *Sileſiacam*, A. MDCCXLIV. menſe Octobri, duceret. quod, eo exquiſitioribus gratiis proſequimur; quo magis, de incomparabilis herois, erga ſtudia noſtra, voluntate, certi ſumus. Nunc, paucis indicabimus, quo conſilio, quaque adtentione, in tantillo hoc negotio, a nobis ſit elaboratum.

VIII. FRAGMENTA nempe, PRISCI RHETORIS SOPHISTAE, nobis propoſuimus, in manus ciuium noſtrorum tradere, eo adparatu inſtructa, qui nec ieiunus ſit, neque vltra modum quæſitus; ſed qui tamen quomodocunque ſufficiat, ad eas res ATTILAE colluſtrandas, quas PRISCI hæ, male truncatæ *Eclogæ*, complectuntur. Pleraque enim ea omnia, iſthuc adtinent, vt *Legationes*, quas ſeu miſit, ſeu accepit, ATTILA, expromantur. Hinc nobis inſcriptio, editionis huius noſtræ, ſubnata, vt, ATTILAM, MISSIS ACCEPTISQVE LEGATIONIBVS, ILLVSTREM, diceremus. Enim vero, ita exiſtimo, id vnum ſibi habuiſſe propoſitum, quisquis, funeſtus ille ἀποσπασὴς PRISCI fuerit, vt, ſiue ſibi, ſiue aliis, ea, ex luculentiſſimo auctore, colligeret, quæ putabat vſui fore, legationibus, apud gentes potiſſimum barbaras, bono cum fructu, defuncturis. Quidquid vero hoc ſit EXCERPTORVM, dedimus operam, vt notis id inſtrueremus, pro rerum habitu, neceſſariis. Fuerunt autem nobis curæ, quæ ad *Geographiam*, *Hiſtoriam*, *Chronologiam*, pertinere in primis videbantur. De textus *Græci* lectione, tunc admodum fuimus ſolliciti; cum nos ad eam curam, CANTOCLARVS, VALESIVS, & OTROKOCSIVS, forte inuitabant, cumque ſpem concipiebamus, ad veritatem hiſtoricam, vel illuſtrandam, vel adſerendam, commodi aliquid, inde demanaturum. quod ea ſimul fide egimus, vt non ſileremus auctores, notarum, quas aliunde mutuati ſumus, quantumuis tenuium. Quia porro, id nobis ſumſimus elaborandum, vt vitæ priuatæ, rei familiaris, aulæ, & reipublicæ adminiſtrandæ, rationes, quas ſequebatur ATTILA, propalam faceremus; ad eius ingenium, mores, inſtituta, & quæ huc adtinent, reliqua, animum, etiam atque etiam, aduertimus; gratiam odiumue, eo diligentius deuitantes, quo magis, vtrisque, res ATTILAE, nunc depreſſas nimiopere, nunc in cælum, laudibus ſublatas, ab auctoribus, meminimus. Neque tamen nobis temperare potuimus, quin, quæ erant in ATTILA, vel laudanda, vel vituperanda, pro eo, ac merebantur, haberemus: fore tamen confidimus, vt, ſiue ciues noſtri, ſiue exteri, mitius impoſterum de ATTILA iudicent, & obtritas eius, odio & inuidia, laudes, ex æquo recolant impoſterum, ſuſpiciant, prædicent. Indolis atque morum, & quæ hinc manauit, inſtitutorum, inter *Hunnos*, & *Hungaros*, ſimilitudinem, tunc notauimus, cum, & occaſio, & res ipſa, id vt faceremus, perſuadebant. Fuit porro animus, de *Regia* ATTILAE, quam deſcribit PRISCVS, profeſſa opera ediſſerendi: maxime, quod male eam, in *Jáſz-Biriny*, collocat, ſedulus alioquin coniectator, OTROKOCSIVS; ſed, quod, quantulacunque diligentia hæc, propter operarum typographicarum feſtinationem, præcipitanda fuiſſet; alii enim



u) Tomo I. p. 33. ad p. 76. *Pariſiis* An. MDCXLVIII. charta auguſta. *Veneta* certe, ſuperiorum annorum, *Corporis Byzantini* editio, cum regia illa comparari haud meretur; ſiue adcurationem, nitoremque typorum; ſiue adparatum reliquum, ſpectes: vt taceamus cetera, & quæ ſecum coniiciet lector.

enim tempori, adseruauimus consulto. Quia praeterea, hae eaedem ex PRISCO *Eclogae*, scopae dissolutae, & nullo sparsae ordine, doctis semper sunt habitae; id dedimus operam, vt *Hodegum* praemitteremus, ad ductum notarum HENRICI VALESII, legendis, ex ordine, rebus vtilem; subiungeremus praeterea *Chronotaxin*, quo singula, quae hic continentur, in suos, haud difficulter annos, reponi possint. Quam vtramque operam eruditam, lubens ac promptus, CL. noster IOH. TOMKA SZASZKY, nobis, immo publico, accommodauit: eidem propterea in acceptis ferendam. Vale, *Studiose rerum Hungaricarum* LECTOR, & nostris conatibus, bene precatus, his, quae nunc in manus TIBI traduntur, in rem TVAM vtere, fruere, feliciter. PISONII, ex Museo suburbano. Anno MDCCXLV. D. XII. Maii.



# HODEGUS,
## AD PRISCI RHETORIS ECLOGAS,
### Ordine, quo se res inuicem excipiunt, legendas.

CVm ROVA, Hunnorum rex, statuisset, cum *Amaldsuris*, bello decertare, *cet. Cap. II. §. I. p. 24.* - contra *Sorosgos*, bellum communibus opibus & viribus mouerunt. *§. II. p. 26.*

II. SCYTHAE, quo tempore, mercatus *Scytharum & Romanorum*, frequenti multitudine celebrabatur. *cet. Cap. I. §. I. p. 1.* - - ATTILAS, *cet.* in *Ratiariam*, vrbem magnam, & populi multitudine abundantem, irruptionem fecit. *§. II. p. 2.*

III. THEODOSIVS misit *Senatorem*, virum consularem, ad ATTILAM, *cet. Cap. II. §. III. p. 26.* - - in qua, *Theodulus* dux, commorabatur. *l. c. p. 27.*

IV. Post *Chersonensem* pugnam, *Romani*, cum *Hunnis*, pacem, per *Anatolium* legatum, fecerunt, *cet. Cap. I. §. II. med. p. 3.* - - Imperatore autem, & *Martialio*, de tota re consultantibus, placuit, non solum *Bigilam*; sed & *Maximinum*, legatos mittere ad ATTILAM. *§. III. fin. p. 10.*

V. *Chrysaphius* Eunuchus suasit *Edeconi*, ATTILAM de medio tollere. *cet. Cap. II. §. IV. p. 27.* - - Misit etiam ATTILAS, *Orestem* & *Eslam*, Constantinopolim. *Cap. II. §. XXIII. fine. p. 74.*

VI. *Bigila*, insidiarum, in ATTILAM, manifeste conuicto, extemplo *Orestem* & *Eslam* Constantinopolim misit. *cet. Cap. I. §. IV. p. 11.* - - Sed THEODOSIVS, iracundiam suam palam fecit, cum bona puellae, in publicum redegit. *§. IV. fin. p. 12.*

VII. Hinc ATTILAS, illinc *Zeno*, *Chrysaphium*, ad poenam deposcebant. *cet. Cap. II. §. XXIV. p. 74.* THEODOSIVM, nouus timor occupauit, ne *Zeno*, tyrannidem inuaderet. *§. XXV. fine. p. 77.*

VIII. Cum primum ATTILAE nuntiatum est, *Martianum*, post *Theodosii* mortem, ad imperium peruenisse. *cet. Cap. I. §. V. p. 12.* - - At, *Romani* Hesperii, in prima sententia perstiterunt, & ATTILAE mandata reiecerunt. *§. V. med. p. 13.*

IX. Cum ATTILAS, tributum, cum THEODOSIO conuentum, peteret. *cet. Cap. II. §. XXVI. initio. p. 77.* sin minus, quae eriperent, spolia potius, quam munera, censeri debere. *§. eod. fin. p. 78.*

X. ATTILAS, vastata *Italia*, ad sua se retulit. *cet. Cap. I. §. V. fin. §. VI. p. 13.* - - postquam vero, de eius obitu, barbaris nuntiatum est: vi obsides eripuerunt, & regionem excursionibus vastarunt. *§. VI. p. 15.*

XI. MARTIANVS, Romanorum orientalium imperator, ad *Gensericum* legatos misit. *cet. Cap. II. §. XXVII. init. p. 78.* & *Parthorum* quidem monarcha, quia bellum illi erat cum *Hunnis*, quos *Cidaritas* vocabant, *Lazos*, ad se confugientes, reiecit. *§. eod. fine. p. 79.*

XII. GOBAZES, legatos misit ad *Romanos*. *cet. Cap. I. §. VII. p. 15.* - - quod vbi obtinere non potuit, *Maurusiorum* terram, igni ferroque vastauit, &, quacunque ratione potuit, adflixit, & aquas infecit. *§. VIII. med. p. 16.*

XIII. GENSERICHVS, cum non amplius foederibus, cum *Maioriano* pactis, stare constituisset. *cet. Cap. II. §. XXXVIII. p. 79.* *Olibrium*, ad imperium occidentis prouehere, propter adfinitatem ex nuptiis, cogitaret. *§. eod. fine. p. 80.*

XIV. *Romanis* occidentalibus, in suspicionem venit *Marcellinus*. *cet. Cap. I. §. VIII. med. p. 16.* - - Ad *Persas* vero, *Constantius*, tertium Consul, & ad consulatus, patriciatus quoque honorem sortitus. *§. X. init. p. 19.*

XV. Sub LEONE, *Romanorum* Imperatore, legatus pro *Italis*, ad *Vandalos* profectus est, *Tatianus*. *cet. Cap. II. §. XXIX. p. 80.* quod iuuenes *Romani* foedera transgressi essent. *§. eod. fine. p. 83.*

XVI. Post incendium ciuitatis, quod accidit sub LEONE. *cet. Cap. I. §. X. sub init. p. 19.* - - nam illi, res *Siculae* longe maiori curae erant. *§. XIV. fin. p. 24.*

EX HI-



# EX HISTORIA PRISCI RHETORIS EXCERPTA.

## CAPVT I.



SCYTHAE, (a) quo tempore mercatus (b) *Scytharum*, & *Romanorum*, frequenti multitudine, celebrabatur, *Romanos* cum exercitu sunt adorti, & multos occiderunt. *Romani* ad *Scythas* miserunt, qui de præsidii expugnatione (c) & fœderum contemptu, cum eis postularent. Hi vero, se non vltro bellum inferentes; sed factas iniurias vlciscentes, hæc fecisse, responderunt. *Margi* (d) enim *Episcopum*, in suos fines transgressum, Regum suorum loculos, & reconditos thesauros indagatum, expilasse. Hunc, nisi dederent, vna cum transfugis, vt fœderibus conuenerat, (esse enim apud eos plures) bellum illaturos. Quæ, cum *Romani* vera esse negarent; barbari vero, in eorum, quæ dicebant, fide perstarent, iudicium quidem de his, quæ in contentione posita erant, subire, minime voluerunt; sed ad bellum conuersi sunt. Itaque, transmisso *Istro*, oppidis, & castellis ad ripam sitis, plurima damna intule-

A

a) HVNNOS intelligit, & qui in horum erant obsequio, *Scythas Minores*, vltra *Istrum*, & circa *Pontum* colentes. Illud doleas, siue PRISCVM, scriptorem alioquin non negligentem, siue huius expilatorem, neglexisse chronologiæ rationes. Qua re factum est, vt circa istiusmodi ἀποσπασμάτια, ignaros relinqueret lectores, in quos singula annos sint reponenda. Ad ordinem historiæ seruandum, præmittenda est ante omnia, legatio illa RVAE, quæ infra habetur, initio Excerptorum, ex PRISCI RHETORIS Gothica Historia, seu Cap. II. §. I. & II. Nam, *Margus*, & *Viminacium*, post obitum *Ruæ*, ab *Attila* capta sunt, vt docet Cap. II. §. XIV. HENRICVS VALESIVS.

b) Antiquo fœdere, inter *Romanos* & *Scythas* cautum erat, vt *Romani* certo tempore, ad ripam *Istri*, mercatus haberent, vnde *Scythis* desumendi ea, quibus sibi opus esset, facultas foret. CANTOCLARVS. Atque, hoc quidem ius nundinarum, frustra a *Romanis*, post fata patris, requirebant filii ATTILAE, *Dengisich*, & *Irnach*: vnde, dissidii inter eos initia. Vide infra §. XI.

c) Quod illud fuerit præsidium, tacet PRISCVS: neque nos diuinare poterimus.

d) MARGVS, vrbs ad Danubium sita, in Illyrico Mysorum, inquit PRISCVS. EVTROPIVS & EVSEBIVS, *Murgum* vocant: & *Iulianus*, in encomio *Constantii*; si tamen *Iuliano* illud adscribi debet. *Cantoclarus*. Vide infra, Cap. II. §. I. not. g. Et CHRIST. CELLARIVM, Notit. Orb. Antiq. Lib. III. Cap. VI. p. 574.

tulerunt, & inter cetera, *Viminacium*, (e) quæ Myſorum vrbs eſt in Illyrico, (f) ceperunt. His geſtis, cum multi in ſermonibus dictarent: *Epiſcopum dedi oportere, ne vnius hominis cauſſa, vniuerſa Romanorum reſpublica, belli periculum ſuſtineret;* ille, ſe deditum iri ſuſpicatus, clam omnibus, ciuitatem incolentibus, ad hoſtes effugit, & vrbem traditurum, ſi ſibi *Scytharum* Reges, liberalitate ſua conſulerent, pollicitus eſt. Ad ea, cum beneficium, omni ratione repenſuros, promitterent, ſi rem ad exitum perduceret, datis dextris, & dictis, iureiurando vtrinque præſtito, firmatis, *Epiſcopus*, cum magna barbarorum multitudine, in fines *Romanorum* eſt reuerſus. Eam multitudinem, cum ex aduerſo ripæ, in inſidiis collocaſſet, nocte, dato ſigno, exſiliit, & vrbem, (g) inimicorum ditionis, poteſtatisque fecit. Et ab eo tempore, *barbarorum* res, in diem auctiores, melioresque (h) fuerunt.

## §. II.

Sub Theodosio iuniore Imperatore, Attilas, (i) Hunnorum Rex, delectum ex ſuis habuit, & litteras ad Imperatorem ſcripſit, de exſulibus, & de tributis; exſules, vt quicumque occaſione huius belli, redditi non eſſent, quam citiſſime ad ſe remitterentur. Quantum ad tributa, vt eorum proximæ deſcriptionis gratia, legati, de his ſecum acturi, ad ſe venirent, ne, ſi cunctarentur, *Scythæ* in bellum prorumperent. Nec enim iam, etiamſi velit, in ſua poteſtate eſſe, *Scytharum* multitudinem diutius continere. His litteris lectis, Imperator, nequaquam eos ex *Scythis*, qui ad ſe confugiſſent, traditurum dixit. Sed vna cum illis, in animo ſibi eſſe, belli euentum exſpectare; ceterum, ſe legatos miſſurum, controuerſias dirempturos. Ea, ſicuti *Romani* decreuerant, vbi *Attilas* reſciuit, ira commotus, *Romanorum* fines vaſtauit, & caſtellis quibusdam dirutis, in *Ratiariam*, (k) vrbem magnam, & populi multitudine abun-

---

e) Viminacium, oppidum, ad Danubium, in Myſia inferiore poſitum. In eo oppido Severus, filium maiorem, adpoſito *Aurelii Antonii* nomine, Cæſarem adpellauit, inquit Spartianus. Multa exſtant Imperatorum reſcripta, *Viminacii* data, l. 16. de furtis & ſer. c. l. 24. c. fid. c. l. ad leg. Fal. *Cantoclarus.*

f) Latius hic ſumitur *Illyrici* vocabulum, complectiturque omnes eas regiones, quæ ſunt longe lateque, inter *Adriaticum*, & *Danubium*, diffuſæ.

g) Margum fuiſſe palam eſt, ſedem Epiſcopi transfugæ: quippe, aduerſa ripa *Iſtri*, intra confluentem *Margi*, amnis cognominis, *Hunnis* obiacentem.

h) Gentium puta, *Scythicarum*, cum veris *Hunnis* permixtarum: hi enim rerum ſoli iam potiebantur.

i) In Græco ſcribitur: Ἀττήλας. *Hungari* ſcribimus, *Atilla*, vno t. eliſo. Otrokocsius, loco eius, adſpirationem *h*. adſumit. Vide Originum Hungar. Partem I. Cap. IV. p. 103. Qua de re, egimus profeſſa opera, Decade I. Mon. III. in Calani Attila, Cap. IV. p. 94. not. f.

k) Ratiaria, vrbs ad *Danubium* ſita, non longe a montibus *Thraciæ* diſtans, Ptolemaeus, Ῥατιαρία Μυσῶν. Vide Itinerarium *Anton.* & Not. Imp. Exſtant edita hic reſcripta, l. 8. C. *Communia de Succeſſ.* & pleraque alia. Hinc, nexu continuo, lege, infra, Cap. II. §. III. *Theodoſius miſit Senatorem*, reliqua. Ceterum, ſitum peninſulæ, habitumque, dabit, inter ceteros, Agathias, lib. V. vbi bellum poſterius Hunniacum deſcribit. Pugna (*) vero, ad *Cherſoneſum Thracicam*, ductu *Bledæ*, contraeunte *Johanne*, duce *Romanorum*, commiſſa eſt: ſicuti, eodem fere tempore, *Attila*, ad Martianopolim Mœſiæ, acri prælio, cum *Arnegisla*, decertauit. Bello, vtrobique inferiores *Romani*, pacem hanc, cuius meminit Priscus, cum *Hunnis*, pepigerunt; legibus, vti palam eſt, haud pro dignitate *Conſtantinopolitanorum*, ſacratam.

abundantem, irruptionem fecit. Post *Chersonensem* (*) pugnam, *Romani*, cum *Hunnis*, pacem per *Anatolium*, (l) legatum, fecerunt, & in has conditiones conuenerunt. *Profugos Hunnis reddi; sex mille auri libras, pro praeteritis stipendiis, solui; duo mille & centum, in posterum singulis annis, tributi nomine, pendi; pro vno quoque captiuo Romano, qui in Romanorum fines, non soluto redemptionis pretio, euasisset, duodecim aureorum mulctam inferri; quae si non solueretur, qui captiuum recepisset, restituere teneri; Romanos, neminem ex barbaris ad se confugientem, admittere.* In has quidem foederum leges, Romani sponte consensisse, videri volebant: sed certe, necessitate coacti. Superante enim metu, qui Romanorum ducum mentes occupauerat, quantumuis duras, & iniquas conditiones sibi impositas, (quo pacis consequendae (m) studio tenebantur) lubentibus animis susceperunt. Immo, & tributi collationi cesserunt, quod illis fuit grauissimum, & maxime molestum. Regii enim thesauri, & priuatorum facul-



tam. Consule, CAROLI SIGONII, Tom. I. edit. Mediol. de Occident. Imper. Lib. XIII. p. 466. not. 3.) Bellum istud, anno CCCCXLI. sequenti, ab *Attila* & *Bleda* fratribus, gestum, apud eundem obserues.

l) ANATOLIVM hunc, saepius memorabit noster. In huius comitatu, *Bigilas*, nequam ille, insidiarum in *Attilam* postea structor, siue interpres, siue legationis socius, versabatur: *Attilae* ipsi, ea occasione, cognitus.

m) Longi subsellii iudicatio est; ferrone, an auro, pax concilietur honestius? IVLIANVS Imperator, forti animo dicere solebat: *Bellicosum & vigilantem Imperatorem, ferrum habere, non aurum;* teste AMMIANO Marcellino, Lib. XXV. Cap. VI. p. 333. qua eadem animositate fretus, tributum *Saracenis* negauit: vti IVSTINVS *Iunior*, *Auaribus* & *Persis*, in Historia Miscell. Lib. XVI. IVSTINVS, *pacem dissoluit, adserens, opprobrium esse, Persis soluere tributa Romanos.* De Auaribus CORIPPVS, Lib. III.

*Lituosque mihi campumque minatur*
*Gens Auarum, ni pacta damus? Terrore putatis*
*Id nostrum fecisse patrem? miseratus, egenis*
*Et profugis, quod dona dedit? Pietate regendi*
*Hoc facimus! gratisque dari prouisa iubemus.*

Aliter, Imperatorum alii fecere. HADRIANVS, *a multis Regibus pacem redemit:* inquit SPARTIANVS. GALLVS Imper. *Scythas*, post *Philippolim* captam, stragesque innumeras, e finibus, hoc pacto potius, quam armis, expellere maluit, ZOSIMVS Lib. I. Et vt domestica recentiaque exempla recolamus: FERDINANDVS I. Hung. Rex, cum arma non sufficerent, auro & donis, aduersus *Turcas*, rem gessit, primusque tributum pependit, genti iniquissimae. Quod nescio, dolentiusne queratur, an excuset aequius ISTVÁNFFY, Lib. XXI. p. 422., 44. Desinant ergo sugillare IOHANNEM R. quasi primum eius rei auctorem, scriptores exteri. Animose *Hieronymus Lasky*, IOHANNIS, apud *Solymannum* legatus, tributum poscentibus *Turcis*, negauit. Vide *Arcanam Legationis Histor. in Adparatus* huius nostri, *Decade* I. Monum. IV. p. 165. seqq. Grauissimae eius, apud *Solymanni* ministros, testificationes fuere: *De tributo*, inquit, p. 169. *iam saepius esse silendum dixi; nam Serenissimus Dominus meus Rex, non solum, nunc inimico suo; sed agazoni suo, citius regno cederet, quam illud, vobis redderet tributarium.* Iterum p. 171. *Dixi multoties, vos nullum a nobis tributum habituros.* Denique, pag. sequenti: *De tributo non cogitetis: quia frustra ex lana securim cuditis.* Quidquid eius sit, scitum atque prudens, Regis THODERICI, dictum est: *Quid interest, auro, an ferro, aduersariorum animos inclinemus? obtulisse, quod mentes capiat hosti, vicisse est: occuluisse, superari.* Apud ENNODIVM Episc. *Ticineus* in vita *Epiphanii*, p. 399. Conf. notas, ad AMMIANI MARCELLINI, Lib. XXV. Cap. VI. p. 333.

cultates, in absurda (n) spectacula, in varios honorum ambitus, & titulos, in delicias, & voluptates, consumptæ fuerant, tam profusis sumptibus, vt eos nemo sanæ mentis, vel in maxime adfluentibus diuitiarum copiis, sustineret, aut toleraret. Præterea, (o) armorum, & rei militaris studium neglexerant, vt non solum *Scythis*; sed & reliquis barbaris, qui proximas imperii Romani regiones incolebant, quoad tributorum pensitationem, parerent. Itaque, tributa & pecunias, quas ad *Hunnos* deferri oportebat, quibus exactio mandata erat, omnes conferre coegerunt: nulla etiam eorum immunitatis habita ratione, qui terræ onere, (p) tanquam nimis graui, ad tempus, seu Imperatorum benignitate, seu iudicum sententia, leuati erant. Conferebant etiam aurum indictum, qui altius repetita temporum memoria, in senatum adscripti fuerant, (q) vltra quam facultates ferre poterant, & multis, (r) splendida, & illustris fortuna, vitæ commutationem adtulit. Conficiebantur (s) enim illæ pecuniæ, cum acerbitate, & contumelia, pro arbitrio, & vt scripto vnumquemque adnotauerant, quibus huius rei cura, ab Imperatore erat demandata. Ex quo, qui antiquas, & a maioribus acceptas diuitias possidebant, mundum vxorum, & pretiosam suam supellectilem, in foro, palam, & publice, venum exponebant. Ab hoc bello, tam atrox, & acerba calamitas Romanos excepit, vt multi sibi violentas manus adtulerint, aut aptato collo laqueo, vitam finierint. Tunc igitur, paruo temporis momento, reclusis & effusis

n) Hi morbi, hæc *συμπτώματα*, imperiorum, regnorum, & rerum publicarum, ruinam atque interitum, passim præcessere. Recordabere, Lector *Hungare!* quæ præluserint, LVDOVICI II. & cum eo, occasui vniuersæ *Hungariæ*, & fatebere, quod res est. Lege, ISTVÁNFFII querelas, Lib. VI. p. 85. 25. & præfationem, quam M. THVRÓTZII Chron. Hung. præmisit, IACOBVS BONGARSIVS, Regis Christianissimi, ad Remp. *Argentinensem*, sua ætate, legatus: in hac vero, *Herbersteinii* querelam, haud vnquam satis dedolendam.

o) Nempe, sic itur *ab equis ad asinos*. Enim vero, imperia, armis quæsita constitutaque, male defensantur desidia, & molli otio.

p) Hunc locum, inquit in notis *Valesius*, fusius explicaui, in Adnotationibus, ad Lib. XIX. AMMIANI Marcellini, p. 167. Vbi de census *Releuatione* affatim dixi. Græci Κέφισμον vocant. Sic *Theodoretus*, in epist. 43. & 47. Et vetus inscriptio apud *Gruterum*, p. 116. Ceterum, hæc *Releuatio*, aut Principum beneficio concedebatur, aut iudicum sententia, vt ait *Priscus*. Iudices autem intelligo, *peræquatores*, aut *censitores*, qui ad inspiciendos, ac releuandos prouincialium census, a principe mittebantur. Hæc ille. Tu vero, mirere lector! hanc tantam, siue *Hunnorum* potentiam; siue desidiam *Romanorum*, atque angustos animos.

q) Emendat *Cantoclari* versionem *Valesius*, & loco: *Vltra quam facultates ferre poterant*; reponit: *Conferre autem cogebantur Senatores certum auri pondus, in præmium suæ dignitatis*: non vero, in modum facultatum. Tributi hoc genus, AMMIANVS MARCELLINVS, *Coronarium indultum*, vocat, Lib. XXV. Cap. IV. p. 328. ad quem locum LINDENBROGIVS: *Aurum Coronarium est, quod a victis gentibus datur, propter concessam vitam &c.* Lege & *Valesii* prolixam notam ibid. Ergo, eodem iure, cum *Constantinopolitanis* egere *Hunni*, tanquam victis donassent vitam, quando tributum ab iis recipiebant, *auro coronario* simile. Ceterum, de *Auro Coronario*, confer, si lubet, CICERONEM, oratione in Pison. Cap. XXV. & notam num. 45. edit. *Verburgii*. SERVIVM, Aeneid. Lib. VIII. Lib. IV. Cod. THEOD. de *Auro Coron.* & XII. Tit. XIII quem lege.

r) Possunt etiam Græca sic reddi: *Multi splendidam & illustrem fortunam, misera commutarunt*. Quemadmodum emendauit ipse *Cantoclarus*. Retinet, priorem lectionem, *Valesius*.

s) Mutatis passim personis, eadem luditur, & hac tempestate, fabula.

effusis thesauris, aurum, & exsules (nam *Scotta*, (t) qui susciperet, aduenerat) ad *Scythas* (u) missi sunt; Romani vero, multos ex profugis, qui dedi reluctabantur, trucidarunt, inter quos & præfectum *Scytharum*, regii generis, qui militare sub *Attila* renuerant, & Romanis se adiunxerant. His quoque pacis conditionibus exsequendis, *Attilas* operam nauauit, & *Acinthuntios* (x) interpellauit, vt captiuos, quos penes se habebant, siue Romanos, siue barbaros, redderent. Est autem *Acinthus* oppidum validum, non multum ab *Illyrico* (y) distans, quod parti Thraciæ adiacet, cuius incolæ, grauibus damnis inimicos adfecerunt. Non illi quidem se murorum ambitu tuebantur, sed extra propugnacula, manus conferebant, contra infinitam *Scytharum* multitudinem, & duces magni apud eos nominis, & existimationis. Itaque, *Hunni* dilabi, & ab oppido quam longissime recedere. Palantibus enim Scythis, & a suis longius aberrantibus, si quando eos exisse, & prædas ex *Romanis* egisse, exploratores denuntiabant, inopinantibus aderant, & parta ab eis spolia, sibi vindicabant. Et illi quidem ab hostibus, multitudine vincebantur; sed robore & virtute præstantiores erant. Itaque, *Acinthuntii*, plurimos ex *Scythis* in hoc bello, (z) necauerunt, & multos Romanorum in libertatem adseruerunt, nec ideo minus transfugas recipere destiterunt. Quamobrem *Attilas*, se exercitum non ante deportaturum, aut fœderis conditiones ratas habiturum, professus est, quam captiui *Romani*, qui ad *Acinthuntios* peruenissent, redderentur, aut pro his mulcta conuenta solueretur, & liberarentur abducti in seruitutem barbari. Quæ contra ea dissereret, non habebat *Anatolius* legatus, (a) neque *Theodullus*, præsidiariorum Thraciæ militum, dux & præfectus. Nec enim *Acinthuntii*, illorum mandatis obsequebantur, quan-

B

---

t) SCOTTA, in Græco Σκόττα, quis fuerit, quoque loco ab *Attila* habitus, vide infra, Cap. II. §. V. not. f) & §. VII. not. d)

u) *Scytharum* nomine, *Hunnos* vocat auctor, atque id frequenter facit postea, ac fere semper. quod monendum fuit.

x) Locus est corruptus. Duo oppida, a *Ptolemæo*, *Antonino*, *Ammiano*, & auctore *Not. Provinc. Imperii Rom.* recensentur, in Pannonia inferiore, ad Danubium. Prius est, *Acumincuna*, quod & *Acumincum*. De eo AMMIANVS Lib. XIX. Secundum, *Acinthus*, de quo AMMIANVS, Lib. XXX. & SIDONIVS, in Panegyrico ad *Maiorianum*.

*Qua Martia pollet Acinthus.*

Itaque, cum nullum oppidum sit in Pannoniis, quod *Assemus* vocetur, hic legendum videtur, Ακίνθος & Ακινθάτισι; aut Ακιμύνκας & Ακιμάντιοι: prius tamen malim. Cum enim SIDONIVS, *Martiam Acinthum* vocet, qui erat horum temporum æqualis, adductor, vt si existimem, alludere ad ea, quæ hic narrantur. CANTOCLARVS. Vide IO. SAVARONIS notas, ad SIDONII Car. V. p. 42, 127.

y) Istud vero est, quod me adducit, vt *Acinthum*, non in *Pannoniis*, quærendum existimem; sed in *Illyrici* & *Thraciæ* confinio.

z) Satis adparet, bellum hoc auspiciis ATTILAE, gestum ante esse, quam, *Germaniam*, *Italiam*, *Galliam*que, infestis armis inuasisset. Hæc enim consilia, posteaquam, pacem cum *Romanis*, quomodocunque confocillasset, tunc cepit, cum in biuio destinationum esset, orientine, an occidenti bellum inferendum esset, fructu maiore? Vide Capite hoc I. §. V.

a) Ad hunc *Anatolium*, missus ab ATTILA fuerat *Bigilas*, vt coniuncta opera, permouerent *Acinthuntios*, captiuos Romanos, ad se transfugientes, vti redderent. Quam suam operam, extollit *Bigilas*, ac fere exprobrat *Attilæ*, Cap. II. §. VII. nota b.)

quantumuis rationi conſentanea ob oculos ponerent. *Barbarus* (b) autem recenti victoria elatus, & ferus, prompte ad arma ferebatur. Romani contra, propter recens acceptam cladem, animis ceciderant. Nihilominus tamen *Acintbuntiis* per litteras ſignificarunt, vt *Romanos* captiuos, quoſcunque nacti eſſent, reſtituerent, aut, pro vnoquoque captiuo, duodecim (c) aureos penderent, & *Hunnos* captiuos liberarent. Quibus litteris lectis, Romanos, qui ad ſe confugiſſent, liberos abire ſiuiſſe; Scythas vero, quotquot in eorum manus veniſſent, trucidaſſe, reſponderunt. Duos tantum captiuos habere, propterea, quod hoſtes, dum in obſidione fuerunt, in inſidiis collocati, nonnullos ex iuuenibus, qui ante munitiones greges paſcebant, rapuerunt, quos niſi reciperent, captiuos, iure belli, ſibi acquiſitos, minime reſtituturos. Hæc renuntiarunt, qui ab *Acintbuntiis* venerunt. Quibus auditis, *Scytharum* Regi, (d) & *Romanis* principibus, placuit exquiri iuuenes, quos *Acintbuntii* raptos eſſe, querebantur. Sed nemine reperto, *Barbari*, ab *Acintbuntiis* capti, ſunt dimiſſi: prius tamen fide a *Scytbis* accepta; nullos *Acintbuntios* captiuitati mancipatos, penes ſe habere. Iurauerunt etiam *Acintbuntii*, Romanos, qui ad ſe effugiſſent, libertate donaſſe, quamuis adhuc multos in ſua poteſtate haberent. Nec enim ſibi perieraſſe (e) videbantur, modo ſuos a barbarorum ſeruitute ſaluos, & incolumes præſtarent.

## §. III.

Pace facta, *Attilas*, rurſus legatos ad *Romanos* orientales mittit, qui transfugas repeterent. At illi, legatos perquam humaniter exceperunt, & plurimis donis ornatos, cum nullos perfugas apud ſe eſſe aſſeueraſſent, dimiſerunt. Miſit & iterum *Attilas* alios legatos, quibus quoque amplis muneribus ditatis; tertia ab eo, poſt illam; itidem quarta legatio, aduenit. Ille enim *Romanorum* liberalitatem, qua vtebantur, veriti, vt a fœderibus barbari diſcederent, ludibrio habens, (a) nouas ſubinde cauſſas fingebat, & vanas occaſiones, legatorum mittendorum, excogitabat, & ad ſuos neceſſarios, quos liberalitate complecti volebat, eas legationes deferebat. *Romani* vero, in omnibus *Attilæ* dicto audientes erant, & quæ præcipiebat, DOMINI iuſſa, ducebant. Non ſolum enim a bello, contra eum ſuſcipiendo, eorum rationes abhorrebant; ſed & *Parthos*, (b) qui bellum apparabant; & *Vandalos*, (c) qui maritimas oras

---

b) ATTILAM, more loquendi *Romano*, intelligit; ſicuti frequenter, barbarorum vocabulo, *Hunnos*.

c) Ita, pacis legibus, quas nunc recitauit PRISCVS, definitum fuerat.

d) Attilæ nimirum, quem ei titulum *Romani*, dubium volunt facere C. II. §. XVIII.

e) Satis, ad dolum fuit, religionem contemerauiſſe, vt ſuis conſulerent.

a) Hos videlicet fructus, ſocordiæ ſuæ, mesſuere *Romani* orientales. At, pesſime egit ATTILA, quod ſancto legationis obtentu vſus, exinaniebat *Conſtantinopolitanorum* theſauros. Viſus id tamen eſt feciſſe, ex prouerbii illius *Hungarici*, quod iam tum fortaſſe vſu terebatur, præſcripto: *A' ki hol bizik, ott bizik.* Ac ſi dicas: *Vbi quis reperit ſaginam, iſthic eam quæritat ſæpius.* Vel, vt cum CICERONE loquar: *Beſtiæ, fame domitæ, ad eum locum, vbi paſtæ aliquando ſunt, reuertuntur.* In *Cluentiana.* Scite, eum locum, in rem ſuam vertit, AMMIANVS, Lib. XIV. Cap. II. p. 7. Vbi tamen, paullo aliter verba eadem legas.

b) Nota gens *Parthi*, veterum *Scytharum* propago, vti eſt apud IVSTINVM.

c) Irrequieti populi, & qui, iam tum, quaquauerſum per regiones ſparſi, ſedes ponebant violentas: imperiis regnisque, non modo terribiles facti, ſed & perniciabiles. PROCOPIVS, de bello Vandalico.

oras vexabant; & *Ifauros*, (d) qui prædis, & rapinis graffabantur; & *Saracenos*, (e) qui regiones ad orientem, excurfionibus vaftabant, metuebant. Præterea, gentes *Æthiopum* (f) in armis erant, & defectionis confilia agitabant. Itaque, *Romani* animis fracti, *Attilam* colebant, tantifper, dum exercitus comparabant, & duces fortiebantur. *Edecon* (g) vir Scytha, qui maximas res in bello gefferat, venit iterum legatus, cum *Orefte.* (h) Hic, genere Romanus, *Pæoniam* (i) regionem, ad *Saum* fitam, incolebat, quæ ex fœdere inito cum *Ætio*, Romanorum occidentalium duce, barbaro (k) parebat. Itaque *Edecon* in palatium admiffus, Imperatori litteras *Attilæ* reddidit; in quibus, de trunsfugis non redditis, querebatur, qui, nifi redderentur, & *Romani*, a colenda terra abftinerent; quam bello captam, fuæ ditioni adiecerat, ad arma iturum minabatur. Ea vero, fecundum *Iftrum*, (l) a *Pæonibus*, ad *Nouas* vfque Thraciæ, (m) in longitudinem extendebatur. Latitudo (n) autem erat quindecim dierum itinere. Neque vero forum celebrari, vt olim, ad ri-

 pam

d) *Ifauri*, gens fuit *Afiæ* minoris: regio, ad *Taurum*, montem *Ciliciæ*, proxima. Olim, a SERVILIO Ifaurico, qui inde nomen tulit, fub *Romanorum* poteftatem miffi: poftea, labafcente imperio Romano fubinde hoftes. De iis AMMIANVS paffim, Lib. XIV. Cap. II. feq. Lib. XXVII. Cap. IX.

e) SARACENI, latrocinans & vaga natio, ex *Arabia* progreffa. Quæ diu, fine certo lare, prædas fectata, multum, *Romanorum* orientalium res, adflixit, ac femel iterumque in fœdus admiffa, refiliebat fubinde, latrocinatura, quafi poftliminio, multo, quam ante, licentiofius. Hinc AMMIANI, de iis, fententia: SARACENI, *nec amici nobis vnquam, nec hoftes optandi, vltro citroque difcurfantes, quidquid inueniri poterat, momento temporis parui vaftabant, miluorum rapacium fimiles: qui, fi prædam difpexerint celfius, volatu rapiunt celeri, aut, nifi impetrauerint, non immorantur.* Lib. XIV. Cap. V. p. 11. 12. De eorum origine, idem Lib. XXIII. Cap. VI. p. 284. & paffim. Poftea, in *Turcarum* nomen tranfierunt; ac denique, *Conftantinopolitanorum* imperatorum defidia, imperio orientali potiti funt.

f) De his, vide infra §. VI. & quas illic adfperfimus, notas, curate relege.

g) Illuftre hoc nomen, fæpius recognofcemus Capite II.

h) ORESTES, quam tota hac legatione nauarit operam, Capite II. adparebit. Illic, Tmemate VIII. eius χαρακτῆρα, & §. XII. parentes legas, & matrimonium.

i) Ita Græcis, *Pannoniam*, dici monuimus, DECADE priori, *Monumento* IX. §. XX. p. 404. nota q.) Vbi & difputauimus, an recte?

k) Iam tum ergo ATTILA, *Pannoniis* dominabatur, atque id quidem ex pacis potius, quam belli legibus.

l) Quadrant hi fitus, in *Mœfiam* vtramque: quippe quæ, ea ætate, vti conftat eruditis, ab inferioris *Pannoniæ* limitibus, vfque ad *Thraciam*, decurrebat. Pofterioribus temporibus, mutarunt *Mœfiæ* vocabulum: vt *fuperior* hæc, *Sirbia*, vel vulgatius *Seruia*; inferior illa, *Bulgaria*, dicatur. quæ vocabula, hodieque obtinent.

m) NOVAE, Mœfiæ *inferioris* vrbs, apud *Ptolemæum* & *Antoninum*: quomodo & liber *Notit.* vbi vrbs *fecundæ Mœfiæ* dicitur. Nam, & fic difcriminabantur *Mœfiæ*, vt *prima* nuncuparetur *fuperior*; inferior *fecunda*. *Nouenfis* ciuitas vocatur MARCELLINO *Comiti*. Ceterum, *Nouas*, fub difpofitione ducis *Mœfiæ*, non *Thraciæ*, effe ait *Notit. Prouinc.* Neque *Nouas*, in Thracia legere memini. Non longe tamen *Nouas* abeffe, ab *Aemoniæ* parte, *Iornandes* tradit. Quid? fi ὀρῶν τῶν θρᾳκίων legas, vfque ad fines, aut ad montes *Thraciæ*, ATTILAE ditionem, porrectam fuiffe? *Cantoclarus.* Sed, *Nouas* duas, docet fuiffe, CHRISTOPH. CELLARIVS, *Not. Orbis Ant. Lib. II. Cap. VIII.* alteras quidem p. 575.; alteras, p. 584.

n) Mirari oportet, adeo in numerato habuiffe ATTILAM, prouinciarum, quas fuas fecerat, limites. Si vero *Mœfiarum* latitudo tanta fuit, quantam dimetitur ATTILA; neceffe fuerit, *fuperiori*, Bofniam; regiones vicinas verfus *Adriaticum*, *inferiori* Mœfiæ, admenfas fuiffe.

pam *Istri*; sed in *Naisso*, (o) quam vrbem a se captam, & dirutam, quinque dierum itinere, expedito homini, ab Istro distantem, *Scytharum*, & ditionis limitem constituebat. Legatos quoque ad se venire iussit, controuersa disceptaturos, non ex quolibet hominum genere, & ordine; sed ex consularibus illustriores, quos mittere libuerit, quorum excipiendorum gratia, in *Sardicam* (p) descenderet. His litteris lectis, digresso ab Imperatore *Edecone*, cum *Bigila*, qui ea, quæ *Attilas* verbis, Imperatori denuntiari voluit, interpretaturus venerat, cum reliquas quoque domos obiret, in conspectum, *Chrysaphii* (q) Imperatoris *Hypaspidis*, venit; is plurimum auctoritate, & gratia, apud Imperatorem valebat. Admiratus erat barbarus, regiarum domuum magnificentiam. *Bigilas* autem, simulatque barbarus in colloquium venit cum *Chrysaphio*, interpretans retulit; vt laudasset Imperatorias ædes, (r) & *Romanos* beatos duceret, propter affluentes diuitiarum copias: *Edeconi*, Chrysaphius dixit: *Fore eum huiusmodi domuum, quæ aureis tectis præfulgebant, compotem, & opibus abundaturum, si relicta Scythia, ad Romanos se conferret.* Sed alterius domini seruum, *Edecon*, ait, nefas est eo inuito, tantum facinus in se admittere.

o) NAESSVM, vrbem eam, semper adpellat AMMIANVS: *Imperator reuertitur, Næssum, copiosum oppidum.* Lib. XXI. Cap. X. Confer. ZOSIMVS Lib. III. Contra, scriptores ceteri, Græci & Latini, *Naisum*, vel *Naissum*, oppidum *Daciæ mediterraneæ*, vt est in *Itinerario Burdegalensi*, CONSTANTINI M. ortu nobilitatum. Atque, consentiunt sane, quantum ad natum hic CONSTANTINVM adtinet, scriptores grauissimi. STEPHANVS *Byzantius*: *Constantinus Porphyrogen.* Lib. II. περὶ θεμάτων: FIRMICVS in Lib. I. Matheseos initio: in EXCERPTIS, de gestis *Constantini*: denique CEDRENVS. Offensæ caput, quod adlegabat *Attila*, id fuit, quod ex legibus fœderum, non ad *Danubium*; sed in mediterranea hac vrbe, magno *Hunnorum* incommodo, mercatus fuerint instituti. Ceterum, hæc illa est vrbs, quam nouissimo bello Turcico, sub CAROLO VI. Imperatore, turpius multo amisimus, quam gloriosius occupauimus. De nundinis, ad *Istrum* celebrandis, vide Capite hoc I. §. I. not. b.)

p) Plures, apud rerum auctores, occurrunt *Sardicæ*, siue *Serdicæ*, quas non vestigamus. PTOLEMAEO vrbs est *Thraciæ* mediterranea. Est & ad *Istri* ripam *Sardica*, apud *Nicetum*. EVTROPIVS, ciuitatem eiusdem nominis, *Daciæ ripensi* tribuit. Quam primariam huius vrbem vocat THEODORITVS. Videtur, iuxta *Naissum* posita, ex CEDRENO & CVROPALATE; immo, ex his vetustiori, PROCOPIO, Lib. IV. de Ædif. SIGONIVS, Lib. V. occident. imperii, *Sardicam*, seu potius *Serdicam*, inter duas *Mœsias* statuit, vbi habitum, sub CONSTANTINO M. concilium. Postea *Triadiczam* dictam, scribit GLYCAS. De qua hic sermo sit, disquire. Alioquin, *Serdicæ* huius situm, optime, ex ipso PRISCO, discas, infra Cap. II. §. IV.

q) *Chrysaphius*, Imperatoris fuit *Spatharius*, vti eum adpellat auctor *Alexandrini Chronici.* In sequentibus, *Eunuchus* sæpius dicitur.

r) Stolida hæc auidaque opulentiæ Romanorum contemplatio, egregius fuit *Chrysaphio*, ad inescandum *Edeconem*, accessus. *Edecon* profecto, venalem tunc fidem habuit. Scilicet:

*Persuasio, magnum ad malum ducit cita;*
*Siquidem aditum nocendi perfido præstat fides.*

iuxta illud *Sophocleum*, apud PLVTARCHVM in Artaxerxe. Ac, fuissent omnio perniciabiles *Edeconis* hæ insidiæ, nisi propitia tunc *Attilæ* fata, homini, in palatio, idque in ardua custodiæ corporis procuratione, circa Regem, versanti, aliam mentem suggessissent. *Nullæ sunt* enim, ait CICERO, *occultiores*, addo & nocentiores, *insidiæ, quam eæ, quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est aduersarius, facile cauendo vitare possit: hoc vero occultum, intestinum, ac domesticum malum, non modo non existit, verum etiam opprimit, antequam perspicere, atque explorare potueris.*

tere. Quæsiuit ex eo *Eunuchus*, an facilis illi, ad *Attilam* pateret aditus, &, qua potestate præditus apud Scythas esset? Ille, sibi necessitudinem intercedere cum *Attila* respondit, & decretam sibi, cum nonnullis aliis *Scythiæ* primoribus, eius custodiam. Nam, per vices vnumquemque eorum, præscriptis diebus, cum *armis*, circa ATTILAM (s) excubias agere. Tum *Eunuchus*: *Si qua fides*, inquit, *se maximorum bonorum illi auctorem futurum*. Cui rei tractandæ, otio opus esse. Hoc vero sibi fore, si post cœnam rediret, sine *Oreste*, & reliquis legationis comitibus. Facturum pollicitus barbarus, cibo sumpto, ad *Eunuchum* pergit. Tum per *Bigilam* interpretem, datis dextris, & iureiurando vtrinque præstito; ab *Eunucho*, de rebus, quæ *Edeconi* minime damno, sed fructui & commodo essent, verba facturum; ab *Edecone* se, quæ sibi crederentur, non enunciaturum, etiamsi exsequi nollet. Tunc Eunuchus *Edeconi* dixit: *Si in Scythiam rediens, Attilam sustulerit, & Romanorum partibus accesserit, vitam in magnis opibus*, (t) *beate traducturum*. Eunucho, *Edecon* assensus adiecit: *Ad hanc rem peragendam, opus esse pecuniis, non quidem multis; sed quinquaginta auri libris, quas militibus, quibus præesset, qui sibi ad rem impigre exsequendam, adiumento essent, diuideret*. Cum *Eunuchus*, nulla mora interposita, dare vellet, dixit barbarus: se prius ad renuntiandam legationem dimitti oportere, & vna secum *Bigilam*, ATTILAE, de transfugis responsum accepturum, cum quo de ordine componendæ rei ageret, qui quoque, quando facto opus esset, viam auri deferendi iniret. Etenim, *Attilam* (u) se, simul atque redierit, per-

C

s) Habebat iam tum ATTILA, corporis custodes, atque aulam, ad imitationem *Constantinopolitanorum*, haud negligenter instructam: vt proinde, isthic sint *Baronatuum Regni Hungariæ* origines, quærendæ. Credo ego; EDECONEM hunc, partibus, vel *Ianitorum*, vel *Cubiculariorum* MAGISTRI, quod nomen vsitatissimum *Constantinopoli* fuit, functum fuisse. De *Magistro Officiorum*, quæ dignatio apud Romanos maximopere tunc floruit, iamiam dicemus. Neque secus fecisse ATTILA potuit, quam, vt in tanta, & multitudine, & varietate, maleficentiaque, cum hostium, tum fœderatorum Græcæ fidei, corporis custodibus se circumuallaret. Enimuero, *Maiestatem, nunquam sine viribus tutam*, recte, & ex vero scribit LIVIVS Lib. II. Proinde, stipatores Princeps habeat oportet: *Qui somnum eius, nocturnis excubiis, muniant, latera, obiecti circumfusique, defendant, incurrentibus periculis se opponant*. Quæ quidem ministeria, barbarie posita, constitutaque republica, pulchre, apud sequutos *Hungariæ Reges*, inualuerunt. Quid? quod ex bello captis populis, vt essent perpetuum triumphi monimentum, custodes corporis deligere, nihil dubitarint. De COLOMANNO res certa est: quippe qui, *Russos*, cum quibus bellum sibi intercesserat, in *Hungariam* deportatos, isthoc ministeriorum genere, honestauit. ISTVANFFYVS Lib. XVI. initio; nos autem, TOMO Operis IV. in Hist. Comit. *Neogradiens*. Parte Spec. Memb. IV. Sect. II. §. III. p. 144.

t) Ab his *Syrenum* cantibus, caueat sibi, quam sollicitissime,

*Quisquis stare volet,*
*Aulæ culmine lubrico.*

Profecto enim, numquam euenire potest aliter, quam, vt esca, quæ obiicitur, ad hunc modum, percussoribus; qui eam plerumque spe tantum deuorauere; ante omnia, letalis sit, & exitiosa. Nam, si alias,

*Non nisi morte*
*Satiatur amor dirus habendi*,

vti SOPHOCLES habet in *Oedipo*: quid futurum putes, his? qui, cum vita principis, nihil dubitant quæstum facere, omnium iniquissimum, & toti noxium reipublicæ.

u) Consentaneus hic mos *Attilæ*, illi fuit, cuius supra meminit PRISCVS §. III. p. 6. quando legationes ad *Romanos*, aliis super aliis, cumulabat, vt familiares suos, donis

rit, percunctaturum, vt reliquos omnes, quis munera sibi sit largitus, & quantae pecuniae sint illi a *Romanis* dono datae. Neque id celare, per collegas, & comites licitum fore. Visus est *Eunucho* barbarus recta sentire, & eius est amplexus sententiam. Itaque a coena dimisso, ad Imperatorem, consilium initum, detulit, qui *Martialium*, magistri officiorum (x) munere fungentem, ad se venire iussum, docuit, conuentionem cum barbaro factam: id enim illi credi, & committi iure magistratus, quem gerebat, necesse fuit. Nam, omnium Imperatoris consiliorum, *Magister* est particeps, sub cuius cura sunt: *Tabellarii*, *interpretes*, & *milites*, qui palatii custodiae deputati sunt. Imperatore (y) autem, & *Martialio*, de tota re consultantibus, placuit, non solum *Bigilam*, sed & *Maximinum*, legatum mittere ad ATTILAM.

§. IV.

donis, quae legatis largiri debebant *Constantinopolitani*, locupletaret. Ergo, quid? quantumue? accepisset quisque, in numerato habere volebat: tum, vt cognosceret, qua grati animi significatione, erga suos fuerint *Romani*; tum, vt addisceret, quae inde legatis facta sit opum accessio.

x) Hunc locum, vberius explicauit *Valesius*, ad AMMIANI Lib. XXVI. p. 353. vbi de MAGISTRI OFFICIORVM dignitate, abunde dixit, ex qua eius commentatiuncula, pauca quaedam delibauimus, eo fine, vt *Origines* BARONATVVM *Regni Hungariae*, scrupulosius vestigaturis, accendamus faculam. MAGISTER *Officiorum*, legationes tractabat, vnde & sub dispositione sua habebat scrinia sacra, vt legationibus, non ciuitatum solum, sed etiam exterarum gentium, responderet. *Scrinium* etiam *Admissionum*, sub eius erat administratione, quo legatos nationum introduceret. Quocirca, a CASSIODORO, Lib. VI. Epist. VI. *Adspectus regii, haud irritus promissor*, dicitur, *collocutionis regiae, gloriosus donator; aulici consistorii, quasi quidam lucifer.* Et paullo post: *Per eum, exteris gentibus, ad laudem reipublicae nostrae, ordinatur humanitas, & volentes redeunt, quos querentes acceperat: per eum quippe, legatorum, quamuis festinantium, praenunciatur aduentus.* Quod vltimum, sic intelligo: sub MAGISTRO *Officiorum*, erat Schola *Agentum* in rebus, ex qua Schola *Curiosi*, per omnes prouincias, & ad limites, mittebantur: per hos *Curiosos*, in limite constitutos, nuntiabatur MAGISTRO *Officiorum*, si qua legatio a barbaris gentibus, ad Imperatorem mittebatur. Nam, vt ait PRISCVS Rhetor: *Omnium consiliorum Imperatoris* MAGISTER *Officiorum, particeps est.* reliqua. Introduxisse in Consistorium MAGISTRVM *Officiorum*, legatos, testis est CORIPPVS, Lib. III.

*Legatos Auarum iussos intrare* MAGISTER,
*Ante fores sacras diuinae nuntiat aulae:*
*Orantes sese vestigia sacra videre*
*Clementis Domini: quos voce & mente benigna,*
*Imperat admitti.*

Cum vero ad audientiam admittebantur legati, ante velum stabat *Magister*, poteratque percipere auribus, quae intro dicebantur, omnia. Moris praeterea fuit, vti exterorum legati; *Magistro*, legationis summam detegerent ante, quam ad Imperatorem intrarent. Igitur, sub eius dispositione fuerant officia *Palatina*, & *Scholae*. quod RVTILIVS, in Lib. I. Itinerarii, declarat:

*Officiis regerem cum regia tecta* MAGISTER,
*Armigerasque pii principis excubias.*

Per *Scholas*, classes eas intellige, in quas dispertita fuere *Palatii officia.* Confer, *Notitiam Imperii:* CASSIDOR. Lib. VI. de *Formula Magisteriae Dignitatis*: Codicem IVSTIN. de *Officio Mag. Offic.* Cogitet nunc Lector *Hungarus*, annon BARONATVS HVNGARIAE, plerique omnes, & horum functiones, vno MAGISTRI OFFICIORVM vocabulo, contineantur? Ita reor! Nam, sub S. STEPHANO, solus fere *Palatinus* erat, qui *Palatii* ministeriis, & iuri dicendo, moderabatur: dum lapsu temporis, singulares magistratus, hactenus in vnum aliquem collati, muniis singulis praeficerentur.

y) Hic vero, admissis foedis adeo consiliis, & caussa cecidit, aduersus ATTILAM, Impe-

## §. IV.

*Bigila*, (a) insidiarum in ATTILAM manifeste conuicto, *Attilas*, ablatis ab eo, centum auri libris, quas a *Chrysaphio* acceperat, extemplo (b) *Orestem* & *Eslam*, Constantinopolim misit, iussitque *Orestem*, crumena (c) in quam *Bigilas* aurum, quod *Edeconi* daretur, coniecerat, collo imposita, in conspectum Imperatoris venire, atque *Eunuchum* interrogare: Num hanc crumenam nosset? Deinde *Eslam*, hæc verba ore proferre: THEODOSIVM *quidem, clari patris, & nobilis esse filium;* ATTILAM *quoque nobilis parentis esse stirpem, & patrem eius Mundiochum* (d) *acceptam a patre nobilitatem, integram conseruasse; sed* THEODOSIVM (e) *tradita a patre nobilitate, excidisse; quod tributum sibi pendendo, suus seruus esset effectus. Non igitur iustam rem facit, qui præstantiori, & ei, quem fortuna* Dominum *demonstrauit, tanquam seruus scelestus, & improbus, clandestinas insidias paret. Neque se prius criminari illum, eo nomine, destiturum, quam Eunuchus ad supplicium* (f) *sit traditus.* Atque hi quidem, cum his mandatis, *Constantinopolim* peruenerunt. Eodem quoque tempore accidit, *Chrysaphium*, a Zenone (g) ad pœnam deposci. *Maximinus* enim renuntiauerat, *Attilam* dicere: Decere Imperatorem promissa adimplere, & *Constantio* (h) vxorem, quam promiserat, dare. Hanc enim, inuito Imperatore, nemini fas fuisse ducere; aut, qui contra ausus fuisset, pœnas lueret; aut si eo Imperatoris res deductæ essent, vt eorum, qui sibi subditi erant, minime compos esset; se auxilium ferre paratum, quo eos suæ voluntati obsequentes red-

 deret.

Imperator *Theodosius*, & perpetuam nomini suo inussit notam. Quod iuste ei postea obiiciebatur ab ATTILA; vti patet ex sequentibus. *O rem, Imperatore Romano, parum dignam!* exclamat CANTOCLARVS, *& minime miror, sub tali Imperatore, concidisse imperium Romanum.* Ceterum, legas hic oportet, ob rerum nexum, infra Cap. II. §. IV. seq. suadet VALESIVS.

a) Proditionis seriem caussasque, habes Cap. II. §. VI. ac postea, quæ hanc sunt consequuta.

b) In horum comitatu, & *Bigilas* fuit; *Maximino* & *Prisco*, apud ATTILAM, manere iussis, dum rediret, ab expeditione Scythica, *Onesegius*. Cap. II. §. IX.

c) Singularis hæc animi moderatio in ATTILA fuit, quod insidias vitæ suæ, doloso hoc legationis, a *Theodosio*, & suis, prætextu instructas; non bello, sed sola hac exprobratione, vltus fuerit. Lege, illustratam hanc conspirationem, in Originibus Hungar. OTROKOCSII, Parte I. Cap. IV. §. VIII. seq.

d) Mirum in modum variant, exteri, & domestici scriptores, in patris ATTILAE nomine scribendo; quod notauimus, ADPARATVS huius, *Decade* I. *Monum.* III. *Cap.* III. not. *d.* p. 94. quorsum lectores dimittimus.

e) Iustissima hæc ATTILAE, in *Theodosium*, fuit inuectiua: quippe qui, tributarius *Hunnorum* cum esset, humilis cruentique animi prodidit indicia, quando per insidias, e medio tollere constituit *Attilam.* Ita tunc barbarus, *Augustum*, augustali quadam animi magnitudine, vicit. quod in rebus *Hungaricis* euenisse frequentius, norunt historiarum periti.

f) Nihil habet PRISCVS, de pœna, *Chrysaphio* inflicta. Id vnum memorat: *Misit &* Eunuchus *aurum ad barbarum, quo mollitus, ab ira deduceretur.* Cap. II. §. XXIV. extremo.

g) De eadem hac *Chrysaphii*, qui & *Eunuchus* dicitur, ATTILAE partim, partim *Zenonis*, postulatione ad supplicium, lege Cap. II. §. XXIV. initio. Sed, de *Zenone*, dicemus professa opera, §. XXI. not. *e*.

h) CONSTANTIVS hic, idem est, quem infra Cap. II. §. XII. a secretis epistolis ATTILAE fuisse, PRISCVS scribit: vbi & fraudes viri, atque funestum exitum, legas.

deret. Sed *Theodosius* (i) iracundiam ſuam palam fecit, cum bona puellæ in publicum redegit.

## §. V.

Cum primum ATTILAE nuntiatumeſt, *Martianum*, poſt *Theodoſii* mortem, ad imperium perueniſſe, & quæ *Honoriæ* acciderant, ad eum, qui in Occidente rerum potiebatur, miſit, qui contenderent, *Honoriam*, nihil ſe indignum admiſiſſe, quæ matrimonium ſecum contracturam ſpopondiſſet. Miſit & ad *Romanos* in Oriente, tributorum conſtitutorum gratia. Sed re infecta legati, vtrinque ſunt reuerſi. Etenim, qui Occidentis imperio præerat, (a) reſpondit: *Honoriam ipſi nubere non poſſe, quod iam alii nupſiſſet. Neque imperium Honoriæ deberi. Virorum enim, non mulierum, Romanum Imperium eſſe.* Qui in Oriente imperabat; (b) *ſe minime ratam habere tributi illationem, quam* Theodoſius *conſenſiſſet. Quieſcenti, munera largiturum; bellum minanti, viros, & arma obiecturum. Nec enim vires & copias ſibi deeſſe.* Itaque ATTILAS, in varias diſtrahebatur ſententias, & illi in dubio hærebat animus, quos primum adgrederetur. Tandem, melius rem ſe habituram viſum eſt, ad periculoſius bellum ſeſe conuertere, & in occidentem exercitum educere. Illic enim ſibi rem fore, non ſolum cum *Italis*; ſed etiam cum *Gothis*, & *Francis*. Cum (c) his, vt *Honoriam*, cum ingentibus diuitiis, in vxorem acciperet: cum illis, vt *Genſerichi* gratiam promereretur. At *Francos* bello laceſſendi, illi cauſſa fuit, Regum ipſorum obitus, & de regno inter liberos controuerſia. Seniori *Attilas* ſtudebat; iuniorem *Aetius* (d) tuebatur. Quem *Romæ* vidimus, legationem obeuntem, nondum lanugine effloreſcere incipiente, flaua coma, & capillis, propter denſitatem, & magnitudinem, ſuper humeros effuſis. Hunc etiam *Aetius*, in filium adoptauerat, & plurimis donis ornatum, ad Imperatorem, vt amicitiam, & ſocietatem cum eo faceret, miſerat. Sed ATTILAS, antequam in eam expeditionem ingrederetur, rurſus (e) legatos in *Italiam* miſit, qui *Honoriam* poſcerent. Etenim, ſecum matrimonium pepigiſſe: cuius rei,

i) Nouum, impotentis animi, apud *Theodoſium*, documentum. Neque enim culpam admiſit puella; ſed *Theodoſius*, quod eam, homini ingenuo, in matrimonium promiſſam, poſtulante ſerio *Attila*, quouis obtentu, negauerit. De promiſſa vero *Conſtantio* vxore, & eius rei cauſsis, lege Cap. II. §. XXI. Ceteroquin, actus *Theodoſii*, qui ei cum *Attila* interceſſere, reliqui, & legationum, vltro citroque miſſarum, res, infra Cap. II. §. IV. vſque ad §. XXVII. fuſe narrantur. Quæ omnia, ante hæc, legi volumus.

a) Is, VALENTINIANVS III. fuit. Prima hæc ATTILAE, miſſa ad Imperatorem, cauſſa HONORIAE, legatio erat: nam, & alterius, paullo poſt, meminit PRISCVS. De nuptiis ATTILAE, ab *Honoria* promiſſis, egimus DECADE I. Monum. III. Cap. VI. nota *d.*

b) MARTIANVS videlicet, qui fatis functo *Theodoſio iun.* ſurrogatus fuerat. Virile Imperatoris vtriuſque, & plenum fortis animi, reſponſum; ſed, quod apud *Valentinianum*, aliter poſtea cecidit: lege, hoc ipſo paragrapho, notam *f.*

c) Legi mallem, cum *illis*, Italis, cum *iſtis*, Gothis &c.

d) AETIVS, de quo DECADE I. loc. cit. Cap. VIII. initio nota *a.* diximus, *Galliis* ea tempeſtate præfuit, vt, ex IORNANDIS quidem ſententia, *ei inniteretur reſpubl. Heſperiæ plagæ*, hoc eſt, imperium occidentale.

e) En! alteram *Honoriæ* gratia, ad fratrem eius *Valentinianum*, legationem: quam, quod in irritum cecidit, calamitoſiſſima in *Italiam*, ſequuta impreſſio eſt. Obſeruet Lector! qua hic æquitate, aduerſus *Valentinianum*, vſus fuerit ATTILA. Maluit, gemina legatione, cum *Valentiniano*, experiri prius, quam bellum commoueret. Quod hodiernis principum nonnullorum inſtitutis, aliter fieri videmus. O tempora! o mores!

rei, vt fidem faceret, annulum ab ea ad se missum, per legatos, quibus tradiderat, exhiberi mandauit. Itaque, imperii parte sibi *Valentinianum* cedere, æquum censebat, quam pater *Honoriæ* reliquisset; sed hac illam frater, quæ eius erat auaritia, & cupiditas, priuarat. At *Romani* Hespherii, in prima sententia perstiterunt, & *Attilæ* mandata reiecerunt. ATTILAS, vastata *Italia*, (f) ad sua se retulit, & Romanorum Imperatoribus in oriente bellum, & vastitatem denuntiauit, (g) propterea quod tributum sibi a *Theodosio* constitutum non soluebatur.

## §. VI.

*Ardaburius*, (a) Asparis filius, ad Damascum *Saracenos* debellauit. Eo, D *Maxi-*

f) Vastitatem, quam ea expeditione, *Italiæ* intulit ATTILA, scite BOXHORNIVS descripsit: Funditus, *inquit*, delere *Romam*, & *Romani* tollere imperii nomen, decreuerat, atque huc, per strages & ruinas ibat. Prima crudelitate *Aquileia* periit, & tamquam vna flamma, mox, *Concordia*, *Optergium*, *Altinum*, *Patauinum*, *Ateste*, ac deinde tota illa maritima regio, conflagrauit. Adhuc in Transpadanis luserat Hunnorum barbaries, nisi eadem calamitate, *Insubres*, *Liguresque*, obrueret. Ergo, aliarum vrbium fatum, etiam *Mediolanum* excepit, & cum auaritiæ hostium sufficeret, crudelitatem minime satiauit. In homines & tecta sæuitum, igni, ferro, manu: pulcherrimam vrbem, breuis furor excidit. Nescio, quo sidere; sed vestigia quondam *Hannibalis*, & vota, ATTILA sequitur. Quid tamen? cum leuior non esset, nec felicior fuit. *Padum* transit, omnia cædibus, incendiisque implet, vltimam sæuitiæ procellam, indominæ vrbis mœnia, ac templa, effusurus. Sed, quo ruis, immanissima bellua? Ad crudelitatis famam, hæc iam satis! Cohibe impetum, & fumantem a tergo, recenti incendio, regionem, respice: cladi si credis, vix quidquam votis, tam truculentis, scelus adiiciet. *Romam* petis? Mediolanum *Roma* fuit, & cum *Insubrum* vrbe, *Italia* reliqua concidit. Mirari iuuat: metus, an aliud consilium, mentem tyranni impulit? an occulta vis fati? Intercedente velut *Leone Pontifice*, interruptus sæuitiæ cursus est: & quia iterum non spernendis copiis occurreret *Aetius*, immensus ille, iamque grauis præda exercitus, relegit vestigia: prorsus, postquam diuitias rapuit, timuit vinci. Annuo tamen tributo, proh pudor! pacem ab ATTILA, *Valentinianus* emit. *Augustus*, a *Barbaro*, & clade, quam dedecore, carere imperium maluit. Hæc ille: in *Histor. Vniuersali*, ad initia *Martiani* Imperatoris, seu ad annum CCCCLX. seq. *Satis ad gustum!* Atque his, quia breuia sunt, lacunam, in PRISCO factam, explere voluimus. Plura, & ordine digesta habes, DECADE I. Monum. III. Cap. XIV. XIX. p. 122. Ceterum, impressione hac in *Italiam*, nullum operæ pretium fecit, si fecit, ATTILA, quam, quod *Venetas*, intra insulas maris *Adriatici* fugere, & illic vrbem condere coegit, futuram, ad posteros, suarum expeditionum monimentum, nunquam intermoriturum. Italiæ Poetarum venustissimus, STANAZARIVS, *Romæ* anteferre natam tunc vrbem, nihil dubitat:

*Adriacis videat* VENETAM *Neptunus in vndis*
*Stare vrbem, & toto ponere iura mari.*
*Nil mihi Tarpeias quantumuis*, Iupiter! *arces*
*Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait.*
*Si Pelago Tiberim præfers, vrbem aspice vtramque:*
*Illam homines dicas; hanc posuisse Deos.*

Profecto ita est, aliud cum ageret, bello sanguinolentissimo, ATTILA; monimentum memoriæ suæ statuit, *Babylone* Nimrodi, perennius.

g) De hac belli in *Romanos* Orientales interminatione, nihil amplius apud PRISCVM reperies: multo minus, bellum ipsum. Quocirca, consule CALANI *Attilam*, DECADE I. Cap. V. p. 97. vbi res gestas ATTILAE, ordine, quo licuit, recoluimus.

a) Quæ hinc ad paragraphum vsque X. sequuntur, nihil cum ATTILA habent com-

*Maximino* duce, & PRISCO, huius hiſtoriæ ſcriptore, aduenientibus, offenderunt *Ardaburium*, cum *Saracenorum* legatis, de pace tractantem. *Blemmyes*, & *Nubades*, (b) a Romanis victi, legatos ex vtraque gente, ad *Maximinum*, pacis exorandæ gratia, miſerunt, quam ſe ſeruaturos ſpondebant, quoad vſque *Maximinus*, in *Thebanorum* (c) regione commoraretur. Illo vero, ad id tempus abnuente, fœdus icere, ſubiecerunt ſe, quamdiu *Maximino* vita ſuppeteret, in officio futuros, nec moturos arma. Hac quoque conditione, quam legati offerebant, reiecta, *centum annorum* inducias indulſit. His fœderibus, placuit, captiuos *Romanos*, qui & hoc, & ſuperiore prælio, capti erant, ſine vllo redemptionis pretio, liberos dimitti: pecora tunc abacta reddi, & ſumptuum æſtimationem reſtitui: in eas conditiones, obſides ex nobilioribus dari. Liberam eſſe, ſecundum antiquam legem, e templo, ad ſe, *Iſidis* (d) traiectionem, neque per eos, qui in *Aegypto* foſſis fluuii ſunt præpoſiti, impediri. Certo enim tempore barbari, ſtatuam deæ, e templo, in quo eſt collocata, domum traiiciunt, & oraculis ab ea ſumptis, rurſus in inſulam, ſaluam & incolumem, reducunt. Conuentiones cannis exaratas, clauis ferreis reuinctas, in fano affigi, *Maximino* viſum eſt, & ad eam rem, miſſi ex eius neceſſariis nonnulli. Adfuerunt etiam ex *Blemmyis*, & *Nubadibus* aliqui, cum fœdera in *inſula* (e) deponerentur. Sic igitur, pactis in ſcriptis redactis, & obſidibus traditis,

commune; ſed, ad *Romanorum* res ſeparatas, adtinent. Fuerat vero *Ardaburius*, vnus ex *Romanis* ducibus, natione *Gothus*. Ceterum, *Ardaburi* huius, iniqua, cum filiis, *Aſpare*, & *Patriciolo*, fata, paſſim legas. MARCELLINVS Illyricanus, in Chron. Ind. IX. *Leone* Auguſto IV. & *Probiano* Coſs. hoc eſt, anno CHRISTI CCCCLXXI. *Aſpar*, primus patriciorum, cum *Ardaburo*, & *Patriciolo* filiis, illo quidem olim Patricio, hoc autem *Cæſare*, generoque *Leonis*, adpellato, *Arianus*, cum *Ariana* prole, ſpadonum enſibus, in palatio vulneratus, interiit. Notauit *Phil. Labbe*, ad CANDIDVM ISAVRVM, Tom. I. Scrip. Byz. edit. regiæ. De *Saracenis*, ſupra diximus.

b) BLEMMYES, Aethiopiæ ſub Aegypto, populi, *Ptolemæo*, *Straboni*, & *Heliod.* NVBADES, *Nubas*, & *Nubæos*, STEPHANVS vocat, & *Numidas*, circa Nilum. De *Nubis* & *Blemmyis* ſub MARTIANO deuictis, teſtatur IORNANDES, in Lib. de Succeſſione Regnorum. *Cum Parthis & Vandalis, omnia infeſtantibus, pacem inſtituit: ATTILAE minas compeſcuit: Nubades, Blemmyasque, Aethiopia prolapſos, per* FLORVM, *Alexandriæ vrbis procuratorem, ſedauit, ac pepulit a ſedibus Romanis.* Erat hic FLORVS, non ſolum *Procurator*, ſeu *Auguſtalis*; ſed etiam *Comes* rei militaris, per Aegyptum, vt ex PRISCO, docet *Euagrius*, Lib. II. Cap. V. Alioquin, noti ſunt *Blemmyæ*, ſiue *Blemmyes*, priſcis ſcriptoribus. *Theocrito*, Idyllio VII. *Dionyſio* Characeno; *Straboni*; *Melæ*; *Plinio*; *Ptolemæo*; aliisque paſſim. *Claudianus*, regionis, quam colebant, habitum, ita canit, *Nilique* ſimul opportunitates, quas iſtis populis præſtat, celebrat:

*Et loca continuo ſolis damnata vapore*
*Irrorat, populisque ſalus ſitientibus errat.*
*Per Meræn, Blemyasque feros, atramque Syenem.*

*Meræ* nimirum, inſula *Nili* eſt; *Syene*, vrbs *Aegypti*, ab atris culta ciuibus.

c) Regio eſt Aegypti, a *Thebis*, vrbe Aegyptiaca, nomen ſortita, vrbis frequens ab auctoribus fit mentio. PLINIVS, Lib. XXXVI. Cap. XII. TACITVS, Annal. Lib. II. C. LX. DIODORVS SICVLVS, apud quem, admiranda vrbis deſcriptio. Hecatonpylos, *Stephano*; Dioſpolis, *Straboni*; Buſyris, *Diodoro Siculo*, vocatur. De regione, PLINIVS, Lib. V. C. IX. *Summa pars* Aegypti, *contermina Aethiopiæ*, Thebais *vocatur*.

d) Aegyptiorum Dea, quæ & *Io*, Inachi filia. De hac, præter DIODORVM SICVLVM; peculiari libro, egit PLVTARCHVS, quem de *Oſiride* inſcripſit.

e) Inſula nimirum, *Iſidi Deæ* ſacra, quæ illic colebatur, & templum habuit.

ditis, ex his, qui dominatum exercuerant, aut ex filiis eorum; quod in hoc bello minime adhuc contigerat, neque inquam antea, ad hoc vsque tempus, *Nubadorum*, aut *Blemmyorum* filii, obsides apud *Romanos*, fuerant, accidit *Maximinum*, in morbum incidere, & mori. Postquam vero de eius obitu, barbaris nuntiatum est, vi obsides eripuerunt, (f) & regionem excursionibus vastarunt.

## §. VII.

*Gobazes* legatos misit ad *Romanos*, quibus Romani responderunt, se a bello cessaturos, si regnum, aut ipse deponeret, aut a filio reciperet. Nec enim fas esse, secundum antiquam regionis legem, duos simul dominari. Itaque oportere, aut ipsum *Gobazem*, aut eius filium, regnare in *Colchide*, (a) atque ita bellum solueretur. Legatos *Euphemius* introduxit. Is, MAGISTRI (b) *Officiorum* dignitatem adeptus, prudentia, & eloquentia clarus, sub *Martiano* Imperatore in Reipub. administratione floruit, multosque præclaros viros, Imperatori consiliis adhibuit: hic quoque PRISCVM, scriptorem huius historiæ, in partem curarum imperii (c) vocauit. *Gobazes* igitur, sibi delata optione, regni



De hac PLINIVS, Lib. X. C. XLIX. *Philis* alioquin dicitur, cum oppido, in ora *Aegypti*, circa *Elephantinem*. Maximum illic erat *Osiridis* templum, per quod *Aegyptii* iurare consueuerant, μὰ τῶ ἐν φίλαις Ὀσιριν, teste *Scholiaste* LYCOPHRONIS p. 43. in quo male Φήλαις legitur. De ISIDE, *Philis* culta, loquitur etiam MARTINVS, de vita *Procli*. PROCOPIVS, in Lib. II. Pers. p. 33. ait, *Nubas*, & *Blemmyas*, *Isim*, atque *Osirim* colere. Adde SERVIVM, Lib. VI. Aeneidos, & SENECAM, in libro *de Sacris & Ritibus Aegyptiorum*. Sed notandum est, quod ait PROCOPIVS, loco iam citato, *Diocletianum*, cum iuxta *Elephantinem*, insulam in *Nilo* reperisset, castro ibi exstructo, aras, *Romanis*, ac *Barbaris*, communes statuisse, ac sacerdotes, ex vtraque gente, ordinasse, vt sacrorum communione, amicitia coalesceret: vnde & locum *Philas* vocauit. In quo fallitur PROCOPIVS. *Philæ* enim, longe ante *Diocletianum* Imperatorem, dicebantur, vt constat ex *Strabone* & *Ptolemæo*. Notauit, ad hunc PRISCI locum, *Henr. Valesius*.

f) Ita, *centum annorum*, induciæ, tametsi earum leges, in *Isidis* templo, ferreis clauis suffixæ fuerunt, momento temporis, exspirauere: quod, quam sit frequens hodie, etiam, vbi diuiniores multo perlatæ sunt pacis leges, in singula fere lustra, per vniuersam passim rempublicam *Christianam*, experiundo tenemus. Pax nimirum, quam ex sanctissima iurisiurandi formula, æternam esse oportuit, dum se occasio dat, parti alterutri paciscentium, rerum habitum in rem suam vertendi, conuellitur subito, & bellum, nouis exasperatum iniuriis, instauratur denuo. De induciis *centum annorum*, sanctius habitis, legesis, lacteæ vbertatis LIVIVM, Lib. I. Cap. XV. XX. Et Lib. VII.

a) *Colchis*, quod constat apud eruditos, *Asiæ* regio est. Incolas *Lazos* dicunt, *Agathias*, *Suidas*, *Procopius*, *Gregoras*, *Isaacius Tzetza*. Colchidem, *Ligysticum*, alio nomine LYCOPHRON, quod illic *Libystene* legit *Stephanus*, vocat.

b) Altera hæc est MAGISTRI *Officiorum* mentio, post eam, quam supra §. III. nota *v.* habuimus, adnotata a doctissimo *Valesio*, eo fini, vt doceret, introducendorum legatorum munus, ad eum adtinuisse.

c) Quod ita interpretor, vt inter clarissimos eos viros cooptatum credam, qui *Martiano*, ab intimis consiliis, prudentia *Ephemii*, Magistri Officiorum, delecti fuere: quippe quod, & rerum vsu subactus esset, & eloquentia polleret PRISCVS. Vt proinde, eo maiorem iacturam fecerit orbis eruditus, quod historiarum libri, quos conscripsit, interciderunt: neque enim, nisi hæc fragmenta, ad nos sunt delata. Blandiatur sibi VOSSIVS, dum: *Videtur autem*, inquit, de Historic. Græc. p. 488. *hodieque exstare*, Priscus nempe Rhetor. *Sane*, *citat* Priscum BAPTISTA FVLGOSVS, *Memora-*

regni insignia deposuit, & elegit cedere filio regnum. Et ad Imperatorem misit, quandoquidem vni solum iam pateret *Colchidis* regio, non illi amplius vsque eo succenseret, vt etiam arma inferret. Imperator vero iussit *Gobazem*, in Romanorum regionem transgredi, vt eorum, quæ sibi facienda statuisset, rationem redderet. Ille autem, profectionem minime abnuit. At *Dionysius*, fide prius accepta ab eo, qui pridem in *Colchidem*, dirimendarum cum *Gobaze* controuersiarum gratia, missus erat, se nihil, quod perfici non posset, promisisse, legatione functus est, & de rebus, quæ in contentione erant, conuenerunt.

## §. VIII.

*Maioriano* Romanorum occidentalium Imperatori, *Gothi*, qui in Gallia erant, socii, confœderatique facti sunt, & gentes ditionis Romanorum accolas, partim armis, partim verbis, ad deditionem compulit. Hic etiam in *Lybiam* (a) trecentis fere nauibus sibi coactis, cum magno exercitu penetrare tentauit. Sed *Vandalorum* dux, prius legatos misit, qui illum, si quæ essent inter eos controuersa, amice transigere, paratum esse dicerent. Quod, vbi obtinere non potuit, *Maurusiorum* (b) terram, in quam, ex *Iberia* (c), *Maioriani* nauales copiæ, adpulsuræ erant, omnem igni, ferroque vastauit, & quacumque ratione potuit, adflixit, & aquas infecit. *Romanis* occidentalibus in suspicionem venit *Marcellinus*, ne si copiis augeretur, in eos bellum transferret. Erant enim tunc temporis *Romanorum* res, variis modis adflictæ, & perturbatæ; hinc *Vandalis*; illinc *Nigidio* (d) imminente. Hic vir, magnum exercitum habebat ex Gallis, qui in *Hispaniam* mouentes, sub *Maioriano* militauerant, & ob cædem Imperatoris erat illis infensus. Sed a bello, adpetendis Italis, auocauit, ortum illi, cum *Gothis*, in Gallia dissidium. De contermina enim regione cum illis certans, fortiter bellum gerebat, in quo multa viri strenui, & magnanimi opera, edidit. Hæc in caussa fuerunt, vt *Romani Hesperii*, legatos ad orientales mitterent, vt se, a *Marcellino* & *Vandalis*, liberarent. Et ad *Marcellinum* quidem, *Philarchus* missus, ei persuasit, ne in Romanos moueret arma. Hinc ad *Vandalos* deflectens, nihil quicquam profecit, & rediit.

*Genseri-*

---

*morabilium* libris; *inque Bibliotheca Vaticana esse*, auctor *est*, RAPHAEL VOLATERRANVS, Lib. XIII. Anthropologiæ. *Superesse etiamnum ait, in Nomenclatore suo*, ROBERTVS CONSTANTINVS. Phosphore redde diem!

a) *Libya*, & *Lybia*, nam vtroque modo scribunt auctores, vna, ex vndecim *Africæ* regionibus. Hanc, *Libyam propriam*, nominat PTOLEMAEVS, Lib. IV. initio. Apud quem, & *Libyam interiorem*, atque *Libyæ deserta*, reperias. PLINIVS, latius, & vniuersim, pro tota *Africa*, Græcos sequutus, vocabulum accipit. Lib. V. initio. Adde MELAM, Lib. I. Cap. IV. 15. *reliquos*.

b) *Maurusii*, gens *Africæ*, circa *Tripolim*, & *Syrtim* magnam. Regio ipsa, *Maurusia* & *Mauritania* dicitur, ab incolarum nigredine, sicuti habet MANLIVS:

*Et Mauritania nomen*
*Oris habet, titulumque suo fert ipsa colore:*

nam, μαυρὸν, nigrum omnino significat. LIVIVS Lib. XXIV. Cap. XLIX. ait: *Maurusios, extremos prope Oceanum, aduersus Gades colere*. Hinc, STRABONI, regio est, fortunatis insulis aduersa. At enim, populi ipsi, a *Græcis* Maurusii; Mauri a *Romanis vocati*. STRABO Lib. XVIII.

c) Hispania est, ab *Ibero* amne, qui inter *Pyrenæos*, & *Idubedam*, montes, pari ab vtroque discretus spatio, demanat, veteribus sic adpellata: *Pania*, postea; inde *Spania*; *Espania* demum; *Hispania* denique dicta.

d) Scribendum est loco *Negidii*, *Aegidii*, quod iam dudum alii monuerunt. de quo vide, Libros Rerum Francicarum, HADRIANI VALESII: notat frater *Henricus*.

*Genseriebus* enim, non alias bellum posíturum minatus est, nisi sibi *Valentiniani*, & *Aetii* bona traderentur. Etenim, ab orientalibus partem bonorum *Valentiniani* obtinuerat, *Honoriæ* (e) nomine, quæ *Honoricho*, eius filio, nupserat. Atque hanc belli renouandi occasionem, singulis annis vsurpabat. Itaque, simulatque ver appetiit, infesto exercitu, *Siciliam*, & *Italias* inuasit, & vrbes quidem, Italorum præsidiis firmatas, non facile oppugnauit; sed oppida militibus, qui resisterent, destituta circumueniens euertit, & diripuit. Nec enim ad omnia, quæ *Vandalorum* inuasioni patebant, tuenda sufficere poterant, propterea, quod hostium multitudine opprimebantur. Denique, copiis naualibus carebant, quas, cum a *Romanis* orientalibus petiissent, non impetrarunt, quia fœdus cum *Genserieho* fecerant. Ea res, diuisa scilicet imperii administrandi ratio, magno detrimento *Romanorum* occidentalium rebus fuit. Circa id tempus, legatos ad orientales Romanos miserunt, *Saraguri*, (f) *Vrogi*, (g) & *Hunogari*. (h) Hæ gentes propriis sedibus eiectæ, commissa pugna cum *Sabiris*, (i) quos expulerant *Abari*, & ipsi quoque extorres facti, a populis citeriorem oram maris Oceani habitantibus, quemadmodum & *Saraguri*, ad nouarum sedium comparationem erumpentes: Hunnos *Acathiros* (k) adorti erant, & coniunctis viribus, multis præliis initis, gentem deuicerant, & demum ad Romanos, nanciscendæ eorum societatis cupidi, se contulerant. Itaque, Imperator legatos benigne excepit, & muneribus affectos remisit.

## §. IX.

Dum gentes patria profugæ, cum Romanis in oriente dissident, legatio ab *Italis* aduenit, quæ doceret, res *Italas* stare non posse, nisi sibi *Vandalos* (a) recon-

E

e) Auidissime huius nuptias, ab ATTILA, suo qudam iure, concupitas, supra vidimus §. V. quibus tamen, *Honorichus* hic, *Genserici* filius, potitus est. Ac fuerunt eæ sane bellorum, inter *Vandalos*, & *Romanos* occidentales, fomes perennis.

f) *Sagurorum*, SVIDAS meminit, & ait gentem esse *Asiaticam*: addo, haud longe a mari, ex hoc loco. CANTOCLARVS.

g) *Vrogi*, nescio an *Vgori*. qui & *Vgri*, & *Vngarii*: nec enim alibi, *Vrogorum* mentio; sed *Onogurorum*, & *Hunogorum*, quos eosdem esse puto, quorum *Menander* & *Agathias*, meminerunt; & ille, tribum *Hunniacam*, aut potius *Turcicam*, esse dicit. *Idem.*

h) *Hunugaros* adpellat IORNANDES. Hunugari, inquit, *hinc sunt noti, quia ab ipsis venit pellium murinarum commercium, quos tantorum virorum formidauit audacia. Quorum ma si mem, primum esse in* Scythiæ *solo, iuxta paludem* Mæotidem; *secundo in* Mœsia, Thraciaque, *&* Dacia; *tertio supra mare* Ponticum; *rursus in* Scythia, *legimus habitasse.* Adde, OTROKOCSIVM, Orig. Parte I. Cap. V. §. XI. seq.

i) *Saberos*, *Sabiros*, *Sapiros*: his enim nominibus vocantur. *Stephanus*, & *Orphæus*, gentem *Ponticam* esse aiunt. Immo, Scythiæ *Asiaticæ* est, si *Agathia* & *Menandro* credimus. *Sabinoros* vocat *Suidas*, in dictione *Abaros*, & eos dicit ab *Abaribus* expulsos. CANTOCLARVS.

k) Lege *Acatziros*. Infra *Catziri* scribitur, truncate. Sed & IORNANDES, in Hist. Gotthica, *Acatziros* nominat. Sic enim habent MSS. *Palatini*, quæ GRVTERVS inspexit. Gens est Scythica, teste PRISCO. *Valesius.*

a) Late hi, ea tempestate in *Africa* dominabantur, magno occidentalis imperii malo; maximo præterea, *Orthodoxorum* intertrimento, & exitiali propemodum calamitate; ob *Arianam*, gentis *Vandalicæ*, longe omnium sæuissimæ, iniquitatem: donec, sub *Iustiniano* Imp. ad an. IↃXXXIV. *Belisarius*, capta *Carthagine*, & *Gilimero* ad deditionem adacto, *Africam*, iterum in formam prouinciæ redigeret, regnique *Vanda-*

reconciliarent. Venit & legatio a Perſarum Rege, quæ multos e Perſide ad Romanos Eoos confugere querebatur, & *Magos*, (b) atque alios, qui iam inde a priſcis temporibus, Romanorum, finium ſunt incolæ, a patriis moribus, legibus, & inſtitutis, & antiquo religionis cultu, abduci. Qua de cauſa demigrant, maxime, quia *Ignem*, (c) qui apud eos vocatur inexſtinguibilis, in perpetuum ardere, ſecundum legem, non ſinunt. Addebant, æquum videri, Romanos arcis *Ierouacb*, ad *Portas Caſpias* (d) ſitæ, curam habere, & pecunias, ad eius

---

*Vandalorum*, finem illic faceret. quod obuium eſt, apud rerum auctores. Conſule PROCOPII Libros, de Bello Vandalico.

b) Scribe absque coniunctiua particula: τῶν Μάγων τῶν ἐν τῇ. Intelligit *Magos*, qui in *Cappadocia* degebant, per totam prouinciam ſparſi. Erant autem, *Magorum Perſicorum* coloni, de quibus multa ſcribit BASILIVS MAGNVS, in epiſtola 325. ad EPIPHANIVM, a quo conſultus de illis fuerat. *Valeſius.* Quod viri doctiſſimi indicium, in rem lectoris eruditi, hic loci vertiſſe iuuat: epiſtolæ igitur citatæ ἀποσπασμάτιον, quia ad manus eſt BASILIVS, huc adſcribo: *Gens illa Maguſæorum, id quod alteris mihi litteris inſinuabas; frequens eſt in his locis, apud nos, per cunctas fere ciuitates diſpalata, coloniis, iam dudum Babylone deductis. Moribus viuunt & vtuntur iſti peculiaribus, cum ceteris mortalibus impermiſti. Sermones cum illis inſtituere aliquos, prorſus impoſſibile quid videtur eſſe; quandoquidem captiuati ſunt a diabolo, & ad eius voluntatem, ſeruituti ſunt mancipati. Libris non vtuntur vllis, non diſciplinarum informatoribus; ſed ſine ratione moribus innutriti ſunt, quos filius a patre, per ſucceſſionem traditos, accipit. Præter iſtas traditiones, quas vident omnes, auerſantur immolationem pecudum, tanquam pollutionem; quapropter, quibus opus habent cæſis animalibus, illa manibus mactant alienis. Nuptiis illegitimis, ad inſaniam dant operam. Ignem eſſe* Deum *arbitrantur, & ſi quid aliud iam affine reperitur. Genealogicas autem ab* Abrahamo *lineas, nemo nobis hactenus* Magorum *commentus reperitur.* Zarnuam, *neſcio quem, auctorem deprædicant generis ſui eſſe. Neque quidquam præterea poſſum dignitati tuæ, de hiſce hominibus repræſentare.* In hunc modum ipſos pinxit S. BASILIVS, Opp. Tomo III. p. 320 edit. Pariſiens. anni MDCXXXVIII. Vt proinde, non iniuria, initio epiſtolæ, *tantillos, & nullius pretii homunciones*, beatus vir, adpellarit. Certe, nodum in ſcyrpo quæſiuiſſe, cenſendi ſunt legati *Perſarum*, quod ignobile hoc, atque obſcenum hominum genus, caput eſſe voluerunt legationis.

c) SACRVM IGNEM, ſumma veneratione, colebant *Perſæ*. De hoc STRABO, Lib. XV. p. 504. *Præcipue igni ſacrificant Perſæ.* Dicata ei ſacraria habebant, quorum cuſtodia, *Magorum* curæ, fidei, ac vigilantiæ, credebatur. Vid. BRISSONIVS de *Regno Perſar.* p. 164. 165. Hunc *æternum* eſſe volebant: ἄσβεστον, vocat STRABO. In ſacrariis nempe, aræ fuerunt, in quibus *Magi*, multum cinerem, & ignem perennem, ſeruabant. SOCRATES Hiſt. Eccl. VII. 8. *Perſæ ignem*, inquit, *pro Deo colunt: & Rex quidem ipſe, ignem perpetuo ardentem, in domo quadam venerari ſolet.* Hunc illi, *Sacrum Ignem*, non niſi in regum obitu, exſtinguunt, vt ſit luctus in vniuerſa gente, teſtificatio. DIODORVS, XVII. 114. *Mandatum, ad omnes Aſiæ gentes dedit, vt* Ignem, *qui ſacer a Perſis vocatur, quouſque exſequias peregiſſet, exſtinguerent. id quod, in regum obitu a Perſis, factitari ſolet.* Cerimoniam, circumgeſtati ignis huius, lege apud CVRTIVM, Lib. III. Cap. III. Lib. IV. Cap. XIV. MAGI, de quibus hic PRISCVS, adhuc *Ignem Deum* credebant, teſte BASILIO; ſed in eo, pro παραβάταις, a *Perſis* habiti; quod ſacrum illum æternumque ignem, noluerint, ſaltem neglexerint, perpetuo alere.

d) Alterum iſthoc Perſicæ legationis caput fuit. De *Portis Caſpiis* PLINIVS, Lib. VI. Cap. XV. vbi errorem eorum emendat, qui *portas Iberiæ*, quæ & *Caucaſiæ* dicuntur, cum *Caſpiis* confundunt. Adde Lib. eodem Cap. XII. *Portæ Caucaſiæ, magno errore, multis* Caſpiæ *dictæ, ingens naturæ opus, montibus interruptis repente: vbi fores*

ad eius tuitionem, conferre; neque se solos sumtibus, & arcis custodia, grauari. Si enim cesserint, non solum ad *Persarum*, sed etiam ad *Romanorum* ditionis terras, & gentes, quæ proxime habitant, damna facile peruentura. Oportere etiam, se iuuari pecuniis, ad bellum, contra *Hunnos Cidaritas* (e) gerendum; ex quo *Romani* eam essent vtilitatem reportaturi; quod ea gens arcebitur, neque longius in eorum fines progredietur. *Romani* responderunt; se quamprimum legatos missuros, hæc omnia cum *Parthorum* (f) rege disceptaturos. Neque enim vllos apud se esse fugitiuos, neque *Magos*, in suæ religionis cultu turbari, (g) aut impediri. Pecunias autem ad custodiam arcis *Ierouach*, & bellum coutra *Hunnos Citaritas*, quandoquidem eorum sunt istæ partes, & id sibi desumserunt, minime iuste petere.

## §. X.

Legationem ad *Vandalos* (a) suscepit *Tatianus*, (b) in patriciatus dignitatem cooptatus. Ad *Persas* vero, *Constantius* (c) tertium Consul, & ad Consulatus, patriciatus quoque honorem sortitus. Post incendium ciuitatis, quod accidit sub (d) *Leone*. *Gobazes* (e) venit Constantinopolim, cum *Dionysio*, stola



---

*fores obditæ ferratis trabibus; subter medias, amne, diri odoris, fluente, citraque in rupe castello, quod vocatur* CVMANIA, *communito, ad arcendas transitu, gentes innumeras. Ibi loci, terrarum orbe, discluso, ex aduerso, maxime* HARMASTIS *oppidi Iberum.* Et hæ quidem, *Albaniæ Portæ*, PTOLEMAEO dicuntur, Lib. IV. Cap. XII. Sed, de *Caspiis Portis*, Lib. V. Cap. XXVII. PLINIVS. *Taurus mons*, inquit, *vbi dehiscit, & se populis aperit; portarum tamen nomine sibi vnitatem vindicans, quæ alibi* Armeniæ, *alibi* Caspiæ, *alibi* Ciliciæ *vocantur*. Fallor? annon in eodem errore fuerit PRISCVS, vt, pro *Caucasiis Portis*, nominauerit *Caspias*. In illis certe *Cumania* arx, ad reprimendas gentes, inædificata, ac *Ierouach* forte, posteriori ætate, adpellata, iam olim exstitit.

e) *Hunnos* illos, non dubito esse *Turcas*, qui vocantur apud PRISCVM, *Hunni Cidaritæ*, seu *Kidaritæ*. ait OTROKOCSI, Orig. Hung. Parte I. Cap. VII. p. 152. quam eius sententiam, eo minus improbarem, quod *Hunnos*, *Turcas* sæpius fuisse dictos, probe scio: sed, an in eo censu habiti *Cidaritæ?* ambigo. Vnum e multis auctoribus dabo, qui *Hunnos* ait *Turcas* adpellatos, THEOPHYLACTVM, Histor. Lib. I. Cap. VIII. regiæ edit. p. 18. C. *Sunt autem* Hunni, *habitantes in oriente*, *Persarum vicini*, *quos multi*, *vsitatiore vocabulo*, Turcas *nuncupant*. Neque tamen contraibo, si quis, a *Cidari*, *Persici* pilei ornamento, quod forte imitatione *Persarum* adfectabant gestare, *Cidaritas* vocitatos fuisse, voluerit existimare. Confer infra, Cap. II. §. XXVIII. nota *c*. vbi, aliorsum nos coniectura ducit.

f) Lege mea pace: *Persarum* Rege: nam ab hoc missi sunt legati.

g) Ea fuerunt æquitate *Constantinopolitani*, vt hospitium, in suis terris, *Magorum*, vel, quemadmodum eos S. BASILIVS vocat, *Magusæorum*, religionem; si quæ tamen ipsis fuit; non modo non interturbarint; sed ne ipsi quoque *Episcopi*, quod ex literis *Basilii M.* adparet, vim eis vllam, pietatis obtentu, adtulerint: quomodo & *Epiphanium*, erga eos animatum fuisse, ex iisdem B. *Basilii* litteris, intelligas.

a) Rogatu nempe, occidentalium *Romanorum*, vti est §. IX. initio: quippe quibus, graues fuere *Vandali*, bella ex bellis serentes.

b) TATIANVS, Patricius occidentalis imperii, paullo post Consul fuit. *Valesius*. De eo, CANDIDVS ISAVRVS p. 18. edit. regiæ.

c) CONSTANTIVS, Præfectus prætorio. Exstant ad eum epistolæ, THEODORETI Episcopi, a IACOBO SIRMONDO editæ. *Idem*.

d) Incendium hoc contigit sub *Basilisco*, & *Hermenerico* Coss. anno CCCCLXIV. natalis Dominici, vt scribit MARCELLINVS in Chronico. Meminit eiusdem, CANDIDVS ISAVRVS, Libro I. Hist. qui in incendio eo, multa ab *Aspare*, vtiliter esse ordinata, memorat,

ſtola Perſica indutus, & *Medorum* in morem, ſatellitibus ſtipatus. Hunc Imperator excepit, & primum quidem rei nouitate commotus, auerſatus eſt. Deinde, ad æquitatem delapſus, & eum comiter amplexus, dimiſit. *Chriſtianorum* enim ſymbola, (f) oſtentans, blanda oratione eum demulſit, & ſermonum illecebris cepit. *Scirri* (g) & *Gothi*, acie decertantes, & a pugna vtrique recedentes, ad arceſsenda auxilia animum adiecerunt. Qua de re, Romanos Eoos adierunt. *Aſpar* quidem cenſuit, neutris opitulandum eſſe. Sed Imperator *Leo* ſtatuit, *Scirris* opem ferre. Itaque litteras ad præfectum *Illyrii* miſit, iuſſitque, quoad neceſſe eſſet, auxiliares copias *Scirris*, aduerſus *Gothos* præbere.

## §. XI.

Eodem tempore, venit & ad *Leonem* Imperatorem legatio, a filiis ATTILAE, (a) vt omnibus omnino præteritorum diſſidiorum cauſsis reſecatis, pacem inirent. Itaque, *Romani*, vt olim erat in more poſitum, ad *Iſtrum* vsque procedentes, mercatum celebrarent, ex quo inuicem, ea, quæ ſibi opus eſſent, deſumerent. Et ea quidem legatio, quæ circa hæc verſabatur, re infecta rediit. Nec enim Imperator rationibus ſuis conducere arbitratus eſt, commoditates, quæ propriæ *Romanorum* eſſent, *Hunnis*, (b) qui eos tot damnis, & cladibus affecerant, communicare. At vero, ATTILAE filii, renuntiata legatione, inter ſe diſſenſerunt. Etenim, *Dengiſich*, legatis, nulla re impetrata, reuer-

morat, p. 18. editionis Pariſiens. Regiæ. Lege *Philippi Labbei* S. I. notam, ad eundem hunc ISAVRI locum, p. 104. initio. in qua, incendii huius hiſtoriam, egregie illuſtratam reperies.

e) Mentionem *Gobazis*, iuxta & *Dionyſii*, habes ſupra §. VII. Hic eius *Conſtantinopolim* aduentus, priuatus fuit, non regis: iam enim regnum ceſſerat filio. Vnde *Perſicus* hominis, in veſtibus, & reliquo comitatu, luxus, non poterat non inuiſus eſſe Imperatori.

f) CRVCIS Dominicæ ſimulacra, quæ præferebat *Gobazes*, ac forte martyrum quasdam icones fuiſſe, ex temporum habitu, facile eſt ad colligendum. Captare, nimirum, teſſeris iſtiusmodi, volebat, *Romanorum* beneuolentiam, quaſi, qui *Chriſtianorum* ſacra profiteretur. Enim vero: *Parata, humanis ingeniis, ſimulatio eſt.*

g) Populi fuerunt, *Hunnis* permixti, & in eandem plerumque ſocietatem adſciti: quandoque, & ſeorſim bella gerentes. Eſt eorum mentio, apud ZOSIMVM, Lib. IV. p. 74. *Eodem tempore*, inquit, *Theodoſio, quidam alii quoque proſperi caſus accidere. nam* Scyros, *Carpodacos, permiſtos* Hunnis, *vltus eſt, & prælio ſuperatos, Iſtrum transiicere, ſuasque ſedes repetere, compulit.* Noti ſunt præterea, *Diacono, Suidæ*, & *Procopio*, qui eos, cum *Gothis* & *Alanis*, gentem aquilonarem, cenſet. *Sozomenus* quoque, *Scyrrorum* meminit, ſed geminato canino elemento; IORNANDES *Sciros*, ſimplici vtrobique littera, adpellat, idque ſæpius. De Reb. Get. p. 628. ſeq.

a) Anguſtæ iam tum res, filiorum ATTILAE, eſſe incipiebant: quando, quod pater, armatus a *Romanis* poſtulaſſet; ipſi, proh pudor! cernui rogant, orantque: tametſi, adiectis, ex pelui, fulminibus.

b) HVNNORVM nomen, quod tremendum fuit ſub *Attila*, ſenſim contemptui haberi cœpit, potentia vero redigi ad incitas, & transferri in alios. Scilicet:

*Valet ima ſummis*
*Mutare, & inſigne adtenuat Deus,*
*Obſcura promens: hinc apice rapax*
*Fortuna, cum ſtridore acuto*
*Suſtulit: hic poſuiſſe gaudet.*

HORATIVS Lib. I. Carm. Oda XXXIV. 12.

reuersis, bellum *Romanis* indici volebat. Cui quidem adparatui, *Irnach* (c) repugnabat. Nec enim bellum, longius a patria geri, expedire existimabat: quod *Saraguri*, *Acathiris*, (d) aliisque gentibus adgregati, in *Persas* exercitum duxerunt.

## §. XII.

Primum quidem ad *portas Caspias* (a) adpulerunt, vbi cum præsidium *Persicum* offendissent, ad aliam viam deflexerunt. Qua ad *Iberos* accedentes, regionem vastarunt, & excursiones in oppida *Armeniorum* fecerunt. At *Persæ*, qui iam dudum bello cum *Cidaritis* occupabantur, hac occasione arrepta, legatos ad *Romanos* miserunt, qui ab illis pecunias, aut milites, ad custodiam arcis *Ierouach* peterent. Qua de re, sæpius iam cum illis, per legatos egissent, docuissentque, se pugnam detrectantibus, & cedentibus; liberum futurum, ad inuasionem barbaris gentibus, accessum, atque ita minime inuastata *Romanorum* regio permaneret. His vero respondentibus; rationi consentaneum esse, vnumquemque sua tueri & defendere, & de suis arcibus sollicitum esse; rursus re non obtenta, legati ad suos reuertere. *Dengisich* bellum Romanis intulit, & *Istro* potiri institit. Quod vbi *Ornisiglus* (b) didicit, (is, in ea parte *Thraciæ*, quæ ad *Istrum* est, custodiæ ripæ fluminis, præfectus erat) per suos ex eo quæsiuit: an ea mente esset, vt acie decertare vellet? Sed, *Dengisich*, *Anagastum* contemnens, ab eo missos, re infecta, dimisit, & per legatos, Imperatori denuntiauit: *Se bellum illaturum, nisi sibi, suisque terram, quam incolerent, & pecunias, alendo exercitui, qui ipsum sequebatur, subministraret.* Legatis in regiam introductis, & mandata exponentibus, Imperator respondit; se omnia paratum facere, quo eos, suo imperio obsequentes redderet. Sibi enim per-

 gratum,

c) *Irnach*, minor natu, filius *Attilæ*, eique, dum viueret, multo, quam maior, ille, carior. Venit sæpius in mentem cogitare, annon vocabulum *Irnach*, idem sit, cum hodierno Hungarorum, *Irnasch*, & canina elisa, *Inasch*. Notat vero *Inasch*, adolescentem alacrem, atque in agendo expeditum: ac forte κὰτ ἐξοχὴν, *Principem Iuuentutis*, hoc loco. Ita, instituto AVGVSTI, in *Caio* & *Lucio* Cæsaribus, Imperatorum liberi, cum imperii omine, vocabantur. TACITVS, Annal. I. 3.

d) Egimus de *Saraguris*, & *Acatziris* suo loco; §. VIII. not. *f. k.*

a) De Portis *Caspiis*, cum *Caucasiis*, non confundendis, nunc diximus. Iam ita reor, tentauisse *Saraguros*, & *Acatziros*, per *Caucasias* istas perrumpere. quarum, quod inexsuperabilis esset transitus, ad *Albanas* illas, *Armeniæ*ue, deflexisse: eo, quod ad *Iberos* recta deuenerint, atque *Armeniorum* oppida vastarint.

b) Emendat lectionem *Henricus Valesius*: Scribendum, inquit, puto, Ἀνάγαστος ὁ Ἀρνιγίσκλυ. *Anagastos Arnigiscli*, scil. *filius*. Hic enim *Anagastus*, ripam *Istri* tuebatur de quo plura mox PRISCVS memorat. Hic etiam DENGISICH, regem *Hunnorum* deuicit, caputque eius *Byzantium* misit, *Zenone*, & *Martialio* Coss. vt est in *Chron. Alexand.* & *Marcellini Chron.* De hoc Anagasto, *Suidas* in ὑποστάς. Iam enim, hac tempestate, militari morte functus fuerat *Arnigisclus*. quod ex IORNANDIS de Regnor. ac Tempor. Successione, discas, in actibus *Theodosii iun.* Contra *Attilam* egressus, inquit, *Arnegisclus*, Magister militum Mœsiæ, apud *Martianopolin*, fortiter dimicauit; eo quoque sub se, (*Attila*) decedente, præuentus est: & ne sic quiescens bellare, occisus. Ergo, nequiuit, his rebus interfuisse *Arnigisclus*: quippe, in prima *Mœsiarum*, per *Attilam* euastatione, occisus. *Anagasti* ergo, eius filii, laus cæsi *Dengisichii*, fuit omnino. Mentionem *Anagasti*, apud SVIDAM habes sane, Tom. III. p. 559. edit. Londin. KVSTERI; sed desultoriam eam, & ex qua, præter nudum viri nomen, nihil addiscas.

*Decadis II. Monumentum I.*

gratum, & iucundum esse, si quando inimici in fœdus, (c) societatemque transiirent.

## §. XIII.

*Anagastus*, *Basiliscus*, (a) & Ostrouius, & alii quidam duces *Romani*, in locum abruptum, & concauum, *Gothos* inclusos obsederunt. Ibi *Scythæ* (b) victuum inopia laborantes, Romanos, missis legatis, certiores fecerunt, se omnibus, quæ statuerint, parituros; modo sibi terram ad inhabitandum concedant. *Romani* responderunt: se ad Imperatorem eorum postulata delaturos. At *Scythæ*, de fame, quæ eos premebat, transigere velle dixerunt, neque longiores inducias ferre posse. Romanis ordinibus præpositi, habito consilio, tantisper dum Imperator illis prospiceret, alimenta præbituros polliciti sunt, si *Scythæ* Romanorum multitudini, proxime ad eorum morem ordinati, accederent. Facilem enim fore singulis ordinum ductoribus, eorum, qui sibi sorte obuenerint, tuitionem, & administrationem potius, quam ducibus, qui vniuersos exercitus, regunt: quippe qui, in illis cura sua, & diligentia complectendis, inter se sint æmulatione certaturi. Itaque, *Scythæ* his, quæ legati renuntiarunt, paruerunt, seque in tot, & eosdem ordines distribuerunt, in quos *Romani* erant distributi. Quo facto, *Caleal*, (c) vir genere *Hunnus*, qui secundum ab *Aspare*, imperii gradum in eos, qui sub eo ordines ducebant, tenebat, barbarorum, quæ suis ordinibus accesserat, cohortem obiens, in qua erant plures

---

c) Haud societatis has leges, acceptauisse *Dengisichum*, funestus eius, eodem illo bello, quod commouerat, occasus docuit. Cautius, cæde fratris, mercari doctus *Irnach*, qui in bellum aduersus *Romanos*, non consenserat, in tutas sedes, cum suis euasit. IORNANDES: *Hernach*, (Prisco, *Irnach*, quandoque *Irnas*, dictus) *iunior Attilæ filius, cum suis, in extremo minoris Scythiæ, sedes delegit. Emendzur, & Vzindur, consanguinei eius, in Dacia ripensi.* Obseruet lector, *Hungarica* nomina: *Emend*-Ur, & *Vzind*-Ur. quod est, *Emend* Dominus, *Vzind* Dominus. Est hoc omnino, *Hungaricæ* linguæ, apud *Hunnos* proprios, exstans vestigium. quod & integrarum gentium nominibus hæsit: vt, *Hunoguri*, *Onoguri*, *Vroguri*, *Attziguri*, reliqua. Hæc vero, si *Hungarice* legas, habebis: Hunn-*Uré*; Onog-*Uré*; Vrog-*Uré*; Attzig-*Uré*: vt sint quasi tribus quædam, a suis, siue præfectis, siue rerum apud se dominis, sic denominatæ. nempe tribus, *domini* Hun; *domini* Onog; *domini* Vrog; *domini* Attzig. Quæ iterato adnotauisse, haud sane piguit, vt fidem faceremus iis, quæ de linguarum, *Hunniacæ*, & *Hungaricæ*, cognatione, semel atque iterum, cogitate diximus.

a) FL. BASILISCVS, hic idem est, cuius Cap. II. §. XXVII. not. *d*, in expeditione Africana aduersus *Gensericum*, mentionem habebimus. homo iam tum, non vsquequaque integræ fidei. Postea, anno vrbis MCCXXVIII. imperio priuauit *Zenonem*, & ab eo rursus priuatus est FL. BASILISCVS. Res eius, in compendium missas, C. SIGONIVS dabit, Opp. Tom. I. Parte altera, p. 551. seq. Vide & MALCHVM, apud *Photium*, Cod. LXXVIII.

b) Quos *Gothos* adpellauerat, iam *Scythas* vocat; iterumque *Hunnos*. quod indicio est, quam late *Constantinopolitani*, nomen *Scytharum* sparserint: *Hunnorum*, vti credere par est, odio, id vt facerent, adducti. Enim vero, ATTILAE, & quæ hanc præcessit, ætate, *Hunnum* nominauisse, conuitii dirarumque genus omne, coniecisse fuerat in hostem.

c) Insigne sanguinolentæ fraudis exemplum, & quod nollem, ab *Hunno* fuisse editum: qui tamen, vehementer sibi placuit, quod *Hunnus* genere fuerit. Eo enim superbiæ, ex felici rerum, viuo ATTILA, successu, processere *Hunni*, vt gentes propemodum omnes, præ se, pumiliones, & si quid dici potest ignobilius, despicatiusque, existimarent.

plures numero *Gothi*, quam reliqui, accitis primoribus, huiusmodi orationem habere cœpit: *Terram quidem Imperatorem ad inhabitandum daturum, quæ non illis fructui, & commodo futura esset; sed cuius vtilitas ad solos* Hunnos *redundaret. Nec enim* Hunnos *ignorare*, Gothos *terræ cultum negligere. Ex quo fore, vt luporum more* Hunni, *arua, quæ* Gothis *sortito obtigissent, ad se perirabentes, raperent, & eos seruorum loco habentes, cibis destitutos vexarent, & opprimerent. Quamobrem, semper maluisse, vt nullum esset Gothico generi, cum Hunnis, commercium, & maiores iureiurando eos obstrinxerunt, eorum societatem fugere. Sed rerum necessariarum penuria victi, sacramenta patria, pro nihilo habebunt, & transgredientur. Se quidem genere* Hunnum, *quo maxime gloriatur; sed æquitate motum, hæc illis dicere, & monere eorum, quæ facienda sunt.* His dictis, *Gothi* commoti, & hæc *Caleal*, pro beneuolentia, qua ipsos prosequebatur, suggessisse rati, *Hunnos* sibi immixtos, tanquam seditiosos, trucidarunt. Deinde, quasi ex compacto ceteri conuenientes, ingens pugna, inter vtramque gentem, est commissa. Quos, cum in armis, reliqui castrorum duces viderunt, acies suorum instruxerunt, & obuium quemque barbarorum occiderunt. *Scythæ*, cognito dolo, & fraude perspecta, sese collegerunt, & manus cum *Romanis* conseruerunt. Sed illi, qui sub *Aspare* stipendia faciebant, omnem barbarorum cohortem, quæ illis ordinibus obuenerat, comprehensam, ad internecionem vsque cæciderunt. Aduersus reliquos, ducibus, non incruenta pugna fuit, barbaris strenue & fortiter pugnam capessentibus. Ex qua pugna, qui superstites ex *Scythis* fuerunt, eos *Romanæ* legiones deleuerunt: ad hunc modum soluta est obsidio.

## §. XIV.

Maxima intercedente *Romanis*, & *Lazis*, cum *Suanorum* (a) gente, controuersia: cum *Suani* prompte ad pugnam ineundam, ad primum signum concurrerent, *Persas* quoque cupido belligerandi incessit, propter oppida, quæ *Lazi*, *Suanis* eripuerant. Itaque, *Lazus* ad Romanum Imperatorem, legationem misit, sibi auxilia mitti postulans, ex militibus, qui *Armeniæ* oram, Romanis subiectam, tuebantur, vt, quia proximi erant, præsto essent, ne dum longinqua auxilia exspectant, periculum incurrant, aut frustra sumptibus atterantur; si forte accidat, dimicationis tempus produci, sicut iam antea euenerat. Missa enim cum *Heraclio* (b) valida auxiliorum manu, *Persis*, & *Iberis*, quibuscum in bellum, alio bello aduersus alias gentes, occupatis, cum grauis illi, & molesta esset commeatuum præstatio, auxilia remisit. Sed rursus in eum *Parthis* redeuntibus, Romanos reuocauit. Legati vero retulerunt, Romanos



a) De *Lazis*, Colchidis gente, diximus supra: nunc de *Suanis* nonnihil. Meminit *Suanorum*, PLINIVS, Lib. VI. Cap. IV. p. 309. PTOLEMAEVS item, Lib. V. Cap. IX. STRABONI *Soanes* dicuntur, *Phtirophagorum* similes, & vltra barbariei modum, telorum mucrones, veneno tingentes, Lib. XI. p. 343. *Colchidis* fuisse gentem, auri & argenti in primis diuitem, cum terram adhuc coleret virginem, ex PLINIO addiscas, Lib. XXXIII. Cap. XV. Tom. II. edit. Parisiens. p. 614. AGATHIAS, Ibericam gentem vocat, Lib. IV. *Lazica* dicitur in *Authenticis*.

b) HERACLIVS, belli dux, seu Magister militum, sub *Zenone*, audax magis fuit, quam prouidus. quod eum multis iactatum malis, pessundedit. *Suidas*, Tomo II. p. 71. Ad vltimum, a *Gothis* captus, cum elaborante Imperatore *Zenone*, & centum talentis, in libertatem vindicatus, domum, cum comitibus, rediret, ab subsessoribus *Gothis*, occisus est: haud sine vindice numine. MALCHVS *Rhetor*, in Hist. Byzant. edit. Regiæ Parisiens. p. 87. D. 88. A. 13.

manos miſſuros ad eos auxilia, & ducem. Quo tempore aduenit etiam legatio a *Perſis*, nuntians: *Hunnos Cidaritas*, ab ipſis deuictos, ad *Balaam*, Hunnorum vrbem, expugnatam. Nuntiauerunt igitur legati victoriam, quam *Perſæ* obtinuerant, & barbarorum in morem, magnificis verbis extulerunt, maximas, quæ illis adeſſent copias videri affectantes. Sed legatos, ſtatim a legatione dicta, Imperator dimiſit. Nam illi res *Siculæ*, longe maiori curæ erant.



EX

# PRISCI RHETORIS GOTHICA HISTORIA, EXCERPTA DE ATTILA.

## CAPVT II.

### §. I.

CUm (a) ROVA, (b) Hunnorum Rex, ſtatuiſſet, cum *Amaldſuris*, *Ithamaris*, *Tancaſſiis*, *Boiſciis*, (c) ceterisque gentibus, quæ *Iſtrum* accolunt; quod, ad armorum ſocietatem cum *Romanis* iungendam, confugiſſent, bello decertare; ESLAM, (d) componendis *Romanorum*, & *Hunnorum* controuerſiis, adhiberi ſolitum, miſit, qui *Romanis* denuntiaret; ſe, a fœdere, quod ſibi cum illis eſſet, receſſurum, niſi omnes *Scythas*, qui ad eos ſe contuliſſent, redderent. *Romanos* vero, conſilium, de mittendis ad *Hunnos* legatis, capientibus, *Plinthas*, & *Dionyſius*; hic ex *Thracia*, ille ex *Scythia*, oriundus, ambo exercituum duces, & qui Conſulatus dignitatem, apud *Romanos* geſſerant, hanc legationem obire voluerunt. Vt vero viſum eſt, non ante legatos proficiſci, quam *Eslas*, ad ROVAM rediiſſet; *Plinthas*, (e) vna cum *Esla*, miſit

a) Legationem hanc, tamquam tempore, locoque, priorem, ab initio PRISCI Excerptorum, poni, legique oportere, in aditu, monente HENRICO VALESIO, notauimus, Cap. I. §. I. nota *a*.

b) Intricata nimiopere eſt, cum cognatio, tum ſucceſſio regum *Hunniacorum*. qua de re, egimus DECADE I. Monum. III. Cap. II. & reliquis p. 92. *ſeq.* De vocabulo ROVA, monemus iterum; propius ad indolem linguæ *Hunniacæ* accedere, IORNANDIS ſcriptionem: ROAS, inquit, Cap. XXXV. *ante* Attilam, *regnum Hunnorum tenuiſſe narratur; quamuis non omnino cunctorum.* ROAS autem, ſeu *Rubás*, Hungarica dialecto, tantundem eſt, ac ſi, *decenter*, *commode*, & *pro dignitate amictum*, diceres: forte, quod ſplendidius veſtiri voluit, quam ſui, in regno præambulones. Cetera, vide loco citato.

c) Has gentes, paullo aliter nominat IORNANDES, in Gotthicis: *Aliþſuros*, *Itimaros*, *Tuncarſos*, & *Boiſcos*, *Hunni rapuere*. HENR. VALESIVS. Fuerunt vero gentes, a *Hunnis* deuictæ, iterumque rebellantes.

d) ESLAE mentio, recurret ſæpius: quippe qui, adminiſtratis legationibus, & poſtea ſub ATTILA, illuſtrem ſe fecit.

e) Quis PLINTHAS hic fuerit, & qua apud *Romanos* emicuerit dignitate, infra expromit PRISCVS, §. XXV. *fine*.

misit *Singulacbum*, vnum ex suis necessariis, qui Rovae in animum induceret, (f) cum nullo alio *Romanorum*, quam cum ipso, colloquium inire. Cum autem Rova mortuo, *Hunnorum* regnum ad Attilam peruenisset; (g) Senatus decreuit, *Plinthum* legationem ad Attilam exsequi. Quo S. C. Imperatoris suffragio comprobato, *Plinthum* cupido incessit, *Epigenem*, qui sapientiæ laude celebris erat, & quæsturæ dignitatem obtinebat, socium legationis sibi adsciscere. Qua de re, lato quoque suffragio, ambo, in eam legationem profecti sunt, & *Margum* peruenerunt. Est autem *Margus* (h) vrbs, in *Illyrico Myssorum* ad *Istrum* sita, ex aduerso *Constantiæ* arcis, ad alteram fluminis ripam collocatæ. In hanc vrbem, a Rege, ex *Scythis* delecti, extra ciuitatem equis (i) insidentes, (nec enim barbaris de plano verba facere placuit) conuenerunt. Neque vero non, suæ dignitatis rationem, legati *Romani* habuerunt, & ab hac vsurpatione, eodem quoque adparatu, in *Scytharum* conspectum venerunt, ne sibi peditibus, cum equitibus, differendum foret. Itaque, placuit, profugos omnes, etiam qui multo ante profugerant, vna cum captiuis *Romanis*, qui non soluto redemptionis pretio, ad sua redierant, dedi: aut pro vno quoque captiuo *Romano*, his, qui eum bello ceperant, *octo aureos* dari; *Romanos*, belli societatem cum barbara gente, quæ bellum cum *Hunnis* gerat, non facere; conuentus ad mercatus paribus legibus celebrari; & in tuto *Romanos*, & *Hunnos*, esse; vt fœdera rata maneant, & obseruentur, vno quoque anno, *septingentas auri libras*, tributi nomine, *Scytharum* regibus, a *Romanis* pendi; cum antea tributum annuum non fuisset, nisi (k) trecentarum quinquaginta librarum.



f) Suberat omnino huic destinationi *Plinthæ*, dolus aliquis malus; siue eum in *Romanos* moliebatur, siue in *Ruam*; quod totam eam legationem, suo vnius arbitratu, administrari concupierit. De hoc molimine, non vsquequaque integro, exclamat Cantoclarvs: *O rem periculosam, & animaduersione dignam!*

g) Accessit ad regnum paternum Attila, non adoptionis lege, qua successorem, cum Bleda fratre, adsciuisset, Svbtar, seu *Octar*; sed consummatissimo eo iure, quod ex regia natalium lege, habebat. id quod, contra Calanvm, suo loco, Decade I. p. 95. nota *k*. obseruauimus.

h) De Margo, diximus Cap. I. §. I. nota *d*. Hic, *Constantiæ* arcis obiectu, situs vrbis designatur. Sed quæ illa? non habeo dicere: nisi sit, cuius *Historia Miscella*, XVII. Theophylactvs præterea, Histor. Lib. VII. Cap. VIII. p. 175. meminerunt. Sed illic vtrobique dicitur, *Constantiola*. Margvs certe, in *Hunnorum* tunc fuit potestate. quod ex sollemnibus, acceptæ hic *Romanorum* legationis, satis adparet.

i) Non est ritus hic, legatos accipiendi, ab arrogantia, aut *Romanorum* contemptu, profectus. Ingenium *Hunni* suum, sequuti videntur. quod, quale fuerit, ex Ammiano condiscas, qui Lib. XXXI. Cap. II. p. 474. *Equis*, ait, *prope affixi, duris quidem, sed deformibus, & muliebriter iisdem nonnunquam insidentes, funguntur muneribus consuetis. Ex ipsis equis, quiuis*, quemadmodum legit Valesivs, *in hac natione, pernox & perdius, emit, & vendit, cibumque sumit & potum, & inclinatus ceruici angustæ iumenti, in altum soporem, adusque varietatem affunditur somniorum. Et deliberatione super rebus proposita, hoc habitu omnes, in commune consultant.* Hæc auita fuit *Hunnorum* consuetudo; vt adeo, nequiuerit esse *Romanis* opprobrio. De Attilae ritu, *Maximino*, ad audientiam admisso, infra, ad §. VIII. erit dicendi locus. Ceterum, consule ad hunc Marcellini locum, adnotationes, Henr. Valesii.

k) Aliter, in iis pacis legibus perfertur, quas Cap. I. §. II. Priscvs retulit. *Sex mille*, nimirum, *libras pro præteritis stipendiis solui; duo mille, & centum, in posterum, singulis annis, tributi nomine pendi*, &c. debere. Obseruet lector! *stipendii*, atque

§. II.

His conditionibus, pacem, Romani & Hunni pepigerunt, qua iureiurando patrio ritu (a) vtrinque præſtito, firmata, vtrique, ad ſua redierunt. Itaque, qui ex barbaris ad *Romanos* tranſierant, redditi ſunt: de quorum numero erant, filii Mama, & Altacam, (b) ex regio genere, quos Scythæ ſuſcipientes, in *Carſo* (c) Thraciæ caſtello, crucis ſupplicio adfecerunt, & hanc ab his fugæ pœnam, exegerunt. Pace, cum *Romanis* facta, ATTILAS, & BLEDA (d) ad ſubigendas gentes Scythicas, profecti ſunt, & contra *Soroſgos* bellum, communibus opibus & viribus, mouerunt.

§. III.

*Theodoſius* miſit ſenatorem (a) virum conſularem, ad ATTILAM legationem

atque *tributi*, diſcrimen. Debebant *Romani* ſtipendia ATTILAE: quippe quem, DVCEM ſuum eſſe voluerant. Tributis autem pendendis, ex pacis conditionibus, victori tenebantur.

a) Iuriſiurandi formulam *Huno-Abaricam*, habes apud *Menandrum* in Ecclogis, e Libro Hiſtoriar. eius II. decerptis, Tomo I. Script. Byzantinor. edit. regiæ p. 128. *b. Romani*, inquit, *qui Singidone erant*, (controuerſia his cum *Baiano* Abarorum, de Sauo ponte iungendo fuerat) CHAGANVM, *ad iusiurandum prouocarunt;* nempe, nihil doli mali, operi illi ineſſe. *Itaque, confeſtim*, Abarico ritu, *iusiurandum ad hunc modum præſtitit.* ENSE *educto, & in altum ſublato, ſibi, & Abarorum genti, dira eſt imprecatus; ſi quid mali comminiſcerentur Romanis, in eo, quod ſuper ſuo flumine, pontem facere ſuſceperat: vt ipſe, & vniuerſa gens Abarorum, gladio conſumeretur; cælum ex alto ipſis, &* DEVS IGNIS, *qui in cælo eſt, irrueret; ſiluæ & montes, caſu, & ruina eos obtererent; Sauus fluuius ſuperſcaturiens, eos ſubmergeret. Hæc, vbi barbarico ritu, iuraſſet* CHAGANVS: *nunc ego*, inquit, *iusiurandum Romanorum volo iurare. Tum quæſiuit ex ipſis; quid eſſet, quod religioſum & ſanctum ducerent? quod iurantes, ſi fallerent*, DEI *iram minime euitaturos crederent. Statim igitur, is, qui Singidone vrbe, ſummam ſacrorum poteſtatem habebat*, SANCTA BIBLIA *per hos, qui in promtu mandata perferebant, protulit. Et ille quidem, occultans ea, quæ mente voluebat, multo cum tremore, & magna cum reuerentia, præ ſe ferens, ea ſuſcipere, procedit ex cathedra: tum alacri & prompto animo, in genua prouolutus:* Iuro, *inquit*, ſecundum loquentem, in verba, quæ habentur, in ſacris DEI Chartis, me in nullo eorum, quæ prolata ſunt, mentiri & fallere. En barbarici ritus iuriſiurandi formulam! An iisdem *Hunnorum* iusiurandum, verbis fuerit conceptum, non habeo dicere: de eo non ambigo; adhibitum fuiſſe GLADIVM, MARTIS apud eos ſimulacrum. Legeſis, quæ hic commentatur OTROKOCSIVS, Origin. Hung. Part. I. Cap. V. §. 36. p. 198.

b) Horum genus eruderent, ſi potuerint alii; nobis enim, id vt faceremus, hactenus minime licuit.

c) CARSVM, PTOLEMAEVS, & ANTONINVS, Myſiæ inferioris oppidum, dicunt. quod non videtur contraire PRISCO; quandoquidem, non ſatis adcurate *Mœſiæ* inferioris, & *Thraciæ* adfinis, limites, definiunt ſcriptores. Crucis interim ſupplicium hactenus nondum vſitatum *Hunnis*, Romanorum imitatione, adhibitum fuiſſe, ſatis adparet: niſi vulgatum apud gentes fere omnes, patibuli fuerit genus.

d) Semel, atque iterum, *Scythiæ* minoris populos, fræna mordentes, nunc ductu ſuo, nunc auſpiciis, ATTILA perdomuit. Expeditionem hanc, eo oportuit eſſe adparatiorem, quod rex vterque, in eam ire non dubitauit. Sed, qui, quæſo, populi *Sorosgi?* Ceteroquin, expeditio hæc, de concordia inter *Attilam*, *Bledam*que, regni conſortes, idoneum eſt teſtimonium.

a) Hæc legatio collocanda, legendaque eſt poſt verba, Cap. I. §. III. p. 7. lin. 5. *Dum exercitus compararent, & duces ſortiebantur:* niſi forte ante *Cherſonenſe* prælium locanda ſit, quod verum puto. VALESIVS. Prælium vero *Cherſonenſe* habes Cap. I. §. II. p. 3.

nem obiturum. Et ille quidem, quamvis legati nomen adeptus esset, minime tamen est ausus, terrestri itinere *Hunnos* adire; sed iter mari instituit, & in *Odyssenorum* (b) ciuitatem nauigauit, in qua, Theodotulus dux, commorabatur.

## §. IV.

*Chrysaphius* Eunuchus suasit *Edeconi*, ATTILAM de medio tollere. (a) Super ea re, habito ab Imperatore *Theodosio*, cum *Martialio* magistro, consilio, decreuerunt non solum *Bigilam*; sed & *Maximinum*, legatum, ad ATTILAM ire. Et *Bigilam* quidem, specie (b) interpretis, quo munere fungebatur, quae *Edeconi* viderentur, exsecuturum; *Maximinum* vero, qui minime eorum, quae in consilio Imperatoris agitata erant, conscius, litteras ab eo, ATTILAE redderet. Scripserat enim Imperator, legatorum caussa, quemadmodum *Bigilas* interpretis munus obiturus, & *Maximinus* legatus, mitteretur. qui quidem *Bigilam* (c) dignitate superabat, & genere illustris, & ad multa sibi aptus & vtilis erat. Adhaec, minime decere ATTILAM, foedera transgredientem, Romanorum regionem inuadere. Et antea quidem, ad eum plures, nunc vero, decem & septem transfugas, mittere. nec enim plures apud se esse. Et haec quidem litteris continebantur. Ore autem *Maximinum*, ex se iusserat ATTILAE dicere: Ne postularet maioris dignitatis viros, (d) ad se legatos transire; nec enim a maioribus suis aliter vsurpatum, quam obuium quemque ex suis militibus, aut alium quemlibet nuntium, qui mandata exponeret, ad eos, qui antea in Scythia regnabant, legare. Ceterum, ad ea, quae inter ipsos in dubietate versabantur, diiudicanda sibi videri, *Onesegium* mitti debere. Qui enim fieri posset, vt in *Serdicam*, (e) quae diruta esset, ATTILAS, cum viro consulari, conueniret? Hanc sibi legationem delatam, vbi *Maximinus*, precibus (f) victus,



b) ODYSSA, vrbs Pontica est STEPHANO, vbi eam describit: PTOLEMAEO, & DIODORO, inferioris *Moesiae* ciuitas. quam recentiores, *Varnam* dicunt, clade WLADISLAI I. Hungariae regis notatam. CEDRENVS *Barnam* vocat, ore scilicet Graeco. *Odessus* scribitur STRABONI, commutato elemento. qui & *Milesiorum* coloniam, sicuti vrbes huius orae plerasque, facit. Lib. VII. p. 220. *extr.*

a) Reponenda praua haec *Theodosii* consilia sunt, supra, Cap. I. §. III. p. 8. & perpetuo deinde nexu, legationis eius res, legendae.

b) Tota haec legatio, contra fas & aequum, dolis malis instructa fuit. quod, cum ex epistola, quam *Theodosius* scripsit ad ATTILAM; tum ex oratione, quae *Maximino* praescripta fuit ad dicendum, liquido adparet.

c) Vlcus legationis *Bigilam* hunc possis dicere: ita totus, ex dolis & fraudibus fuit consutus. quod est propalam. Habuit eius mentionem PRISCVS, Cap. I. §. III. p. 8.

d) Fuit profecto postulatum hoc, ab imprudentibus *Romanis*, eo comparatum, vt iram ATTILAE, priorum regum, humili hac commemoratione, accenderent, sufflarentque: quippe qui, suos in regno anteambulones, sicuti potentia, sic bellorum, & varietate, & successu, multis modis antecessit. Proinde, non ei vitio fuit vertendum, quod maiorem sui, in legationibus obseruantiam, iure quodam maiestatico, deposceret. Sed, aberant ea tempestate a *Romanis*, sana consilia. Voluntatem hanc ATTILAE, recognosce, Cap. I. §. III. p. 8.

e) Coniicias hinc, postulauisse id a *Romanis* ATTILAM, vt *Serdicae*, atque id quidem pro sua dignitate, disputarentur inuicem mutuae controuersiae. Quam ATTILAE voluntatem, auersati *Romani*, ne validissimum hostem, prope ad fines suos adlicerent: caussati sunt; desolatam *Serdicam*, tantis hospitibus accipiendis, minus fore idoneam. De *Serdica*, diximus capite superiore, §. II. nota *p*.

f) Non credo, vllis precibus locum daturum fuisse *Maximinum*, si de nefariis *Chry-*

ctus, suscepit, mihi (g) persuasit, vt illi comes essem. Atque ita, cum barbaris (h) iter facere cœpimus, & in *Serdicam* (i) peruenimus, trium & decem dierum itinere expedito homini, a *Constontinopoli*, distantem. Ad eam, postquam adpulimus, ad cibum nobiscum sumendum, EDECONA, vt ceteros barbaros, inuitandos duximus. Bobus igitur & ouibus, quas locorum incolæ (k) nobis suppeditauerant, iugulatis, instructo conuiuio, epulati sumus. Inter epulas barbari ATTILAM; nos Imperatorem admirari, & extollere. Ad quæ *Bigilas* (l) dixit: *Minime iustum esse*, Deum, *cum homine comparare*; *hominem* Attilam; DEVM Theodosium (m) *vocans*. Id ægre tulerunt *Hunni*, & sensim ira accensi,

*Chrysaphii*, *Martialii*, atque Imperatoris consiliis, quæ ad tollendum, per insidias, ATTILAM, comparata erant, vel per nebulam quidpiam habuisset cognitum. In tota certe hac legatione, ingenue se gessit *Maximinus*, & tum, quando fraude ac dolo *Bigilæ*, res, in summum discrimen erant adductæ.

g) Non ergo, Imperatoris arbitratu, tamquam legationis collega; sed, rogatu admodum *Maximini*, PRISCVS adscitus est, in societatem itineris: vt virum in eo haberet, vsui sibi futurum. quod & ita euenit.

h) Cum EDECONE nimirum, & suis comitibus, quorum non paucos, pro ATTILAE maiestate, atque magnificentia, secum habebat. At, bene iis sane conuenisset mutuo; nisi *Bigilæ*, proiectæ temeritatis hominis, iniuria in ATTILAM procacitas, animos itinerantium, dissociauisset ante, quam ad profectionis metam ventum fuisset. qua de re paullo post dicetur.

i) En! SERDICAE, a Constantinopoli distantiam, atque situm in occidentem æstiuum. Itaque, non illam ad *Istrum*, flumentaneam, cuius NICETVS meminit; sed mediterraneam, iuxta *Naissum* positam, de qua apud CVROPALATEM, & CEDRENVM, aliosque, legitur, hic loci intelligendam, fidenter existimo; quod, itineris rationes, a legatis suscepti, infra condocebit. Conf. notam CANTOCLARI, ad hunc locum; & C. CELLARIVM, ad Eutropii Lib. IX. Cap. XIV.

k) Iuris proinde tunc *Romani*, & *Serdicam*, & circumsita loca, fuisse oportuit: alioquin, si post regionem euastatam, adhuc in potestate *Hunnorum* perstitissent; horum, minime autem *Romanorum* fuisset; cum pecora macello idonea, imperare accolis; tum instruere conuiuium, & comites legatos inuitare. quod aliter habuit.

l) BIGILAS, homo vtique, quemadmodum adparet, ad obeunda, quæ ad legationem pertinuere, ministeria, non modo inhabilis, verum etiam noxius maximopere fuit. *Qui enim, a nobis in legationem mittuntur*, aut saltem ad huius ministeria, sicuti *Bigilas*, adhibentur, *oportet esse viros probos*, *pietate insignes*, *neque publicorum iudiciorum crimine damnatos*, *prudentes indole*, *qui charam remp. habeant*, *vt pro ea, capitis fortunarumque suarum periculum adire non recusent*: quemadmodum habet, præmissa, *Ecclogis de legationibus*, monitio, Tomo I. Byzantin. Hist. edit. reg. p. 4. *b*. quam nos exhibuimus, ADPARATVS nostri, DEC. I. Mon. X. in Mantissa p. 442. Sed eorum sane, nihil adparuit in *Bigilæ* interprete; quinimmo, contraria omnia. Enim vero, hæc eius, odiosa, THEODOSII cum ATTILA, comparatio, tota huc comparata fuit, vt *Hunnos* exacerbaret, inque furorem ageret. Cum decuisset tamen, nondum emollitam satis gentem, officiis, mansuetudine, & quibusuis honestissimis artibus aliis, demeruisse potius, quam offendisse. At enim, *piscis a capite fœtet*. Talem, legationis interpretem esse voluit *Theodosius*. Quid? quod coquebat iniquo pectore, destinatam ATTILAE necem!

m) Norunt antiquitatis periti, regum *Asiæ*, atque *Aegypti*, quin & *Romanorum* Imperatorem, vesanam arrogantiam, Dei nomen, in titulis suis vsurpantium. Qua de re, cum multi alii, tum in primis, Illustris EZECHIEL SPANHEIMIVS, egit, *Dissert. V. de Præstantia & Vsu numismatum antiq.* quem, consuluisse, haud omnino pœnitebit eruditum lectorem. Quid vero *Bigilas* sibi voluit? cum THEODOSIVM suum, fastose, & cum *Hunnorum* conuicio, ethnicorum ritu, Deum, hominem ATTILAM adpellauit. Mihi quidem non obscure, gentilium illam impietatem, visus est æmulari,

acceuſi, exaſperabantur. Nos vero, alio ſermonem detorquere, & eorum iram, blandis verbis lenire. A cœna, vt ſurreximus, *Maximinus*, *Edeconem*, & *Oreſtem*, donis demereri ſtudens, ſericis veſtibus, & gemmis indicis, donauit. *Oreſtes* deinde, præſtolatus *Edeconis* diſceſſum, verba faciens cum *Maximino* : ſibi quidem, ait, illum probum & prudentem videri, qui non itidem, vt alii, quod reges offenderet, commiſiſſet. Etenim nonnulli, ſpreto *Oreſte*, *Edeconem*, quem ad cœnam inuitauerant, donis coluerant. Nos autem, harum omnium rerum ignari, quo pertinerent, *Oreſtis* verba, non ſatis percipientes, cum ex eo ſciſcitaremur : quomodo, & qua in re deſpectui eſſet habitus? (n) & *Edecon* honore affectus, nihil reſpondit, & diſceſſit. Poſtridie, cum iter faceremus, in *Bigilam* incidimus, cui, quæ *Oreſtes* dixerat, retulimus. Ille vero ait: ORESTEM, *non debere iniquo animo ferre, ſi eadem, quæ* EDECON, *minime eſſet conſequutus.* Oreſtem *enim adſeclam, & ſcribam* ATTILAE; Edeconem *vero, bello clarum, & genere Hunnum, longe illum dignitate antecellere.* Quæ cum loqueretur, patrio ſermone *Edeconem* adfatus, non multo poſt nobis confirmauit, ſeu vera proferret, ſeu fingeret; ſe *Edeconi* ea, quæ prius illi dixeramus, expoſuiſſe. Deinde, ob ea, quæ retuleramus in iram verſus, vix ipſum ad vllam animi æquitatem, reuocare potuimus. Venimus *Naiſſum*, (o) quæ ab hoſtibus fuerat euerſa, & ſolo æquata : itaque eam deſertam hominibus offendi-

H

lari, quam ſuo, exemplo, vnus, loco omnium, expreſſit CHOSROES, Perſarum rex, apud THEOPHYLACTVM SIMOCATTAM, Lib. V. Cap. VIII. edit. Byzant. Hiſt. Tomo I. p. 101. c. CHOSROES, inquit, *inter Deos quidem, homo bonus & æternus, inter homines autem Deus illuſtriſſimus.* Neſcio, an faſtoſo hoc titulo, θεάνθρωπον καὶ Σωτῆρα noſtrum, exæquare, in animo habuerit *Choſroës?* quorſum fere inclinat laudatus *Spanhemius*, dum ad OCTAVIVM ſuum: *Agnoſcis*, inquit, *ad vnici Seruatoris θεανθρώπου, & ſacra Chriſtianorum myſteria adluſionem!* nam paullo ante, hominibus ſe ſalutarem dixerat. Id certum eſt, modeſtius de ſe ATTILAM, quam ſeu *Choſroëm*, ſeu *Bigilam*, de *Theodoſio* ſenſiſſe; quum, non *Deus*, ſed FLAGELLVM DEI, adpellari voluit: ſi tamen, qui circumfertur titulus ATTILAE, ab ipſo rege *Hunno* profectus eſt. Nam, credunt docti, vel adſentationem, vel odium metumque, id axioma ATTILAE adfricuiſſe. Quidquid eius ſit: valuit profecto, impia hæc *Bigilæ* dicacitas, ad percellendos ira, *Hunnorum* animos; vt habuerint omnino *Romani*, cur in ea ſedanda elaborarent.

n) ORESTIS, querela omnis, ex eo fonte manauit, quod, cum eſſet *ſuperbe auarus*, haud par ſit *Edeconi* habitus, neque, vti ille, donis percultus; tametſi ipſe non minus, quam *Edecon*, conuicio *Bigilæ*, quod in ATTILAM procaciter, & cum contemtu iecit, offenſus ſit, idemque, ſuo loco, & cum eſſet opportunum, potuerit refricare. Eſt nempe, hominum genus, qui

*ad contumeliam omnia accipiunt magis:*
*propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt negligi.* TERENT. Adelph.

Simultas certe, quæ hic animos, vtriusque, EDECONIS, & ORESTIS, inſedit, ad eum modum, ſucceſſu temporis, inueterauit, vt imperio ipſi occidentali, fuerit perniciabilis. Propagata eſt enim in filios, AVGVSTVLVM, & ODOACRVM. Ille namque, a patre *Oreſte*, mortuo iam ATTILA, patriciatum *Romæ* adepto, cum CAESAR AVGVSTVS, inauſpicato fuiſſet creatus; ab ODOACRO, *Edeconis* filio, *Oreſte* primum cum exercitu deuicto, atque occidione occiſo; AVGVSTVLVM CAESAREM intercepit, atque data vitæ venia, auguſtali dignitate, exuit. En! ex HVNNIS, & *Auguſtum Cæſarem* vltimum, & REGEM ITALIAE primum. Profecto, ſi eſt, fuitque vnquam in hiſtoria παράδοξον; iſtud, in eo cenſu habendum, fateamur oportet. de quo alias, profeſſa opera: hæc interea, ad guſtum propinamus Lectoribus, doctis, & veritatis hiſtoricæ amantibus.

o) De NAISSO, diximus, quantum ſatis eſt, Cap. I. §. III. nota o. p. 8.

*Decadis II. Monumentum I.*

fendimus, præterquam, quod in ruinis ſacrarum ædium erant quidam ægroti, Paullo longius a flumine, ad vacua loca, diuertentes; omnia enim circa ripam, erant plena oſſibus eorum, qui bello occiderant. Poſtridie, ad *Agintheum*, (p) ordinum, in *Illyrico* ductorem, qui non longe a *Naiſſo* habitabat, acceſſimus. Imperatoris enim mandata ferebant, vt reciperemus ab eo, quinque transfugas, qui ſeptemdecim numerum, de quibus ad ATTILAM ſcripſerat, explerent. Hominem igitur conuenimus, & quinque profugos *Hunnos* tradere præcepimus. quos verbis conſolatus, nobiſcum dimiſit.

§. V.

Nocte tranſacta, a montibus *Naiſſi*, *Iſtrum* verſus iter pergentes, in vicum quendam opacum, per obliquos flexus & gyros, & circuitus multos, deferimur. Hic, cum in ea opinione eſſemus, vt in occaſum iter tendere exiſtimaremus, ſimulac illuxit ſol, exoriens ſeſe oculis noſtris obiecit. Itaque, loci ſitum ignorantes, exclamare, tanquam ſol, qui in oppoſita parte conſpiciebatur, contrarium ſolito curſum, conficeret, & abhorrentia a conſtituto rerum ordine, deſignaret; ſed, propter loci inæqualitatem, via, ea parte ad orientem ſpectat. Ex illo difficili & arduo loco, ad plana & vliginoſa, deuenimus, Hic nos barbari portitores, in ſcaphis, vnico ligno conſtantibus, (a) quas arboribus ſectis & cauatis adornant, exceperunt, & flumen transmiſerunt. Et lembi quidem minime ad nos traducendos; ſed ad multitudinem barbarorum traiiciendam, erant præparati, quæ nobis in via occurrerat, quaſi vellet ATTILAS, tanquam ad venationem, ad inuadendos *Romanorum* fines progredi. Huiuſmodi erat ATTILAE, ad bellum contra *Romanos*, adparatus, cuius gerendi occaſionem ſumebat, quod transfugæ non redderentur. Transmiſſo *Iſtro*, (b) quindecim fere ſtadiorum itinere, cum barbaris emenſo, in campo quodam ſubſiſtere coacti ſumus tantiſper, dum *Edecon*, ATTILAM, noſtri aduentus certiorem faceret: manentibus interea nobiſcum ex barbaris, qui nos exteros erant deducturi. Circa veſperam, (c) nobis cœnantibus, auditus eſt ſtrepitus equo-

p) Et hinc coniicias, redactam ad ſolitudinem *Mœſiam* hanc, in *Romanorum* ditionem, poſtliminio recidiſſe: neque enim, *Agintheus*, militum in Illyrico ductor, habitare, cum præſidio militari, iſtis locis potuiſſet, ſi euaſtata regio, *Hunnis* adhuc fuiſſet obnoxia.

a) MONOXILA, in Græco vocantur. Vſitatum hodieque *Hungaris* nauiculæ genus, in minoribus potiſſimum amnibus. Quales quidem lembi, ſi plures, tabulatis compaginentur, pontium naualium modum, atque vſum præſtant, &, pro fluuiorum altitudine, contis hic, alibi remis, propelluntur, ab vna ripa, in aliam. quod in *Vago*, *Grano*, *Ipola*, *Saione*, quin & in *Tibiſco*, obſeruauimus. Agreſtes, quibus nauicularum, ex artis factarum præſcripto, non eſt copia, ſufficiunt contra ſyluæ validarum arborum, *Monoxilorum* vſum, & in *Danubio* adhuc retinent.

b) Vbi, quoue loco, *Iſtri* hic traiectus, fuerit inſtitutus, difficile eſt certo ſtatuere. Meminit eiusdem OTROKOCSI, Orig. Parte I. Cap. I. IV. §. III. p. 105. Certe, deſignato adcurate traiectus loco, facilius, ac pene expeditum foret, ſtationem ATTILAE, in qua eum adſequuti erant legati, definire. Si æſtimauerimus, quod eluctatis, ex arduis ac confragoſis montibus, *Romanis*, in orientem ſolem erat proficiſcendum; procliue fuerit colligere, in vicinia *Orſouæ*, ſupra, vel ad *Vidinum*, eos *Iſtrum*, traieciſſe. Hinc, quindecim ſtadiorum diuortio, campi illi aberant, in quibus tunc ATTILA diuerſabatur. quos proinde in *Valachia*, quæras oportet, *Iſtro* confini.

c) Vix medii diei ſpatio ab *Iſtro* iter, legatos hucuſque confeciſſe, crederem: ſi de

tus equorum, ad nos venientium. Nec mora, duo viri *Scythæ* (d) aduenerunt, qui nos ad ATTILAM venire præceperunt. Nobis vero, prius eos ad cœnam accedere rogantibus, de equis descendentes, vna conuiuium inierunt, & postridie viam, præeuntes, demonstrarunt: Qua die, hora fere octaua, ad ATTILAE tentoria (e) peruenimus. nam erant & aliorum plurima, & cum in tumulo & colle quodam, tentoria figere vellemus, obuii barbari, prohibuerunt; quoniam ATTILAE tentorium erat in proxima valle positum. Quamobrem, ad barbarorum arbitrium, locum tentorii collocandi, cepimus. Huc *Edecon*, *Orestes*, *Scotta*, (f) & reliqui ex *Scythis* primores, mox aduenerunt, & ex nobis quæsiuerunt: quarum rerum consequendarum gratia, hanc legationem susceperamus? Nos vero inuicem intueri, & tam ineptam percunctationem admirari. Illi nihilominus perseuerare, & quo a nobis responsum elicerent, in turbas coire. At, soli ATTILAE, non aliis, Imperatorem mandata exponere iussisse, respondimus. Quo dicto, *Scotta* offensus; *Hoc sibi a suo duce præceptum esse: vestra enim nobis, in rebus gerendis astutia & versutia, non est incognita.* Nos vero obtestari; nusquam hanc legem legatis impositam, (g) vt mandata edant, & palam faciant, antequam eos, ad quos missi sunt, adierint, & in conspectum eorum venerint. Neque hoc *Scythas* nescire, qui sæpenumero,

H 2

si de stadiorum mensura constaret. quorum, inter amnem, & statiua ATTILAE, quindecim intercessisse, PRISCVS scribit.

d) Existimo, *adparitores* regios; haud vero, præcipuæ alicuius dignitatis fuisse viros. ATTILA enim, neque prodigus officiorum esse voluit, neque parcus.

e) Vitam nempe militarem, & cum pacem haberet cum vicinis, agere solebat ATTILA: quippe qui, maluerit sub tentoriis diuersari, quam sub tectis. non, quod non habuerit, seu ciuitates, seu augustas in his ædes; quod infra docebit PRISCVS; sed quod noluerit, auitum, eumque communem gentis morem, migrare. De hoc AMMIANVS MARCELLINVS, Lib. XXXI. p. 473. *Aedificiis nullis vnquam tecti: sed hæc, velut ab vsu communi discreta sepulcra, declinant. Nec enim apud eos, vel arundine fastigatum reperiri potest tugurium; sed vagi, montes peragrantes, & siluas, pruinas, famem, sitimque perferre, ab incunabulis adsuescunt.* Quæ degendæ vitæ ratio, tametsi tunc in primis apud *Hunnos* obtinuit, cum intra proprias sedes agerent adhuc: tamen, cauere, nunc quoque ATTILA, tot regionum, atque vrbium domitor, voluit; ne gens sua, a maiorum descifcat instituto, intra vrbium, atque tectorum opportunitates, in *Græcam*, *Italam*que mollitiem diffluens, remittat, a bellica virtute, cuius mater est durities.

f) SCOTTAE huius, frequens recurret mentio. Fuit is frater *Onesegii*, inter belli, pacisque adminiſtros ATTILAE, principis. quod infra §. VIII. legemus. Dixit de eo PRISCVS, Cap. I. §. II. p. 5. initio: adde ibidem not. *t*.

g) Nescio, quid in mentem venerit legatis, cum ista arbitris ATTILAE oggererent. Forte dememinerant, aut meminisse noluerunt, *Magistri Officiorum*, in aula Constantinopolitana, auctoritatem illam, qua ius eidem tribuebatur, legatorum aduenientium, negotia cognoscendi prius, quam ad *Augustum* introducerentur. quod supra, Cap. I. §. III. p. 10. not. *x*. adnotauimus, atque præeunte iterum VALESIO, hic, pro occasionis ratione, adnotamus denuo. Eidem *Officiorum Magistro*, legati referebant ea, de quibus cum Imperatore acturi venerant. Hinc apud MENANDRVM *Protectorem*, Lib. VIII. cum is, qui a secretis erat HORMISDAE regis Persarum, legatos *Romanorum* interrogasset: ecquid acturi venerint? nequaquam ipsi; sed illi, qui a Latinis *Magister Officiorum* dicitur, id enunciandum esse dixerunt. Ergo, non solum, *Officiorum Magistri* prærogatiuam hanc plane agnouerunt; sed, cum de *Romanis*, tum de *Persis*, id palam professi sunt: insolens haud esse, vt legati, res eas, de quibus pertractandis missi sunt, apud intimos regum arbitros, ante solemnem audientiam, expromerent. Consule *Valesium*, ad AMMIANVM, loco cit.

mero, legatos, ad Imperatorem miserint. Oportere autem idem quoque iuris in aliis, ratum & firmatum esse; alioquin legatorum iura minime colere. Hinc ad ATTILAM perrexerunt; vnde, non multo post, sine *Edecone* reuersi, omnia, quæ cum illis agere in mandatis habebamus, palam euulgarunt, (h) confestimque, nisi quid aliud nobis cum illis rei esset, discedere nos iusserunt. Quæ, vbi audiuimus, animis dubii suspensique, hæsimus. Nec enim satis intelligere poteramus, qua ratione Imperatoris consilia, ad quorum cognitionem, ne dii quidem peruenire possent, patefacta, (i) & detecta forent. Quamobrem, potius esse duximus, nihil quidquam, de mandatis nostris, efferre, priusquam nobis ATTILAM adeundi potestas fieret. Itaque, respondimus; (k) *Siue ea, quæ Scythæ modo aperte, propalamque protulerunt; siue alia, legatione tractare, venimus: ea res solius vestri ducis, iuris arbitriique est: neque de his, eum aliis, vllo pacto differere constituimus.* Illi vero nos, quamprimum abire, præceperunt.

## §. VI.

Dum in adparatu profectionis essemus, *Bigilas* nos, responsionis *Scythis* factæ, nomine increpauit. Longe enim potius fuisse; (a) *in mendacio deprehendi*, quam re infecta, domum reuerti. Si enim, inquit, cum ATTILA collocutus fuissem, facile illi a contentione cum Romanis discedere persuasissem: quippe qui, ei antea studuissem, & plurimum eius rebus, in legatione (b) ad *Anatolium*, vtilis fuissem. Atque *Edeconem*, eadem quoque cum ipso sentire. Ea, siue commentus, siue ex veritate diceret; eo pertinebant, vt specie legationis, occasionem nancisceretur, rationem ineundi, in ATTILAM compositas insidias, exsequi. Tum etiam, quomodo aurum, quo *Edecon*, sibi ad eam rem opus esse, *Eunucho* dixerat, adferretur, quod certis hominibus diuideretur. Sed *Bi-*

h) Ita reor: vt ATTILAE voluntati, quomodocunque obsequi viderentur, edixisse legatos, vulgatiora missionis suæ capita; reticuisse arcana. Id, cum in sui ludificationem fieri crederet ATTILA, nec indulta audientia, ad suos abire iussit. *Difficile est enim, Iouem deludere!*

i) Genius hic proditor, *Edecon* fuit: siue, saluti ATTILAE regis; siue, suæ ipsius vitæ ac fortunis, consulturus.

k) Egregia, *Maximini*, qui legationis princeps fuit, constantia: quippe, Imperatoris, & qui cum eo faciebant, consiliorum, de tollendo e viuis ATTILA, inconscii. Alia mens *Bigilæ*, futuri, si fata siuissent, facinoris administri, mens fuit.

a) Maluisset nimirum *Bigilas*, totius legationis fidem, sceleflum in modum mendaciis contaminare; quam non perpetrasse maleficentissimum facinus. Aliter SOPHOCLES in *Trach*:

*Veritatem cole:*
*Mendacem enim vocari, ingenuo homini*
*Turpis nota est.*

b) Pace, magno *Romanorum* opprobrio, facta; cuius conditiones, supra recitauit PRISCVS, Cap. I. §. II. cum eam, pro legum, quibus coaluerat, ratione, intemeratam obseruari cuperet ATTILA; audito, multos transfugarum apud se detinere *Acinthuntios*, neque ex pacis fœdere, velle restituere; interpellauit eos ATTILA, per internuncios, id, vti ne tardarent, facere. Erat tunc, qualicunque cum potestate, siue apud *Acinthuntios*, siue apud horum vicinos, *Anatolius* legatus, cum *Theodullo*, Thraciæ militum præfecto. *Anatolium* ergo, eius rei caussa, in primis monendum sibi duxit. In hanc itaque missionem; neque enim legationem dicere possis; *Bigilas*, tunc forte, in aula ATTILAE obuius, ire iussus, operam aliquam, credo, interpretis munere functus, *Hunnorum* regi nauauit. Proinde, hac fretus opella *Bigilas*, adductis, in eam difficultatem, rebus, ferociebat.

Sed *Bigilam* latebat, se proditum: *Edecon* enim, siue simulate cum *Eunucho* (c) pactus; siue, vt ab *Oreste* sibi caueret, (d) ne ATTILAE promeret, ea, quæ in *Serdica* inter cœnandum dicta erant; aut illum accusaret, quod sine se, secretos sermones, cum Imperatore, & *Eunucho* (e) habuisset: indicauerat ATTILAE, comparatam in ipsum coniurationem, & quantitatem auri, quam in eam rem mitti conuenerat, simul & ea, quæ per nos in ista legatione tractanda erant, enunciauerat. Iumentis adornatis, & necessitate, ad iter, tempore noctis, carpendum, adacti; occurrere ex barbaris, qui dicerent: ATTILAM iubere (f) nos, propter tempus noctis intempestiuum, remanere. In eundem igitur locum, vnde proficiscebamur, præsto fuere, qui bouem agebant, & pisces fluuiatiles, nobis ab ATTILA missos, adferebant. Cœnati, nos dormitum contulimus.

## §. VII.

Luce orta, in spem (a) adducebamur, ATTILAM se ad lenitatem daturum, & aliquod mite responsum ad nos, ab ipso, emanaturum. Ille vero, denuo eosdem misit, iussitque abire, si nihil aliud negotii, nisi quod iam omnibus cognitum erat, nobis cum illo intercederet. Nullo dato responso, ad iter nos accinximus; etsi *Bigilas* omni ope contenderet, (b) vt respoderemus; nos aliud habere, quod ATTILAM scire, eius magnopere interesset. Ego vero, cum *Maximinum* mœrore confici viderem; adsumpto *Rusticio*, qui barbarorum linguæ peritus erat, & nobiscum in *Scythiam* venerat, non legationis, sed priuatæ rei caussa, ad *Constantium*, (c) ex *Italia* oriundum, quem ad ATTILAM, *Aetius*, occidentalium Romanorum dux, vt illi ab *Epistolis* esset, miserat; *Scottam* (d) adii, (nec enim aderat *Onesegius*) & cum illo, per *Rusticium*

I

c) Habes, nefarium illud pactum, Cap. I. §. III. p. 8. seq. & proxime isto Capite §. IV.

d) Nempe, grauiter tulit *Orestes*, ob *Bigilæ* contumeliosam, in ATTILAM procacitatem, consopiendam, *Edeconem*, se neglecto, donis cultum fuisse a *Romanis*, supra §. IV. Serpit iam simultas, penitiusque occupat *Edeconis* animum.

e) Relege, hos *Edeconis*, cum *Chrysaphio*, sermones, Cap. I. §. IV. &, quod hinc manauit, *Theodosii* decretum, paullo ante, §. IV. p. 27.

f) Documentum hic edidit ATTILA, facile placabilis animi: quippe qui, noctem intercalarit, inter primum impetum illum, & rei euentum: prorsus, ac si STATII illud habuisset ob oculos:

*Da spatium, tenuemque moram, mala cuncta ministrat*
*Impetus.*

a) Et vocari sane poterant, in spem meliorem, hesternæ lenitatis ATTILAE, quam legatis testificatus est, auctoramentis. Certe enim, verum est illud OVIDII:

*Quo quisque est maior, magis est placabilis ira,*
*Et faciles motus mens generosa capit.*

b) Valet hic dictum SOPHOCLIS: *Improbam in mentem, bona consilia non cadunt.* Quid ergo mirum, nihil sani, quodque rebus, adeo perturbatis, amplecti posset *Maximinus*, suadere potuisse *Bigilam*? quippe cui, antea, in necem ATTILAE, inflammato, in *mendacio*, præsidium omne positum fuit. Tantum est, mentem bonam seruasse intemeratam, vbi consulere volueris in commune.

c) De *Constantio* hoc, relege Cap. I. §. IV. p. 11. not. *b*. & inferius Cap. II §. XII.

d) Neque enim *Scotta*, ignotus esse poterat *Romanis*: quippe qui, tributa *Constantinopoli* absportare sit solitus. Supra, Cap. I. §. II. p. 5. PRISCI interim, hæc apud *Scottam* oratio, satis condocet, eum, optimo suo iure, & *Rhetorem*, & *Sophistam*,

*ſticium* interpretem collocutus; eum, pretioſa & plurima dona, a *Maximino* laturum, dixi; ſi illi aditum ad ATTILAM patefaceret, & muniret. Legatum enim venire, de rebus, quae non ſolum *Romanis*; ſed etiam *Hunnis*, maximam eſſent vtilitatem adlaturae: quin & ipſi *Oneſegio* legationem hanc, magno emolumento futuram. Imperatorem enim, poſcere illum, ad ſe legatum ab ATTILA mitti, qui diiudicaret controuerſa, inter vtramque gentem: vnde, non niſi ingentibus donis cumulatus, (e) eſſet rediturus. Oportere igitur, cum minime *Oneſegius* adſit, illum, maxime in tam praeclara actione, cum fratre certare. Et ipſi quoque ATTILAM plurimum fidere dixi, me accepiſſe. Sed, nihil firmae ſpei reponendum, in eo, quod auditu percipitur, reſtare, vt re ipſa notum & perſpectum faceret, quantum illi ATTILA tribueret. Atque ille hunc ſermonem ſuſcipiens: *Ne amplius*, inquit, *dubii ſitis. Aeque, ac frater, apud* ATTILAM, *valeo auctoritate, & gratia; ſeu verbis, ſeu facto, opus eſt.* Et aſcenſo equo, ad ATTILAE tentorium contendit. Ego vero ad *Maximinum* rediens, qui vna cum *Bigila*, angebatur animo, & incertus (f) erat, quid conſtituendum eſſet, narraui ſermones, quos habueram cum *Scotta*, & quae ab ipſo audieram. Atque, adeo illum excitaui (g) ad praeparanda munera, quibus *Scottam* remuneraretur, & praemeditandum, quibus verbis ATTILAM affaretur. Surrexerunt igitur (offenderam enim illos in ſolo herbido iacentes) & operam, a me egregie nauatam, laudarunt, & eos, qui ſe iam cum iumentis itineri accinxerant, reuocarunt. Tum etiam, qua oratione ATTILAM adgrederentur, & quo modo dona, quae ad ipſum, *Maximinus* ab Imperatore adferebat, traderent, inter ſe agitarunt.

## §. VIII.

Nobis, in harum rerum cura, cogitationeque verſantibus, ecce! nos ATTILA

*phiſtam*, hoc eſt, *Sapientem*, adpellatum: eo quod, perditas, *Bigilae* procacitate, res legationis, ſapienti hac facundia, reſtituerit. Rarum, in puris putis, ſeu *Rhetoribus*, ſeu *Sophiſtis*, exemplum; vt certe, cum *Anaxippo*, apud ATHENAEVM, Lib. XIII. hominum hoc genus indignari poſſis, quod, cum *ſcholae* ſtudet, *vitae* fit inutile:

*Vah! nunc quid fingi poteſt portentoſius illo?*
*Qui Sophos in triuiis, inflato mugit ab ore;*
*Rebus at in mediis, ſtupet, ac velut inſcius haeret.*

e) Aduertat Lector, quanta vis, atque efficacitas, ſit donorum, ſaltem oſtentatorum eminus: quid? ſi ex oculis ſe praeſentent, & prenſentur manibus? Nam, vt habet OVIDIVS:

*Munera, crede mihi, placant homineſque, deoſque,*
*Placatur donis Iupiter ipſe datis.*

Enim vero, vti Graecus ille ait:

*Auro loquente, ratio quaeuis irrita eſt;*
*Suadere quoniam nouit, & ratio nihil.*

Plus, vel nuda donorum mentio, quam prudenter iniecit PRISCVS, *Scottae* animum percelluit, quam ſi confertis vſquequaque rationibus, egiſſet cum homine. quod malum, fugiant aulici, & quibus, rerum adminiſtrandarum, credita procuratio eſt.

f) Recte SOPHOCLES Philoct.

*Rebus in arduis ſapienti,*
*Quid conſilii capiat, ſaepe eſt*
*Difficile.*

g) Ex vero MENANDER, Epiſt. III. Δυπλῶν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα. *Viri litteris ſubacti, acutius vident.* Haud ergo fruſtra, *Priſcum*, legationis ſibi ſocium, *Maximinus* adſciuerat: quippe, virum doctum, & conſilii plenum.

TILA per *Scottam* (a) accersiuit. Itaque, ad eius tentorium iter direximus, quod barbarorum multitudine, qui in orbem excubias (b) agebant, erat circumdatum. Vt accessum nacti sumus, & introducti, inuenimus ATTILAM, sedentem in cathedra lignea, (c) stetimus paullo remotius ab eius throno, mox processit *Maximinus*, & salutauit barbarum. Et Imperatoris litteras tradens, dixit: *Saluum & incolumem illum, suosque precari Imperatorem.* Et barbarus: *Sit, & Romanis, quemadmodum & mihi cupiunt*, inquit. Statimque ad *Bigilam* conuertit orationem: *feram impudentem* vocans; quaerebat, qua re impulsus ad ipsum venisset, cum sibi eorum, quae & ipse, & *Anatolius* (d) de pace sensissent,



a) Vides! donorum, ostentatorum duntaxat, mirificam efficacitatem.

b) Pertinebat hoc, non ad securitatem modo, sed ad maiestatem simul regiam, qua nihil *Romanis* concedebat ATTILA: tametsi ab eorum luxu fuerit alienissimus. Nunc profecto geminari custodiendi regis solertiam oportuit, quando prauae *Theodosii*, administro *Bigila*, molitiones, volentibus fatis, propalatae fuere. Ceterum, excubiarum hoc, circa ATTILAM, robur, non ex vulgo militum fuisse delectum, sed e nobilissimis quibusque euocatum, qui & generis nobilitate praestabant aliis, & belli laboribus, existimo: idque Romanorum imitatione, quibus id facere, solemne fuit. De GALBA, *Suetonius*, Cap. IV. 4. *Delegit & equestris ordinis iuuenes, qui manente annulorum aureorum vsu*, Euocati *adpellarentur, excubiasque circa cubiculum, vice militum agerent.* Peculiare custodum corporis genus, eo quod ex his, qui militia soluti iam fuerant, ad excubitorum haec ministeria, euocabantur; Graecis ideo ἀνακλῆτοι adpellati: digrioresque habiti, quam miles ordinarius. Ad dignationem eandem indicandam, pertinet inscriptio: ARAM EVOCATVS POSVIT, QVAM CALIGATVS VOVIT. An vero, *Scrutarius* AVGVSTI, qui & *euocatus*, de quo Suetonius, Augusto, Cap. LVI. eiusdem sint ordinis, quem *Galba* instituit; non ausim dicere; atque dubius est omnino CASAVBONVS. Id in confesso est, AVGVSTI euocatos, apertis bellis, non aeque principum custodiae, adhibitos fuisse. Vide commentatores SVETONII, atque in his PITISCVM. Non est silendum, euocatos *Galbae*, equites iuuenes fuisse, quod eo propius accedit ad institutum ATTILAE: nam certior his fides est, in primis, si in bello, experimenta sui dederunt. Hinc MATTHIAE Coruini confidentia manauit, vt negligentius custodiretur licet, secure tamen, vbi vbi esset, ageret: *Domi, militiaeque, negligenti corporis custodia vsus: fides tamen omnium, & quam maxime militaris, id effecerat, vt publica ipsa cura, & sollicitudine, muniretur. Pro stipatoribus, omnes certatim, corpus eius, peruigili quisque custodia adseruabant.* BONFINIVS, Dec. IV. Lib. VII. p. 630., 48. Eadem fides hodieque *Hungaris* est. hac in primis tempestate, qua, hostium multitudine, vrgebamur vniuersim omnes. Tunc enim, Hungara *iuuentus, sueta armis, & more militiae exercita*, Tacitus Hist. Lib. I. Cap. LXVIII. & VIENNAE, reginam diuinissimam, MARIAM THERESIAM, excubatoribus circumuallabat; & defensabat foris limites, virtute tanta, vt in admirationem rapuerit *Europam*. Nempe, vetus hoc gentis ingenium est, vt extra bellum, *sibi viuat*, SALVSTII verbis vtor, *per artes, vitasque varias dispalata*: ad bellum cum euocatur, mascule, res suas agit, & eandem, aut similem operam regi, quam mercenarii, praestat: hanc etiam multis modis potiorem; quod nobiles Hungari, regi sane *militant, non seruiunt.* S. Stephani Decret. Lib. I. Cap. IV.

c) Non ergo ATTILA, eburnea sella, seu solio, auro illuso, vtebatur: forte, regum *Gothicorum* aemulatione ductus. qui cathedris, sellisue residebant, vsque ad *Leuigildi* aetatem. ISIDORVS in Chronica Erae DCVIII. Leuigildus, *primus inter suos regali veste opertus, solio resedit: nam, ante eum, & habitus, & consessus communis, vti genti, ita regibus erat.* Ceterum, diuersae fuerunt cathedrae: *Rhetorum*; atque *Episcoporum*; diuersa regum haec *subsellia*. De illis, vide SAVARONEM, passim in notis ad *Sidonium*: de his PRISCVS hoc loco: quando, *cathedram ligneam*, paullo post, *thronum* vocat, qui, quomodocunque materiatus, regum est proprius.

d) Haec, illa ad *Anatolium* missione, quam *Bigilas*, hunc ad modum praedicabat, quam

ſent, conſcius eſſet. Neque prius ad ſe legatos, accedere debuiſſe, quam omnes profugi, qui apud *Romanos* exſtarent, redditi eſſent. *Bigila* vero reſpondente, nullum amplius apud *Romanos* reperiri transfugam *Scythici* generis; omnes enim redditos eſſe: magis exaſperatus ATTILAS, in eum multa probra, & conuitia, ingeſſit. Et *cum clamore ac vociferatione* (e) *magna*, dixit: ſe illum in crucem acturum, & prædam vulturibus præbiturum fuiſſe: niſi iræ (f) ſuæ acerbitas, legationis reuerentia leniretur, & inflecteretur; & hanc ei pœnam impudentis eius orationis, & temeritatis impoſiturum fuiſſe. Etenim, reſtare adhuc apud Romanos plures transfugas, quorum nomina, vt erant in charta deſcri-

---

quamque expromſimus ſupra, ad §. VI. dicta, agitataque fuiſſe, oportuit. quæ ideo nequam *Bigilæ*, in memoriam reprimit ATTILA: quippe, & fœderum gnaro, & internuncio.

e) Ad primum *Bigilæ* conſpectum, ira excanduit ATTILA: vſque adeo, vt præter, quam id decuiſſet regem, ſuæ alioquin maieſtatis vnice obſeruantem, incondito clamore, ac vociferatione, tentorium impleret. Quod fuit ſane, ne quid diffiteamur, vehementis animi, apud ATTILAM, illaudatum documentum. Etenim:

*Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,*
*Lumina Gorgoneo ſæuius igne micant.*

Præcipitis huiuſmodi iræ exemplum, THEOPHYLACTVS *Simocatta*, de CHAGANO II. Auarorum principe, idque in ſuppari prorſus negotio, commemorat, Lib. I. Cap. VI. p. 16. edit. regiæ. Orationem, ad *Chaganum*, dixerat, *Romanorum* legatus *Comentiolus*, barbaro, liberiorem viſam, minacioremque, quam legeſis inibi, Cap. V. De hac, SIMOCATTA: *Vt primum finita eſt iſta verborum acerbior caſtigatio*, Chagano, *ſanguis efferueſcere, & magnos irarum fluctus in pectore excitare, vultus totus rubeſcere, oculisque præ furore ſcintillantibus, & immodice arrectis, ac propemodum ſupra frontem ſublatis ſuperciliis, toto denique habitu ſubindicare, non ſic abiturum, (inultum fore) legatis, &* Comentiolo, *propter orationem pronunciatam, periculum grauiſſimum denunciare.* Hæc ille. Egregia, hominis inſane iraſcentis, deſcriptio. quomodo etiam VIRGILIVS, Lib. XII. Aen. ver. 101. in Turno:

*His agitur furiis, totoque ardentis ab ore*
*Scintillulæ abſiſtunt: oculis micat acribus ignis.*

Huc & locus M. TVLLII, perturbationes animi enormes deſcribentis, facit, Offic. Lib. I. *Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu, commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt. quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatusque, mutantur.* Adde in primis SENECAM, de *Ira*, Lib. I. initio: vbi iram, & qui poſſideri ſe ab ea patiuntur, ſcite adeo pingit, vt nemo viuidius magis.

f) Ergo, iram ATTILAE, quam neque ratio alia, neque *iuſta* æſtimatio maieſtatis, domare potuit; legationis reuerentia, in ordinem redegit. Tanto tunc ATTILA, irato *Chagano*, melior æquiorque; quod cum hic furori ſuo, fræna laxarit in legatum; ille, ſacroſancta habuerit iura legationis. De *Chagano* THEOPHYLACTVS, loco citato: *Spreta & abiecta legatorum reuerentia, barbarus,* Comentiolum *in carcerem abduci, pedes eius cippo conſtringi; tabernaculumque diſcindi iuſſit: quo iudicio cuipiam, pœna mortis, lege prouinciali, exſpectanda intelligebatur.* Melius ATTILA: quippe qui, communi gentium iure, vel nomen legationis ſanctum, & legationes maximæ dignitatis, atque inuiolabiles, habuit: prorſus ex CICERONIS præſcripto, qui oratione de Haruſp. reſponſis: *Ius legationum, humano diuinoque vallatum præſidio*, dicit. Et Verrina III. *Nomen legati eiusmodi eſſe debere, quod non modo inter ſociorum iura; ſed etiam inter hoſtium tela, incolume verſetur.* Conſtat ſibi, quod EVSTATHIVS in VII. Illiad. ſcribit: *Caduceatores, medium quoddam genus, inter deos & homines: id eſt, pene diuinos, & hominibus auguſtiores exiſtimatos; neque, niſi a Leſtrygonibus, Cyclopibus, aliisque, qui ſas non norunt, de iisdem aliter cogitatum.* Hactenus recte ATTILA.

descripta, iussit scribas (g) recitare. Hi vbi percurrerunt, qui desiderabantur, Attilas, *Bigilam* vna cum *Esla*, sine mora proficisci iussit; *Romanis* denunciatum, vt omnes transfugas *Scythicæ* nationis, quotquot in eorum potestate essent, redderent, a tempore *Carpilionis* (h) filii *Aetii*, Romanorum occidentalium ducis, qui obses apud eum fuerat. Nec enim, vtut ferat, suos seruos secum manus conserere; quidquam opis, aut præsidii adferre po ue-runt his, qui suæ ditionis custodiam, illis commiserint. Quæ enim vrbs, quæ arx, qua late patet *Romanorum* imperium, (i) salua & incolumis euadere poterit, quam euertere, aut diruere, apud se constitutum habuerit? Postquam exposuerint, a se, de transfugis decreta, redire quamprimum renuntiatum, vtrum transfugas reddere, an bellum eo nomine malint (k) suscipere. Non multo ante iusserat, vt *Maximinus*, paullum (l) exspectaret, dum ad ea, quæ Imperator scripserat, per se responsum daret: sed munera (m) petiit. Quæ postquam dedimus, in tentorium nostrum nos recepimus, & de singulis, quæ dicta fuerant, patrio sermone, inter nos, disseruimus.

## §. IX.

Cum autem *Bigilas* admiraretur, qui fieret, vt Attilas, qui sibi iam pridem, cum legatus ad illum veniret, comis & perhumanus visus est; tunc se acer-



g) Argumentum hinc capi potest, iam tum rite instructum Attilae fuisse, scribarum illud collegium, quod hodie *Cancellariam* vocamus, quodque actus principum publicos ac solemnes, in fastis, tabulariisque referre, & hinc depromere solet, cum ita fert occasio, atque vsus. Immo, tanta in ea re procuranda, Attilae fuit adcuratio, vt peregre, ac lautis præmiis adscitos scribas, in aula sua alere, & pulchrum, & vtile, necessariumque existimaret: quod exemplo *Constantii*, ab *Aetio* missi, cuius meminimus sæpius, satis, opinor, liquet.

h) Carpilio, filius *Aetii*, ex patre materno, sic adpellatus, cui itidem *Carpiloni* nomen fuit, teste Gregorio *Turonensi*, Lib. II. Cap. VIII. Huius legationem ad Attilam, memorat Theodoricus apud Cassiodorvm, Lib. I. Cap. IV. *Ad Attilam igitur, armorum potentem, cum supra dicti* (Aetii) *filio* Carpilione, *legationis est officio non irrite destinatus.* Priscvs ex ore Attilae, obsidem apud Hunnum fuisse dicit. quod, quemadmodum euenerit, vt ex legato obses fieret, non habeo dicere.

i) Hæc vero iactantius, quam pro hominis sorte, ab Attila dicta fuisse, nemo non videt. Profecto enim:

*Errat longe, mea quidem sententia,*
*Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius*
*Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.* Terent. Adelph.

k) Non fuit huc impetu opus, cum superfuerunt viæ, quibus moti fluctus, componi potuissent; si potior Attilae moderatio, quam violentia animi, in re quantiuis momenti, fuisset. Sane enim:

*Peragit tranquilla potestas,*
*Quod violenta nequit.* Clavdianvs in Paneg. *Theod.*

l) Factum id fuit, ob absentiam *Onesegii*; quippe qui, ad *Acatziros*, in ordinem redigendos, cum maiore natu Attilae filio, *Dengisich*, in expeditionem fuerat profectus. Is vero, legatos exterorum, & audire, & expedire solitus fuit: sicuti apud Romanos, *Magister Officiorum.* Vid. infra §. X.

m) Fateamur oportet, indignam hanc donorum auiditatem, fastigio, atque potentia Attilae fuisse; sed, quod nulla re magis, quam donis mitigari fuerit solitus, dandum id est ingenio hominis, alioquin perniciabili futuro. Vide eodem hoc Cap. §. XXV. Hanc tamen, qualemcunque laudem, eadem munerum cupiditate, ex interuallo quasi redeunte, obtriuit subinde.

ſe acerbis contumeliis adfeciſſet. Dixi, vereri me, vt aliquis ex barbaris, qui *Serdicæ* nobiſcum epulati erant, ATTILAM abalienaſſet, & *Bigilam*, Romanorum Imperatorem *Deum*; ATTILAM vero, *hominem* adpellaſſe, retuliſſet. Quam orationem *Maximinus*, vt veriſimilem, eſt amplexus: nec enim coniurationis in ATTILAM initæ, particeps fuerat. Sed *Bigilas*, ambiguus animi (a) erat; neque cauſſam, vt mihi videtur, ſatis ſuſpicari poterat, quare ATTILAS eum, tam acerbis conuitiis, inſectatus eſſet. Nec enim in animum ſuum inducere poterat, vt nobis poſtea retulit, enuntiata fuiſſe, quæ in conuiuio apud *Serdicam* dicta fuerant, aut coniurationem in ATTILAM detectam. Cum enim nemo, ex omni multitudine, quæ ATTILAM circumſtabat, excepto *Edecone*, auderet, præ metu, qui omnium mentes peruaſerat, cum ATTILA ſermonem inſtituere; credebat *Edeconem*, eo ſtudioſius daturum operam, omnia ſilentio tranſigere; tum propter iusiurandum, tum propter negotii grauitatem: ne, quia clandeſtinis in ATTILAM conſiliis interfuerat, reus iudicatus, pœna mortis adficeretur. Hæc, cum ambigua mente volueremus, *Edecon* (b) ſuperuenit, & abducto a noſtro cœtu, *Bigila*, (fingebat enim velle vere & ſerio, de præmeditatis inter eos inſidiis, agere) vbi aurum adferri præcepit, quod his daretur, qui exſequendo facinori, operam nauaturi erant, diſceſſit. Ego vero, cum *Bigilam* curioſius inquirerem, quos ſermones ſecum *Edecon* habuiſſet, decipere (c) perſtitit, deceptus & ipſe, & veram, ſecreti cum *Edecone* colloquii, cauſsam occultans, commentus eſt, ſibi *Edeconem* dixiſſe; *Attilam illi, propter transfugas ſuccenſuiſſe.* Oportuerat enim, aut omnes reſtituere, aut legatos, ex eorum numero ad illum venire, qui potentia, & opibus excellebant.

## §. X.

Hæc, dum loquebamur, aduenere ab ATTILA, qui *Bigilam*, & nos prohiberent, captiuum *Romanum*, aut barbarum mancipium, aut equos, aut quidquam aliud, emere, præter quam, quæ ad victum neceſſaria erant, donec inter *Romanos*, & *Hunnos*, de rebus controuerſis, conueniſſet. Hæc aſtu, & præmeditato conſilio, barbarus faciebat, quo facilius *Bigilam*, in ipſo facto, deprehenderet; cum nullam ſatis idoneam cauſſam comminiſci poſſet, in quam aurum adferret. Nos quoque iuſſit, *Oneſegium* opperiri; vt reſponſum ad no-

a) Aduertat in *Bigila* Lector, quæ ſit vis malæ conſcientiæ, cui ille fruſtra hactenus, a ſimulatione, mendaciis, & prauis artibus aliis, quæſiuit præſidia. Recte SENECA, Epiſt. CV. *Tutum, aliqua res, in mala conſcientia, præſtet: nulla ſecurum: putat enim ſe, etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi: & inter ſomnos mouetur, & quoties alicuius ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. Non ſatis illi obliteratum videtur, non ſatis tectum. Nocens, habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.* Tutum *Bigilam*, ſacroſancta legationis iura, fecerunt: haud tamen ſecurum. Repræſentabat ei peruigil conſcientia; cum inſidiarum, in ATTILAM, maleficium; tum veſanam illam linguæ procacitatem. vtrumque, tametſi nondum deprehenſum putarit, poſſe tamen deprehendi, metuit. Adde SENECAE Epiſt. XCVII.

b) Nempe, non vt tutum præſtaret *Bigilam*; ſed vt auro emungeret, in inſidias deſtinato, poſteaque, maiorem eius extorquendi vim, occaſionem, ATTILAE pronam faceret.

c) Ita eſt: *Seipſos decipiunt, qui volunt alios;* ſicuti videre eſt in *Bigila.* de cuius fraudibus, redeuntibus toties, occinas licet illud HORATII, Lib. I. Epiſt. X. 24.

*Naturam expelles furca, tamen vſque recurret.*

Rediit nimirum, *Bigilæ* ingenium ſuum, tum quoque, cum minime debuiſſet.

ad noſtram legationem (a) daret, ſimul & munera, quæ ad eum Imperator miſerat, & tradere volebamus, acciperet. Etenim, tum forte *Oneſegius*, vna cum ſeniore, ex ATTILAE liberis, ad *Acatziros* miſſus fuerat. Ea gens eſt Scythica, quæ in poteſtatem ATTILAE, hac de cauſſa venit. In eam gentem, plures, per tribus & generationes, imperium exercebant, quos Imperator *Theodoſius*, firmata inter eos concordia, ab ATTILAE ſocietate, ad colendam cum *Romanis* pacem, & ſocietatem, muneribus traduxerat. Qui ea munera adtulerat, pro cuiusque gentis regis merito, & gradu, minime diſtribuerat. *Caridachus* enim, ſecundo loco acceperat, qui regum antiquior, primus accipere debuerat. Ille, tanquam contemtus, & ſibi debitis præmiis fruſtratus, ATTILAM, ad correges, in iudicium vocauerat. Is, nihil cunctatus, magno exercitu emiſſo, regum alios ſuſtulit, alios ad deditionem compulit. Deinde, *Caridachum* ad ſe vocat, tanquam illi victoriam, & quæ ex victoria conſequutus fuerat, communicaturus. Sed dolum, & inſidias ſuſpicatus; *Difficile & graue eſſe homini*, reſpondit; *in* DEI (b) *conſpectum venire. Si enim immotis oculis, ſolis orbem intueri, nemo poteſt; quomodo quis ſine ſenſu doloris, cum Deorum maximo, congrediatur*? Atque ita *Caridachus*, regnum, ſuaque omnia, ſalua ſibi, & integra conſeruauit, & reliqua omnis Catiſcorum regio, in ius, ditionemque ATTILAE, conceſſit. Ei genti, cum ſeniorem ex filiis regem, ATTILAS conſtituere decreuiſſet, ad hanc rem conficiendam, *Oneſegium* miſerat. Itaque nos exſpectare, vt dictum eſt, iubens; *Bigilam*, cum *Esla*, ad *Romanos* amandauit, ſpecie quidem transfugarum repetendorum; ſed reuera, vt aurum, *Edeconi* promiſſum, adferret.

## §. XI.

A *Bigilæ* diſceſſu, vno tantum die in his locis commorati, poſtridie cum ATTILA, ad loca magis ad arctum vergentia (a) profecti ſumus. Haud longo viæ ſpatio, cum barbaris progreſſi, alio iter vertimus, *Scythis*, exterorum (b) deductoribus, nos id facere iubentibus. ATTILAS interea, in quodam vico ſubſtitit, in quo filiam *Eſcam* (c) in vxorem, etſi plures alias haberet, *Scytha-*



a) Nunc dixi, eundem ONESEGIVM, in aula ATTILAE, locum tenuiſſe, quem apud Romanos *Officiorum Magiſtri*. de quibus recole, quæ ad Cap. I. §. III. nota *u*, adnotauimus: & Cap. II. §. V. nota *p*.

b) Adeo iam tum *Bigilæ* illa adſentatio, qua *Theodoſium* Deum; ATTILAM hominem, vocauerat, barbaros ipſos, corruperat. ATTILA profecto, hac adpellatione, retentari ſe paſſus eſt, ne *Caridachi* aduentum vrgeret, pro more ſuo, acrius. *Sic ars deluditur arte.*

a) Doleas, quod non accuratius ATTILAE huius itineris tramitem, PRISCVS definiuerit. quem nos ideo veſtigabimus, quantum eius dabitur.

b) Viarum hi *Ductores*, a principibus, ad conducendum aliquem per alterius regionem, cum ad itinerum errores, tum ad ſubſeſſores viarum deuitandos, ordinabantur. LVITPRAND. de Legat. Græcis quidem Διασώςαι; noſtris vero *Hungaris*, genuino credo *Hunnorum* vocabulo, *Kalauſz* hodieque adpellati. Quod ſane, inter bene commodeque ordinatæ reipublicæ *Hunnorum*, indicia retuleris. Conf. du FRESNE Gloſſ. edit. nuperæ Pariſiens.

c) Doctiſſimus BARTHIVS, *in Aduerſariis* ſuis, Lib. LVI. Cap. XV. p. 2662. ex hoc PRISCI loco, *Thygaterogamiam*, ſeu impiam, ſuas ipſorum filias ducendi, licentiam, *Hunnis* imputat. quem ducem, non doctum minus, quam præcipuæ inter eruditos auctoritatis, ſequuntur multi, atque ATTILAM, iuxta & *Hunnos*, vniuerſim omnes, fœdiſſimi eiuſdem flagitii inſimulare non dubitant. Suboleſcit, ſiue crim-

*Scytharum* legibus id permittentibus, ducere voluit. Illinc facili, & æquali via, per planitiem patentem, iter fecimus, & in multos fluuios nauigabiles impegimus. Quorum post *Istrum* maximi sunt: *Drecon* dictus, (d) & *Tigas* (e) & *Tiphisas*. (f) Maiores, nauiculis, vnico ligno, confectis, quas in quotidiano vsu habent, qui ad flumina habitant; reliquos lembis, ex propinquo desumtis, quos barbari curribus imponunt, & in loca restagnantia important, traiecimus.

---

criminationem eam, siue sensum verborum PRISCI detortum, FR. OTROKOCSI, in Origin. Hung. P. I. Cap. IV. §. XV. p. 126. Sed, neque crimen illud, ab ATTILA, & huius gente, valide repulit; neque idonee satis vindicauit PRISCI sententiam. Posteaquam enim locum, de nuptiis ATTILAE recitasset, paucula subiicit: *Videtur hic aliquid deesse; forte, cuius herois* Escam *filia fuerit. Nam, non dicit aperte* Priscus, *eam* Attilæ *propriam fuisse; nec ratio id adiecta docet; sed potius, pluralitatem vxorum licitam, apud veteres Scythas fuisse*, indicat. recte quidem. Felicius tamen, & iudicio longe limatissimo, partim, flagitium omnium turpissimum, ab ATTILA, & *Hunnis*, amolitus est, partim sensum verborum PRISCI restituit, PIVS NICOLAVS GARELLI, dum viueret, CAROLI VI. Imperatoris archiater, atque amicus noster, & post fata, desideratissimus. Mitto, sobriam, viri summi, criticen: rem ipsam, & quemadmodum PRISCI verba, in luce collocauit, atque ATTILAM crimine exemerit, recolam. *Ad omnem*, inquit, *tollendam, in verbis* Prisci *æquiuocationem, sola vocula* τȣ̃, *deficit. qua adposita, clarus sensus emergit, nempe:* Θυγατέρα τȣ̃ Εσκάμ γαμεῖν ἐβȣ́λετο, quod est: *Filiam Escami ducere voluit.* Hæc ille. breuiter, ac solide: vt satis adpareat, *Escami*, vnius ex optimatibus *Hunnis*; haud vero suam ipsius filiam, ducere constituisse ATTILAM. Hæc, & reliqua, quæ in eandem rem adfert, &, cum de phrasi PRISCI, tum de voce θυγατὴρ, erudite disputat, vide in *Appendice epistolæ*, quam ad me, de IVVENCI COELII CALANI DALMATAE, ATTILA, prolixam dedit, quamque *Decadis I. Mon. III.* præmissam, reperies. Cessent proinde *Barthii* sequaces, ATTILAE mastyges, belluinam hanc voluptatem, eidem adfricare, atque porro infamare, his tam fœdis criminibus, regem, pro ethnicæ honestatis modulo, incomparabilem. Adde, commentiunculam nostram, eadem hac de re, ad CALANI Cap. XXII. not. *e*. adscriptam, DECADE I. Mon. III. p. 135. Alioquin, πολυγαμίαν simultaneam, *Hunnorum* legibus permissam fuisse, haud grauate largimur: minime vero, parentum, cum filiabus, nuptias: quippe quos, non ita ferinis fuisse moribus, credimus, vt flagitio se contaminarent, iuri naturæ, omnium mentibus, diuinitus insito, contraeunte. Reuera autem, pugnare scelestum hoc nuptiarum genus, cum naturæ humanæ indole, grauiter docuere *Iuris Naturæ* consulti. HVGONEM GROTIVM nominauisse, satis habebimus, *de Iure Belli & Pacis*, Lib. II. Cap. V. §. XII. *n. seq.* p. m. 249. Bene, quem illic citatum legas, SENECA Hippolyto Act. III. versu 913. 914.

*Feræ quoque ipsæ Veneris euitant nefas,*
*Generisque leges inscius seruat pudor.*

Neque minus isthuc facient, nobiles, de *Camelo*, & de *equo Scythico*, quæ eo loco fiunt, narrationes. De *Camelo* inquam, qui curatorem, a quo, cum matre operta, commissus erat, delapso operimento, & matre agnita, interfecit, teste AELIANO III. de Anim. 47. & ARISTOTELE, Περὶ θαυμασίων ἀκȣσμάτων, p. 89. Atque, de *Equo Scythico*, auctore PLINIO H. N., Lib. VIII. Cap. XLII. Tomo I. p. 466. edit. Paris. HARDVINI. *Detracto oculorum operimento, & cognito, cum matre coitus, petiisse præerupta, atque exanimatum.* Equæ, eadem ex caussa, in agro *Reatino*, prorigam; (equarum admissorem) laceratum inuenimus. Adde VARRONEM, Lib. II. Cap. VII. de Re Rust. p. 286. edit. *Gesneri*. Quis nunc *Scythæ* nostro, ATTILAE, inquam, crimen intentabit, quod ne *Scythicus* quidem equus, pro generosa indole sua, impune, ac sine pudore ferre potuit? De *Persis*, *Parthis*que, turpitudini huic, belluino more deditis, nihil laboro. cui adsentiente HVG. GROTIO, caussam, prauam educationem, prudenter adsignat, DION Prusæensis.

mus. Congerebantur vero nobis, ex vicis commeatus; pro frumento *Cenchrum*, (g) pro vino, *Medum*, (h) ſic enim locorum incolæ vocant. Qui nos comitabantur, vt nobis miniſtrarent, *Cenchrum* aduehebant, potionem ex hordeo præbentes, quam *Camum* barbari (i) adpellant. Longa via confecta, die, ad noctem inclinante, ad paludem quandam, ad quam aquatum (erat enim eius aqua potui apta) proximi vici ibant, tentoria fiximus. Ingens ventus, & procella de repente exorta, cum tonitru, & crebris fulguribus, & multo imbre, tentorium noſtrum disiecit, & omnia noſtra vtenſilia, in proximam paludem voluit. Turbinibus in aere excitatis, & caſu, qui contigerat, perterrefacti, locum illum deſeruimus, & ab inuicem diſſociati, huc illuc palantes, viam vnusquiſque noſtrum, quam ſibi commodam duxit, ſub tenebris, & imbribus, eſt perſequutus. Tandem, tuguria, & tecta vici ſubeuntes, (illuc enim, diuiſis itineribus, diuerteramus) omnes in vnum conuenimus, & ea, quæ nobis deerant, cum clamore perquiſimus. Ad quem ſtrepitum, *Scythæ* exſilientes, calamos, quibus ad ignem vtuntur, vſſerunt, & accenſo lumine, interrogarunt, quid nobis vellemus, qui tantos clamores ederemus? *Barbari*, qui nos comitabantur, (k) reſponderunt, nos tempeſtate perculſos, turbari. Itaque, nos liberaliter inuitatos (l) hoſpitio exceperunt, & calamis ſiccis, ignem accenderunt. Vici domina, quondam vna ex BLEDAE (m) vxoribus fuerat. Hæc nobis cibaria, & mulieres formoſas, cum

L quibus,

g) CENCHRVM, milium eſt Græcis. quod gluma, in piſone, ſeu mortario ligneo detuſa, farris loco habent hodieque *Hungari*; &, vel in pultes incoquunt, lacte ſuperfuſo, & tunc quidem *Tejes-Káſa*, dicunt; vel admixto melle, ad modum tortarum, in tripodibus frixant, atque *Mézes-Málé* vocant. quod genus ciborum, in deliciis habent adhuc, plebei homines. Pronum ergo fuerit exiſtimare, his cupediis, vulgus *Hunniacum* victitaſſe, easque, ſimul *Romanis*, hac iter facientibus, obtuliſſe.

h) MEDVS, potionis genus, quod coquendo fit ex melle. ISIODORVS ideo, XX. 3. ex Latino *mell*, quaſi *melus*, deducit. Sed perperam: nam vox, tota quanta quanta, *Sarmatica* eſt, tametſi omnino æque a melle deriuanda. quod *Slauonicæ* linguæ populi omnes, *Med* vocant, & potum ex melle excoctum, *Medovvecz*. Potus genus, hodiedum *Moſcouitis*, *Polonis*, atque vtrorumque vicinis, familiariſſimum.

i) Eſt, cur mirere, CAMVM, barbarum PRISCO, vocabulum dici; cum tamen haud ignotum fuerit *Conſtantinopolitanis*, potus genus: quippe, ipſis legibus, Romanorum, ſacratum. VLPIANVS, Lib. IX. ff. de trit. vin. ol. *Si quis vinum legauerit, nec* Camum, *nec cereuiſia continebitur, nec hydromeli.* CVIACIVS Obſeru. Lib. XXIV. Cap. XXXIX. adducit *Simeonem Ianuenſem*, qui doceat: CAMVM *fieri, ex hordeo, & aliis frugibus, & Fucam Arabice vocari, vulgo in Græcia, Phocædium, & eſſe cereuiſiæ ſpeciem.* Verba hæc adlegat: *Cereuiſia*, Camum, *Foca.* Item: Camum, *Sicera, potus factus ex hordeo, & aliis rebus calidis, vti ſunt Zingiber, & alia, quæ ponuntur in teſtaceis paruis, bene obturatis, & cum aperiuntur, ſalit in altum, & vocatur cereuiſia.* DU FRESNE. Colligas ex hoc PRISCI loco, familiarem, ATTILAE temporibus, *Hunnis*, ſub nomine *cami*, fuiſſe *cereuiſiam*, cuius poſtea nomen *Ser* fecerunt *Hungari*; ſiue id a *Latinis* acceperunt; voce, vti adparet, detruncata; ſiue a Turcarum, *Serbéth*. quod tamen potionis genus, feruens bibitur, & tardius *Hungaris* innotuit.

k) Iidem fuere, quos nunc *Ductores*, PRISCVS dixerat, de quibus eadem hac §. nota *b*.

l) Tu, quisquis es! qui gentem *Hunniacam* accuſas barbariei, huc aduerte animum! Credo equidem, ne a populis, qui ſe hodie putant cultiſſimos, iſtam humanitatis ſignificationem, in homines peregrinos, eosque calamitoſos, editum iri.

m) Ergo, iam tum, ſiue ſua ipſius morte, ſiue violentis fatis, BLEDAM perfunctum

quibus, iocis, & amori indulgeremus, (hoc enim apud *Scythas* honori ducitur) suppeditauit. Mulieribus, pro cibis præbitis, gratias egimus, & sub tectis nostris somnum capientes, ab earum consuetudine (n) abstinuimus. Simul, atque illuxit, ad ea, quæ ex nostra minuta supellectile desiderabantur, perquirenda, curam conuertimus. Hæc, partim in eo loco, vbi pridie consederamus, partim in ripa paludis, partim in ipsa palude, reperta, recepimus. In his desiccandis, totum diem, in illo vico, (tempestas enim desierat, & clarus sol adparebat) contriuimus. Deinde, curatis equis, & reliquis animalibus, vecturæ inseruientibus, reginam salutatum iuimus. Hanc vicissim donis remunerati (o) sumus, pateris argenteis, velleribus rubris, pipere indico, & palmulis, & aliis aridis fructibus; ne barbaris, qui tantum honoris nobis habuerant, concederemus. Nec multo post, omnia fausta, feliciaque illis, hospitalitatis ergo precati, discessimus. Sex dierum itinere emenso, *Scythæ*, exterorum deductores, (p) in quodam vico nos consistere præceperunt, vt pone ATTILAM, qui hac se in viam daturus erat, deinceps iter continuaremus.

## §. XII.

Hic obuios habuimus legatos, a *Romanis Hesperiis*, (a) etiam ad ATTILAM missos. Erant autem præcipui: *Romulus*, Comitis dignitate decoratus, & *Primitus*, Noricæ regionis præfectus, & *Romanus*, militaris ordinis ductor. His aderat *Constantius*, (b) quem *Aetius*, ad ATTILAM, vt illi in conscribendis epistolis deseruiret, miserat, & *Tatullus*, *Orestis* (c) eius, qui cum Edecone

ctum fuisse oportuit: eo quod hic viduæ suæ fit mentio. Mirifica, & huius in legatos, fuit hospitalitas; sed, quam barbara illa humanitas, si PRISCO credimus, contaminabat, quod lenocinio eos, & illecebris muliebribus voluit inescatos. De BLEDAE anno emortuali, vide, quæ ad CALANI Cap. XI. nota *a.* congessimus, DECADE I. Mon. III. p. 114.

n) Digna, *Christianis* viris, continentia. Neque hic mos solis *Hunnis* fuit peculiaris, vt hospites, quos comiter & laute accipere volebant, formosarum mulierum amoribus exsatiarent; apud plures gentes, impia hæc, fœdaque hospitalitas inoleuerat: quippe quæ, semel iusto DEI iudicio, in transuersum actæ, neque modum ponebant, nefariis turpitudinibus, neque finem.

o) Fuit hoc elegantiæ *Romanorum*. Dona profecto, quam, quæ regina miserat, multis modis pretiosiora rependerunt. *Palmulæ*, fructus sunt palmarum, qui, & *Dactyli*. Reliqua, bellaria fuisse, interpretabere, quæ secundis mensis, & plerumque cruda, solebant inferri.

p) Confer supra, hac paragrapho, notas *b.* & *e.* Vsi nempe, ministerio eorum sunt *Romani*, toto eo itinere, quod in *Hunnorum* regione sunt emensi, vsque ad regiam ATTILAE.

a) Magnum, potentiæ ATTILAE, documentum; quod ab vtriusque, orientis, & occidentis, Imperatoribus, legationibus, eodem tempore, honoratus fuerit. Fere de eo dixeris, quod ille, de ALEXANDRO M.

*Ortus & occasus, aquilo mihi seruit, & auster.*

b) *Constantii* huius, sæpius PRISCVS meminit, Cap. I. §. IV. iterum Cap. II. §. VII. hic vero, omnium fusissime; nusquam vero infelicius.

c) Obserues hic, ORESTIS, patrem, iuxta & matrimonium. Fuit is, EDECONIS, in Constantinopolitana, qua proxime defunctus est, legatione, adsiduus collega. Muneris, quas apud ATTILAM administrabat partes, *Bigilas*, in aula regis semel iterumque versatus, supra, paragrapho VIII. ita expromsit; vt ATTILAE *asseclam & scribam diceret.* In Græco: ὀπάονά τε καὶ ὑπογραφέα, vocat. Primam ORESTIS mentionem, legesis, Cap. I. §. III. not. *b.* p. 7. De hoc eodem ORESTE, quæ mortuo ATTILA,

*Edecone* erat, pater: non legationis caussa; sed priuati officii, & familiaritatis ergo. *Constantio* enim in Italiis agenti, magnus cum illis vsus intercesserat: *Tatullum* affinitas mouebat. *Orestes* enim eius filius, *Romuli* filiam, e Petouione, Norici ciuitate, vxorem duxerat. Legati autem veniebant, vt ATTILAM lenirent, qui sibi *Syluanum*, (d) *Armii mensæ Romæ præfectum*, tradi postulabat, propterea, quod pateras aureas, a *Constantio* quodam acceperat. Hic *Constantius*, ex Galliis occidentalibus ortus, ad ATTILAM, & BLEDAM, vt illis in conscribendis epistolis operam daret, quemadmodum, & post illum alter *Constantius*, missus fuerat. Ille (e) vero, quo tempore *Sirmium* oppidum, in *Peonia* situm, *Scythæ* obsidebant, aurea vasa, a ciuitatis Episcopo, acceperat, vt ex eorum pretio, si se superstite, vrbem capi contigisset, quoad satis esset, pro sua libertate, solueretur; (f) sin periisset, ciues, in seruitutem abducti, redimerentur. Sed *Constantius*, post vrbis excidium, (g) de euentu Scythicæ obsidionis parum sollicitus, *Romam*, cuiusdam negotii caussa profectus, vasa, ad *Syluanum* detulit, & aurum ab eo accepit, conuenitque, vt, si intra tempus præfinitum, aurum, cum vsuris redderet, vasa reciperet: ni fecisset, *Syluanus*, vasa sibi haberet, & his, pro arbitrio, tanquam, quæ sua facta essent, vteretur. Hunc *Constantium*, ATTILAS, & BLEDA, cum illis proditionis nomine suspectus esset, in crucem (h) egerunt. Ex quo, vt de poculis aureis, indicium ad ATTILAM (i) est delatum, sibi tradi *Syluanum*, tanquam furem eorum, quæ sua facta essent, flagitauit. Legati igitur, ab *Aetio*, & *Romanorum* occidentalium Imperatore, venerant, qui dicerent, *Syluanum*, *Constantii* creditorem,



---

ATTILA, fata habuerit, quamque inuitam fortunam, sibi obnoxiam facere sit adnisus, tum demum, professa opera, animus est agere, cum curæ nostræ maturuerint.

d) Placet, VALESII, verba: *Armii mensæ Romæ præfectum*: ex Græco, restituentis, coniectura. Videtur, inquit, scribendum esse: ἀργυρᾶς τραπέζης προεστῶτα. Sic mensam argentariam vocat: erat enim hic *Siluanius*, *argentarius*. Ita EVAGRIVS, Lib. V. Cap. X. de *Magno* quodam: πρώτῳ μὲν ἀργυρᾶς τραπέζης προϊσταμένῳ. Hæc *Valesius*. Neque ergo, deprauata vox *Armii*, nomen fuerit proprium; neque mensæ præfectum, seu *Dapiferorum*, nostro vocabulo, *Magistrum*; sed rei argentariæ, quæ mensis adhiberi solet, administrum, notauerit.

e) *Constantium* priorem intelligit, postea, ob proditionis suspicionem, in crucem actum. qua de re, iamiam dicet noster.

f) Laudabilis hæc *Episcopi* prouidentia fuit; sed, quam irritam fecit *Constantii* turpis auaritia: tametsi hominis *Christiani*: quæ tamen sibi longe exstitit perniciosissima.

g) Vtinam hoc sibi dedisset negotii, somnolentus historiarum PRISCI expilator, vt vrbium, patrata ab ATTILA, excidia, & horum caussas, ac περιστάσεις, cum cura adnotasset: æquius iacturam scriptoris optimi ferremus; nunc, gratiam ei referimus eo iniquiorem, quo in excerpendo, & animo fuit tardior, & manu.

h) Dignum, me iudice, sacrilegio, quo se, *Christianus* cum esset, turpiter contaminauit, supplicium; etsi minime omnium in proditionis crimen incurrisset. Nam, præterquam cum *Episcopo* conuenerat, in eliberandos captiuos, vasa aurea, non impendit; sed abusus etiam iis est, si non ad intemperantiam, certe ad sordes. Aliud ergo in *Constantio*, reges vlciscebantur; aliud diuina nemesis.

i) Adeo ad rem adtentum ATTILAM; vt ne prædæ quidem partem, elabi e manibus, pateretur; siue iustitiæ laude cumulare velis; siue notare auaritiæ crimine, mihi quidem perinde feceris, Lector æquanime! Saltem fatebere, facinus *Constantii*, hominis infidi, priuatum, male Imperatori, & vniuersim toti reipublicæ, impactum ab ATTILA fuisse. Sed, *nodum in Scyrpo quærebat* perspicax ille, suapte, ad omnes belli faciundi ocasiones, nimium quantum peruigil.

ditorem, vaſa aurea, pro credito oppignerata, non furto ablata, penes ſe habuiſſe. Quæ ſacerdotibus, qui primi ſe obtuliſſent, numis argenteis permutaſſet. Nec enim fas eſſe hominibus, pocula Deo conſecrata, (k) propriis vſibus, adplicare. Itaque, niſi eum tam iuſta cauſſa, aut diuini numinis reuerentia, a petendis poculis, dimoueat, ſi *Syluanus* inſtantius vrgeatur, aurum pro pateris, præbiturum. Hominem enim, qui in nullo deliquit, (l) minime dedideris. Hæc erat igitur horum virorum, legationis cauſſa, qui barbarum ſequebantur, vt reſponſum ferrent, & dimitterentur.

## §. XIII.

Cum vero nobis eadem via eundum foret, qua ATTILAS, parumper morati, dum præcederet, non multo poſt ſequuti, cum reliqua multitudine, traiectis quibusdam amnibus, (a) ad quendam magnum peruenimus. Hic erant ATTILAE ædes, (b) quæ reliquis omnibus, vbicumque locorum, eminentiores, & præſtantiores eſſe, ferebantur. Erant hæ, ex lignis, (c) & tabulis, eximie politis, exſtructæ, & ambitu ligneo, circumdatæ: non ad munimentum; ſed ad ornatum comparato. Proxima regiæ erat, *Oneſegii* domus, & ipſa quoque ambitu ligneo conſtans, non tamen æque, ac ATTILAE, turri-

---

k) Male iſta, ex his iſtiuſmodi, *Chriſtianorum* ritus adtinentibus capitibus, ATTILAE perſuadebantur: quippe cui,

*Auri ſacra fames,*

intimis medullis inſederat.

l) IVRIS hoc, *naturæ ac gentium* axioma, poterat, ab iſta, dedendi *Syluani* poſtulatione, retentare ATTILAM, multo ſane efficacius, quam ſacrati illius, atque inuiolabilis auri, commemoratio.

a) An ſupra nominati fluuii, *Drecon*, *Tigas*, & *Tiphiſas* fuerint? non facile reperio, quod vel negem, vel adfirmem. coniectationes noſtras, promemus alibi.

b) Vbi vicus hic, & in hoc regia ATTILAE, ſit quærenda; poſtea, cum cura indagabimus. OTROKOCSI, Orig. Hungar. Parte I. Cap. IV. p. 108. apud *Iazyges* hodiernos, in oppido *Jáſz-Berény*, & vicum collocat, & ædes regias. Sententia, quod ſciam, adprobata eſt nemini: niſi forte, qui non exiſtimatis, itineris ATTILAE rationibus, & inconſulta *Geographia Antiqua*, opinationes ſequi malit, ratione minus ſubactas; quam veritatis κριτήρια. quod ſuo loco diſputabimus.

c) Lignea hæc, regiarum ATTILAE ædium ſubſtructio, ſatis, opinor, condocet, temporariam hic ſedem habuiſſe, ORBIS FLAGELLVM. Neque aliter ſuadebant, de opprimendo, vtroque, orientis, & occidentis, imperio, vaſta illa hominis conſilia. Nondum enim, ſubacta licet, a tergo *Scythia*; euaſtatis, *Thraciis*, *Mæſiis*que; & *Pannonia*, partim armis, partim pacis legibus, ſub iugum miſſa; quin & *Dacia Traiani*, ſuæ adiecta dominationi, occidentem euerruerat. Ergo, nihil opus erat, vt, qui orbem *Europæum*, mente complexus, ſpe improba deuoraſſe viſus eſt penitus, in vnius quodam regionis angulo, perpetuam, ac pro animi magnitudine, regio faſtu percultam, & tot deuictarum gentium ſpoliis ornatam ſedem, poneret. Sufficiebant ligneæ ædes, bene materiatæ, neque fabrefactæ negligenter. quæ ſpeciæ loco eſſent, homini, toti orbi, adtentiſſime inſidianti. Quod, qui ſecum exiſtimauerit, fatebitur, credo, non tam lapidum, hac regione defectui, quam deſtinationi ATTILAE, molem hanc ligneam, adtribui oportere. Quid? quod *Hunniacum* illud ingenium, nondum plane exuerit NOSTER, de quo AMMIANVS, Lib. XXXI. Cap. II. p. 473. *Aedificiis nullis vnquam tecti; ſed hæc, velut ab vſu communi diſcreta ſepulchra, deuitant.* Fas eſt igitur credere; dediſſe hoc, cultiorum gentium moribus, vt & ipſe ædes habitare inciperet; & gentis ſuæ primores, vulgusque, id vt imitarentur, ſenſim adſuefaceret. Recole, Cap. hoc II. §. II. not. e. Sed, de regia ATTILAE, erit alibi dicendi locus.

turribus insignis, & conspicua. Longo satis interuallo, a circuitu domus, distabat balneum, (d) quod *Onesegius*, qui secundum ATTILAM, plurimum apud *Scythas*, opibus, & auctoritate, valebat, lapidibus, ex *Peonia* (e) aduectis, aedificauerat. Nec enim apud eos, qui in ea parte *Scythiae* habitant, vllus est, aut lapis, aut arbos, sed materia, aliunde aduecta, vtuntur. Huius autem balnei architectus, e *Sirmio*, captiuus abductus, mercedem operis sui, libertatem consequuturum sperans, falsus sua spe, cum nihil minus cogitaret, in longe duriorem, apud *Scythas*, incidit seruitutem. *Balneatorem* enim eum *Onesegius* instituit, vt sibi, totique suae familiae, cum lauarentur, operas praestaret. In hunc vicum aduentanti ATTILAE, puellae obuiam (f) prodierunt, quae per

M

d) Praeferebat hoc, *Romanae*, siue elegantiae, siue opportunitatis, imitamentum. quis enim doctus nescit? balinearum commoditates, insano sumtu instruere solitos *Romanos*. Consule IVSTVM LIPSIVM, de *Magnitudine Romana*, & AMMIANVM, loco nunc citato, Cap. I. p. 472. ibique lege, VALESII notam *g*. Proinde, tota iam tum *Onesegii* familia, corporis munditiei coepit insuescere, vt male illud CLAVDIANI, Lib. I. in *Rufinum*, hic iteraueris de *Hunnis*,

*Tristes habitus, obscoenaque visu corpora.*

Sed reuera, extraneus fuit *Onesegius*, haud vero *Hunnus*. quod dicemus paullo post.

e) Vtitur argumento hoc OTROKOCSIVS, dicto loco, vt euincat, non alibi, quam apud *Iazyges* hodiernos, sedem hanc ATTILAE fuisse positam. Nam, & arboribus nuda omnino, neque impedita lapidibus, campestris ea regio est. quod, quantum momenti habeat, ad rem illam conficiendam, videbimus, cum erit opportunum.

f) Antiquissimus populorum orientalium mos fuit, festiuis istiusmodi virginum processionibus, laetos exspectatosque euentus celebrare. Primum, huius instituti, exemplum, apud MOSEN, veterrimum, eumque diuinissimum scriptorem, Exod. XV. reperio: cum gens *Israëlitarum*, superato, haud sine prodigio, mari rubro, atque *Pharaone*, & huius exercitu, fluctibus merso, mirificam Dei potentiam, concelebrabat. Praecipuas, ea celebritate, partes, *Miriam*, cum numeroso mulierum, inter cantica, & tympanorum sonitus, suas fecit, chorosque alternatim duxit. Conf. IOH. CONR. DIETERICI, *Antiq. Biblic.* Parte I. p. 350. Adde, nisi sacra historia sordeat, I. Sam. XVII, 6. 7. paeana, quem DAVIDI, a caede *Philisteorum* reducti, faeminae occinebant; &, quod res est, existima. Manauit ritus ab *Hebraeis*, quaquauersum, & hic ad religionis ceremonias translatus est; ad ciuilis testificationes officii, alibi. Et ad *Scythas* quidem, tunc, festiuum hoc institutum pertigisse, existimo, cum, abductis in captiuitatem, decem *Israeliticis* tribubus, late, *Hebraeus* populus, per septentrionem, & vsque in *Scythas*, fuerat sparsus. Eum postea morem, *Hunni* suum fecere, tamquam a maioribus acceptum. Quid? quod idem iste *Iudaeorum* mos, apud *Romanos* quoque, rerum, per orbem terrarum dominos, in vsu fuerit? De AVGVSTO, inter ceteras honoris significationes, TRANQVILLVS, Cap. LVII. *Reuertentem ex prouincia, non solum faustis ominibus, sed modulatis carminibus prosequebantur.* Quod quidem officium, *nobiles pueros*, ac *puellas*, fecisse, inuenias apud eundem, in CALIGVLA, Cap. XVI. *Nobilibus*, inquit, *pueris, ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum eius canentibus.* ῥυθμικῶς scilicet, ad mensuram pronuntiationis. Nescio, annnon aemulari voluerint, festiuum hunc, siue *Romanorum*, siue *Hunnorum*, ritum, *Argentoratenses*: quando, hac iter, ad *Friburgi* obsidionem, militare magis! an medicum? instituentem, Regem Galliae, LVDOVICVM XV. eadem hac, sed longe fastosissima pompa, concursante ad spectacu.um multitudine, acceperunt. Triumphum duci credidisses, ita vrbs opulentissima, in laetitiae testificationes, vel nondum editas adhuc, vel longa temporum intercapedine obsoletas, plurium dierum interuallo, atque id rege, magna animi delectatione adspectante, effundebatur. Interserebantur, augustali ei sollemnitati, virginum,

quæ per ſeries ante gradientes, ſub linteis tenuibus & candidis, quam maxime in longitudinem extenſis, ita, vt ſub vnoquoque linteo, manibus mulierum, ab vtraque parte in altum ſublato, (erant enim multi huiuſmodi mulierum, ſub illis linteis, ordines) ſex puellæ, aut etiam plures, dum iter pergerent, odas, & cantilenas (g) *Scythicas*, canerent. Iam proxime *Oneſegii* domum acceſſeramus, (per ipſum enim via (h) ducebat ad regiam) cum foras proſiliit *Oneſegii* vxor, magna ancillarum comitata multitudine, quæ opſonia, & vinum ferebant, (i) qui maximus eſt apud *Scythas* honos. Hæc ATTILAM ſalutauit, rogauitque, vt ex cibis deſumeret, quos, cum ſumma teſtificatione, ſuæ erga illum voluntatis, adtulerat. Itaque, vxori, hominis ſibi neceſſarii, gratificaturus, commeſſatus eſt, equo inſidens, (k) barbaris, qui in eius comitatu erant, ſuſpenſam tabulam, (erat autem argentea) ſurſum capiti eius adtolentibus. Deinde, deguſtato calice, qui illi fuerat oblatus, in regiam ſe recepit. Erat autem illa reliquis conſpectior, & in altiori loco ſita Nos vero, in ædibus *Oneſegii*, (ſic ille præceperat, redierat enim cum ATTILAE filio) remanſimus. Illic cœnam ſumpſimus, excipiente (l) nos eius vxore, comitata illuſtrioribus, qui eum gerere contingebant. Illi enim, animum nobiſcum conuiuio exhilarare, per otium, minime licuit; quia, quæ geſſerat in negotio, ad quod miſſus fuerat, & aduerſam, quæ filio (m) ATTILAE contigerat, valetudinem (dextram enim, oſſe loco moto, fregerat) renuntiaturus, tum primum a reditu, in ATTILAE conſpectum venerat.

## §. XIV.

A cœna, ædibus *Oneſegii* relictis, propius ATTILAE ædes, tentoria (a) poſui-

num in primis, veſtales quaſi quidam chori,. quæ, non percultæ modo ad omnem ſplendorem, oculos, cum omnium, tum principis potiſſimum, aduertebant; ſed laudes etiam regis, modulatis itidem carminibus, celebrabant. Anno hæc ſuperiore MDCCXLIV. adoleſcente iam auctumno, euenere; ideo hic non ſilenda, quod habent quoddam, moris *Hunniaci*, imitamentum.

g) Iucundum ſane, & dignum ATTILAE magnitudine, ſpectaculum. Odarum, quas occinebat virginum ea proceſſio, materies, vti ex moribus gentis, infra docebimus, bella, victoriæ, ceteraque ATTILAE geſta, fuere: *quod vnum*, ſicuti *Germanis*, ætate TACITI, ita tunc *Hunnis*, *annalium genus fuit*.

h) Igitur, domus *Oneſegii*, propylæum quaſi quoddam fuit regiæ ATTILAE, quam ædificiorum molem conſulto, ita fuiſſe inſtructam credo; partim, vti regis ſecuritati prouideretur; partim, vti venerabilior fieret, ad regiam aditus. quid? quod, & gratia, & auctoritas, qua, apud ATTILAM valebat *Oneſegius*, iſtum ædium ſuarum habitum, ſitumque, videbatur poſcere.

i) Eſt hoc quoque, veſtigium moris orientalium; principes, a victrici expeditione reduces, ad eum modum accipiendi. quod obuium fit, *Melchiſedeci* oblationem, *Abrahamo*, a pugna reuertenti, factam, atque pane & vino conſtantem, recognoſcentibus, Genes. XIV, 18.

k) Hoc genus commeſſationis, ſicuti PRISCVS vocat, *Statarium* prandium, Latini dixere; eo quod ſtando capitur. apud MAMERTIN. in *Panegyr. Iuliani*, Cap. XI. Aduertat Lector! officioſam in ATTILA, erga fæminam illuſtrem, facilitatem, humanitatemque.

l) Adeo, apud aulam ATTILAE, eleganter omnia fiebant, atque comiter, vt *Verſaliam* te Gallorum, non vicum *Hunniacum*, ſubiiſſe crederes.

m) Fuit is *Dengiſich*, vterinus *Irnaſchi* frater, iſto tamen infelicior. Ille, *Dinzio*, iſte, *Hernach*, vterque mendoſe, IORNANDI dicitur, in Geticis p. m. 628. 629.

a) Coniicias hinc, cum de ædium ATTILAE ſitu, tum de habitu vici totius. Aedes,

poſuimus, vt *Maximinus*, quem ſcilicet ATTILAM conuenire, & cum his, qui ei a conſiliis erant, colloquia facere oportebat, minime longo, ab ATTILA, diſtaret interuallo. Illic igitur, quo migrauimus, noctem tranſegimus. Luce orta, miſit me *Maximinus*, ad *Oneſegium*, vt illi, tum quae ipſe dabat, (b) tum ab Imperatore miſſa munera traderem; atque etiam ſtatueret, vbi, & quando luberet, vt cum eo colloquium iniret. Perexi igitur ad *Oneſegium*, cum famulis, qui dona portabant: ianuae erant clauſae: ego exſpectare, donec aperirentur, & aliquis exiret, qui eum, mei aduentus, certiorem faceret. Itaque, tempus mihi terenti, & circa murorum ambitum domus *Oneſegii*, ambulanti, progreſſus, neſcio quis, quem barbarum, & vnum aliquem ex *Scythico* exercitu, eſſe rebar, *Graeca* voce me ſalutauit, dicens: χαῖρε. (c) Mirari ego, qui fieret, vt *Graece* loqueretur, vir *Scytha*. Etenim, intra ſua concluſi, barbaricam linguam (d) colunt, & adfectant, neque tam *Hunnorum*, quam *Gothorum*,



des, ſic poſitas fuiſſe oportuit, vt laxiore, eoque inani, & a priuatorum caſis nudo, circumquaque interuallo ambirentur: quod ad regiae pertinebat opportunitatem. Vicus vero, diſſitis inuicem aediculis inſtructus, ſpatia relinquebat tentoriis, ſi vſus ferret, tendendis, neceſſaria.

b) Prudens factum! quod legationis, ſufflaminata hucuſque negotia, a donis repraeſentandis, exordiuntur, idque, apud hominem, quaſi παγκράτωρα, apud ATTILAM. *Aurum* nempe, Iani templo, cum claudendo, tum reſerando, aeque idoneum eſt, atque efficax.

c) Χαῖρε, Graecam ſalutandi formulam eſſe, in gratiam linguae eius ignarorum moneo: nam norunt docti, ab χαίρω, *gaudeo*; Imperatiuum eum fieri, vt ſit, χαῖρε, *gaude, laetare, ſalue!* Sic apud XENOPHONTEM, Paed. VII. Croeſo ſalutanti Cyrum: Χαῖρε ὦ δέσποτα, *ſalue domine!* reſpondet Cyrus: καὶ σύγε ὦ Κροῖσε, *tu quoque ſalue Croeſe.*

d) Diſcas hinc, πολύγλωττον, ſeu, plurium fuiſſe linguarum, aulam ATTILAE. *Barbaricam* ei tribuit, inter primas, noſter, hoc eſt, *Hunniacam.* quae, quod *Hungarica* fuerit, licet rudior hodierna, ſuo loco, & tempore, demonſtrabimus. Fruſtra ſunt profecto, *Hunno-* & *Hungaro-Maſtyges* illi, qui id magna virium contentione, elaborant demonſtrare; *Linguam Hungaricam, qualis hodie in vſu eſt, centonem eſſe, Cardinalium Europae linguarum.* Non eſt enim ita, quemadmodum cogitate omnino, neque ſine adparatu, id euicimus, in *Meletemate, de Peregrinitate Linguae Hungaricae in Europa*, quod exſtat, in *Miſcellaneorum Berolinenſium Tomo IV. Parte II. Litteraria* p. 198. & recognoſcemus, ſi Deus voluerit, in GENESI, & EXODO, Linguae Hungaricae, curis repetitis. Poſt *Hunniacam* linguam, *Gothicae* meminit PRISCVS, quae ſecundas, poſt priorem illam, obtinebat in palatio ATTILAE, quin & apud gentem vniuerſam. Neque potuit eueniſſe aliter: quando, & bellis frequentibus, gens vtraque colliſa inuicem; & coadunata iterum fuit in ſocietatem, foederibus quomodocunque confocillatis: ne quid, de captiuis, vtrinque in ſeruitutem abductis, deque commerciis, mutuo frequentatis, dicam. Fuit autem *Gothicus* ſermo, *Germanicus.* Vltimo, *Auſoniorum* linguam memorat, quae *Romana eſt*, ſeu *Latina.* quam non potuerunt non addidiciſſe *Hunni*, cum bello in Italia adminiſtrato, tum requietis occaſionibus aliis. *Cancellaria* certe ATTILAE, & praefectum *Oreſtem*, & ſcribas, *Conſtantinum* vtrumque, vide §. XI. ex *Romanis* habuit. Neſcio, quomodo PRISCO, de *Sarmatica* lingua, ſilentium potuerit obrepere. Palam eſt enim, & hos in obſequio habuiſſe ATTILAM, inſediſſeque *Sarmatiae* partes, quae *Ponto* erant proximiores, atque *Daciae*. Quid ergo mirum? adhaeſiſſe veteri adhuc *Hunnorum* ſermoni, ex tot victarum gentium linguis, contagii quidpiam. quod inualuit demum, rerum potitis, *Abaribus*, atque *Hungaris*, vltimum, in *Daciam*, *Pannoniam*que erumpentibus. Ergo, largiamur oportet, multum adſciuiſſe *Linguam Hungaricam*, ſicuti hodie in vſu eſt; ex *Latina*; plus ex *Germa-*

*nicas*;

*thorum*, aut etiam *Auſoniorum*, hi ſcilicet, quibus cum *Romanis* frequentius eſt commercium. Neque quiſquam eorum facile loquitur *Græce*; niſi, ſi qui ſint captiui e *Thracia*, aut *Illyrico* maritimo. Sed illi ab obuio quoque dignoſci poſſunt, quando occurrunt, & a veſtibus laceris, (e) & capitis ſqualore, tanquam, qui in miſeram inciderint fortunam. Hic vero, præ ſe ferebat *Scytham*, qui opibus circumfluebat. Erat enim capite *in rotundum* (f) *raſo*. Hunc reſalutans, interrogaui, quis eſſet, & vnde in terram barbaram veniens, vitæ *Scythicæ* inſtitutum ſequi delegiſſet? Ille vero, lubenter, ait, iſta cognoſcere ſtudui. Mihi vero, inquam, hæc a te vt ſciſcitarer, cauſſa fuit, quod *Græce* locutus es. Tum ridens, ait, ſe *Græcum* eſſe genere, ad mercaturam faciendam, *Viminacium*, *Myſorum* ad *Iſtrum* vrbem, acceſſiſſe, in ea domicilium, longo tempore habuiſſe, vxorem quoque diuitem duxiſſe; parta illic felicitate, capta vrbe exutum fuiſſe, & propterea, quod diues erat, ſe, ſuaque omnia, in prædæ diuiſione, *Oneſegio* ceſſiſſe. Etenim, eſſe apud eos in more poſitum, vt præcipui ab ATTILA, *Scythiæ* principes, captiuos ditiores, ſibi ſeponant, quos deinde in plures diuidunt, & partiuntur. Poſtea, vbi aduerſus *Romanos* fortiſſime dimicaſſet, (g) & *Acatzirorum* gentem domino barbaro ſubdidiſſet, omnia,

---

*nica*; plurimum ex *Morauica*, ſiue *Slauica*. quod linguarum gnaris, ſi vel leuem quandam criticen adhibuerint, plane fit obuium. Sed a *Græcis*, acceperunt omnino pauciſſima, &, ſi vocem *Paripa*, quod eſt, παρίππος, excipias, fortaſſe aliud nihil. Confer OTROKOCSII Orig. Hung. P. I. Cap. IV. §. XVI. p. 126. de *Lingua Hunniaca*, ad hunc PRISCI locum, commentantis.

e) Miſerandus captiuorum habitus. quem apud *Hunnos*, eius ætatis, eo oportuit eſſe ſqualidiorem, quod & ipſum vulgus *Hunniacum*, ſorditatis veſtibus, & quomodocunque, nunc ex pellibus, nunc ex vili quodam linteorum genere factis, indecore amiciebatur. Quid ergo, de captiuis, pannoſis iis, exſuctis inedia, mento, ad barbarorum morem, hirto ac intonſo, luridata facie, oculis dehiſcentibus, &c. ſtatuas?

f) Duplex genus, circumtondendæ comæ, antiquitus fuiſſe videtur; vnum *barbaricum*, *græcanicum* alterum: vtrumque inter delicias habitum. Hinc *circumtonſi* mangonum pueri, puellæ, atque ipſæ etiam meretrices. Sed, horum tonſura, ad libidinis illecebras pertinuit. Vſi ſunt autem ea, honeſti quoque, ſed elegantiæ ſtudioſi, *Græci veteres*, ephebi, viri, & apud *Romanos*, etiam miniſtri lautiores. Crines, in eo genere, æqualiter vndique deſcendentes, decenter, & in orbem radebantur; vt formam alueoli referent, ſeu σκαφίον. Vide, in voce eadem HESYCHIVM: σκαφιοκέροι, ſic tonſi, adpellati. Inferne ſcilicet, ad cutem raſi, vertice intonſi fuere. Decore minus feciſſe exiſtimatur, *Ariſtodemus*, *Cumanorum* tyrannus, qui pueros, puellarum habitu, & muliebribus comis comptos; puellas, contra ea, epheborum ritu circumtonſas, atque ephebicis amictas chlamydibus, ire iuſſit, apud PLVTARCHVM, de Mulier Virtut. p. 261. F. Genus tonſuræ, βαρβαρικώτερον fuit, quod *Phœnices*, *Arabes*, *Thraces*, *Sarmatæ*, *Franci*, atque noſtri hic *Hunni*, frequentarunt; & *Poloni* hodieque retinent. Ab *Hunnorum* hoc radendi capillum more, *Hungarorum* tondendi capitis, conſuetudinem eam arceſſi oportere, exiſtimarem quando, totum circumquaque cranium, detondent, ſolo vertice, comam alentes, quam poſſunt, promiſiſſimam: niſi, e proximiore *Cumanorum* ætate, contagioſi oppido moris, ritum eum velis deriuare. Tunc enim, antiqui, ac ſeueri moris gens *Hungara*, corrupta eſt maximopere, cum non vulgus modo promiſcuum; ſed reges etiam, LADISLAVS in primis, *Cumanus* ideo dictus, barbarici populi inſtitutis viuere, nihil dubitabant. Huc, & pilei genus, quod martia hac tempeſtate inualeſcit iterum, & *Csákó* in commune dicitur, retuleris.

g) De *Oneſegio* loquitur vir *Græcus*: cuius ductu in *Romanos*, & nuper admodum

omnia, quæ bello acquisierat, vna cum libertate, vt *Scytharum* legibus (h) cauetur, propria sibi vindicasse. Mulieri quoque barbaræ nupsisse, & ex ea liberos sustulisse, & *Onesegii* mensæ participem, hoc vitæ genus, longe potius priore, ducere. Qui enim apud *Scythas* degunt, tolerato bellorum labore, sine vlla sollicitudine, vitam peragunt: tum vnusquisque bonis, quæ sibi fortuna indulsit, fruitur, neque quisquam illi, vlla in re, ne minima quidem, negotium exhibet, aut molestus est. Qui vero sub *Romanis* ætatem agunt, facile in bello capiuntur. Hos enim, in aliis, sui conseruandi spem collocare, necesse est, quandoquidem per tyrannos, minime licet, arma, quibus vnusquisque se tutatur, & a se vim propulset, gestare. Atque adeo his, quibus id iure licet, valde est exitiosa, & perniciosa ducum ignauia, qui bellum minime gnauiter gerunt. At, in pace longe acerbiora sunt, quæ accidunt, quam calamitates, quæ ex bello proueniunt. Hinc grauitas tributorum, illinc detrimenta, quæ ex malis legibus oriuntur, quæ non sunt in omnes positæ. Si quis dives, aut potens, eas sit transgressus, ille quidem iniquitatis suæ pœnas non luet; sin aliquis inops, parum cautus, qui negotia gerere & administrare nesciat, hunc pœna, a legibus statuta, manet. Nisi forte eum, priusquam sententia feratur, (i) longo in litibus continuato tempore, multis præter ea exhaustis opibus, vita defecerit: at, nisi mercede & pretio, quod legum, & iuris est, obtinere, id vero est maxime execrandum, & detestandum. Nec enim iniuria adfecto, quisquam fori iudicialis potestatem faciet, priusquam argentum, iudicis, & eius ministrorum commodo cessurum, deponat.

## §. XV.

Hæc, atque huiusmodi multa, cum in medium proferret, præfatus sum, vt, quod sentirem, patienter & benigne audiret, & dixi; O quam prudentes, (a) & probi fuerunt, constitutionis reipublicæ *Romanæ* auctores. Hi, cum negotia alia, alio ferrent; hos legum custodes fecerunt; illis armorum curam delegarunt, vt ad nullam aliam rem intenti, quam se ad pugnam præparare, militaria opera exercerent, & propulsata, per assiduam ad bellum meditationem, omni formidine, consueta militiæ exercitatione, animis firmati, in aciem descenderent. Qui autem agris colendis, & culturæ terræ operam

N dabant,

dum aduersus *Acatziros* militarit. quo belli labore, fortiter tolerato, ex legum *Hunniacarum* præscripto, in libertatem se vindicatum, gloriatur.

h) Aequissimæ profecto leges, quod ipsi captiui, si militiam sponte sequuti sunt ibique præclari aliquid facinoris edidere, sine λύτρῳ, in pristinam se ipsos libertatem, eamque priore vitæ genere, multo potiorem, adserere potuerint. Alia longe, atque multis modis, iniquior eorum sors fuerat; qui, siue belli, siue pacis temporibus, sub *Romanorum* dominatione, vitam degebant. quæ, quomodo acciderint, vsu edoctus, vir hic *Græcus*, vsque ad finem huius paragraphi, non sine bile, edisserit; captiuitatemque *Hunniacam*, Romanorum, aduersus suos ipsorum homines, bello & pace, æquitati, multis modis præfert: vt legi hæc omnino mereantur, ad iustitiæ studium, quod viguit inter *Hunnos*, cognoscendum.

i) Hanc eandem quereiam, lege, apud ZOSIMVM, Histor. Lib. V. initio: vbi *Ruffini*, & *Steliconis*, temporum iniurias deplorat.

a) Scita hæc est, ac prudens, PRISCI, de reipublicæ *Romanæ* constitutione, oratio; ad quam, commentari superuacuum fuerit. Lege eam, quisquis es, & relege, iterumque recognosce. Ita fit, vt optime constituta regna, atque imperia, in respublicas Cyclopum degenerent, regnantium desidia.

dabant, & his annonam militarem exigentes, ſtatuerunt, vt eos alerent, qui pro ſua ſalute dimicabant. Conſtituerunt quoque, qui iniuria adfectis proſpicerent. Itaque, quoniam fere ita natura comparatum eſt, quæ eſt humani ingenii imbecillitas, vt plerique ſua iura explicare, & firmare minime poſſint, alios aliorum iura tueri, & defenſitare, alios ius dicentes, ea, quæ leges perſcribunt, iudicare, & decernere voluerint. Neque vero ſua prouidentia deſtitutos reliquerunt eos, qui iudicibus adſunt; ſed horum eſſe partes proſpicere, qua ratione ius adſequatur, qui ſententia iudicum obtinuit, & iniurius iudicatus, id ſolum, quod iudicii calculus fert, & nihil præterea, facere cogatur. Si enim non eſſent huic rei præpoſiti, aut victore inſolentius inſurgente, aut eo, qui aduerſam ſententiam reportauit, in obſtinata & peruerſa mente permanente, ex vna lite, alterius litis naſceretur exordium. Eſt autem his conſtitutum argentum, ab illis, qui litibus certant, vt militibus ab agricolis. Quid enim magis pium, quam eum, qui opituletur, & auxilium ferat, alere? & officium, mutuo officio rependere? Quemadmodum equiti emolumento eſt, *equi*; emolumento eſt paſtori, *boum*; & venatori, *canum*, tuitio, & curatio, & reliquorum huiuſmodi, quorum homines curam & cuſtodiam agunt, & vtilitatem quoque ex his percipiunt. Cum autem ſumptus in litem factos, qui cauſſa cadunt, refundunt; damnum nulli alii rei, quam ſuæ iniquitati, adſcribant, & imputent, oportet. Quod ad longum tempus adtinet, quod in litibus conſumitur; (b) ſi quando id euenit, id iuris, prouidentius & conſultius, dicendi gratia fit; ne iudices properantes, ab adcurata iudicandi ratione, aberrent. Sic enim iudicant; melius eſſe, tardius finem litibus imponere, quam feſtinantes non ſolum, iniquum ius in hominem ſtatuere; verum etiam, in Devm, iuſtitiæ inuentorem, peierare. Leges autem, in omnes poſitæ ſunt, vt & illis etiam ipſe Imperator pareat, & obſequatur. Neque ille, quod illis non pareatur, vlli reprehenſioni ſubeſt, aut potentiores, ſi tenuioribus vim inferant, id illis eſt impune; niſi ignoratus quis, pœnam effugerit. quod non ſolum diuitibus, ſed etiam inopibus plerumque, vſu venit. Facinoroſi enim, ſi nemo reperiatur, qui eos accuſet, & iudicio perſequatur, minime puniuntur. Quod non ſolum apud Romanos, ſed etiam vbique gentium, accidit. Gratiam vero plurimam, ipſum pro recepta libertate, fortunæ debere, neque eam domino acceptam reddere. Cum enim eum in bellum eduxerit, potuiſſe ab hoſtibus, propter rei militaris imperitiam, occidi; aut, ſi fugiſſet, ab eo, in cuius dominio erat, puniri. Longe autem *Romani*, benignius ſeruis conſuluerunt. Patrum enim, aut præceptorum adfectum erga eos exhibent, & vt a malis abſtineant, curant, & eorum, quæ honeſta ducunt, participes efficiunt. Denique, corrigunt, & emendant in his, quæ delinquunt: ſicut & ſuos liberos. Nec enim ſeruos (c) morte adficere, ſicut apud *Scythas*,

b) Hæc, & eorum, quæ ſequuntur, quædam, fere perſuaſerint lectori; Priscvm, ſimul patronum cauſſarum fuiſſe, atque, hac cogitata vſum excuſatione, cauere voluiſſe, ne ſua ipſius vineta cogeretur cædere.

c) Duram apud *Hunnos*, ſeruorum priuatorum fuiſſe conditionem, ex gentis indole, dura ea atque immiti, coniectatu facile eſt: occidendi tamen ius, omnibus fere barbaris fuit commune; niſi id quoque, a *Romanis*, dum in republica viuerent, nondum adulta, ad ceteras nationes dimanarit. Illud difficile eſt animo adſequi, quomodo in mentem venerit, Lvdovico Coelio Rodigino, Lection. Antiq. Lib. XXV. Cap. XIX. p. m. 970. *b.* eadem, de hodiernis Hungaris, ſcribere: *Inuulga-*

*Scythas*, fas eſt. Libertatis vero adipiſcendæ plures ſunt modi. Non enim ſolum, qui vita fruuntur, ſed etiam, qui e viuis excedunt, libertatem tribuere poſſunt, & de ſuis facultatibus, pro arbitrio, vt fert animus, diſponunt, & quodcumque quis moriens ſtatuerit, lex eſt. Tum ille plorans, (d) inquit: *Leges apud Romanos bonas, & rempublicam præclare conſtitutam eſſe; ſed magiſtratus, qui non æque ac priſci, probi, & prudentes ſunt, eam labefactant, & peruertunt.*

## §. XVI.

Hæc inter nos differentibus, aliquis ex domeſticis *Oneſegii*, ſeptorum domus fores aperuit. Ego ſtatim adcurrere, & quærere, quas res ageret *Oneſegius*? Me enim habere a *Maximino*, qui legatus a Romanis venerat, quod illi dicerem. Ille vero, *Oneſegium*, mihi ſui facturum copiam, reſpondit: ſi modicum opperirer, exiturum enim eſſe. Nec multo temporis ſpatio interiecto, vt ipſum exeuntem vidi, progreſſus dixi: *Te Romanorum legatus ſalutat, & dona tibi ab ipſo, vna cum auro, ab Imperatore miſſo, adfero.* Et mihi conanti in eum ſermonem deuenire, vbi, & quando vellet colloqui. ille ſuos, qui aderant, iuſſit aurum, & munera recipere, & me *Maximino* renuntiare, ſe

 proti-

*uulgatum & illud ſcio*, inquit, *Spartæ liberum, maxime liberum eſſe; ſeruum etiam, ſeruum in primis. Quod in* Pannonia, *ſiue* Hungaria, *obſeruari in primis accipio; vulgato inter eos adagio: non recte dici ſeruitutem, niſi in Pannonia: adeo, vt adſtruant id quoque, poſſe, vbique gentium commode ſeruire, qui alicui hominum in illis locis famulatus ſit.* τὸ ἐλεύτερον μάλιστα ἐλεύτερον εἶναι, καὶ τὸ δοῦλον μάλιστα δοῦλον. Si enim vero, ſermo ei eſt, de *hominibus propriis*, quomodo leges plebem vocant, glebæ, in fundo heri, adſcriptam, ipſique adeo obnoxiam; ignorare oportuit, *Rodiginum*, quam benigne ac clementer, cum a priſcis, tum abs recentioribus regibus Hungariæ, habita ſit plebs ruſtica. Non eſt opus, e veteribus, CAROLVM I., LVDOVICVM Magnum, MATTHIAM Coruinum, commemorare: loquuntur, publica, ac fere ſingula *Decreta*, quæ rerum potiente FERDINANDO I. frequentibus comitiis perlata ſunt; quam indulgenter habiti ſint agricolæ. Annus MDXIV. regnante WLADISLAO Polono fuit, cum grandi ſe crimine ex *cruciatorum bello*, tota propemodum ruſticorum, per *Hungariam*, natio, obſtrinxerat: quippe, in Deum, regem, & vniuerſam rempublicam heros præcipue, nefandis facinoribus, fœda. Quamobrem, ad ſortem erat redacta, duram eam, ac pene intolerabilem. Vide, huius regis decreta. Ea miſerabili conditione, breui poſt LVDOVICI occaſum, non liberauit modo eam FERDINANDVS I. ſed effecit etiam, vt priſtinæ felicitati, quaſi poſtliminio, reſtitueretur. Itaque, non eſt, cur tam acerbe, de hoc *Seruitutis Hungaricæ* genere, loquatur, bonus ille *Rodiginus*. Sin vero, vti fere palam fit, de ſeruis priuatis, ſermo ipſi eſt, toto errat cælo, quando ſibi perſuaderi patitur, duram horum conditionem eſſe, adeo, vt nulli vſquam ſeruituti comparari queat. Hoc enim, prorſus contra ſe habet: quoniam, qui ſemel, ſeruorum hanc, apud priuatos, ſortem, ſponte ſubiere, nonniſi coacti eam deſerunt. Hinc eſt, vt certatim, *Seruitutem* hanc in *Hungaria*, ambiant exteri, rarosque, in coquos, rhedarios, agazones, & qui ſunt admiſſionis familiarioris, alios, inter nobiliorum famulitia, cenſeri videas: plerique omnes, non *Hungari*; ſed *Sileſii, Bohemi, Germani, Itali*, & *Galli* ſunt: quod & lautius hic viuatur, & ſalaria ſoluantur paratius. Et ab hac quidem iniuria, vindicandi erant *Hungari*. Quæ vero de libertate *Hungarica*, ſcribit COELIVS, hic vtique habet nos faciles & conſentientes: *in Hungaria liberum, maxime liberum eſſe.*

d) Ad eum modum, quin & acerbius, pluribus regnis, & rebus publicis, merito illachrymari poſſis; quod cum leges habeant, ad ſalutem populi egregie comparatas: eædem, vel imperantium, vel iniquiorum iudicum, licentia, non conuellantur modo; ſed vertantur etiam, in totius corporis ciuilis, perniciem. Nempe:

*Aurum, lex ſequitur, mox ſine lege, pudor.*

protinus (a) ad eum accedere. Reuerti igitur ad *Maximinum*, & renuntiaui: *Onesegium* ad ſe venire. Nec mora, in tentorium noſtrum aduenit, & *Maximinum* adfatus, dixit: ſe *Imperatori*, & illi, pro muneribus gratias agere; & percunctatus eſt, quandoquidem ſe accerſiſſet, quid eſſet, quod illum vellet? tum *Maximinus*: inſtare tempus, ait, quo poſſet maiorem gloriam, quam quisquam hominum, adipiſci, ſi ad Imperatorem accedens, quæ ſunt inter *Romanos* & *Hunnos*, controuerſa, ſua prudentia componeret, & inter vtramque gentem, concordiam (b) ſtabiliret: quæ res, non ſolum commodo, & vtilitati vtriusque gentis eſſet ceſſura; ſed etiam eius domui, tanta bona præbitura, vt ipſe, vna cum ſuis liberis, in poſterum Imperatori, totique imperatorio generi, in perpetuum deuinctus foret. Tum *Oneſegius* dixit: qua in re gratificaretur Imperatori, & per ſe contentiones dirimeret? Reſpondenti *Maximino*, ſi in rem præſentem deſcendens, Imperatori gratiam referret, & diſſidiorum cauſſas, ſedulo perſcrutans, de rebus controuerſis, ſecundum conditiones fœderibus adſcriptas, iudicium ſuum interponeret. Tum *Oneſegius* reſpondit: ſe, iam dudum Imperatorem, & eos, qui ei a conſiliis erant, admonuiſſe; quæ eſſet ATTILAE, de hac tota re, ſententia. An *Romani* exiſtimant, inquit, ſe vllis precibus exorari poſſe, vt prodat dominum ſuum, & nihili faciat educationem apud *Scythas*, (c) vxorum & liberorum ſuorum? Non quoque potiorem ducere apud ATTILAM ſeruitutem, (d) quam apud *Romanos* ingentes opes? Ceterum, ſe domi remanentem, maiori eorum rebus adiumento futurum: quippe qui, iracundum domini animum placaret, (e) & ad lenitatem

a) Singularis hæc, ſummi, in aula ATTILAE, viri facilitas, humanitasque fuit. quam vix imitati fuiſſent, ſiue *Magiſter Officiorum*, ſiue alii quique, palatii *Conſtantinopolitani* adminiſtri.

b) Iudicet, Lector eruditus, annon hæ preces, infra dignitatem Imperatoris *Conſtantinopolitani* fuerint; quod, in vnius hominis clientelam, idque precario, ſe conferre nihil dubitarit?

c) Liquido hinc conſtat, *Oneſegium* non fuiſſe gente *Hunnum*, ſed educatum apud ATTILAM, & vxores iſthic duxiſſe, & ſuſtuliſſe liberos. Si res dubia, coniectando diſputari, conficique poſſet; equidem vel *Gothum* origine crederem; quod illi quidem, inter primos fuerint populos, quos partim ſedibus depulere *Hunni*, partim in ſeruitutem duxere; vel *Sarmatam*, eo quod, & vocabulum ONESEGIVS, *Sarmaticam* linguam redolet, ſi terminationem *Græcam*, *Latinam*que demas; & fratrem habuerit, *Slauico*, ſeu *Sarmatico* vocabulo, *Skoda*, quod damnum notat, adpellatum.

d) Confirmat inexſpectatum hoc *Oneſegii* dictum, viri illius Græci, qui ante §. XIV. *Seruitutem Hunniacam* libertati, ſub *Romanis* præferebat, ſententiam. Eo nimirum, res Romana præcipitauerat, vt ab omni hominum genere, faſtidiretur.

e) Expreſſit his, boni conſiliarii χαρακτῆρα, *Oneſegius*, tametſi gente peregrinus. Nam, & domino ſuo, ATTILAE, & huius temporariis amicis, *Romanis*, egregie conſultum volebat. Proinde, neque ſemper, ſed nec vbique, & ad omnem reipublicæ habitum, adplicari poteſt, THVCYDIDIS illud ſcitum: *Conſiliarii gente diſpares, nihil in communem reipublicæ ſalutem conſulunt.* Sed neque verum ſemper, quod LAMPRIDIVS, Lib. I in COMMODO, ait: *Vel ſuo quemque commodo vacare; vel, quod agendum pro communi ſalute eſt, absque matura deliberatione decernere.* Aliter res in aula ATTILAE conſtitutæ fuere: quippe qui, exteris, quam popularibus conſiliariis, & rerum adminiſtris, multo vſus commodius eſt efficaciusque, quam domeſticis. Non ſolum enim *Oneſegius*, & frater huius *Scotta*, fidiſſimi, & bello, & pace conſultores; ſed & ſecretorum, ſcriniorumque arbitri, omnes, vtpote: *Oreſtes*, duo *Conſtantii*, atque *Ruſticius*, ἀλλόφυλοι exſtitere. Vide mihi TIBERIVM, principem

nitatem flecteret, si quibus in rebus quid durius, illum in *Romanos* consulere contingeret; quam, si ad eos accedens, criminationi se obiiceret, si forte quid, contra, quam ATTILAE rationibus commodum videretur, faceret. Quæ cum dixisset, & me colloquium cum eo facturum, de his, quæ ex ipso intelligere cupiebamus, existimaret, (a *Maximino* enim, in dignitate constituto, alienus, & parum decorus erat continuus congressus) abiit.

## §. XVII.

Postridie, ad domus ATTILAE interiora septa me contuli, dona ferens eius vxori, quæ CERCA (a) vocabatur. Ex ea tres illi liberi: senior iam, tum *Acatirorum*, & reliquarum gentium, qua *Scythia* ad Pontum patet, regno potiebatur. Intra illa septa (b) erant multa ædificia, partim ex tabulis scul-

O ptis,

pem prudentissimum, circumspectissimumque, sicuti eum vocat SVETONIVS, Cap. XXI. qui subinde res suas, etiam ignotis commendabat. TACITVS Annal Lib. IV. Haud tamen diffitemur, circumspectu adcuratiore, in re ancipiti, principem opus habere. Nota sunt in historia, principum exempla, qui se inuisos fecerunt suis, quod peregrinorum, quam indigenarum consiliis, vti maluerunt, perturbaruntque ea re, vetera, & sacrata legibus reipublicæ instituta. quæ iam non commemoramus.

a) In Græco dicitur Κρέκα. quomodo & *Hunnos* pronunciasse credimus, scripsisseque *Kréka*: quippe, a quorum *Alphabeto* exulat elementum *c*. Vide Alphabethum Hunno-Scythicum, in DISSERTATIONE nostra, de *Litteratura Hunno-Scyth.* p. 25. Quod si, cum ratione existimes, largiaris oportet, nomen hoc proprium reginæ, *Hunniacum* esse; haud vero *Slauicum*, vti ex soni quadam similitudine, viri docti, neque rerum *Hunniacarum*, *Hungaricarum*que rudes, operose coniiciunt. At infeliciter profecto! Tametsi enim non sumus nescii, vocabulum *Cerca*, sic enim reddidit, sed perperam, *Cantoclarus*, latino pronunciatum ore, filiolam significare *Slauis*; tamen, neque ignoramus, *Bohemos*, qui inter gentes *Slauicas* omnes, purissima vtuntur dialecto, idem vocabulum, *Dcerka* scribere, & illiso primæ syllabæ, elemento *d.* venuste enunciare. Sed, de voce ipsa: quippe, in textum, reclamante Græca lectione, minus cogitate illata, non essemus magnopere solliciti; nisi iidem hi coniectatores eruditi, aliud inde portentum in historiam conarentur inuehere. quod istud est; *Hunnos*, *oris fuisse Slauici.* Præterquam enim, quod *Hunnorum* lingua, & materia, seu vocabulis: & forma, siue compositionis indole, toto cælo, a *Slauica* discrepat; quod ex *Hungaricæ* linguæ ingenio, vltra vero similitudinem coniicimus; male profecto, ab vnius vocabuli significatu, ad totius linguæ habitum, boni illi viri ducunt argumenta. Sciunt autem, orientalium linguarum periti, *Hungari*, & qui *Idioma Hungaricum* poterunt, cum *Hebræo*, *Chaldaico*, *Syriaco*, atque *Arabico*, adtentius comparare: quod eius sit ingenium, quæ indoles. Neque adhuc, philologorum quisquam, diuersam ab *Hungarica* fuisse linguam *Hunniacam*, cum ratione docuit; sed neque vnquam id, cuiquam in mentem venit. Hæc, ad elidendum errorem, ex mendosa vnius vocis lectione, subnatum, monitu erant necessaria. Confer supra, Cap. II. §. XIV. not. *d.*

b) IORNANDES, ex integro adhuc PRISCO, de vico & regia ATTILAE, Cap. XXIV. hæc habet: *Inde, ad vicum, in quo rex* Attila *morabatur, accessimus: vicum inquam, ad instar ciuitatis amplissimæ, in quo lignea mœnia, ex tabulis nitentibus fabricata, reperimus, quarum compago, ita solidum mentiebatur, vt vix ab intento posset iunctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticusque in omni decore dispositas. Area vero, curtis, ingenti ambitu cingebatur, vt amplitudo ipsa, regiam ostenderet. Hæ sedes erant* Attilæ regis, *barbariam totam tenentis; hæc, captis ciuitatibus, habitacula, præponebat.* Confer supra, §. XIII. not. *c.* & §. XIV. not. *a.* Ex hac regiæ descriptione, facile coniectatu est; Romanorum captiuorum opus fuisse, (vti §. XIV. thermas *Onesegii*, not. *d.* ad tempora-

riam

ptis, & eleganter compactis; partim ex trabibus, opere puro, & in rectitudinem affabre dolatis, & politis, quæ erant interiectæ, lignis ad tornaturam elaboratis, exstructa, & composita. Circuli, autem a solo incipientes, in altum adsurgebant, certa proportione, & mensura. Hic habitabat (c) ATTILAE VXOR, ad quam a barbaris, qui circa ianuas erant, nactus aditum, ipsam deprehendi in molli stragula iacentem. Erat autem pauimentum tapetibus stratum, & super ipsis gradiebamur. quam, famulorum multitudo in orbem circumstabat, & ancillæ ex aduerso humi sedentes, telas coloribus variegabant, quæ vestibus barbarorum ad ornatum inseruntur. CERCA salutata, & muneribus traditis, egressus, exspectans, dum *Onesegius* regia exiret, (iam enim e domo sua illuc venerat) reliqua ædificia, vbi ATTILAS commorabatur, perlustraui. Hic, dum ego starem, cum reliqua multitudine, (nec enim accessu vllius loci prohibebar: quippe qui, ATTILAE custodibus, & barbaris, (d) qui eum adsectabantur, eram notus) vidi magnam turbam, qua prodibat, currentem, tumultum, & strepitum, excitantem. ATTILAS, egressus habitatione, (e) grauis vultu, omnium oculis, quaqua versus, in se conuersis, incedens cum *Onesegio*, sedit pro ædibus. Hic eum multi, quibus erant lites, adierunt, & eius iudicium exceperunt. Deinde domum repetiit, & barbararum gentium legatos, qui ad se veneranr, admisit. Mihi vero, *Onesegium* exspectanti, *Romulus*, *Primutus*, & *Romanus* (f) legati pro vasis aureis, ab *Italia*, ad ATTILAM, vna cum

riam diuersationem ATTILAE, dum in his regionibus erat, sic satis eleganter factum. Quid, per curtes, quarum meminit IORNANDES, intelligendum, ex *Barthii* aduersariis disces, Lib. XLVI. Cap. VIII. p. 2135.

c) Interior hæc ædium pars fuerat, quæ *Gynæconitis* CORN. NEPOTI, adpellatur, græco vocabulo. Græci namque, peculiaria in domibus loca sic dicunt: quorum imitatione, ad eundem modum, instructa fuit regia ATTILAE: quippe, operarum *Græcarum* opus. Alioquin, vulgatius *Gynæcea* vocantur. De qua ædium parte, VITRVVIVS, Lib. VI. Cap. X. Sed erant & *Andronites*, siue virorum, secreta ab *Gynæceis*, habitacula, apud VITRVVIVM loco eodem. Certe, vxoris ATTILAE, hoc *Gynæceum*, eo est memorabilius, quo honestioribus ancillarum operis, frequentatum. quem morem, adhuc nobilissimæ quæque fæminæ *Hungaræ*, tamquam institutum patrium, sollicite retinent. An vero famulorum, qui reginam circumstabat, ordo, spadones fuerint, non habeo dicere.

d) Obserua, custodum corporis ATTILAE, excubias, quam eæ fuerint, interdiu etiam peruigiles, vt neminem, intra regiæ septa, admitterent, nisi probe cognitum, & exploratum. Idonea, & nostræ huic ætati, adcuratio.

e) Notet hic Lector, insignem ATTILAE, in facienda palam audientia, popularitatem, & facilitatem, coniunctam cum maiestate. Neque metuendum illi erat, CLAVDIANI illud: *Minuit præsentia famam.*
quinimmo, augescebat inde regis auctoritas; quod, & grauis vultu, prodibat in publicum, & eo animo, vt suis prodesset. vtrumque, quantum valeat, ad amorem & obseruantiam, principi conciliandam, norunt, qui non sunt tardi. Putasses, ATTILAM, Cæsarum vitas, a C. SVETONIO TRANQVILLO, luculente descriptas, in rem suam vertere; hic vero AVGVSTI morem voluisse exprimere, qui promiscuis salutationibus, admittebat & plebem: tanta comitate aduenientium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi *Elephanto stipem.* SVETONIVS, in *Augusto*, Cap. LIII. Quo in studio admittendæ plebis, habuit ATTILA imitatores, priscos reges Hungariæ, ANDREAM II., CAROLVM I. LVDOVICVM M. atque in primis MATTHIAM Coruinum. de quibus legesis scriptores domesticos.

f) De his recole, supra §. XII. initio, vna, & legationis caussas. Hic, legati quidem

cum *Rusticio*, qui in comitatu *Constantii* erat, & *Constantiolo*, ex *Pæonum* regione, quæ ATTILAE parebat, me sunt sermone adorti; & interrogauerunt: *vtrum dimissi essemus*? Id ipsum, *inquam*, vt sciam ex *Onesegio*, intra ista septa, opperior. Tum ego illos vicissim percunctari? *An aliquod mite responsum, ad ea, de quibus legati venerant, ab* Attila *tulissent*? Nequaquam, aiunt, illum deduci a sententia; sed bellum minari, & denunciare, ni *Syluanus*, aut pocula, dedantur. Nos vero, cum barbari miraremur animi impotentiam, *Romulus*, vir multis honorificentissimis legationibus functus, & multo rerum vsu præditus, *ait*: (g) secundam fortunam, quæ ipsum in altissimo gradu collocauit, spiritus facere, & ex fortuna potestatem adeptum, efferri, neque iustis sermonibus, vllum apud se locum relinquere; neque quidquam, nisi quod sibi venerit in mentem, æquum putare. Nemo vnquam eorum, qui in *Scythia*, vel alibi regnarunt, tantas res, tam breui tempore, gessit. Totius *Scythiæ* dominatum sibi comparauit; & ad *Oceani* insulas vsque, imperium suum extendit; vt etiam *Romanos*, tributorum præstationi, obnoxios habeat. Nec his contentus, ad longe maiora animum adiecit, & latius imperii sui fines protendere, & *Persas* bello adgredi, cogitat. Vno, ex nobis quærente: quæ via, e *Scythia*, in *Persas* duceret? *Romulus* dixit: (h) non longo locorum interuallo, *Medos* dissitos esse a *Scythis*, neque non *Hunnos* hanc viam nescire; sed olim, fame per eorum regionem grassante, cum *Romani*, propter bellum, quod tunc temporis gerebant, minime cum illis prælio decertarent, hac irrupisse, & ad *Medorum* oppida, *Bazic* & *Coursic*, (i) vsque penetrasse. Nec multo

O 2 post

quidem occidentales, ferox & immite ATTILAE responsum, atque pertinaciam; orientales, dimissionis tarditatem, mutuo queruntur: sed, vtrumque *Barbari* cœptum, ad frangendos *Romanos* adtinuit, neque tam ab inusitata quadam duritie, quam artibus dominationis aliis, profluxit. quas non vestigamus: quippe, facile cuiuis obuias.

g) Quæ hic *Romulus* de ATTILA differit, tyranni omnino imaginem, referunt, quæ ita in eo elluxit, vt nihil viuidius clariusue. Sed, si dicendum, quod res est, *Romanorum*, seu timiditas, seu desidia, tyrannum ex ATTILA, fecit: quippe, cuius iussa, nihil dubitabant, tamquam DOMINI, accipere. Cap. I. §. III. p. 6. *Hinc illæ lacrymæ*! Perexissent modo, vti cœperant, bellicosissimi hominis, moliminibus, contraire; impressiones fortiter retundere; dolis malis, contraire consilio; indomitam vagamque multitudinem, virtute domare; neque vnquam propudiosam gentis paupertatem, auro occepissent exsatiare; mitem profecto ATTILAM, benignumque vicinum habuissent. Quod, quia neglexerunt facere; suo ipsorum iumento, tantum sibi malorum, cladium, calamitatumque arcessiuerunt. Valuit hic quoque, tritum illud:

*Principiis obsta, sero medicina paratur.*

Nam, sensim creuit ATTILAE potentia, dum in tyrannidem desineret,

*Fluctus vti primo cœpit cum albescere vento,*
*Paullatim sese tollit mare, & altius vndas*
*Erigit: inde imo consurgit ad æthera fundo.* VIRGIL. Aen. VIII. 528.

Ergo, tarde hæc omnia, de ATTILA, fabulantur *Romani*. Namque, arbor,

*Quo posita est primum, tempore virga fuit.*
*Tunc poterat manibus summa tellure reuelli:*
*Nunc stat in immensum viribus aucta suis.* OVID. Lib. I. de Rem.

h) Consule huc, ad cognoscendam, memoratarum regionum, vicinitatem mutuam, & quemadmodum inuicem *Caspiorum*, *Caucasiorum*que montium interiectu, discriminentur, CHRISTOPHORI CELLARII, veteris Geographiæ consultissimi, *Notit. Orb. Antiq.* Lib. III. Capitibus diuersis.

i) Barbara hæc sunt oppidorum nomina; neque memorata veteribus *Geographis*.

post principes, ex *Scytharum* regibus (k) ortos, magnæ hominum multitudini imperantes, qui ad hanc expeditionem egressi fuerant, *Romam*, ad contrahendam armorum societatem, venisse. Hos narrasse, per quandam desertam regionem illis iter fuisse, & paludem traiecisse, quam *Romulus* existimabat esse *Mæotidem*; deinde, quindecim diebus elapsis, a quibusdam montibus, (l) quos superassent, in *Mediam* descendisse. Ibi prædas agentibus, & excursionibus agros vastantibus, *Persicum* agmen superueniens, telis, superpositum aera, repleuisse. Itaque, imminentis periculi metu, retro abscessisse, & montes regressos, pauxillum prædæ abegisse. Magnam enim partem *Medos* extorsisse, & vt hostium impetum euitarent, ad aliam viam deflexisse. Et per loca, vbi ex petra maritima flamma ardet, illinc profectos, nescio, quot dierum itinere ad propria remeasse. Atque, ex eo satis prospexisse, non magno interuallo, (m) *Scythiam*, a *Medis*, distare. Quamobrem, si ATTILAM impetus ceperit, *Medos* inuadendi, non multum operæ, & laboris, in eam inuasionem consumpturum, neque magnis itineribus defatigatum iri, vt *Medos*, *Parthos*, & *Persas*, adoriatur, & cogat tributi illationi se submittere. Adesse enim illi magnas copias, quas nulla gens sustinere possit. Nobis vero optantibus, vt *Persis* arma inferret, & a nobis, in illos, belli molem auerteret: verendum est, *inquit*, *Constantiolus*, ne Persis facile deuictis, non iam amplius amicus, sed dominus (n) insultet. Nunc enim aurum ad ipsum defertur, pro dignitate, qua ipsum ornauimus. Quod si *Medos*, *Parthos*, & *Persas* domuerit, minime a *Romanis*, qui eius imperio limitem constituunt, temperabit; sed suos famulos, arroganter reputans, grauia & intolerabilia mandata sua facere coget. Dignitas autem, cuius mentionem *Constantiolus* fecit, erat *Romanorum* exercituum *Ducis*, (o) cuius decus ATTILAS ab Imperatore susceperat, ad hoc, vel ad eum stipendia eius, qui exercitus regebat, mitterentur. Innuebat igitur ATTILAM, hoc nomen, aut aliud, quo *Romanis* illum vocare lubet, aut dignitatem, quam illi ornamenti loco esse existimant, transgressurum, & perrupturum, & pro *Duce*, coacturum, eos se *Regem* adpellare. Iam tum enim, cum irascebatur, dicebat, exerci-

k) HVNNOS *Cidaritas* fuisse existimarim, qui hanc legationem *Romam* obierant; his namque grauia, & instaurata, semel iterumque bella, cum *Persis*, & qui hos contingunt, populis, intercessere: vti supra PRISCVS meminit.

l) Coniectura est vero simillima, montes fuisse *Caucasios*, & horum portas, per quas se, in has regiones infuderunt. Vide, quæ commentati sumus, ad Cap. I. §. IX. p. 18. not. *d*.

m) Immo, ingens intercedebat interuallum, aditus præterea longe difficillimi; tum ob paludes, atque flumina, minime vadosa; tum ob montes, hinc *Caucasios*, *Caspios* illinc, & horum præmunitas portas: de quibus superius. Vt proinde, bellum, *Medis*, *Persisue*, illaturus ATTILA, negotium sibi consciuisset, vti ex se durum, ac refractarium; ita, ob bellicosissimos regionum illarum populos, facile perniciabile *Hunnis* futurum.

n) Nunc diximus, pro DOMINO veneratos fuisse ATTILAM Romanos: imprudenter id quidem, & magno imperii orientalis detrimento. Recole, hoc loco, notam *f*. & supra, Cap. I. §. III. p. 6.

o) Hinc illa *stipendiorum* pendendorum necessitas, qua tenebantur *Romani*. Namque, ATTILA, vbi semel DVX Romanorum exercituum fuerat salutatus, adeo nihil, de pactis sibi semel stipendiis remisit, vt bello ea subinde requireret, pacisque demum legibus, quodammodo, quasi perpetua sibi faceret: vti videre est, Cap. I. §. II. p. 3. vbi, pro præteritis stipendiis, *sex mille auri libras*, Romanos sibi soluere, coegit.

exercituum *Duces*, (p) suos esse seruos: qui quidem ATTILAE, non tamen Imperatoribus Romanis, erant honore, & dignitate pares. Neque vero, illi parua potentiae accessio contigerat ex eo, quod *Martis* ensis (q) erat detectus. Hic tanquam sacer, & Deo bellorum praesidi dedicatus, a *Scytharum* Regibus olim colebatur. Et multis ante saeculis non visus, bouis ministerio, fuerat tunc temporis erutus.

§. XVIII.

Et vnoquoque de his, quae proposita erant, dicere gestiente, *Onesegius* foras prosiliit. Ad quem, vt ex eo disceremus, quae nostrae curae commissa fuerant, accessimus. Ille vero prius, cum nescio quibus barbaris collocutus, scire me ex *Maximino* iussit, quem *Romani* ex consularibus, legatum ad ATTILAM essent missuri. Vt in tentorium veni, & *Maximino*, quae mihi *Onesegius* dixerat, recitaui; habita de eo, quod barbaris respondendum esset, deliberatione, redii, dixique *Onesegio*: Romanos magnopere desiderare, illum, (a) suarum cum ATTILA controuersiarum disceptatorem, ad se accedere. Qua spe, si exciderint, Imperatorem, quem sibi libuerit, legatum missurum. Extemplo, me *Maximinum* accersere iussit, quem vt venit, ad ATTILAM deduxit. Vnde, non multo post *Maximinus* reuersus, narrauit barbarum velle; Imperatorem ad se mittere legatos, aut *Nomium*, aut *Anatolium*, aut senatorem; neque vllos alios, praeter hos, admissurum. Et cum *Maximinus* (b) subderet; minime conuenire, legatos, qui ad se mittantur, designando, suspectos Imperatori reddere; ATTILAM respondisse: si haec abnuerint, armis se controuersias disceptaturum.

§. XIX.

Reuersis nobis in tentorium, ecce! ad nos *Orestis* (a) pater: *Vos ambos*, in-

P

p) Opprobrio, nimirum sibi ducebat *Ducis*, qua eum *Romani* honestarant, dignitatem, lautissimis locupletatam reditibus. Quod illi quidem eo consilio fecisse existimandi sunt, vt & auaritiam ATTILAE, quomodocunque explerent, & indecorum tributi nomen, stipendiorum vocabulo tegerent. quorum tamen ATTILA, vtraque, iniecto subinde belli metu, per legatos extorquebat; tametsi, *Ducis Romanorum* dignitatem, aspernaretur.

q) BARTHIVS, ad veterum regum religionem id refert: quod paternas hastas, & gladios, velut sanctorum vice, adseruabant. Tum vero, MARTIS hunc gladium meminit. *Sic*, inquit, MARTIS, *bellicosissimi quondam Thracum regis, gladius seruatus legitur, vsque ad* Attilae *tempora, Hunnorum tyranni.* Aduersarior. Lib. XIX. Cap. XII. p. 954. Plura, de hoc gladio, dedimus, DECADE I. ad *Calani* ATTILAM, Cap. XIII. p. 120. not. *d.* vbi, cum adlegauimus BARTHIVM, loco Lib. LXIX. lege, vt hic est XIX. Iam nescio, quid in mentem veniat cogitare, quando, gladium eum, in suspicionem vocare audeo: latronis cuiusdam e gente *Thracica*, fuisse; sed, *quia nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio.* CVRTIVS, Lib. IV. Cap. X. 7. sit, bona nostra venia, MARTIS GLADIVS.

a) ONESEGIVM scilicet. quod tamen a se amolitus est, grauissimis vsus argumentis, supra §. XVI. fine.

b) Mirere, praeceps hoc, & incogitatum, *Maximini*, viri alioquin prudentis, ac compositi animi, responsum; cum ipse tamen, *Onesegium* nominarit paullo ante, quem THEODOSIVS legatum, immo arbitrum, posceret.

a) Fuit is TATVLLVS, quem *Priscus* supra, §. XII. post initium, memorat: quomodo vero, haec ei, inuitandorum legatorum prouincia, seu delata sit, seu obrepserit,

*bos*, inquit, *ad conuiuium inuitat* (b) ATTILAS: *Fiet vero illud ad nonam* (c) *diei.* Tempore condicto obseruato, vt venimus, & vna quoque *Romanorum occidentalium* legati, stetimus in limine cœnaculi (d) coram ATTILA. Hic pincernæ, (e) vt mos est, in illis regionibus, calicem tradiderunt, vt ante accubitum, vota faceremus. Quo facto, & calice degustato, ipsa solia, (f) in quibus nos sedentes cœnare oportebat, ingressi sumus. Hic præparata erant omnia sedilia, circa parietes cubiculi, ab vtraque parte disposita: in medio (g) sedebat

---

pserit, facile est, ex filii, in aula ATTILAE, dignitate, colligere. Consule, ad citatam §. not. *c*.

b) Laudat conuiuii eius habitum, & instituta, BARTHIVS, Aduersarior. LVI. Cap. XV. p. 2662. quem eius locum, antequam ad reliqua accedamus, adscripsisse iuuat. PRISCVM, inquit, *scriptorem, quantillus etiam, & quam ignobilis, de magno, atque celebri superest, legat, qui* Attilæ *mores, nosse volet. In primis vero, memorabile eius conuiuium inibi describitur, cui* Priscus *ipsemet interfuit: ex quo clarum insuper, plerosque magnatum ritus, hodie, vsu per Europam in conuiuiis frequentes, barbarorum illis, non valde absimiles esse; forte & abinde oriundos. Collocatio mensæ, ordo conuiuarum, poculorum præbitiones, salutationes, surrectiones bibentium, salus regia præbibita, ferculorum illationes, & positiones, acroamata, & reliqua, cum temporis huius moribus, consonant in plerisque.* Hæc BARTHIVS, alioquin, ATTILAE, & *Hunnis*, non semper æquus.

c) Hoc est, circa tertiam nostram pomeridianam: erat enim cœna potius, quam prandium, vt patet ex *Prisco.* OTROKOCSIVS. Id, si credamus, orientalium, in numerandis horis, morem tenuisse ATTILAM, oportuit. Ex iisdem PRICI verbis discas, non ignotum fuisse *Barbaro*, horologiorum, qualiacunque fuerint, vsum, dispensasseque eum negotia sua, ad definita horarum tempora.

d) Colligas inde, ante subiisse cœnaculum ATTILAM, quam conuiuæ aderant, putoque, fecisse id regem; vel, vt conuiuii adparatus, an sint idonei, perlustraret, eaque re boni patrisfamilias officio fungeretur; vel, vt cœnaculo, præsentia hac sua, dignitatem, splendoremque ante conciliaret, quam turba conuiuarum aduentaret. Accedebat, maiestatis, &, quæ hanc decet, venerationis captatio. quam, delibatio, in limine cœnaculi, qui singulis conuiuarum præbitus est, calice, pro se quisque, cum præfatione salutis ATTILAE, testificari debuit. Quid hoc instituto elegantius? Nimirum:

*Illos porticibus rex accipiebat in amplis.*
*Aulai in medio libabunt pocula Bacchi,*
*Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.*

VIRGILIVS, Aeneid. Lib. III. p. 353.

e) Ministri fuerunt, qui vel iurata fide, prægustabant pocula, vel implebant, deferebantque pateras; vt, ne hac quidem commoditate, caruerint, siue priuatæ, siue publicæ, regis epulæ.

f) Verte: *ad solia ingressi sumus*; nam ita legitur in Græco: ἐπὶ τοὺς θρόνους ἤλθομεν. Enim vero, ipsa solia, sediliaue, seu θρόνους καὶ δίφρους ingredi haud poterant; sed cœnaculum, in quo dispositi fuere θρόνοι τε καὶ δίφροι. Sedendo nimirum, cibum capiebant *Hunni*, non accubando. Hinc, & equestria, apud ipsos prandia, ac commissationes.

g) Medius locus honoratior vbique habebatur, in exercitu, & conuictibus.
VIRGILIVS: *Ipse agmine Pallas in medio.*
Adde hic SERVIVM: *Honoris est, in exercitu medium locum tenere.* Præterea:

*Sedet in mediis & maximus æuo,*
*Et primus sceptris.*

Vbi DONATVS: *Potestas maior in medio esse solet.* Ergo, habes caussam, mensæ ATTILAE, in medio cœnaculi collocatæ.

sedebat Attilas, in (h) lecto, e regione cuius erat & alter Attilae lectus, pone quem erant quidam gradus, qui ad eius cubile ferebant, linteis candidis, & variis tapetibus, venustatis & ornatus gratia, contectum, simile cubilibus, quae *Romani*, & *Graeci*, nubentibus adornare, pro more habent. Tum conuiuarum primum ordinem, ad Attilae dextram sedere constituerunt; secundum ad laeuam: (i) in quo nos, sed *Berichus* (k) superiore loco. Nam *Onesegius*, in cathedra, ad dextram regii thori, & e regione *Onesegii*, duo ex Attilae filii sedebant. Senior enim in eodem, quo pater, throno, non prope, sed multum infra, adcumbebat, oculis prae pudore, (l) propter patris praesentiam, semper in terram coniectis. Omnibus ordine sedentibus, qui Attilae erat a poculis, (m) ingrediens, pateram vini tradit. Hanc, vbi suscepit, priorem



h) Tori geniales, cum apud *Graecos*, tum apud *Latinos*, velis, ac pretiosis vestibus, ornabantur. Erant quoque gradus eburnei, quibus ascendebatur in torum. Lvcanvs, Lib. I. de lecto geniali:

*Gradibusque accliuis eburnis*
*Torus, & picto vestes discriminat auro.*

Clavdianvs quoque, Lib. II. de Raptu.

*Alii praetexere ramis*
*Limina, & in thalamis cultas extollere vestes.*

Vide Theophylactvm, in Libro I. vbi thalamum, *Mauritii Augusti*, describit. Graeci παστάδας vocant, huiusmodi geniales lectos. θάλαμοι vero apud eos sunt, cubicula, in quibus collocati sunt hi lecti. Valesivs ad hunc locum. Adscribam Theophylacti, quem citat, verba, & thalamum, & torum, ad hunc modum pingentis, Libro I. Cap. X. p. 20. edit. reg. Parisiens. *Iam vero thalamus Imperatoris magnifice excultus visebatur. In circuitu siquidem primorum, & magnorum illorum Imperatorum simulacra, auro & lapillis conspicua, adparebant, parietesque velamina e purpura Tyria, tincturae optimae & pretiosissimae, vestiebant.* Haec *ad thalamum* pertinuere. Iam lectus genialis laudatur. *Tiberii autem filia, virgo & sponsa, in solium nuptiale, subtilibus textis, varie picturatis, de industria exornatum, vt in abdito, mox conspicienda a populo, praecedebat.* reliqua. Sic & Basilivs, in Lib. II. de Thecla, Cap. V. & in Lib. I. Cap. XII. Hinc, de splendore Attilae, deque conuiuii adparatu, coniicias, velim.

i) En, nouum elegantiae, atque decori *Hunniaci* argumentum. Habuere nempe, dextrae leuaeque, illud idem discrimen, quod hodieque obtinet, apud gentes Europaeas: nescio, adscitumne a Graecis, an a deuictis gentibus aliis? vel adlatum ex Scythia.

k) Berichvs hic, durus & agrestis homo, ab Attila, legatus missus *Constantinopolim*, incommodus, *Maximini* reducis, comes postea fuit, infra §. XXII.

l) Singulare modestiae ac venerationis erga patrem, in principe iuuentutis, exemplum, atque bene educati adolescentis τεκμήριον. vt habeant, cur id intueantur, magnatum filii, de quibus percrebuit vetus illud:

*Heroum filii noxae.*

Consimilem obserues modestiam, in nobilissimis quibusque *Hungarorum* familiis, quibus patria instituta, nondum sordere coeperunt. Nam filii, aut ministrant conuiuis, patriue; aut, si accumbant vna, decoros se praestant, atque ad nutum parentum intentos. Filiarum vero, plane eximia est, moris, in conuiuio, elegantia; vt non tam epulo adhibitas crederes, quam ad edendam, culti, pudicique moris testificationem: ita sunt modestae, taciturnae, &, cum a gestuum, atque in primis oculorum procacitate; tum a cibi ac potus, auida illa adpetentia, alienae. quod tamen apud alios fit aliter, quos mores Gallici adflauerunt.

m) Bibendi hic Attilae ritus, tam est suauis, & comis; interbibendi item conuiuarum mos, tam humanus, decorusque; vt possit omnino, & hodiernis principum

priorem ordine ſalutauit; (n) ſalutatione honoratus ſurrexit, neque prius, eum ſedere fas erat, quam merum deguſtans, aut etiam ebibens, poculum pocillatori (o) redderet. Sedenti autem ATTILAE, ex more, (p) qui conuiuio intererant, pocula ſuſcipientes, & poſt ſalutationem deguſtantes, honorem exhibebant. Vnicuique vero vnus pocillator aderat, quem pincerna ATTILAE exeunte, introire, ſuo ordine, oportuit. Secundo ſedente, & reliquis deinceps, ad hunc modum, honore adfectis, ATTILAS, *nos ex Thracum* (q) *instituto, ad parium poculorum* (r) *certamen prouocauit.* Tum omnibus ſalutationis

cipum menſis adhiberi. Iſtud, credo, noſtræ ætatis homines offenderit, quod ieiuno, ſaltem impaſto adhuc ſtomacho, officioſiſſimas libationes eas; nam iuſtos hauſtus, dicere vniuerſim, nequeo; facere conuiuas oportuit. Verum, dandum hoc eſt inſtitutis *Hunno-Scythicis*, quæ nunc, ſcythiſſandi libidine, ſenſim abrogari cœpta, formabantur ad legem ſobrietatis, atque elegantiæ.

n) Hodiernus vtique mos, ſi BARTHIO credimus, ab *Hunnis* acceptus, vt nemo, ad menſas principum, poculum, vel adtemerare audeat, dum herus biberit. In primis, ſollemne id eſt, in iis *Hungarorum* conuiuiis, quæ inaugurati reges, magnificentiſſimis adparatibus, populo dare ſolent.

o) Plane, ea conſuetudo noſtræ ætatis eſt; vt poculum reddatur, ei, qui adminiſtrauerat, cum, ſiue guſtui ſuffecit, ſiue exinanitum eſt penitus. Quod aliter fiebat ætate ſuperiori, in Hungaria: cum non poculis, ſed amphoris bibebatur in conuiuiis. Iam, mos ille ſenſim exoleſcit: nemo enim, ad menſas, decori obſeruantes, ad bibendum meracius adigitur facile; niſi ſe ipſum inuitet, & traditum pocillatori craterem, ſpumantem, plenumque, ſæpius repetat. Immo, & vitrum aquaticum additur, vti, ſi cui lubitum fuerit, non deſit fontana, qua merum perluat.

p) *Ex more.* quæ CANTOCLARI interpretatio, emendari, vertique ex Græco poteſt: eodem modo: τῷ τρόπῳ. VALESIVS. *In eundem modum*, ſcilicet, *præſentibus honoratis.* &c. Quod eo fine monemus, ne quis putet, veteri id *Hunorum* ritu, moreue, ATTILAM feciſſe: nunc enim *Romanorum*, cum vicinus, tum æmulus, *ciuiles* has conuiuiorum, vti equidem reor, *leges*, actu ipſo rogabat, ſacrabatque.

q) Caſtigat hic Græcam lectionem VALESIVS. Lege inquit, meo periculo: κατὰ τὴν τῶν θακῶν τάξιν, non θρακῶν. Fateor, ſcite! Tunc vero latine reddemus: *iuxta ſubſelliorum ordinem.* quod aliud ſonat, quam verſio CANTOCLARI. Hunc enim, vulgatam Græci textus editionem, fefelliſſe putat laudatus *Valeſius.* Ac profecto non eſt, cur eam tueamur; quando in confeſſo eſt, apud priſcos rerum auctores, *Thraces*, in omni vitæ, morumque genere, intemperantiſſimos ſemper fuiſſe. Vini certe, vſque ad vitium amantes erant, cuius gratia, *Bacchum*, deum ſibi delegerunt; *Maronei* cum primis. De vino huiate, lege PLINIVM, Lib. XIV. Cap. IV. de Bacchi autem cultu, numos conſule, inſcriptionem referentes: Διονύσος Σώτηρος Μαρονίτων. BACCHVS SERVATOR MARONITARVM. Ergo, non erat, vt morem *Thracum* ſectaretur ATTILA, temperantiæ, quod videre eſt, ſtudioſiſſimus. Aio itaque: lege, & meo periculo: θακῶν, non θρακῶν: θακὸς vero, ſedile Græcis ſignificare, inculcare nolo. Confer huc, CAROLI ANDREAE BELII, filii noſtri, Diſſertationem, de *Diis Thracum*, Lipſiæ A. MDCCXLIII. Vinolentiam *Thracum*, accuſat HORATIVS, & meliora ſodales ſuos docet, Carm. I, 27, 1.

*Natis in vſum lætitiæ ſcyphis*
*Pugnare*, Thracum eſt. *Tollite barbarum*
*Morem*, *verecundumque Bacchum*
*Sanguineis prohibete rixis.* &c.

Hæc forte, in mente habebat CANTOCLARVS, cum, PRISCI hunc locum, interpretabatur.

r) Verba hæc: Attila *nos ad parium poculorum certamen prouocauit*, in Latina *Cantoclari* verſione, reſpuit OTROKOCSIVS, loco citato, p. 119. tamquam, quæ nequeant ex *Græco* erui. quæ ita reddiderim: *Secundo autem ſedente, ordine, perpetua*

tionis honore delato, pincernæ receſſerunt. Menſæ vero, iuxta Attilae menſam erant erectæ, (s) excipiendis, tribus & quatuor, aut etiam pluribus, conuiuis idoneæ; quorum vnusquiſque poterat, minime transgreſſis ſedium ordinibus, cultello, (t) ex ferculis, quod ſibi libitum erat, deſumere. Deinde, primus in medium acceſſit Attilae miniſter, *diſcum carnibus plenum* (u) ferens.

Q Poſt

---

*tua ſerie*, ſcilicet conuiuas reliquos, *& nos* Attilas *paribus*, *poculis dextræ geſtu inuitauit*, *iuxta ſubſelliorum ordinem.* Iam nempe, ἢ τῇ τάξει πρῶτον ἠσπάζετο, *ordine primum*, *libando poculum*, *ſalutauerat* Attila. Cum autem poſt aliquod temporis interuallum, eandem, erga conuiuas ſuos, honoris teſtificationem, *ſecundo exhibuit*: tum vero, ita ferente accumbentium ſerie, neque nos neglexit; ſed, dextra, ori quaſi admota, iterumque comiter remiſſa; qui propinantium mos, iam tum inter *Hunnos* fuit; ad paria pocula inuitauit. Nihil hic, de certamine poculorum legas; temperantiæ autem indicia, plurima. Alioquin, non defeciſſent verba Priscvm, quibus rem potuiſſet exprimere; vt: κισσυβιομαχεῖν, οἰνονικεῖν, pro Græcæ linguæ copia, dixiſſet. Ceterum, vis omnis, in voce, Δεξιόομαι, ad rite interpretandum, ſita eſt. quæ non tantum, dextram porrigere; ſed etiam, feſtiue aliquem ſuſcipere, benigne adloqui, comiter adpellare, ſignificat. Si addatur caſus, verbo familiaris, late vſus eius patet. Sic: τραπέζῃ, λόγοις χρηστοῖς, καὶ ἔργοις δεξιοῦσθαι, menſa, verbis, & operibus commodis, amicisque, accipi. Ita hoc loco: ἴσοις κισσυβίοις ἐδεξιώσατο, paribus poculis accepit, inuitauit, comiter & benigne adfatus eſt. — Quod, cum cura monendum erat; ne intemperantiæ, aut ebrioſitatis, Attilam, errore interpretationis ductus, adcuſare quisquam ſuſtineat.

s) Coniicere hinc eſt, de adparatu, quo inſtructum fuit cœnaculum, decenti eo, atque ad pompam facto. Menſa, torique Attilae, medio collocatæ, quæ vti ex gradibus, ad toros ducentibus, poſſis exiſtimare, celſius eminebat reliquis. quo fiebat, vt, & aperte, in omnium obtutu cœnaret Attila; & conuiuas ſuos, horumque conuictum, quidque ad omnes menſas fieret, libere potuerit proſpicere. Adeo ille, tuendæ maieſtatis, & in feſtiuis conuictibus, ſtudioſus fuit, atque obſeruans. Implebat enim vero, non palatium modo, auguſtali præſentia ſua; ſed animos etiam conuiuantium.

t) Vocabulum, quod in *Græco* eſt, non *cultellum*; ſed *lancem*, aut *orbem*, quorum in menſis vſus, ſignificat: τῇ μαγίδι, lance, ſeu orbe, tantum ex patinis poterat depromere, quantum ſibi collibuit. Quod eo fine monemus, vt conſtet, haud quidem ferino ritu, verſatos, in accubitibus fuiſſe, *Hunnos*; ſed ea iam tempeſtate, in more apud eos fuiſſe: vt eſculentorum partem aliquam, & quam ſibi ſuffecturam putabant conuiuæ, ex patinis caperent orbiculis, lancibusue: prorſus, vti id hodie fit, ad menſas inſtructiores.

u) Carnibvs veſci, neque cibos alios, multa factos arte, miſcere epulis, heroum fuit, quos imitabatur Attila: nam, *in quadra lignea*, *nihil præter* Carnes, adponi ſibi quidquam paſſus eſt. Sed, quales quæſo carnes? Doleas, non habuiſſe in comitatu ſuo Priscvm, ſeu Milonem, carniuoram illum; ſeu Apicivm, rei coquinariæ magiſtrum, qui id obſeruare, & nos docere potuiſſent. Si ex antiquorum hominum more, capiendum ſit argumentum, *bubula* fuit. Enim vero, cum Homervs, veterum heroum epulas deſcribit; *bubula* eos carne, perpetuo fuiſſe vſos, memorat. Quin *Alcinoum* ipſum, delicatiori vitæ generi adſuetum, & in voluptates pronum, *bubula* veſci, conſueſſe narrat. Quod illi quidem, non ſine ratione faciebant. *Alimentum etenim caro bubula*, *corpori ſuggerit*, *non mediocre*, *neque diſſipatu facile.* Lvdov. Nonnvs, de *Re Cibaria*, Lib. I. Cap. V. p. 173. Igitur, idem de Attilae, quæ ei adponebantur, *carnibus*, exiſtimarim: *bubulas* fuiſſe, rudi arte lixas, aſſasue. Neque enim agricolationi ſtudebant tunc *Hunni*, vt boues, inſtituto priſcorum hominum, ſacros haberent, inuiolabilesque. Varro, Lib. II. Rei Ruſt. de *Boue* loquens: *Hic ſocius hominum in ruſtico opere*, *&* Cereris *miniſteria*.

Poſt ipſum, qui reliquis miniſtrabant, panem, & obſonia menſis adpoſuerunt. Sed, ceteris quidem barbaris, & nobis, cœna, (v) omni eduliorum genere referta & inſtructa, præparata erat, & in diſcis argenteis ſepoſita; ATTILAE, in qua-

*niſterio. Ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, vt capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet.* COLVMELLA præterea, Lib. VI. in procemio: BOVIS, *tanta fuit apud antiquos veneratio, vt tam capitale eſſet bouem necaſſe, quam ciuem.* Suppar, VALLERIANI lex fuit, quam orienti dixerat, iuuandæ agricolationis cauſſa: *Ne quis vitulinam eſitaſſe carnem ſuſtineret.* quæ nihil ad *Hunnos.* De eo diſpiciendum: quemadmodum adparatæ carnes, menſis ATTILAE inferebantur? AMMIANVS, vniuerſim de *Hunnis*, Lib. XXXI. Cap. XI. p. 473. *In hominum,* inquit, *figura, licet inſuaui, ita viſi ſunt aſperi, vt neque igni, neque ſaporatis indigeant cibis; ſed radicibus herbarum agreſtium, & ſemicruda cuiusuis pecoris carne veſcantur. quam inter femora ſua, & equorum terga ſubſertam, fotu calefaciunt breui.* Sed, hic eorum mos, caſtrenſis, & tunc ab *Hunnis* frequentatus forte fuit, cum *Europæ* adhuc incogniti, ſaltem ab omni humanitatis cultu erant alieni. Nunc, cum ſenſim manſueſcerent, victorum populorum, victus ſimul rationem, pulchre cœperunt æmulari. Itaque, in eam venio ſententiam, igne præparatis ad eſcam carnibus, veſci ſolitum ATTILAM. Aſſisne vero, an elixis? Si ex heroum HOMERI conſuetudine, capiendum argumentum eſt, & fides SERVIO habenda; *Homeri* quidem conuiuæ illi, aſpernabantur carnes elixas: tametſi vtrisque, elixis & aſſis, paſtos fuiſſe tradat EVSTACHIVS. *Heroas*, inquit, *inducit* Homerus, *elixis vtentes carnibus, præcipue tamen aſſis.* PLATO, *tertio de Repub.* ſolas eis *aſſas*, præeunte iterum HOMERO, adtribuit. quando, *heroum menſis parari*, ait, *ab* Homero, *non piſces, non elixas carnes; ſed aſſas, quæ concinnarentur facilius.* Idem adfirmat ATHENAEVS. Cauſſam eius rei, ex phyſicis adfert COELIVS RODIGINVS: *Elixa intus fieri ſicciora, & inde nutrimenti minoris, quam ſint aſſa. in quibus humidum genuinum, intus obſeptum contineatur, quod in illis euaporet; quoniam meatus laxet elixans calor. quo augmento inualeſcit ius.* Iſta proinde exiſtimanti, longe videtur veroſimillimum, in eam conſuetudinem abiiſſe ATTILAM, vt aſſis potius, quam elixis carnibus, veſceretur. non quod ratiocinationibus, quarum nobis fuit mentio, perſuaderetur; ſed quod experiundo didicerat; militarem vitam, & expeditius, paratiusque, & fructu inſigniore, *aſſis* ſuſtentari, quam elixis carnibus. Sin vero quis opinatus fuerit, ſuillam, per interualla, eſitaſſe ATTILAM, nolim quidem contraire; ſed nec temere adfirmarim, vtut:

*Sicci terga ſuis, rara pendentia crate*
*Moris erat quondam, feſtis ſeruare diebus,*
*Et natalitium, cognatis ponere lardum;*
*Accedente noua, ſi quam dabat hoſtia, carne.* IVVENAL. Sat. XI.

Quod ſi admiſeris, *aprugnam* dicas potius, quam domeſticis ſtabulationibus eductam, ſaginatamque. Vniuerſim, venatibus lubenter victitauere *Hunni.* quod docere non elaboramus.

v) Qando PRISCVS fatetur, præter ATTILAM, conuiuas reliquos, & opipare, & adparete cœnauiſſe, atque vſos argentea, aureaque ſupellectile, id argumento fuerit; rite, atque ex *Conſtantinopolitanorum* more, fuiſſe in hoc conuiuio, inſtructa omnia: quippe quibus, ſollemne fuit, cœnas dare, cum ex ſe vnctiſſimas, tum lautiſſimas, omni ſupellectile alia. Vt idcirco audeam, de ATTILAE hoc conuiuio adfirmare, quod C. SOLLIVS SIDONIVS APOLLINARIS, *Epiſtolar. Lib. I. Ep. II.* de *Theodorico* rege ſcribit: *Quid multis? Videas ibi elegantiam* Græcam, *abundantiam* Gallicanam, *celeritatem* Italam, *publicam pompam, priuatam diligentiam, regiam diſciplinam.* Confer ad eundem hunc locum, erudita SAVARONIS commentaria.

x) Quod, quidquid erat carnium, *diſco*, ſeu *quadra* id ferebatur *lignea*; quam Hungari *Négy ſzegletü-fa-tányér*, diceremus hodie; frugalitatis in ATTILA fuit documentum, non ſorditiei. Sic & AGATHOCLEM Siciliæ regem, animatum legas:

*Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem.*

quod ille quidem, ea de cauſſa faciebat, vt in regiæ dignitatis culmine poſitus, *figuli ſe filium eſſe*, recordaretur: *Quæ-*

in quadra (x) lignea, & nihil præter carnes. Moderatum pariter, (y) in reliquis omnibus, ſeſe præbebat. Conuiuis, aurea & argentea pocula, quibus bibebant, (z) ſuppeditabantur. Attilae poculum erat ligneum. (aa) Frugalis admodum illius veſtis (bb) nihil, quo ab aliorum veſtibus dignoſci poſſet, habe-



---

*Quærenti cauſſam, reſpondit: Rex ego qui ſum,*
*Sicaniæ figulo ſum genitore ſatus.*
*Fortunam reuerenter habe, quicunque repente,*
*Diues ab exili progrediere loco.* Avsonivs, Epigr. IX.

Auro contra carius, monitum, atque penitiſſime in animo defigendum, ab his, qui conſimili fortunæ indulgentia, fruuntur.

y) In iis nimirum rebus, quæ ad conuiuales adparatus adtinebant; vt Avgvstvm ſuperarit omnino. Ille enim, vt Svetonivs litteris mandauit, Cap. LXXIV. *Cœnam, tribus ferculis, aut cum abundantiſſime, ſenis præbebat, vt non nimio ſumtu, ita ſumma comitate.* Iſte noſter, vnico, atque eo, nudis conſtante carnibus, in quadra lignea ſibi ſufficiebat.

z) Hoc eo comparatum erat, vti exiſtimationem ſui, eo redderet maiorem; forte etiam, vt fucum faceret vulgo; auro argentoque, belli & pacis artibus, ſtudere ſe quidem: verum non, vti id in luxum profunderet; ſed adhiberet ad magnificentiam, dum tempus, locusque poſcerent.

aa) In Græco κισσύβιον legitur, quod, poculum, ex ligno hederæ factum, notat; ligno ſcilicet, cuius fronde veteres, *Bacchi* caput ſolebant redimire. Eius, credo moris obſeruantia, ductum Attilam, κισσίνοις poculis vtebatur. Repudiabat contra, aureos crateres, vt exemplo ſuo frugalitatem *Hunnis*, tunc, *auro tributario* adfluentibus, perſuaderet. Solent enim principum iſtiuſmodi exempla, id habere in populo vtilitatis: vt hinc certatim in omnes, luxuriæ pudor, parſimoniæ cultus, inoleſcat, & quieſcentibus legum minis, ſubeat quandoque priuatim, ſui pœnitentia. *Sic eſt enim, ſic eſt! exaſperat homines imperata correctio. blandiſſime iubetur exemplo.* Panegyr. Theodosii.

bb) Dignum principis maieſtate inſtitutum, non tam veſtium luxu anteire ſuos, quam parſimoniæ cultu: præſertim, vbi, vel imitatio optimatum, mox & populi, metuitur; vel auerruncanda eſt, morum, veſtiumque peregrinitas, ſæpe conuerſionis reipublicæ, prænuncia. Neque enim facile crediderim, ignorauiſſe Attilam axioma illud: hinc ei veſtis patria. Generatim, de re veſtiaria *Hunnorum*, Marcellinvs, Lib. XXXI. Cap. II. p. m. 474. *Indumentis vtuntur linteis, vel ex pellibus ſiluestrium murium conſarcinatis; nec alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis; ſed ſemel obſoleti coloris tunica, collo inſerta, non ante deponitur, aut mutatur, quam diuturna carie, in panniculos defluxerit defruſtata.* Sed, hic habitus, eorum *Hunnorum* fuit, qui primum innotuere *Europæ*: profecto enim, ætate Attilae, & veſtitu cultiores erant *Hunni*, & toto vitæ genere. Proinde, ceperis hinc indicium, veſtem Attilae Hunniacam omnino fuiſſe; haud tamen, cum primæua illa, conferendam; ſed, vt popularis eſſet, amictui gentis vniuerſæ, conſimilem. At enim, quæ veſtis materies? adſtrictane artubus, vel laxa & fluitans? Neutrum facile definiueris. Certe, ſi ex veterum *Scytharum* moribus æſtimare *Hunnos* velis, *lanæ vſus illis nullus*, Ivstinvs ex Trogo, Lib. II. *& quamquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis ac murinis vtuntur.* Adde Senecam, Epiſt. CX. quem morem, non vulgus ſolum, ſed reges etiam retinuiſſe, Priscvs auctor eſt. At, pellium nullus in conuiuio vſus, æſtate cum primis. Satis eſto, ita veſtitum fuiſſe Attilam, vt, neque gentilitium decorum migrauerit; neque admiſerit quidquam, quod *Græci* ipſi, omnis ſubinde luxuriæ adminiſtri, cum ratione, in toto eius amictu, potuiſſent adſpernari. *puram* certe, & *impermixtam* veſtem, quomodo Attilae hanc adpellat *Priſcus*, qui virilis, conſtantisque animi faciunt indicem, non male mihi videntur philoſophari; vt hinc quoque, laus in Attilam redundet, quam cum fortiſſimis quibusque viris, communem habuit. Subit animum cogitare, annon veſtes Attilae, opus fuerint vxorum ſuarum. Vetus, enim vero, atque heroicum fuit,

habebat, nisi quod erat pura & impermixta. Neque eius ensis (cc) erat aliqua illustri elegantia conspicuus, neque calceorum (dd) barbarorum ligamina, neque eius equi fræna, (ee) vt reliquorum Scytharum, auro, aut lapidibus, &

---

fuit, vt vestibus, muliebri ac domestico opere factis, summi viri amicirentur. De AVGVSTO, differte SVETONIVS, Cap. LXXIII. *Veste, non temere alia, quam domestica, vsus est, ab vxore, & sorore, & filia, neptibusque confecta.* Sic & ALEXANDER M. de seipso, apud CVRTIVM: *Hanc vestem, quam indutus sum, sororum, non modo donum, sed etiam opus vides.* Lib. V. Cap. II, 20. vide vtrobique PRISCI commentaria, & aliorum. Istiusmodi vero, apud aulam ATTILAE, operas, in gynæceo *Grecæ* reginæ, exercitas fuisse, PRISCVS, supra §. XVII. meminit, & nos, nota *c.* recognouimus.

cc) Nonne vero, pro gestamine, saltem diebus faustis festisque, ENSEM MARTIS, habuit ATTILA? Dicam, quod sentio: Barbarica superstitione ductos Hunnos, sacrum coluisse *Gladium Martis*, qui post initia ATTILAE, fortuito, magna rerum eius accessione, detectus fuerat; neque publice adhibitum fuisse vnquam, nisi id religio poscere videbatur: vt, cum vel rex inaugurandus erat; vel lustrandus exercitus, atque auspicato in hostem ducendus fuit; & quæ poterant esse cerimoniæ, reliquæ. Reuera ergo, ferrum gestauit ATTILA, quo terreret; minime vero, aurum, gemmasque, quibus hostem adliceret.

dd) De *Hunorum* calceis AMMIANVS, loco nunc citato: *Hirsuta crura coriis munientes hædinis: eorumque calcei, formulis nullis aptati, vetant incedere gressibus liberis. qua caussa ad pedestres, parum accommodati sunt pugnas.* Etiamne ATTLAE calceus, non ad formulam factus? nolim adfirmare! Enim vero, quod ligaminum calceorum, mentionem habet PRISCVS, id mihi ad coniectandum fuerit occasio; calceorum eo genere vsum fuisse, quod hodieque *Telekes-Botskor*, adpellant Hungari. *Pero* nimirum erat, ex subacto corio, ita factus, vt cum tota planta probe fuisset munitus, superiore pedis parte, coreaciis ligaminibus, simplici quadam, neque tamen inconcinna arte, sibi ipsis implexis, tam arcte comitteretur, vt quasuis possent aeris iniurias reuerberare. *Peroni*, tibia cohærebat, crus vestiens, ex corio itidem facta, & fibulis, vel corriacis ligulis, ei parti pedis, decore adstricta. quod genus peronis, adhuc obtinet apud agrestes, rusticæ studiosos elegantiæ. Neque abhorrebant ea ætate peronem, regum aulæ. SIDONIVS, Lib. IV. Epist. XX. p. 226. *Regulorum,* inquit, *sociorumque comitantum forma, & in pace terribilis: quorum pedes primi, perone setoso, talos adusque vinciebantur.* Namque *Gothi*, peronibus erant calceati. qua de re iterum SIDONIVS, Carm. VII.

*Nec tangere possunt*
*Altatæ suram pelles, ac poplite nudo*
*Peronem pauper nodus suspendit equinum.*

In calceo ATTILAE, id obseruat PRISCVS, non eum, sicuti apud nobiliores *Hunnos*, ad luxum fuisse instructum, sed vt tegumento esset pedi.

ee) In deliciis, fræna, auro & gemmis onustata, habuere veteres, præsertim principes. CLAVDIANVS IV. consulatu *Honorii*:

*Turbantur phaleræ, spumosis morsibus aurum*
*Fumant, anhelantes exundant sanguine gemmæ.*

Et, in epigrammate, de phaleris equi regii:

*Dumque auro phaleræ, gemmis dum fræna renident.*

Itemque, de equo *Honorii*: *Et crine superbus*
*Erecto, virides spumis profunde smaragdos,*
*Luxurient tumido gemmata monilia collo:*
*Nobilis armatos iam purpura vestiat armos.*

Et huic luxui, parsum ab ATTILA est; tametsi optimates, ducesque sui, *Romanorum* eum fastum, bona regis pace, egregie iam tum fuerint æmulati. Enim vero, valuit illud VIRGILII, Aeneid. VII.

*Aurea*

bus, & aliis huiusmodi pretiosis gemmis, erant ornata. Vt obsonia primorum ferculorum fuere consumta, surreximus, neque prius quisquam nostrum ad sedem suam est reuersus, quam sibi traditam pateram, vini plenam, seruato, quem supra diximus, ritu, (ff) ATTILAM saluum & incolumem precatus, ebibisset. Eo, ad hunc modum, honore culto, sedimus. Tum noua fercula cuique mensæ sunt illata, quæ alia continebant esculenta, ex quibus, vbi omnes, quoad satis esset, comedissent, modo quo supra, in pedes erecti, ebibito calice, sedes nostras repetiuimus. Adueniente vespere, sublatis epulis, duo viri Scythæ, coram ATTILA prodierunt, & versus (gg) a se factos, quibus eius victorias,

R

*Aurea pectoribus demissa monilia pendent.*

Atque GÜNTHERI, Ligur. IV.

*Gemmatosque lupos, & fuluum masticat aurum.*

ff) Quo cœpit ritu, producebatur conuiuium. Nam, & cum salutis ATTILAE præfatione bibebatur, iterum ac tertio; & nouæ dapes, forte etiam lautiores prioribus, mensis conuiuarum inferebantur: soli ATTILAE, quadra illa sua, *assis*, vti opinamur, *carnibus*, onusta, sufficiebat. Et istud quidem frugalitatis fuit; illud laudatissimæ abstinentiæ, quod toto eo conuiuio, *tres* admodum *Scyphos*, cum officii in ATTILAM significatione, exinaniuerint, qui accumbebant. Institutum, dignum oppido, quod amplecterentur, in aulis principum, & alibi passim, conuiuatores. Idem in AVGVSTO laudat SVETONIVS, Cap. LX. XVII. In IVSTINO Imp. CORIPPVS, Lib. III. Neque, *vltra ternarium Scyphorum numerum, in symposiis, progrediendum esse*, lex conuiualis edicit. AVSONIVS, Edyllio XIII.

*Ter bibe!*

PETRONIVS in satyra: *Excusare cœpit moram, quod se amica non dimisisset, tribus nisi potionibus, ex lege, siccatis.* Idemque numerus, Synodo *Nannetensi* definitus, Can. IV. Haud vero quaternos potandos esse cyathos, DEMOCRITVS *Physicus*, volumen condidit. Erant porro antiquitus magistratus, qui conuiuas, ne se nimio vino proluerent, legis sympofiacæ admonerent, quos PLATO de Rep. μνήμονας vocat: quodque bibendi modum illi lege definitum, imperarent, *inoduperatores*; quin & ὀφθαλμοί, id est, *oculi*, dicebantur, quod toti *Argi* essent, in conuiuarum obseruandis compotationibus. Notat SAVARO, ad SIDONII APOLL. Lib. I. Epist. II p. 16. OTROKOCSII, in mores hodiernorum *Hungarorum*, inuectiuam, lege ad hunc locum, Orig. Part. I. Cap. IV. §. XIII. p. 123. quam non repetimus, quia littus araremus.

gg) Laudaueris, tempestiue sublatas, neque productas in profundam noctem, epulas; sed magis fere, morem ATTILAE, quod audiendis, post cœnam, poematibus, delectari solebat. Expressit ea re, summorum regum ingenium, testatusque est, animum multo, quam pro barbaro, excelsiorem. Tametsi enim non sum ignarus, *barbaris*, iuxta & *Romanis*, fuisse morem eum familiarem; in ATTILA tamen, habuit ea res præcipuam admirationem, quod, cum homo crederetur ferus, his cantibus; qui res suas celebrabant, & agresti licet carmine, videbantur eas tamen posteritati commendare, cicurari pateretur indolem suam, forte, non vsquequaque adhuc mansuetam. Nam, fuere omnino apud *Hunnos*, sicuti apud veteres *Germanos*, hæc istiusmodi carmina, *vnum memoriæ, & annalium genus*, TACITVS, de *Morib. Germanor.* Cap. II. vbi consule, I. LIPSII commentaria. Idem, & de *Gothis* suis tradit IORNANDES: *Id*, inquit, *priscis eorum carminibus, pene historico ritu recolitur.* Qui mos ad *Hungaros* quoque penetrauit. THVRÓCZIVS, Chron. Hung. Part. II. Cap. IX. p. 33. *Isti* CAPITANEI *septem, de se ipsis cantilenas fecerunt, inter se decantari, ob plausum secularem, & diuulgationem sui nominis: vt quasi eorum posteritas, his auditis, inter vicinos & amicos, iactare se arrogantia valeret.* Immo, superioribus seculis, & cum pertinacia genti nostræ, cum *Turcis* bella, fuissent, patrio carmine, secundos, funestosque præliorum euentus, ad posteritatem transmittebant, eius ætatis homines; vt operæ pretium facturum crediderim, si quis huius generis cantilenas,

ctorias, & bellicas virtutes canebant, recitarunt. In quos conuiuæ oculos, (hh) vultusque defixerunt. Et alii quidem verſibus delectabantur; aliis bellorum recordatio animos exſuſcitabat; aliis manabant lachrymæ, quorum ætas adfecta, reddiderat corpus effœtum, & imbecillum: ex quo, eorum pugnandi ardor, & cupiditas, quieſcere cogebatur. Poſt cantus, & carmina, Scytha, (ii) neſcio quis, mente captus, abſurda, & prodigioſa, nec ſani ſenſus quicquam habentia, reſonans, & deblatterans, riſum omnibus commouit. Poſtremo, *Zerchon* (kk) *Mauruſius* introivit. *Edecon* enim illi perſuaſerat, vt ad ATTI-

nas, in volumen collectas, luce publica, donaret: quod ſperarim, præter linguæ Hungaricæ habitum, multas ſimul, rerum geſtarum πεϱιςάσεις, ea ſolertia, detectum iri. Quid? quod, noſtra adhuc ætate, in more poſitum fuiſſe, probe recordamur; vt in magnatum aulis, *Cantores*, ſeu *Phonaſci*, quos Hungarice, *Enekes* adpellabant, inter miniſteria, alerentur. Horum fuit, actus maiorum bellicos, ſi heri militares fuere, patrio carmine, inter conuiuandum, modulari; ſin abdomini nati, non laudi ac gloriæ, ioculares nugas, amores ſpurios, & turpes euentus alios, demulcendis conuiuarum auribus, occinere. Verum, ritus hic, ita ſenſim exoleuit, vt iam pauciores ſint, qui eum ſaltem meminiſſe poſſint. quæ quidem poſterioris ritus antiquatio, in lucris cenſenda eſt potius, quam referenda in diſpendiis.

hh) Produnt ſe hic *Hunnorum* ingenia. Qui in conuiuis placidæ indolis fuerunt, qualiumcunque cantu verſiculorum, demulciebantur; quibus contra natura obtigit militaris, exſultabant, rerum geſtarum, quarum fortaſſe pars fuere, recordatione; ſed, quos diuturni belli labores, & ingraueſcens ætas, inutiles fecerat; neque tamen martialis ille, & cogenitus bellandi animus, deſeruerat; lacrymis ii, conceptum dolorem, teſtificabantur. Supparem *Hungarorum* indolem, quæ ſe in militaribus ingeniis, hac in primis tempeſtate, maximopere prodit, alio loco, memorauimus.

ii) MIMVS fuit, haud quidem mente captus; ſed qui id tamen præ ſe ferebat, vt eo ſibi impunius liceret, quorum vellet, ſermones, mores, actusque, mordaci ſale, perfricare. Nam eſt hic ſane obtentus, quum mimos improbamus: *Sale eos ſatyrico, mordaci eo, ſed ſalutari, ad frugem reuocare, exagitatos auditores.* quam quidem controuerſiam, nolim meam facere. Neque tamen vanitatem hanc, ATTILAE poſſis exprobrare: *ethnicum fuiſſe*, ſi dixeris, ſatisfuerit ad excuſatiunculam; illic valituram, vbi vera, veri Dei, agnitio exſulat. Probo interim, immo vehementer adprobo, EVSEBII PAPAE ſententiam, in Decret. Cap. X. quam ex eo repetit BVRCHARDVS, Lib. XIV. Cap. VII. *Remoueantur ab Epiſcopi*, (quidni & a principum virorum?) *conuiuio, cuncta turpitudinis argumenta: non ludicra ſpectacula, non acroamatum vaniloquia, non fatuorum ſtultiloquia, non ſcurrilium admittantur præſtigiæ.* Grauiter & Chriſtiane!

kk) De ZERCHONE, vel *Zerkone*, nemo nos, quomodo ad *Hunnos* delatus fuerit, SVIDA, docuerit melius. Ita vero habet: ZERKON *Scytha, ſic vocatus, genere* Maruſius: *Is, propter corporis deformitatem, & quod vocis balbutie, & ipſo adſpectu, riſum moueret, (erat enim breuis, gibboſus, & mirum in modum ſimus, ita, vt naſum, ex naribus tantum cognoſceres)* Aſpari Ardaburio, *in Lybia commoranti, donatus eſt. Captus autem eſt, cum barbari in Thraciam irrupiſſent, & ad Scytharum reges eſt adductus. Ac* ATTILA *quidem, nec ipſius adſpectum tulit.* BLEDAS *vero, ſupra modum ipſo delectatus eſt: quod non ſolum ridicule loqueretur; ſed etiam, in incedendo, corpus, præter aliorum hominum morem, moueret. Aderat autem ipſi, & epulanti, & ad bellum proficiſcenti, armis ridiculis in expeditionibus inſtructus. Quamobrem, etiam* BLEDA *ipſum plurimi faciens, cum fugiſſet cum Romanis captiuis, ceteros quidem neglexit, ipſum vero, ſumma cura inquiri iuſſit: & captum ad ſe adductum, in vinculis conſpicatum, riſit, & remiſſa ira, cauſſam fugæ quæſiuit, & cuius rei gratia, res Romanorum, ſuis, meliores reputaret. Ille vero reſpondit: ſe quidem peccaſſe, quod fugiſſet, ſed ſe peccati cauſſam habere; quod nulla vxor ſibi*

ad ATTILAM veniret, omnem operam & studium pollicitus, quo vxorem recuperaret. Hanc enim, cum illi BLEDA studeret, in barbarorum regione acceperat, quam in Scythia ab ATTILA ad *Aetium* dono missus, reliquerat. Sed, hac spe frustratus est, quia ATTILAS illi succensuit, quod ad sua remigrasset. Itaque, tunc arrepta festiuitatis occasione progressus, & forma, & habitu, & pronuntiatione, & verbis, confuse ab eo prolatis, modo *Ausoniorum*, modo *Hunnorum*, modo *Gothorum* linguam (ll) intermiscens, omnes lætitia & hilaritate diffudit, & effecit, vt in risum, (mm) qui sedari & extingui non poterat, prorumperent. Sed ATTILAS (nn) semper eodem vultu, omnis mutationis expers, & immotus, permansit; neque quicquam facere, aut dicere, quod iocum, aut hilaritatem præ se ferret, conspectus est. Præter quam quod iuniorem ex filiis introeuntem, & aduentantem, nomine *Irnach* (oo) placidis & lætis oculis est



---

*sibi data fuisset.* BLEDA *vero, in maiorem risum prorumpens, ipsi dat vxorem vnam, de nobilibus, & quæ fuerat vna, de reginæ ministris: sed ob quoddam insolens facinus, ad ipsam amplius non accedebat. Sic autem perpetuo cum* BLEDA *vixit. Post ipsius vero mortem*, ATTILA, Aetio, *Romanorum occidentalium duci*, Zerconem *dono mittit, qui ipsum ad* Asparem *remisit.* Hæc de eo, laudatus SVIDA, editionis Cantabrigiensis A. MDCCV. fol. curante LVDOLPHO KVSTERO, Tom. II. p. 3. qui & adnotat: *Hunc*, inquit, *locum, ex Prisci Rhetoris historia, sumptum esse putat* VALESIVS, *in notis, ad Excerpta de Legationibus*, p. 207. In Excerptis, quæ hodie ex illa historia adhuc supersunt, *Zerconis* huius *Marusii* mentio fit. *Marusius* vero, pro *Mauro* hic scribitur. Vide Cap. I. §. VIII. p. 16. not. *a*. Ad eundem, hunc SVIDAE locum, duo nobis obseruantur, quæ sileri noluimus. *Primum est*: satis adparere, humilioris, multo atque angustioris animi, BLEDAM fuisse, quam ATTILAM, fratrem suum: quod inde coniicias, quando monstrosum *Zerconem*, præter quam decuisset regem, in oculis tulit, quem ne adspicere quidem ATTILA potuit: id quod heroici animi, & seuerioribus curis adsueti, indicium est; ludicræ contra, & remissæ nimium quantum, si non plane *Elagabali* supparis est indolis, monstrosorum, ridiculorumque hominum iocis, perpetuo oblectari. Ergo, AVGVSTI *Cæsaris* ingenium, ea re, expressit ATTILA. De illo SVETONIVS, Cap: LXXXIII. *Pumilos atque distortos, & omnis generis eiusdem, vt ludibria naturæ, malique ominis, abhorrebat.* Nam, quod adolescentulum *Lucium*, honeste natum, populo spectandum dedit; quod erat bipedali minor, librarum sedecim, voce immensa; id non sui, sed populi caussa, *tantum vt ostenderet*, fecit. ibid. Cap. XLIII. *Alterum est*: BLEDAM, quem perperam, *Budam*, saltem sine auctoritate veterum, *Hungarici* vocant scriptores, sua, sicaue morte decessisse. Neque enim, siue SVIDAS, siue PRISCVS, ex quo decerpsit sua lexicographus, violenta morte; multo minus, scelere fratris accelerata, interiisse memorant. quod silere omnino nequiuisset PRISCVS: quippe, paucis post vel mensibus, vel annis, apud aulam ATTILAE, in legationis huius comitatu, versatus.

ll) Tres has linguas, frequentatas fuisse, in aula ATTILAE, reiecta fere *Græca*, cum cura adnotauimus, eodem hoc Capite. §. XIV. p. 47. not. *d*.

mm) Ista enim vero, ex barbarico *Hunnorum* ingenio, nondum ad modestiæ, comitatis, atque decori, legem prorsus reuocato, fluxisse, nemo est, qui non aduertat. Quis enim, præsente rege, nisi forte bacchanalia agantur, effuse cachinnabitur, sine maiestatis opprobrio?

nn) Ex *Stoicorum* disciplina, nuper egressum fuisse ATTILAM, crederes; ita, intra se collectus fuit; neque passus est dissipari sensus, indecenti hoc conuiuarum risu. quod majestatis proprium est. Mirati fuimus, eandem, in CAROLO XII. rege *Suediæ*, continentiam, cum in æstiuis *Altranstadiensibus*, anno MDCCVI. castrense prandium eius, adtonitis similes, spectauissemus.

oo) Diximus de eo, supra Cap. I. §. XII. p. 21. not. *c*. & Cap. II. §. XIV. p. 46. not. *m*. Hic Ἤρνας, in Græco legitur, propius ad coniectationem nostram.

lis eſt intuitus, & eum gena (pp) traxit. Ego vero cum admirarer ATTILAM, reliquos ſuos liberos parui facere, ad hunc ſolum aduertere, & animum adiicere; vnus ex barbaris, qui prope me ſedebat, & Latinæ linguæ vſum habebat, fide prius accepta, me nihil eorum, quæ dicerentur, euulgaturum, dixit: vates ATTILAE vaticinatos eſſe, eius genus, quod alioquin interiturum erat, ab hoc puero reſtauratum iri. (qq)

## §. XX.

Vt vero conuiuium (a) ad multam noctem pertraxerunt, minime diutius nobis compotationi indulgendum eſſe duximus; ſed frequentes exiuimus. Die exorto, *Oneſegium* adiuimus, dicentes: nos dimitti oportere, neque nobis diutius in vanum tempus terendum eſſe. Ille, ATTILAM quoque in ea eſſe voluntate, & nos dimittere conſtituiſſe, reſpondit. Itaque, non multo poſt, conſilium procerum (b) de his, quæ ATTILAS ſtatuerat, habuit, & litteras, quæ

---

pp) Εἷλκε τῆς παρειᾶς, mos eſt blandientum hodieque, apud parentes potiſſimum, cum teneri erga liberos, haud tamen immodici amoris, præbent τεκμήρια. Sed, non eſt recens ea conſuetudo, qua blandientes, ſolebant puerorum maxillas adprehendere, deinde manum ad os referre. APVLEIVS Metamorph. VI. p. 181. *Tunc Iupiter, preſſa cupidinis bucula, manuque ad os ſuum relata, conſauiat.* Neque enim ſemper ſumma figebant oſcula, iſto ea ritu delibaſſe, ſatis plerumque fuit. VIRGILIVS, Aen. I. ver. 260.

*Oſcula libauit natæ.*

Quod, ad eundem hunc modum, interpretatur SERVIVS: *Vt nos ſolemus, cum blandimentis quibuſdam, ſiniſtram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os noſtrum, dextram deferre.* Atque, hoc tunc egit ATTILA, quando *gena* filium *traxit*, more omnino auguſtali, & digno maieſtate ſua. SVETONIVS, de AVGVSTO, in rebus *Galbæ*, Cap. IV. *Conſtat*, Auguſtum, *puero adhuc*, Galbæ, *ſalutanti ſe inter æquales, adprehenſa bucula, dixiſſe*: καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. quod reddo: *Et tu, fili, principatum noſtrum deguſtaueris.* Quod tamen vaticinium, *Tiberio* adſcribit TACITVS, Annal. VI. 20. 3. Quomodocunque ſtatuas, *Auguſtorum* tamen fuit actus. quem blandiendi ritum, quando ſuum fecit ATTILA, ſimul, ad ea haruſpicum vaticinia reſpexiſſe arbitror, quæ hi, de filio ſuo *Irnaſcho*, ediderant.

qq) An reſponderit vaticinio euentus, non habeo dicere; quam quod, victo a Romanis *Dengiſichio*, in tuta ſe IRNASCH receperit: quippe, ei bello haud implicitus.

a) Poſt ATTILAE, ex conuiuio deceſſum, ſcytiſſare cœpiſſe *Hunnos*, exiſtimo: vt qui, vini fuerunt adpetentiores, patientioresque, certarent poculis. reliqui, ſobrietatis, quam gulæ, ſtudioſiores, cum *Romanis* cœnaculum reliquerunt.

b) Quod *Romanis* Imperatoribus domi, *Senatus*, & patres conſcripti; in caſtris, *duces*, atque *tribuni* militum: id ATTILAE, in capiundis, expediundisque conſiliis, ac deſtinationibus, ſui fuere *optimates*: ii videlicet, quorum, in pace ſpectata integritas fuit, in bello virtus inconcuſſa. Conſilia certe præcipitia, & immatura, nunquam inibat; ſed meliora ſe doceri paſſus eſt, ab his, quorum fidelitatem, longo vſu, intemeratam cognouit. *Quidquid enim erat incoctum, non expromſit, bene coctum dabat.* PLAVTVS, Milit. II. 2. 53. Neque ei vnquam viri defuere, & conſilio acres, & manu fortes. quorum nomina, vno hic faſce complectemur: ONESEGIVS, conſiliariorum princeps, vir, ſi quis alius, conſummatæ prudentiæ, & rerum domi, ac militiæ, tametſi ex captiuo, in hanc dignitatem euectus, longo vſu ſubactus. Succenturiabatur huic, frater ſuus, SCOTTA, ſeu *Skoda*, qui, qua apud ATTILAM, & gratia valuerit, & auctoritate, ſupra, commemorante PRISCO, vidimus. Adhibebatur, cum aliis miniſteriis, tum legationibus ad *Conſtantinopolitanos*, obeundis; quæ ſemel iterumque, eo comparatæ fuerunt, vt conſtituta legibus pacis ſtipendia, tributaque, exigeret, adque regem ſuum deportaret. Neque minoris exiſtimationis fuiſſe credi-

quæ ab eo, Imperatori redderentur, digeſſit. Aderant enim, quorum curæ epiſtolas ſcribere incumbebat, inter quos erat *Ruſticius*, vir, e ſuperiore *Myſia* ortus, qui ab hoſtibus captus, cum dicendi facultate valeret, barbaro, laborem & operam, in conſcribendis epiſtolis, nauabat. Dimiſſo conſilio, ab *Oneſegio*, precibus contendimus, vt *Syllæ* vxori, & eius liberis, qui in expugnatione vrbis *Ratiariæ*, vna cum matre, ſeruituti mancipati fuerant, libertatem reſtitueret. Et vero, ab his liberandis minime abhorrebat; ſed eorum liberationem, magna pecuniæ ſumma (c) emptam volebat. Itaque, nos eum ſupplices orare, & obteſtari, vt habita eorum priſtinæ fortunæ ratione, præſentis calamitatis commiſeratione, moueretur. Ille, vt ATTILAM adiit, mulierem, pro quinquaginta aureis, liberam abire ſiuit, & eius filios, dono, ad Imperatorem miſit. Interea, RECCAM, ATTILAE vxor, quæ eius res domeſticas curabat, (d)

S nos

crediderim, EDECONEM, ex *Chryſaphii* illa, aduerſus ATTILAM, adminiſtro *Bigila*, conſpiratione, infamem & cruce dignum. Ex qua tamen, atrociſſima ſceleris ſocietate, tam ſe prudenter expediuit, vt, & ATTILAM, incolumem ſeruarit, & gentem *Hunnorum* vniuerſam; ſeipſum vero, ne ſuſpicione quidem maleficii, in aula, contaminauerit. Præfuit, corporis cuſtodibus, functusque eſt legationibus ad *Romanos* orientales. Vltimus eſt, *Berich*, vel *Berek*, auſteræ vir indolis, idemque *Maximino* legato reduci, comes itineris datus, vti ad *Theodoſium*, qui ſe tunc, inſtructa in ATTILAM conſpiratione, barbaro quouis atrociorem fecerat, in legationem proficiſceretur. de quo paullo poſt. Parum aberat, quin ESLAE dememinerimus, qui tamen inter primos fuerat nominandus: quippe qui, iam tum imperanti RVAE, componendis *Hunnorum* & *Romanorum* controuerſiis, & poſtea legationibus obeundis, ab ATTILA, adhiberi ſolitus fuit. Hi, apud ATTILAM, Mœcenatis, & ſi qui erant circa AVGVSTVM Imp. alii, ſed pro gentis indole, ſuppares ſunt cenſendi. Plures vero fuiſſe, qui eodem, apud regem, loco fuerunt, non eſt, cur ambigas; quorum tamen nomina, in his PRISCI fragmentis, haud reperias. Poſt hos, *Collegium ſcribarum*, *Notariorumue*, *Cancellariam* hodie dicimus, erat ad latus, qui decreta quæuis, & litteras, *Hunniaco*, *Latino*, atque *Gothico* ſermone, partim ad exercituum duces, & per regna paſſim; partim ad principes exteros, perſcribebant, referebantque in libros memoriales, quos iam *Protocolla* vocamus. In his nominauimus frequenter: ORESTEM, CONSTANTIVM vtrumque, & RVSTICIVM. Hæc ideo placuit adtexere, vt cognoſcat Lector, quis fuerit aulæ habitus apud ATTILAM, in domeſticarum, iuxta & exterarum rerum, procuratione: nam, altum, de re vtraque, apud Script. Hung. ſilentium eſt.

c) Quod magna pecuniæ ſumma, redimendam volebat *Syllæ*, cuiuſdam *Romani* vxorem, liberosque ONESEGIVS, auri, id apud eum famem, loquitur: ſicuti contra ea, auguſtalem ATTILAE indolem, quod non modo λύτρον mitigauit; ſed filios etiam *Syllæ*, offenſo ſibi *Theodoſio*, dono miſit.

d) Notat ad hunc locum *Valeſius*: Παρὰ ἀδαμειτῶν. Leue mendum, totam ſententiam corrupit, quod facillimum erat, ſola diſtinctione litterarum, emendare. Scribe igitur: Παρὰ Ἀδάμει, τῷ αὐτῆς πραγμάτων τὴν ἐπιτροπὴν ἔχοντι. *Interim*, RECCAM, *vxor* ATTILAE, *nos ad cænam inuitauit*, *apud* Adamum, *Procuratorem ipſius*. Docte hæc coniectat *Valeſius*. quem ſi ſequaris, non erit RECCAM, vxor ATTILAE, ad rei familiaris procurationem condemnanda; ſed tota ſententia, ad reginæ procuratorem, *Adamum*, referenda. At vero, cur παρὰ Ἀδάμει; apud *Adamum*? cœnam exhibuit RECCAM? cur non in regiæ cœnaculorum aliquo? Iſtud vero eſt, quod ſuſpectam viris doctis, emendationem eam *Valeſii* facit. Malunt ergo, CANTOCLARI interpretationem ſequi, quam vxoris ATTILAE, res domeſticas procurantis, dememiniſſe. Nam, poteſt ſane, cum *Hunnorum* moribus, res ea conciliari. Nos certe, antequam cognitam habuimus *Valeſii* hanc criticen, ita in hunc locum commentabamur. Permiſſam, Scytharum legibus fuiſſe, πολυγαμίαν, obſeruauimus,

Cap.

nos etiam ad cœnam (e) inuitauit. Ad eam, vt erat multis Scythiæ principibus comitata, accedentes, contigit nobis, eius humanitate frui. Illa vero, nos excepit, mellitis, & iucundis confabulationibus, (f) & magnifico epularum adparatu. Tum vnusquisque eorum, qui aderant, ſurgens, *Scythica* comitate, poculum plenum nobis porrexit, & eum, qui biberat, amplexus, & exoſculatus, (g) illud excepit. A cœna, nos in tentorium noſtrum recipientes, ſomnum cepimus.

## §. XXI.

Poſtridie, iterum nos ATTILAS ad cœnam inuitauit, & eodem, quo prius ritu, ad eum acceſſimus, & ad hilaritatem nos conuertimus. Accidit autem, ſeniorem ex filiis ATTILAE, minime in hoc conuiuio, in eius thoro, vna cum ipſo accumbere; ſed OERBARSIVM (a) patruum, quem patris loco ducebat. Per totum conuiuii tempus, nos blandis ſermonibus appellans, (b) *Maximinum*,

Cap. II. §. XI. not. *c*. p. 39. quod tamen, cum inſigni diſcrimine factitaſſe *Hunnos*, exemplo ATTILAE, ſatis adparet. Supra GREKAM, vxorem eius, meminit noſter, quæ particeps fere maieſtatis, in interiore ædium regiarum parte, prope ad ATTILAM, cum gynæceo, colebat, magna miniſtrorum turba circumdata. Et hac quidem, præcipue quærendorum liberorum cauſſa, tamquam vnica eſſet, vtebatur: prorſus, ex *Romanorum* legibus, atque matrimoniorum tabulis, in quibus ſollemnem hanc formulam, deſignare moris fuit: *Liberorum quærendorum cauſſa conueniſſe.* Ita eſt enim, ob eam in primis rem, feminam nubere, vt mater fiat. Inde *matrimonii* nomen. Sed vxor etiam erat ATTILAE, quæ præcipue matremfamilias ageret, qualis RECCAM hæc fuit: tunc forte ei admota procurationi, cum matrimonio inutilis eſſet, ſaltem effœta; ceteroquin, curandæ œconomiæ, in primis idonea. Quæ has ſequebatur, vxorum turba reliqua, non tam pellices fuerunt, quam vxores ſecundariæ, quas, gentili ſuo ritu, prouti quasque in deliciis habebat, adire ſolitus eſt. Enim vero, quos ex iis ſuſcipiebat liberos; neque tam grati erant parenti, tametſi filii eſſent; neque adeundæ hæreditatis, cum reliquis, qui ex regina ſunt nati, æqualiter capaces. Hinc eſt, quod ATTILA *Dengeſchitzium*, atque in primis *Irnáſum*, in oculis tulerit, paragrapho ſuperiore; contemtim habuit contra, reliquam liberorum multitudinem. id quod mirabatur PRISCVS. Illos nempe, ex principe vxore ſuſceptos credo; hos, ex ſecundariis. Ceteroquin ſua, & RECCAE fuit magnificentia, ſua miniſteria aulica. quod cœna hæc condocet. Sequere Lector, quam lubet ſententiam.

e) Nouum iſthoc, comitatis genus fuit, & dignum, quod adnotaret noſter: vt conſtet, apud poſteros, feminas, cum viris, certaſſe apud *Hunnos*, officii teſtificationibus.

f) LIVIAM, Imperatoris AVGVSTI, dixiſſes, ea fuit, in media hac barbarie, comitate non minus, quam ſermonis blanditie. quod illuſtrium, nobiliumque feminarum ingenium, adhuc in *Hungaria* ſuperat; niſi forte natura factæ ſint auſteræ: tum enim, inſigniter ſunt graues, & quaſi in antro *Caci* educatæ.

g) Orientalis ſympoſiorum ritus, qui, cum ad gentes alias, tum ad *Hunnos* noſtros, pertigit.

a) OERBARS, vel, ſi hodierno more ſcribas: *Órbars*; nam terminationem Græci adiecerunt; interpres vero *Cantoclarus*, Latinam fecit. Apud PRISCVM lego: Ωηβάρσιον; exulante canina priore. Vox pure pute *Hunniaca*, formæ *Hungaricæ*. quam non interpretor: ne linguarum cognationis ignaris, moleſtus ſim. Pietatem ATTILAE, in patruum, prorſus eximiam; quod & patris loco eum habuerit; & conuiuio adhibuerit, eodem ſecum toro ſedentem, laudauiſſe, operæ fuerit pretium.

b) Liberius nunc, quam nuper, ATTILA, cœnabat, ac prorſus more Auguſtali. Nam, & a ſilentio ſe abſtinuit, blandosque ſermones, cum legatis miſcere; & vniuerſim hilarius agere, nihil dubitauit. Ceteroquin, *Auguſti*, cuius meminimus, in cœnis

*ximinum*, Imperatori dicere præcepit: vt *Constantio*, quem ad eum *Aetius*, vt ab epistolis esset, miserat, vxorem daret eam, quæ illi promissa fuerat. Etenim *Constantius*, vna cum ATTILAE legatis, ad *Theodosium* venerat, & se operam daturum, vt pax longo tempore, inter *Romanos*, & *Hunnos* seruaretur, dixerat; modo sibi vxorem locupletem (c) matrimonio copularet. Huic petitioni Imperator annuerat, & *Saturnilli* filiam, viri, & opibus, & genere clari & ornati, se illi nuptui daturum promiserat. Saturnillum autem occidit *Athenas*, (d) seu *Eudocia*, ( vtroque enim nomine vocabatur ) neque Imperatori, ad exitum perducere, quod promiserat, per *Zenonem*, (e) virum consularem, licuit. Is enim tunc temporis, magna *Isaurorum* multitudine stipatus, vrbi *Constantinopoli*, quæ bello premebatur, præsidio erat, & Eoos exercitus regebat. Itaque, puellam custodia eduxit, & *Ruffo* cuidam, vni ex suis necessariis, despondit. Hac puella sibi subtracta, *Constantius*, barbarum, (ATTILAM) orabat, ne sibi factam contumeliam negligeret; sed perficeret, vt illi

S 2

cœnis ritum, discas ex SVETONIO, Cap. LXXIV. 4. *Conuiuia nonnunquam & serius inibat, & maturius relinquebat, cum conuiuæ & cœnare inciperent, priusquam ille discumberet, & permanerent digresso eo. Cœnam trinis ferculis, aut, cum abundantissime senis præbebat; vt non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam, & ad communionem sermonis tacentes, vel submissim fabulantes, prouocabat, &, aut acroamata & histriones; aut etiam triuiales, ex circo, ludios, interponebat: ac frequentissime aretalogos.* Nunc tamen, aberant ab ATTILAE hac cœna, acroamata, histriones, & nani. Consule, TRANQVILLI commentatores, PITISCVM in primis.

c) Habes hic, & occasionem, & caussas, promissæ *Constantio* vxoris. qua demum indigne fraudatus fuerat. quod hic excusat PRISCVS.

d) Scribe: Ἀθηναΐς, seu *Athinäis*; sic enim vocata est *Eudocia*, Athanasii iunioris vxor, teste CEDRENO, & ZONORA. Pro *Saturnillo* quoque, *Saturninum* scribi mallem. Fuit enim *Saturninus*, Comes Domesticorum, qui *Seuerum* Presbyterum, & *Iohannem* Diaconum, quos *Eudocia Augusta*, vrbe *Constantinopoli*, *Hierosolymam* secum abduxerat, missus ab Imperatore Theodosio, occidit. Quod indigne ferens *Eudocia*, muliebri furore percita, *Saturninum*, prorsus obtruncari iussit, anno Natalis Dominici CCCCXLIV. *Theodosio* XVIII. & *Albino* Coss. vt scribit MARCELLINVS, in Chronico. CEDRENVS, supra dictos clericos, adulterii suspicione contactos fuisse, prodit. VALESIVS.

e) FLAVIVS ZENO: sic enim vocatur in *Actis Concilii Chalcedonensis*, Consul fuit, anno natalis Dominici CCCCXLVIII. Huius viri potentiam, satis declarant ea, quæ subiicit PRISCVS: eum scilicet, vnum, Imperatoris voluntati restitisse, cum magnas *Isaurorum* copias, circa se haberet, ad vrbis *Constantinopolitanæ* custodiam: & quæ PRISCVS Cap. II. §. XXV. commemorat: *Sopitis omnibus cum* Attila *dissensionibus, vnicum* Theodosio Imp. *metum superfuisse, ne forte* Zeno, *tyrannidem inuaderet.* Hic postea, MARCIANI temporibus, interiit, suspectus rerum nouarum. Sic enim IORNANDES, de successione regnorum scribit de MARCIANO: *Obitum* Attilæ, & Zenonis Isauri *interitum, antequam moueretur, felix comperit.* DAMACIVS, in *Isiodori vita* scribit: hunc ZENONEM, *idolorum cultum restituere, & Christianorum religionem abolere voluisse; sed violenta morte fuisse præpeditum. Nam, ex equo lapsus, crure fracto, non multo post, exspirauit.* Et DAMACIVS quidem illum, *Magnum* orientalis militiæ *Magistrum*, adpellat: Ὁ μέγας τῆς ἕω στρατηλάτης. Sunt ad hunc ZENONEM, Magistrum militum, & Consulem, duæ THEODORETI epistolæ, quibus necdum illum sacro Baptismate initiatum fuisse, testatur. Ceterum, ex hoc PRISCI loco, manifeste sequitur, hanc *Maximini* legationem ad ATTILAM, quæ hic luculenter describitur, *Zenone*, & *Posthumio* Coss. sub exitum anni; quod confirmare etiam videtur MARCELLINVS, in Chronico; administratam fuisse. Certe PRISCVS, paullo post, §. XXII. fine, de *Areomindo*, tamquam superstite adhuc, loquitur. qui sequenti demum consulatu obiit, teste eodem MARCELLINO. *Idem.*

illi vxor daretur, aut ea, quæ erepta fuerat, aut etiam alia, quæ dotem adferret. Quamobrem, per cœnæ tempus, *Barbarus* (f) iuſſit *Maximino*, vt Imperatori diceret: *Non oportere* Conſtantium, *ſua ſpe falli*; *& ab Imperatoris dignitate alienum videri, mendacem eſſe.* Hæc ATTILAS, *Maximino* in mandatis dabat propterea, quod *Conſtantius* illi, ingentem pecuniæ ſummam daturum pollicitus erat, ſi eius ſtudio, & opera, vxorem, e *Romanis* puellis, locupletem (g) duceret. Adueniente nocte, a cœna diſceſſimus.

## §. XXII.

Tribus deinde diebus elapſis, muneribus (a) donati, dimiſſi ſumus. ATTILAS quoque, *Berichum*, (b) virum e Scythiæ primoribus, multorum vicorum in Scythia dominum, & qui in conuiuio, eodem, quo nos, ordine, ſed ſuperiore loco, ſederat, nobiſcum, legatum ad Imperatorem, miſit. Hunc enim, & alias, *Romani* pro legato admiſerant. Nobis autem iter conficientibus, & ad quendam vicum adpellentibus, captus eſt vir Scytha, qui a *Romanis* explorandi (c) gratia, in barbaram regionem deſcenderat, quem crucis ſupplicio affici ATTILAS præcepit. Poſtridie etiam, dum per alios vicos progrederemur, duo, qui apud Scythas ſeruitutem ſeruiebant, manibus vincti poſt terga, trahebantur, quod his, quos belli caſus, ſuæ vitæ, necisque dominos feciſſet, vitam eripuiſſent. Hos, immiſſis, inter duo cornua lignea, (d) capitibus, in cruce necarunt. *Berichus* (e) vero, vſque dum Scythia exiuimus, communi, eademque via, nobiſcum iuerat, & placidus, & amicus viſus erat. Vt *Iſtrum* (f) traiecimus, propter quaſdam vanas cauſſas, a ſeruis profectas, nos inimi-

f) Laudanda hæc ATTILAE cura eſt, atque contentio: quod *Conſtantii*, familiaris ſui, rem, apud *Theodoſium*, acriter adeo vrſerit; niſi hoc, quidquid erat ſtudii, iterum iterumque, *auri ſacra fames*, exacuiſſet. Enim vero, ſi PRISCO credimus, partem dotis, quam *Conſtantius* vnice, atque cupidius multo, quam vxorem aucupabatur, capturum ſe, ATTILA ſperabat. Nimirum: *Lucri ſuauis odor ex re qualibet.* Dicterii originem, lege apud SVETONIVM, in T. FL. VESPASIANO, Cap. XXIII. 7. Huc reſpexit haud dubie IVVENALIS, Satyr. XIII. verſ. 204.

g) Adeo, in aula ATTILAE, difficile fuit, quantæuis dignitatis reperire hominem, qui non auro, argentoque, ad inſaniam vſque, ſtuduiſſet:

*Regis ad exemplum.*

a) Quod ſilet munera PRISCVS, parca eſſe oportuit, & pro ingenio ATTILAE, demenſa. Sicuti adparet infra, equis conſtiterunt, atque pretioſis ferarum pellibus. quibus *Hunnorum* reges, ad ornatum vtebantur. Videſis, §. XXV. dona *Anatolio*, & *Nomio* data.

b) Hunnis, *Berek* dictum fuiſſe credo. quod *Hungaris*, dumum ſignificat. Iterata is nunc legatione, ad *Romanos*, defungitur, homo Scythicæ reuera indolis.

c) Hæ iſtiuſmodi offenſæ, quales hic recenſet PRISCVS, locum faciebant querelis, quibus ſe mutuo *Hunni*, & *Romani*, inſectabantur: vt mirum haud ſit, excanduiſſe frequentius, in tam irrequietos vicinos, ATTILAM.

d) Factum hoc ab *Hunnis* eſt; partim ad ignominiam; partim ad cruciatus ſupplicii augendos, vt inter lignea cornua, capita ſuffigendorum cruci, immitterent.

e) Quæ ſequuntur, illiberalem, immo agreſtem prorſus *Berichii*, ſeu *Bereky*, indolem teſtificantur. Manſuetiora omnia, magisque decora, tanti regis, quantus reuera fuit ATTILA, legatum decuiſſent. Scilicet:

*Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem*
*Teſta diu.* HORATIVS, Lib. I. Epiſt. II. verſ. 69. 70.

f) ISTER proinde tunc, ex *Romanorum* ſententia, diſterminator fuit, *Hunniaci*, & *Conſtantinopolitani*, imperii; ſed reuera, & vltra *Iſtrum*, ſuæ ATTILAE fuere ditiones.

inimicorum loco habuit. Et primum quidem, equum, quem *Maximino* dono dederat, ad ſe reuocauit. Etenim, ATTILAS, omnes Scythiæ principes, qui in eius comitatu erant, donis *Maximinum* ornare iuſſerat, & vnusquiſque certatim illi equum (g) contulerat, inter quos & *Berichus*. At ille, cum frugi ſe probare, & moderationis gloriam reportare ſtuderet, ex equis oblatis, paucos acceperat, reliquos reiecerat. *Berichus* igitur, equum, quem *Maximino* dederat, ademit, neque deinceps eadem via ire, aut conuerſari nobiſcum inſtituit. Itaque, hoſpitalitatis teſſera, in barbara regione contracta, eo vſque progreſſa eſt. Hinc per *Philippopolim*, ad *Adrianopolim*, nobis iter fuit. In hac ciuitate, paullum moræ trahentes, & quieſcentes, *Berichum* ſumus ſermone adgreſſi, & cum eo, quod tamdiu erga nos ſilentium tenuiſſet, expoſtulauimus. Itaque, eo placato, & ad cœnam inuitato, ab *Adrianopoli* mouimus. In itinere, *Bigilam*, qui in Scythiam reuertebatur, (h) obuium habuimus; quo edocto, quæ ATTILAS ad legationem noſtram reſponderat, cœptum iter continuauimus. Vt *Conſtantinopolim* venimus, *Berichum* exiſtimabamus, iram abieciſſe; ſed agreſtis, & feræ ſuæ naturæ, minime eſt oblitus. Nam, *Maximinum* inſimulauit, dixiſſe, *Areomindi* (i) & *Aſparis*, exercituum ducum, auctoritatem, apud Imperatorem nullius eſſe ponderis, & cum barbarorum leuitatem & inconſtantiam notaſſet, eorum geſta, in nullo pretio habenda.

## §. XXIII.

Reuerſum *Bigilam*, (tum forte contigerat ATTILAM, in his locis eſſe, vnde profectus fuerat) circumſtantes barbari, ad id præparati, comprehenderunt, & manus in pecunias, quas *Edeconi* adferebat, iniecerunt, & eum ad ATTILAM adduxerunt. Is, ex eo quæſiuit: (a) cuius rei gratia tantum auri adportaſſet? Ad ſubſidia rei familiaris, reſpondit, & vt eorum, qui mecum ſunt, neceſſitatibus prouiderem, ne rerum neceſſariarum inopia, aut equorum, aut aliorum animalium, vecturæ aptorum, penuria, quæ per longa itinera deperierant, a ſtudio obeundarum legationum, auocarer. Præterea, in redemptionem captiuorum. Multos enim ex *Romanis* a ſe magnopere petiiſſe, vt proximos ſuos redimeret. Cui ATTILAS: ſed neque iam, *O dira beſtia*! Bigilam adpellans; vllum tibi, tuis cauillationibus, iudicii ſubeundi, patebit effugium: neque vlla ſatis iuſta, & idonea cauſſa erit, qua meritum ſupplicium euita-



nes. quod ſupra vidimus. Ergo, *Scythiam* terminabat, eâ tempeſtate *Iſter*, non imperium *Hunniacum*: nam, huius termini, *Anatolio* demum, & *Nomio* legatis, infra §. XXV. definiti ſunt ab ATTILA.

g) Donum videlicet militare, quo, nullum a ſe proficiſci putabant, pretioſius: cum contra ea, *Hunni*, nihil, niſi aurum, qua ſe dabat occaſio, venarentur.

h) Iſthuc erat damnatus *Bigilas*, ſupra §. X. fine. proditarum inſidiarum ignarus adhuc, vt *Conſtantinopolim*, cum *Eſla*, rediret, transfugarum repetendorum cauſſa, vti obtendebat ATTILA; reuera autem, vt pactum *Edeconi*, atque inter conſpirationis ſocios, diſpertiendum aurum, adportaret. quod & ſecum habebat infelix homo.

i) De *Areomindo* nunc dixi. ad §. XXI. not. *d*.

a) Prudenter ſane, pedetentim & gradatim, criminis, omnium maxime capitalis, inquiſitionem, exorſus eſt ATTILA; vt quæſtionibus irretitus *Bigilas*, non repererit, quo ſe verteret. Nempe:

*Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua.*

SENECA Thyeſte, Actu II. verſ. 311.

euitare poſſis. Longe enim maior ſumma eſt, quam, qua tibi ſit opus ad ſuſtentandam familiam; vel etiam, quam impendas in emptionem equorum, vel animalium, vecturæ aptorum; vel liberationem captiuorum: quorum tamen omnium, iam dudum *Maximino*, & his, qui cum eo erant, interdixi commercium. Hæc dicens, filium *Bigilæ* (is tum primum patrem ſequutus, in barbaram regionem venerat) enſe traiici (b) iubet, niſi pater palam faceret, quem in vſum, & quam ob cauſſam, tantum auri aduexiſſet. Ille, vt vidit filium morti addictum, ad lachrymas conuerſus, ius implorare, & enſem in ſe mitti debere, non in filium, qui nihil commeruiſſet. Nec cunctatus, omnia clandeſtina conſilia, quæ a ſe, ab *Edecone*, & *Eunucho*, & Imperatore, in ATTILAM compoſita fuerant, aperuit, & ad preces prolapſus, orare & obteſtari, vt ſe occideret, & filium, nihil promeritum, liberaret. Cum autem ATTILAS, ex his, quæ *Edecon* ſibi detexerat, *Bigilam*, nihil mentitum, perſpiceret, in vincula duci præcepit: a quibus non prius eum exſoluturum minatus eſt, quam eius filius, in eam rem dimiſſus, alias centum auri libras, (c) pro vtriuſque liberatione, exſoluiſſet. Et *Bigilas* quidem, in vincula eſt coniectus; filius autem, ad *Romanos* rediit. Miſit etiam ATTILAS *Oreſtem* (d) & *Eslam*, Conſtantinopolim.

## §. XXIV.

Hinc ATTILAS, illinc *Zeno*, *Chryſaphium* (a) ad pœnam depoſcebant. Omnium autem in eum animis, & ſtudiis inclinatis, (b) viſum eſt, ad ATTILAM le-

b) Nequeo a me impetrare, vt credam, reuera hoc inuſitato ſupplicii genere, ſcelus patris, in filio vlciſci voluiſſe ATTILAM: non eſt ita! confeſſionem, hoc iniecto metu, vaferrimo, ſanguinolentiſſimoque homini, de inſtructis vitæ ſuæ inſidiis, & harum adminiſtris, extorquere ſtatuit. Fit interim toto die, vt:

*Crimina ſæpe luant nati ſcelerata parentum.* EVRIPIDES apud *Plutarch.*

Ergo, durities ATTILAE tota; ſi cura ac ſtudium vitæ, regnique ſeruandi, tutandi aduerſus ſanguinolentas inſidias, durities dicenda eſt; huc pertinebat, vt procliuem, facilemque ſceleris cognitionem, faceret,

*Multa nam trepidus ſolet*
*Detegere vultus: magna, nolentem quoque,*
*Conſilia produnt.* SENECA *Thyeſte*, Act. II. verſ. 330.

Neque enim ea feritate fuit ATTILA, quam in *Caligula*, Cæſare crudeliſſimo, notat SVETONIVS, Cap. XXVII. *Parentes*, inquit, *ſupplicio filiorum intereſſe cogebant. Quorum vni, valetudinem excuſanti, lecticam miſit; alium, e ſpectaculo pœnæ, epulis ſtatim adhibuit, atque omni comitate, ad hilaritatem, & iocos, prouocauit.* Adde, DIONEM, LIX. p. 660. Et SENECAM, de *Ira*, II, XXXIII. p. 37. edit. *Lipſii* fol.

c) Tantillo auri pondere, bellum omnium futurum atrociſſimum, ſuppreſſum, mirere Lector! Certe enim, haud crimini dari potuiſſet ATTILAE, ſi conflatas aduerſum ſe, ab Imperatore, inſidias, emptos item percuſſores, bello finibus *Romanorum* illato, vltus fuiſſet,

*Fremere iam totus ſuis*
*Debebat armis orbis:*
*Iam flammis agros*
*Lucere ac vrbes decuit; ac ſtrictum vndique*
*Micare ferrum.* SENECA *Thyeſte*, Actu II. verſ. 130.

d) Vtrumque, legatione *Conſtantinopolitana*, iam ante perfunctum. Caput legationis fuiſſe credo, vt *Theodoſio*, conflatum in ATTILAM ſcelus, exprobrarent, & metum, ſequuturæ hinc calamitatis, iniicerent.

a) Hæc, ad Cap. I. §. IV. referenda eſſe, rerum nexus admonet.

b) Mos iſte aulicorum eſt, vt, ſi quem valere apud principem, gratia cognoue-runt;

LAM legatos mittere, *Anatolium*, & *Nomium*: Anatolium quidem, regiorum tributorum præfectum, (c) & qui pacis, cum barbaro initæ, conditiones proposuerat; *Nomium* (d) vero, Magistri dignitatem gerentem, & in numerum patriciorum, vna cum *Anatolio*, adlectum. Eo illi, per omnes honorum gradus ascenderant. Missus vero est, cum *Anatolio*, *Nomius*: (e) non solum, propter dignitatis amplitudinem; sed etiam, quia erat beneuolo, in *Chrysaphium*, animo, & apud barbarum gratia, & auctoritate, plurimum valebat. Propterea, quod ad eius se rationes adiunxerat, cum ei, qui res, quæ tunc erant, componere cuperet, minime pecuniis parcendum esse, censuerat. Et illi quidem mittebantur, quo ATTILAM, ab ira dimouerent, (f) & pacis conditiones obseruare persuaderent. Qui dicerent quoque: *Constantio*, nuptum datum iri puellam, minime *Saturnilli* (g) filiæ, genere, & opibus inferiorem. Illam enim, minime gratum (h) huiusmodi matrimonium habuisse: itaque, secundum legem, alteri nupsisse. Nec enim apud *Romanos* fas esse, mulierem inuitam, viro collocare. Misit & *Eunuchus* aurum ad barbarum, quo mollitus ab ira, deduceretur.

## §. XXV.

*Anatolius*, & *Nomius*, Istro transmisso, ad *Drenconem* (a) fluuium vsque, (sic enim adpellant) penetrarunt. Illic ATTILAS, pudore & reuerentia tanto-

T 2

runt; quod de *Chrisaphio*, PRISCVS, supra Cap. I. §. III. p. 8. adseruit: hunc, etsi homo sit perditissimus; omni officiorum genere, prosequantur. qua hic felicitate visus est *Chrysaphius*.

c) Male CANTOCLARVS vertit: regiorum tributorum præfectum. Ego, *Magistrum Militum Præsentalem*, interpretor. Fuerat hic *Anatolius*, antea, *Magister Militum Orientis*, vt testatur THEODORETVS, in epistola XLV. & MARCELLINVS, in Chronico. quo reuocato, vt *Præsentale Magisterium* adiret, Zeno Isaurus, in eius locum subrogatus est. PRISCVS, Cap. II. §. XXI. not. *e*. p. 71. *Valesius*.

d) Hæc verba perperam vertit interpres; quia notionem verbi ἀναβαίνειν, minime intellexit. Verte igitur: *Nomium vero, ex Magistro Officiorum vtrumque Patricium, quæ dignitas ceteris omnibus antecellit.* Idem.

e) Totum hunc locum, qui ab interprete male acceptus est, ita verte: *Missus vero est, cum Anatolio, Nomius, non solum, ob dignitatis amplitudinem; sed etiam, quia amicus erat* Chrysaphio, *& Barbarum muneribus capturus, sperabatur. Erat enim oppido liberalis, nec pecuniæ parcebat, vt negotium, quod semel susceperat, ad effectum perduceret.* Idem. In aliam hæc interpretatio sententiam abit, & vti Græco textui prorsus respondentem, ita luculentam omnino. Ceteroquin, laus legati, si consentiant reliqua, non postrema est, si sit, *cum ratione, liberalis.*

f) Durum necessitatis telum! eadem hac tempestate, legatos ad ATTILAM, mittere, qua eum, paullo ante, in perniciabiles insidias, *Romani* conabantur præcipitare. Præfricta huc sane fronte opus fuit: præsertim, quod THEODOSIVS ipse, fax & tuba fuit maleficii. Sed, confidebant, *auro* placatum iri ATTILAM. quod & ita euenit.

g) Lege, *Saturnini*, iuxta §. XXI. notam *d*. p. 71.

h) Aut hæc falsa sunt, quæ in mandatis habebant legati, vt referrent ad ATTILAM; aut *Zenonis*, ob impeditum matrimonium istud, accusatio, quam habes, ante §. XXI. Ita tunc, cum se nefariis consiliis permisere *Romani*, inter verum & falsum, irrequieti fluctuabant. Eccur enim *Theodosius*, bona puellæ, ira percitus, in fiscum redegit. Cap. I. §. IV. *fine*; si Zenonis intercessione, perturbatum fuit *Constantini* matrimonium? non video.

a) Habuimus fluuii mentionem supra, Cap. II. §. XI. vbi *Drecon* PRISCO dicebatur: *hic Drenconem*, nisi scribæ sit error, vocat. At IORNANDES, *Driccam* adpellat. de quo alibi plura coniectabimus.

tantorum virorum motus, (b) ne longioribus itineribus defatigarentur, cum illis collocutus eſt. Initio quidem, multa ſuperbe, & inſolenter differens, (c) tandem magnitudine munerum, (d) æquior factus eſt, & blanda legatorum oratione delinitus, ſe pacem ſeruaturum, ſecundum (e) conuentiones, iurauit. Se quoque omni regione (f) trans *Iſtrum*, tanquam *Romanorum* iuris, ditionisque, cedere, neque porro Imperatori, de profugis reddendis moleſtum futurum; modo *Romani* in poſterum, a transfugis admittendis, temperarent. Liberauit & *Bigilam*, numeratis centum auri libris, quas *Bigilæ* filius, cum legatis in *Scythiam* veniens, adtulerat. Tum & *Anatolio*, & *Nomio* gratificans, quamplurimos captiuos, illis, ſine vllo pretio, conceſſit. Poſtremo, donatos equis, & ferarum pellibus, quibus *Scytharum reges*, ad ornatum vtuntur, (g) dimiſit.

---

b) Adeone vero ruſticus fuit ATTILA, vt *Anatolium*, *Nomium*que, inſignes quidem dignitate, ſed nouos tamen homines, pudore contactus, reuereretur? Aberat, & procul quidem aberat, ab ATTILA, infans hic pudor! Certe, iſtud idem poſcebat a Romanis, vti viros ad ſe, gratia dirimendarum controuerſiarum, mitterent; *non ex quolibet hominum genere; ſed ex conſularibus, quos liberet.* Cap. I. §. III. p. 8. *Pudor*, enim, *reuerentia eſt*, *inferioris erga ſuperiorem*; non contra. LIVIVS, V, 46. Ita reor; dediſſe id magnanimitati ATTILAM, vt, cum iuſſis ſuis ſatisfactum ſit a *Romanis*, miſſique ſint ad ſe viri præcipuæ dignitatis, eodem eos loco, quo deprehenſus fuit, audiret, neque longis itinerum ambagibus, quod fecit alias, circumduceret.

c) Dic, ſodes, PRISCE! tecum enim res mihi nunc eſt: quid THEODOSIVS tuus facturus fuiſſet? ſi maleficii hoc genus, ATTILA in eum conſciuiſſet; ſubornauiſſet, emtos, multo auro, percuſſores; atque ſceleratiſſimum facinus, neceſſariæ obtentu legationis, tamdiu occuluiſſet? dum commode perpetraretur. Credo equidem, tametſi princeps fuerit moderatus, *Herculem* tamen *furentem* æmulaturum, eiusque cantilenam, ſuam facturum fuiſſe:

*Cur diem queſtu tero?*
*Mactetur hoſtis!*

Nempe, in ATTILAM, ille, tanti architectum maleficii, omni furoris genere, tum demum ſæuire deſiiſſet, cum inuiſum ſibi caput, miſiſſet ad tartara. Tu vero, mi PRISCE! *ſuperbiam* dicis, atque *inſolentiam*, quod concitatiore forte oratione, de perfidia, de iuris naturæ ac gentium, neglectu, ſerio expoſtulauit, cum legatis. Quapropter, neque *ſuperbe*, neque *inſolenter*, actum ab ATTILA quidquam eſſe, fateare oportet. Immo, deſes fere, ac lentus, in vlciſcenda ea iniuria, exiſtimandus eſt.

d) Id vero eſt, quod præfidentes, ac feroces ſubinde *Romanos*, aduerſus ATTILAM, faciebat: quod experiundo didicerunt; auro, offenſas omnes, apud placabilis animi principem, nullo negotio poſſe obliterari. Hoc ni fuiſſet, *Conſtantinopolis* profecto, & *Roma*, vel ruderibus nunc iacerent ſepultæ, vel iugum ferrent ATTILAE, ac barbarorum. At vero, *ſic erat in fatis!*

e) Conuentiones has, recole Cap. I. §. II. p. 3. De formula iurisiurandi, vide Cap. II. §. III. p. 26.

f) MOESIAM vtramque, inde a *Singidone*, vtramque item THRACIAM, ad *Cherſoneſum* vſque cognominem, intellige. quas ille regiones, ſuo, & BLEDAE fratris ductu, bellis ſuperioribus, euaſtatas, ſui iuris fecerat. Vide, Cap. I. §. III. p. 7. not. 1. ſequ.

g) Legant hæc, & apud animum, præiudicatis opinionibus vacuum, procul odio gratiaue, rite expendant, quibus, iniqua hactenus, de ATTILA fuit opinio: plane confido fore, vt fateantur, nihil hic reſidui feciſſe, principem incomparabilem, quo non *Alexandro* M. *Iulio* Cæſari, *Auguſto*, vel ſummis quibusque viris aliis, ſi non anteferri, ſaltem æquiparari, poſſit. Nam, inſidias quidem, a *Theodoſio* ſibi ſtructas, obliuione deleuit; pacem, dolis malis *Romanorum* conuulſam, inſtaurauit; bello partis regionibus, vltro, lubensque ceſſit; *Iſtrum*, diſterminatorem imperiorum,

nec ro-

dimisit. Comitem illis addidit *Constantium*, vt Imperator re confirmaret, quæ verbis promiserat. Vt legati redierunt, & cum ATTILA, vltro citroque acta, transactaque percurrerunt, *Constantio* nuptui datur, quondam vxor *Armatii*, filii *Plinthæ*, (h) qui apud *Romanos* exercituum dux fuerat, & *Consulatum* inierat. Ille, in *Lybiam* profectus, acie cum *Ausorianis* (i) decertauerat, & prospere pugnarat; mox morbo correptus, vitam finierat. Eius vxori, forma, genere, & diuitiis conspicuæ, post mariti obitum Imperator, nubere *Constantio* (k) persuaserat. Sed, sopitis omnibus, ad hunc modum, cum ATTILA, controuersiis, *Theodosium* (l) nouus timor occupauit, ne *Zeno* tyrannidem inuaderet.

## §. XXVI.

Cum ATTILAS tributum, cum *Theodosio* conuentum, peteret, (a) aut bellum minaretur, & *Romani* se illi, per legatos satisfacturos, respondissent; missus est *Apollonius*. (b) Hic erat frater eius, qui *Saturnilli* filiam duxerat in vxorem, quam Theodosius *Constantio* promiserat, *Zeno* vero *Ruffo* collocarat, qui tunc in viuis esse desierat. Itaque, *Apollonius*, *Zenonem* cognatione contingebat, & ducis dignitate auctus, legatione functurus, ad ATTILAM missus erat. Sed, transmisso *Istro*, minime aditum ad ATTILAM nactus est. Etenim, ATTILAS, ira æstuans, (c) quod sibi tributum, & stipendium, a *Theodosio*, & optimis quibusque, rerum Imperatoris studiosis, & cupidis, constitutum, non solueretur, legatum minime admisit, eum, a quo missus erat, ludibrio habens.

U Quo

nec rogatus, constituit; transfugarum, litigiosum illud negotium, sustulit; captiuos, sine lytro, restituit; legatos denique, & benigne habuit, & dimisit clementer.

h) De *Plintha* dixi, Cap. II. §. I. not. *f.* p. 25. qui, quod legationis, ad RVAM, Hunnorum regem, prouinciam, cupidius, quam pro rei dignitate, ambiebat, suspicionem sibi, apud æquos actionum existimatores, collegit, fidei, non vsquequaque integræ.

i) AVSTORIANI, seu *Austuriani*, gentes *Africæ* propriæ, circa *Leptim*, & *Tripolim*. Memorantur AMMIANO MARCELLINO, Lib. XXVIII. Cap. VI. p. m. 417. vbi, trinam eorum, in *Romanorum* ditionem, crudelemque impressionem, fuse memoratam leges.

k) Habet tandem *Constantius*, os, quod rodat, vxorem, scilicet, diuitem.

l) ZENONEM hunc FLAVIVM, supra descripsit noster, §. XXI. sed & nos, præeunte *Henr. Valesio*, ibid. not. *d.*

a) Cape hinc argumentum *Lector!* qua fide, quaque constantia, pacis, toties cum *Hunnis* coalitæ, leges obseruarint *Romani*. Quanta moderatione, quanta item, augustalis animi significatione, priorem legationem, ATTILA acceperit, dimiseritque, nunc admirati sumus: at vero, quam se ingratum, durum, immo iniquum in ATTILAM, iterum iterumque præstiterit *Theodosius*, tardus sit oportet, qui non aduertat. Neque tamen erubescant *Romani*, si quid aduersi eis ab *Hunnis* euenisset, tyrannidis accusare ATTILAM; cum tamen fabri essent suæ ipsorum fortunæ. Nimirum, mercabantur illi quidem pacem; sed græca fide.

b) Fuit APOLLONIVS hic *Rufi*, eius, cui *Zeno* filiam *Saturnini*, præreptam *Constantio*, tradiderat, frater, vide §. XXI. VALESIVS existimat, eundem hunc *Apollonium*, qui nunc *Magister militum*, ob augendam legationis dignitatem, Consulatum, cum *Magno*, iniisse. Sunt, ad eum, aliquot THEODORETI epistolæ, qui etiam *Rufi Comitis*, meminit, Epist. LXXIX.

c) Habuit omnino, cur ira æstuaret, aduersus *Theodosium*, cum quo nuper, pacem instaurauit, omnium æquissimam. Is iam, & *tributa* negat, *stipendia*que, & bellum meditatur importune, quod, ex *Apollonii* oratione, hoc loco, adparet.

Quo tempore, *Apollonius*, magnanimi viri facinus ausus esse dicitur. Etenim, quamuis ATTILAS, minime ratam haberet eius legationem, neque sui conueniendi potestatem facere vellet; nihilo secius, dona, quæ ad eum ab Imperatore *Apollonius* adtulerat, sibi tradi (d) postulabat; ni daret, mortem illaturum minabatur. *Apollonius* autem respondit: (e) non decere, *Scythas*, in aliqua dubitatione versari: vtrum dona, an exuuias accipiant, cum ea res esset in eorum arbitrio posita; indicans, dona quidem a lubentibus & volentibus, accepturos, si se tanquam legatum admitterent; sin minus, quæ eriperent, spolia potius, quam munera, censeri debere.

## §. XXVII.

MARTIANVS, (a) Romanorum orientalium Imperator, ad *Gensericbum*, post *Romam* ab eo, *Auito* imperante, dirutam, legatos misit, qui iuberent: ab *Italiæ* vastitate abstinere, & vxorem *Valentiniani*, (b) & eius filias, in captiuitatem abductas, libertati restituere. Sed legati, re infecta, in orientem reuersi sunt, neque quicquam eorum, quæ a *Martiano* imperata fuerant, facere, aut liberare mulieres voluit. Quamobrem, *Martianus*, iterum litteras ad *Gensericbum* scripsit, per *Bledam* legatum. Erat autem *Bleda* (c) Episcopus, hæreseos

d) Gratam, acceptamque ATTILAE hanc voluntatem habere debuerat, *Apollonius*, quod dona, quæ ex legationis more secum tulerat, in tributorum rationes imputare victor censuerit. Prædamnauit, hoc legati facinus, quisquis est eius fragmenti auctor, quod ex codice manuscripto, *Prisci* Ecclogis præmittitur: *Quomodo oporteat Legatos accipere, aut Legatos mittere*, quod consule circa finem. Non ergo mea quidem sententia, magnanimi viri facinus, hac sua obstinatione, edidisse censendus est.

e) Responsum hoc, quorsum valuerit, nescio; neque video aliud quidquam, eo patrauisse *Appollonium*, quam quod tributa, quibus pendendis obstricti erant *Romani*, fastoso *donorum* vocabulo, vt ægre faceret ATTILAE, adpellauerit, irrritaueritque, præter rationem, crabrones. Egregium scilicet, magnanimi viri, facinus!

a) Quæ sequuntur, ad finem vsque fragmentorum PRISCI, non amplius, ad ATTILAM pertinent; recognoscenda erunt tamen, ne non intellecta, offensum dimittant Lectorem.

b) Quomodo in potestatem *Genserici*, Valentiniani, vidua, & duæ huius filiæ, *Eudoxia*, atque *Placidia*, venerint, discas ex PROCOPIO, de *Bello Vandalico*, Lib. I. p. m. 187. EVDOXIA, *Valentiniani*, quem *Maximus*, tyrannus, e medio sustulerat, vidua, tametsi in matrimonium *Maximi* consensisset; necem tamen prioris mariti, quam ei imprudens tyrannus, inter mutuos in toro amplexus, confessus fuerat, vltura, *Gensericum*, ex *Africa* aduocat, vtque cædem VALENTINIANI ferro persequeretur, ritu femineo, quam cupidissime rogat. *Gensericus igitur, auaritia in primis permotus, speque opum maxime consequendarum, ingenti classe in Italiam adnauigans, Romam, nullo aduersante, facile ingreditur.* Maximum, *e vestigio Romani fugientem insectati, lapidibus obruunt, membratimque discerpunt. Gensericus vero*, Eudoxiam, *simul cum* Eudocia *&* Placidia, *eius ex Valentiniano filiabus, capit, gazamque omnem imperatoriam, in nauibus positam, secum in Africam tulit: ac, si quæ erant Romæ decora, inter quæ Iouis Capitolini tegularum, ex ære auratarum, partem dimidiam, abripuit. Vnam vero, ex his nauibus, vbi statuæ fuerunt, tempestate periisse dicunt, ceteras incolumes in Africam delatas. E captiuis mulieribus* Eudoxiam, *Honoricho filio*, Placidiam *vero, Olybrio, nobili Senatori Romano, locauit: quam* Placidiam, *simul cum* Eudoxia *matre, rogante Imperatore* Leone, *Constantinopolim misit, qui post* Martianum, *Asparis opera, imperio successerat.* Hæc PROCOPIVS; sed, de legatione *Martiani*, silet.

c) Fuit ea ætate, vulgatum BLEDAE nomen, originis, vti quidem reor, *Gothicæ, Van-*

ſeos *Genſerichi.* *Vandali* enim, *Chriſtianorum* cultum, & religionem amplexi fuerant. Hic, vbi ad *Genſerichum* acceſſit, atque alienum a ſua legatione perſpexit, in verba ſuperbiora erupit. Non bene ceſſurum, licet illi ſecundæ res animos facerent, ſi bellum cum *Romanorum* Imperatore contraheret. Sed, neque vlla verborum lenitas, quantumuis a legato vſurpata, neque incuſſus timor, illum ad vllam animi æquitatem, aut moderationem, vt mulieres redderet, pertrahere potuerunt. *Bledam* enim, irrita legatione, dimiſit, & rurſus in *Siciliam*, & proxima *Italiæ* loca, exercitum immittens, omnem regionem vaſtauit. *Auitus* (d) quoque, *Romanorum* occidentalium Imperator, ad eum legatos miſit, qui monerent, vt fœderum, pridem cum illo initorum, meminiſſet, & vt ea ſibi obſeruanda ſtatueret; ſin minus, ſe, & domeſtico exercitu, & auxiliariis copiis fretum, bellum adparaturum. *Romani*, (e) in *Colchidem* profecti, bello aduerſus *Lazos* decertant, nec multo poſt *Romanorum* exercitus, ad ſua rediit. Cum autem Imperator denuo bellum repetere præpararet, conſilium habuit, an eadem via inſiſtens, an per Armeniam, *Perſarum* ditioni confinem, fide prius a *Parthorum* Monarcha accepta, bellum inferret. Etenim, cum *Colchidis* ora eſſet importuoſa, neque loca vadoſa præternauigare poſſet, mare ſibi vndequaque infeſtum exiſtimabat. *Gobaſes* quoque, legatos miſit ad *Parthos*, & ad Imperatorem *Romanorum*. Et *Parthorum* quidem monarcha, quia bellum illi erat cum *Hunnis*, quos *Cidaritas* vocabant, *Lazos*, ad ſe confugientes, reiecit.

## §. XXVIII.

Cum *Balamerus* (a) *Scytha*, fœdera violaret, & Romanorum regiones depopularetur, & multas vrbes euerteret; *Romani* ad eum legatos miſerunt, qui de pace violata quererentur, & vt deinceps, a vexanda incurſionibus Romanorum regione abſtineret, decem & nouem auri libras illi quotannis ſolui conſtituerunt. Dicebat enim, ſuæ gentis multitudinem, rerum neceſſariarum inopia, ad bellum inſurrexiſſe. *Genſerichus*, (b) cum non amplius fœderibus,



*cæ*, *Vandalicæue.* quod, ſi ex *Germanicæ* linguæ, qualis fuit *Gothorum*, & conſobrinorum populorum, ſignificatione, interpreteris, *Blöde*, infirmum, habetem, mollemque animo virum, notat. *Sarmatæ*, idem, vocabulo *Blady*, ſignificabant.

d) Fl. Maecilivs Avitvs ; nam ita referunt numi. Hunc *Maximus*, tyrannus, quem ſuperiore nota *b. Genſerico*, Romam, maleficio *Eudoxiæ*, occupante, occiſum diximus, *Præfectum* prætorio, creauit ; poſteaque ſublato *Maximino*, a S. P. Q. R. Imperator occidentis inauguratus, cum Imperatore orientali *Marciano*, & *Theoderico*, Gotthorum rege, fœdus iniit: quorum ſocietate fretus, hanc, ad *Genſericum*, legationem miſit. Idativs. Fuit domi, militiæque ſpectatus, nobiliſſimo ortus genere ; ſicuti eum ad cælum tollit C. Soll. Sidonivs Apoll. in Panegyr. Lib. VII. Carm. VI. & VII. p. m. 74. ſeq. qui tamen, ſe ab aſſentatione abſtinere non potuit: quippe, *ſocerum* dilaudans ; *Papinnellam* enim, Aviti filiam, habuit in matrimonio. Senatum Romanum, Conſulatu eum, vna cum imperio, quadrimeſtri poſt, abdicauiſſe, Savaro, commentator *Sidonii*, adfirmat.

e) Geminata hæc, in *Colchidem*, aduerſus *Lazos*, expeditio *Romanorum* orientalium fuit. De *Colchide*, & *Lazis*, vide Cap. I. §. VII. not. *a*. p. 15.

a) Caue Balambervm hunc, regem illum *Hunnorum* fuiſſe putes, qui toti *Hunniaco* imperio dedit exordia, atque regnandi ordine, *Mundzaccum*, Attilae patrem, anteiuit. Non eſt ita! Quis vero tandem? Diſcas id, ex Hiſtoria Malchi, de rebus Byzantinis, in cuius fragmentis, multa, de eius actibus, ſcitu digniſſima, legas. *Valamir* dicitur Iornando, in Geticis. Filiorum Attilae debellator.

b) De his *Genſerici* expeditionibus, lege Procopivm, de *Bello Vandalico*, Lib. I. p. m. 188. ſeq.

cum *Maioriano* (c) pactis, ſtare conſtituiſſet, *Vandalorum*, & *Mauruſiorum* multitudinem, ad vaſtationem *Italiæ* & *Siciliæ*, immiſit. *Marcellinus* (d) enim, iam ante inſula ceſſerat, propterea quod maiorem exercitus ſui partem ei *Ricbimerus* (e) abduxerat, & militibus eius pecunias largiri, (erant autem fere omnes Scythæ) quo illis perſuaderet, a *Marcellino* deficere, in animo habebat. Itaque, *Marcellinus* Sicilia exceſſerat, veritus tum inſidias, tum ne, ſi cum *Richimiro* certandum illi foret, ſaluis ſibi inſulæ opibus, minime ſe recipere poſſet. Miſſa eſt igitur ad *Genſerichum* legatio: tum a *Richimero*, ne fœdera violaret: tum ab eo, qui apud Romanos in oriente rerum potiebatur, (f) vt ab *Italia*, & *Sicilia* abſtineret, & regias mulieres redderet. *Genſerichus* vero, multis ad eum, ex diuerſis partibus, legatis miſſis, non ante mulieres liberauit, quam maiorem natu ſororem Valentiniani, *Eudoxiam* nomine, *Honoricho* filio deſponderet. Tunc enim *Eudoxiam*, Theodoſii ſororem, remiſit cum *Placidia*, altera eius ſorore, quam duxit *Olybrius*. Neque eo ſecius *Italiam*, & *Siciliam* Genſerichus vaſtare deſtitit; ſed multo magis poſt mortem *Maioriani*, cum *Olybrium* ad imperium occidentis prouehere, propter (g) adfinitatem ex nuptiis, cogitaret.

## §. XXIX.

Sub *Leone*, Romanorum Imperatore, legatus pro Italis, ad *Vandalos* profectus eſt *Tatianus*, in patriciorum numerum conſcriptus. Ad *Perſas* vero, *Conſtan-*

c) Fl. Ivlivs Maiorianvs, apud *Rauennam*, poſt *Auitum*; occidentis Imperator iuſſus a militibus, *Marciano*, *Conſtantio*, & *Rufo* Coſs. teſte *Marcellino*, in Chronico. Non diu produxit imperium: nam anno quidem quarto, *Dagalaifo*, & *Seuerino*, Conſulib. apud *Detronem* fluuium interemtus eſt. *Idem.* Vide plura, apud Baronivm, in A. C. CCCCLVIII. n. 2. 3. Apud C. Sigonivm, de Occidentali Imp. Lib. XIV. Tom. Opp. I. p. 519. ſeq. Apud noſtrum denique, Cap. I. §. VIII.

d) Marcellinvs magnarum opum, quas in Dalmatia parauerat, poſſeſſor. Hunc *Leo III.* ad vindicandam ab direptionibus Vandalorum *Sardiniam*, miſerat. Sed, cum iſthic, ob ſegnitiem, an perfidiam *Baſiliſci*, qui bellum in *Africa*, aduerſus *Genſericum*, adminiſtrabat, nec quidquam profeciſſet, e *Sardinia*, in *Siciliam* transgreſſus, ibi a Vandalis oppreſſus eſt. *Idem* l. c. 535.

e) Richimervs, qui & *Ricimerus*, vir fuit illuſtris, *Comes*, *Magiſter vtriuſque militiæ*, & *Patricius*. Eius facinora, in rebus *Maioriani*, & *Seueri*, Auguſtorum: quos vtrosque, illum vi, hunc veneno, ſuſtulit, ſcriptores meminerunt. Cetera, quæ aduerſus *Genſerici* impreſſiones in *Italiam*, ſublato *Seuero*, geſſit, ſatis teſtantur; non prudentiam viro defuiſſe, neque fortitudinem; ſed moderationem, & ex æquo adminiſtrandi omnia, conſilium. Legeſis *Sigonium*, l. c. *Anthemi* demum Auguſti gener factus: fœdum dictu, quam diris modis adflictarit Imperatorem, mitem eum, ac forte etiam, in propulſandis iniuriis, lentum. Enim vero, obſeſſum in vrbe, auguſtalem ſocerum, atque poſt longam obſidionem, captum, nulla ſanguinis, nulla diadematis ductus ratione, maleficentiſſime interemit.

f) Leo is fuerat, cui *Genſericum*, *Eudoxiam*, & *Placidiam*, ad has eius preces miſiſſe, periodo ſuperiori, nota *h.* ex Procopio, memorauimus.

g) Conſtabat nimirum, adfinitatis hoc vinculum, geminis, Valentiniani filiarum, *Eudoxiæ*, & *Placidiæ* nuptiis. quarum illam, *Honorico* filio ſuo, collocauerat *Genſericus*; hanc *Olybrio*, Senatori potentiſſimo: quo eum auctoramento, in ſuas partes ſtudebat illicere; mox & Imperatorem occidentis facere. Procopivs ibidem, p. 189. Atque, creatus fuit omnino *Olybrius*, in locnm *Anthemii*, occidentalium *Romanorum* Imperator; ſed qui menſe, poſt inaugurationem, ſeptimo, ſua morte functus eſt. quemadmodum in litteras retulerunt, Marcellinvs *Comes*, Idativs, Cassiodorvs, Pavllvs *Diaconus*. C. Sigonivs, de occidentali Imp. Lib. XXIV. Tom. Opp. II. p. 543.

*Constantius*, (a) tertium Consul, & vna cum Consulatu, patriciatus dignitatem sortitus. Et *Tatianus* quidem, a *Vandalis*, intra breue tempus, re infecta, reuersus est. *Constantius* vero *Edessæ*, (b) quæ vrbs est in *Romanorum* ditione posita, & *Persis* contermina, substitit, in qua longo tempore commoratus est, cum eum admittere *Parthorum* rex differret. Tandem *Parthorum* rex, *Constantium* legatum, qui longo tempore *Edessæ* substiterat, in suam regionem admisit, & ad se venire iussit. Et rex quidem tunc temporis minime in vrbibus, sed in confiniis regionis suæ, & *Hunnorum Cidaritarum*, (c) moram trahens, cum *Hunnorum* rege bellum gerebat, propterea, quod *Hunni* minime tributum

X infere-

a) Habet PROCOPIVS, Lib. I. initio de *Bello Persico*, alterius mentionem legationis, quam *Zeno* Imperator, ad *Perosem* miserit. Eius caput *Eusebius* quidam fuit, qui, quod regem *Persarum* bello itidem *Hunniaco* implicitum deprehendit, cum *Constantio* isthoc, permiscendus haud est.

b) EDESSA, an Mesopotamiæ sit oppidum, in leua *Euphratis* situm, vti est apud PTOLEMAEVM; vel *Cœlosyriæ* vrbs, quod habet PLINIVS: non disputo; quamuis pronum fortassis fuerit adfirmare; ab vtraque regione potuisse nomen hærescere, vrbi eidem: quippe quæ, in confiniis, non longe a *Tauri M.* radicibus sederit. Lege CHRISTOPH. CELLARII Geographiæ Antiq. Lib. III. Cap. XV. p. 723. seq. Enim vero, *Edessa* Macedoniæ, nihil iststhuc adtinet.

c) Meminimus *Hunnorum Cidaritarum*, Cap. I. §. IX. not *e.* PROCOPIVS, auctores item alii, *Euthalitas* Hunnos adpellant, & abs reliquorum *Hunnorum* tribubus, peculiari cum laude, discriminat. *Nec, vt reliqui Hunni,* Nomades *sunt, vitam agentes pastoralem; sed optimam iam pridem incolunt regionem. Hi, nunquam in Romaeorum terram, nisi cum Persarum exercitu, sunt ingressi, solique Hunnorum albi sunt; neque item fœdi adspectu, neque ferarum modo, vt illi, victitantes; sed sub vno degentes principe, politicam agunt vitam inter se, & cum vicinis suis, ius, fasque colunt, æque ac Romani, & alii omnes. Fortunatiores inter eos, vsque viginti amicos habent, seu plus, si contingat. qui conuiuæ continuo sunt; quibusque communis pecunia, & potestas simul est. Decedentem ex iis aliquem, ad sepulchrum efferri mos est.* Ita de his PROCOPIVS, loco, quem nunc laudauimus. THEOPHYLACTVS SYMOCATTA, non *Euthalitas* solum, sed cum Ἐμφάσει, *Nephtalitas* etiam adpellat, Lib. VII. Cap. VII. p. 174. B. edit regiæ. Quod ei fini commemoro, vt OTROKOCSII sententiam, Orig. Hung. Parte I. Cap. XIII. quam ibidem in nota expromit, locus sit recognoscendi. *Subiit*, inquit, *ex hoc, animum meum eiusmodi cogitatio: annon hæc pars Hunnorum, ad septentrionalem orientem Persiæ, originem suam debeant, parti cuidam* Israëlitarum; *in primis tribui* Nephtalim; *a* Salmanassare, *annis circiter DCCXXXVIII. ante* CHRISTVM *natum, in Assyriam, & subiectas ei tunc regiones; Mediam, Scythis conterminam, aliasque.* 2. Reg. XVIII, 11. *abductorum, ac successu temporis, cum Scythiæ quibusdam populis mixtorum. Verum, cum non habeam aliunde huius coniecturæ argumenta euidentia; sufficiat nunc, obiter hic in margine adnotasse, vt viris eruditis, occasionem vlterius de hac re discurrendi, præbeam.* Fateor, inesse coniectationi huic, non plane nihil verosimilitudinis: in primis, si non sola etymologia, sed reliquo simul rerum habitu, quæ fuerunt cum deportatione *Israëlitarum* coniunctæ, quæque eam consequutæ sunt postea, nitatur, firmeturque. Huc ego retulerim: religionis *Iudaicæ* ritus, ad has gentes propagatos; sicut *Circumcisionis* ad *Colchos*: linguæ *Hebraicæ* cognationem, ad populos septentrionales prolatam; quod adparet, in *Lingua Hungarica*, quæ *Hunniacæ* ingenua suboles est: atque cum primis, quod ad Hunnos *Nephtalitas* adtinet: corporis habitudinem; quod *albi* erant: morum integritatem, ethnica maiorem: ac forte *Cidarim* ipsam, sacerdotibus, quin & genti *Hebrææ*, vsitatam; a qua *Hunnos Cidaritas* dictos, PRISCO præeunte, supra coniectando monuimus; nunc vero, parum abest, quin etiam atque etiam adfirmemus.

*Decadis II. Monumentum I.*

inferebant, quod illis olim *Perſarum*, & *Parthorum* reges, impoſuerant. Et regis *Hunnorum* pater, tributi illationem renuens, bellum exceperat, quod quidem vna cum regno, ad filium transmiſerat: donec *Perſis*, longiori bello defatigatis, venit in mentem, bellum cum *Hunnis* fraude finire. Itaque, *Peroſes* (ſic enim Perſarum rex vocabatur) ad CONCHAM, (d) Hunnorum regem, miſit, tanquam vellet cum illis pacem firmare, & armorum ſocietatem iungere, & illi, ſuam ſororem dare in vxorem. Illa enim erat tum forte adhuc iunior, neque dum, hic liberos vllos ſuſtulerat. Quibus ſermonibus, cum *Conchas* eſſet adſenſus, non illi quidem nuptui tradita eſt *Peroſis* ſoror; ſed alia mulier, (e) regio cultu adornata. Hanc autem *Perſarum* rex miſit, tanquam, ſi nihil eorum, quæ fingebantur, enuntiaret, regiæ felicitatis participem futuram; ſin minus, & ſimulata detegeret, mortis ſupplicium ſubituram. Non enim licere *Cidaritis* imperanti, vxorem habere ſeruilis conditionis, pro ingenua, & nobili. Cum igitur, his conditionibus, *Peroſes*, pacem cum *Hunnorum* rege ſanxiſſet, non illi diu ſua fraus vtilitati & fructui fuit. Mulier enim timens, ne, ſi forte per alios de ſua conditione certior fieret, peſſima ſe morte mulctaret, commentum indicauit. *Conchas* vero, mulierem ob veritatem detectam laudans, eam in vxorem habere perſtitit; ſed dolum ſibi factum, vlciſci conari, in animo habens, contra finitimos bellum gerere ſimulauit. In quo ſibi viris opus eſſet, non quidem ad militiam aptis; (infinitam enim ſibi horum adeſſe multitudinem;) ſed his, qui eos in aciem educerent, & bellum adminiſtrarent. *Peroſes* vero, principes, & ex ſuis illuſtriores, ad eum miſit. quorum alios, *Cidaritarum Imperator*, trucidauit; alios, truncatos ad *Peroſem* remiſit, qui renuntiarent, has illos, commiſſæ ab eo fraudis ergo, pœnas luiſſe. Itaque, inter ipſos, multo acrius, quam antea, bellum eſt excitatum, & omnibus viribus depugnarunt. In *Gorga* (f) igitur, (hoc enim erat loco nomen, in quo tunc forte *Perſæ* caſtra metabantur) *Conſtantium*, Peroſes excepit. Quem, poſtquam per quoſdam dies laute, feſtiuiterque tractaſſet, nullo grato, & conſentaneo ad legationem dato reſponſo, dimiſit. *Leo* Imperator, *Genſerichum*, barbararum gentium ducem, per nuntium (g) de de *Anthemii*

d) Nomen hoc regis, in *caſu recto* paullo poſt, CONCHAS ſonat. quod vere *Hunniacum* eſſe, nemo, niſi noſtri ſermonis ignarus, negauerit. Atque idem iſtud vocabulum, pure pute *Hungaricum* eſt, a primitiuo obſoleto, *Tſonk*, ſeu *Cſonk*, quod *truncatum* quid notat; & ab hoc ortum, *Tſonka*, *mutilatus*, *truncatus*: vt adeo Hungaris vocabulum CSONKÁS, mutilum ſignificet. qualis forte rex iſte *Cidaritarum* fuit.

e) Dirum oppido facinus, atque illi ſimile, quod apud HERODOTVM legas, Lib. III, 1. 2. 3. edit. IACOBI GRONOVII, p. 159. ſeq. Quod *Labanus*, eadem hac fraude *Iacobum* circumuenit, facinus omnino patrauit, indignum viri integritate; idem tamen, & intra familiam ſubſtitit, neque in offenſam tunc dimanauit aliorum; & quodammodo, per decori leges extortum *Labanus*, cauſſari poterat; excuſatius omnino, quam *Peroſes*, peccaſſe cenſendus eſt: cum ille quidem generum tantum offenderit, mox iterum reconciliandum; iſte, gentem colliſerit cum gente, bellumque, turpi hac fraude conſopitum tantiſper, ad eum modum inflammauerit, vt, cum ſibi, tum toti exercitui ſuo, exitium nihil dubitarit accelerare. Non meminit, turpiſſimæ fraudis, PROCOPIVS; ſed miſerabilem tamen *Peroſis*, vna cum exercitu, ac XXX. filiis, occaſum, prolixe deſcribit. Lib. I. p. 121. de *Bello Perſico*, ab *Hunnis Cidaritis*, procuratum. quem illic cognoſcat *Lector*.

f) GORGA, *Hunnorum Euthalitarum* vrbs, in Perſiæ finibus, vti eſt apud PROCOPIVM, Lib. I. de *Bello Perſico*, p. m. 118. ſeq.

g) Nun-

*themii* imperio, certiorem fecit, (h) eique bellum indixit, nisi *Italias*, & reginas liberas dimitteret. Rediit autem nuntius, & retulit, nolle ipsum denuntiationi parere; immo, eo magis bellum adparare, quod iuuenes (i) *Romani* fœdera transgressi essent.


---

g) Nuntium, eam legationem præcessisse, cuius ad §. XXVII. not. *b*. p. 78. meminimus, & quo inductus *Gensericus*, liberas, *Eudoxiam* matrem, & *Placidiam*, Constantinopolim, vti auctor est PROCOPIVS, dimisit.

h) Huc ventum fuit, vt terrarum domina, ROMA, ne principem quidem, qui rebus conuulsis moderaretur, sibi posset sufficere; sed necessum habuerit, eum a *Leone* Augusto, Constantinopoli mitti. Is erat FL. ANTHEMIVS, gener *Marciani*, NICEPHORVS CALLISTVS, Lib. XV. Cap. XI. IDATIVS in Chron. opibus & genere magnus, PROCOPIVS, Lib. I. de *Bello Vandal.* quæ eius, ad capessendum diadema, missio, incidit, *Cusæo*, & *Iohanne* Coss. A. V. MCCXIX. obsessus, captus, atque indigna nece, a *Fl. Richimero*, genero suo, vide §. XXVII not. *e*. *Marciano* & *Testo* Coss. A. V. MCCXXIV. occisus est. Hac interim, ad breue imperium admoti *Anthemii*, vsurus occasione, LEO, ad *Gensericum*, misit nuntium, sicuti meminit PRISCVS. Sed, surdo iterum iterumque, cecinit fabulam.

i) IVVENES ROMANOS, contemtim *Constantinopolitanos*, adpellat: quippe qui, epocham suam, a *Constantino* M. sint exorsi: id quod, non ignorabat barbarus.

FINIS.





# CHRONOTAXIS
## *IN*
# PRISCI RHETORIS
## EXCERPTA DE LEGATIONIBVS.

| | A. C. N. |
|---|---|
| 1. ROVAS, Hunnorum rex, cum *Amaldſuros*, *Ithamaros*, *Teneaſſios*, *Boiſcos*, ceterosque Iſtri accolas, propter initam cum *Romanis* ſocietatem, bello adgredi contendit: *Eslam*, qui Scythas profugos repeteret, *Conſtantinopolim* miſit. *Cap. II. ſſ. I. p.* 24. | 429. |
| 2. *Plinthas*, & *Dionyſius*, exercituum duces, & viri conſulares, legati ad ROVAM, Hunnorum regem, nominantur. *l. c.* | 430. |
| 3. ROVA mortuo, Hunnorum regnum, ad ATTILAM peruenit. ad quem, *Plinthas*, ex Scythia oriundus, legatus mittitur, eique, *Epigenes*, ſapientiæ laude celebris, ſocius legationis adſciſcitur. *ſſ. I. p.* 25. | 434. |
| 4. Legati Romanorum, apud MARGVM Mœſiæ, fœdus cum *Hunnis* reparant, & pro trecentis quinquaginta; ſeptingentas auri libras, quouis anno, tributi nomine, *Scytharum* regibus promittunt. *l. c.* | |
| 5. HVNNI, fœdus initum, præſtito ritu patrio, iureiurando confirmant, redditosque ſibi, *Mamam*, & *Atacam*, ex regio genere Scythas, profugos, in *Carſo*, Thraciæ caſtello, crucis ſupplicio adficiunt. *ſſ. II. p.* 26. | |
| 6. Pace cum *Romanis* facta, ATTILA & BLEDA, ad ſubigendas gentes Scythicas profecti ſunt, & contra *Sorosgos*, bellum, communibus opibus, viribusque, mouerunt. *l. c.* | |
| 7. *Scythæ*, mercatus tempore, *Romanos* adorti, in *Illyricum* irruperunt, & *Viminacium* Myſorum ceperunt; propterea, quod *Margi* Epiſcopus, in fines ſuos transgreſſus, theſauros regum expilaſſet. *Cap. I. ſſ. I. p.* 1. | |
| 8. MARGI Epiſcopus, veritus, ne Scythis dedatur, in Scythiam confugit, & vrbem, Scytharum multitudini prodidit. Ab eo tempore, barbarorum res, in diem auctiores fuerunt. *l. c.* | |
| 9. ATTILA, Hunnorum rex, propter negatum, a THEODOSIO iuniore, tributum exſulesque, Romanorum fines vaſtauit, & in *Ratiariam* vrbem, irruptionem fecit. *ſſ. II. p.* 2. | |
| 10. THEODOSIVS, Senatorem, virum conſularem, legatum ad ATTILAM mittit, qui, itinere maritimo, per *Odyſſenorum* ciuitatem, *Hunnos* adiit. *Cap. II. ſſ. III. p.* 26. | |
| 11. Poſt *Cherſonenſem* pugnam, *Romani*, cum *Hunnis*, pacem, per *Anatolium* legatum, his conditionibus fecerunt: *Profugi* Hunnis *reddantur: ſex mille auri libræ, pro præteritis ſtipendiis, ſoluantur; duo mille & centum, in poſterum, ſingulis annis, tributi nomine pendantur: pro vno quoque captiuo Romano, qui in Romanorum fines, non ſoluto redemtionis pretio, euaſiſſet, duodecim aureorum mulcta inferatur. ſſ. II. p.* 3. 4. | 438. |
| 12. Poſt pugnam *Cherſonenſem*, tam atrox, & acerba calamitas, Romanos excepit: vt, propter tributa & paupertatem, multi ſibi violentas manus intulerint; aut aptato collo laqueo, vitam finierint. *l. c.* | |
| 13. *Romani*, miſſis per *Scottam*, ad Scythas, theſauris, multos ex profugis, qui dedi reluctabantur, trucidarunt, inter quos, & præfectum *Scytharum*, regii generis. *ſſ. II. p.* 5. | |
| 14. *Acinthuntii* Thraciæ, qui parta a *Scythis* ſpolia, ſibi vindicabant, multosque ex *Hunnis*, in ſeruitutem abduxerant, barbaros captos, accepta a Scythis fide, dimiſerant. *l. c.* | |
| 15. Pace facta, ATTILA rurſus, legatos ad *Romanos* orientales mittit, & transfugas repetit. *ſſ. III. p.* 6. | |

16. AT-

16. ATTILA, vanis legatorum mittendorum occasionibus excogitatis, iterum, tertium, & quartum, legatos ad *Romanos* exmittit: vt, necessarios suos, *Romanorum* liberalitate, ditaret. *l. c.* | A. C. N. 440.

17. *Romani*, animis fracti, ATTILAM, propter *Parthorum*, *Vandalorum*, *Isaurorum*, *Saracenorum*, ac *Æthiopum* metum, colebant, eique, in omnibus, dicto audientes erant. *§. III. p. 6. 7.* 445.

18. EDECON Scytha, cum *Oreste* Romano, qui, Pœoniam ad Sauum incolebat, legatus ab ATTILA, ad Imperatorem missus, transfugas repetit, & prouinciam *Mœsiæ*, bello captam, *Hunnis* vindicat. *§. III. p. 7.* 447.

19. *Chrysaphius* Eunuchus, EDECONEM legatum, per *Bigilam* interpretem, auro corrumpere, &, vti ATTILAM, e medio tollat, ad perpetrandum facinus, inducere studet, ac fere inducit. *§. III. p. 7. 8. 9.*

20. EDECONI, aurum, ad perpetrandum facinus, promittitur, & *Maximinus*, legatus ad ATTILAM, cum *Bigila* interprete, decernitur. *Cap. I. §. III. p. 10. II. §. IV. p. 27.*

21. *Maximinus*, PRISCVM RHETOREM, socium itineris eligit, & viam, in Scythiam, *Serdicam* versus, cum EDECONE, atque ORESTE, barbarorum legatis, domum redeuntibus, init. *Cap. II. §. IV. p. 27. 28.* 448.

22. Inter *Romanos*, atque *Hunnos*, simultas quædam, apud *Serdicam* suborta est, propterea, quod THEODOSIVS, cum Deo: ATTILAS, cum homine, a *Bigila* comparatus, & neque *Orestes* eodem, quo EDECON, honore, donisque adfectus fuerit. *§. IV. p. 28. 29.*

23. MAXIMINVS, *Naissum* accedens, *Istrum* versus contendit, superatoque lembis *Istro*, & iter quindecim stadiorum emensus, in campum, saltibus interiectis, diuisum, ad tentoria ATTILAE peruenit. *§. IV. V. p. 29. 30.*

24. *Hunni*, ad inuadendos *Romanorum* fines, tanquam ad venationem, progressi sunt. *§. V. p. 30.*

25. MAXIMINVS, quoniam Scytharum primoribus, caussam susceptæ legationis adperire nolebat: *Constantinopolim* reuerti iussus est, cum comitibus suis. *§. V. p. 31. 32.*

26. EDECON, comparatam ab *Imperatore*, & *Eunucho*, in ATTILAM coniurationem, detegit, indicataque auri quantitate, quæ eam in rem destinata est: Romanæ legationis caussam enuntiat. *§. VI. p. 32. 33.*

27. SCOTTA, *Onesegii frater*, PRISCI RHETORIS persuasione, & spe accipiendorum a Romanis donorum, permotus, *Maximino* legato, accessum ad ATTILAM procurauit. *§. VII. p. 33. 34.*

28. ATTILA, admissum in conspectum sui, *Maximinum* legatum, sedens in cathedra lignea, audiuit, coniectisque in *Bigilam* probris & conuitiis, omnes *Scythicæ* nationis transfugas, reddi sibi imperauit. *§. VIII. p. 34. 35. 36.*

29. *Bigilas*, cum *Esla*, qui transfugas Scythas reduceret, simul &, destinatam EDECONI pecuniam adferret, *Constantinopolim* mittitur. *Maximinus* legatus, *Onesegii* reditum ex *Acatziris*, exspectare iubetur. *§. VIII. IX. X. p. 37. 39.*

30. ONESEGIVS, cum seniore, ex ATTIIAE filiis, ad *Acatziros* mittitur. apud quos, *Caridachus*, vnus ex regulis, ad ATTILAM confugit, sublatisque, *Hunnorum* auxilio, corregibus, imperium obtinuit. Quo tempore, ATTILA Catiscorum regionem, in potestatem suam redegit, eique seniorem ex filiis *Dengischitium*, præfecit. *§. X. p. 39.*

31. ATTILA, ducta in vxorem *Escæ* filia, ad loca, magis ad arctum vergentia, profectus est. quem, *Maximinus* legatus sequutus, per planitiem patentem iter fecit, superatisque, *Drecone*, *Tiga*, & *Tiphisa*, fluminibus, ad vicum, in quo vna ex *Bledæ* vxoribus habitabat, peruenit. *§. XI. p. 39. 42.*

32. *Romulus* comes, & *Primutus*, Norici præfectus, legati ad ATTILAM, a *Valentiniano* III. occidentis Imperatore, caussa vasorum aureorum, mittuntur. quibus, *Tatullus*, ORESTIS pater, priuati officii caussa, semet adiunxerat. *§. XII. p. 42. 44.*

33. ATTILAE regia, in magno quodam vico, ex tabulis, eximie politis, structa fuerat. in quam, aduentanti regi, puellæ, odas *Scythicas* cantantes, obuiam

obuiam prodibant; vxor autem ONESEGII, magna ancillarum multitudine comitata, opsonia & vinum offerebat ATTILAE aduentanti. *§. XIII. p. 44. 46.* A. C. N. 448.

34. PRISCVS RHETOR, exmissa ab Imperatore dona, ad ONESEGIVM defert, & interea, dum in conspectum herois barbari admittitur, cum *Mysio* quodam *Viminacensi*, & ONESEGII domestico, ante ædes, prope ad regiam constructas, de *Scytharum*, atque *Romanorum* institutis, colloquitur. *§. XIV. XV. p. 46. 51.*

35. ONESEGIVS, acceptis ex *Prisci* manibus donis, ad *Maximinum* accessit, eique roganti, vt ad dirimendas controuersias, quæ inter *Hunnos*, atque *Romanos* subortæ fuerant, æquum arbitrum se præberet, respondit: maiore adiumento se *Romanis* futurum; si domi remanens, iracundum domini animum placaret; quam si, ad eos accedens, criminationi se obiiceret. *§. XVI. p. 51. 53.*

36. PRISCVS, dona fert ad CRECAM, *Attilæ* vxorem, & trium filiorum matrem. quæ, in interioribus regiæ, in molli stragula iacens, ancillas, telas coloribus, ex aduerso, variegantes, famulorum multitudine circumsepta, obseruabat. *§. XVII. p. 53. 54.*

37. ATTILA grauis vultu, incedens cum *Onesigio*, sedit pro ædibus, & lites multorum, qui eum adierant, diremit; deinde domum reuersus, barbararum gentium legatos ad se admisit. *§. XVII. p. 54.*

38. PRISCO RHETORE, cum *Valentiniani* III. legatis, de potentatu ATTILAE differentibus, *Romulus* adfirmauit; ATTILAM, totius Scythiæ dominatum sibi comparasse, &, ad Oceani insulas vsque, imperium suum extendisse; iamque in eo victorem *Hunnum* esse; vt, & *Romanos*, præstatione tributorum obnoxios habeat; & *Medos*, *Parthos*, atque *Persas*, dominatui suo subiiciat. *§. XVII. p. 54. 57.*

39. ATTILAE, tantæ erant copiæ, quas, nulla gens sustinere potuit. cui, non parua potentiæ accessio contigerat, ex eo: quod *Martis* ensis, a *Scytharum* regibus olim cultus, bouis ministerio detectus fuerit. *§. XVII. p. 56. 47.*

40. ONESEGIVS, cum *Prisco Rhetore*, de legato, ad *Hunnos* exmittendo, colloquitur, & *Maximinum*, ad ATTILAM deducit. qui, non alium, quam, aut *Nomium*, aut *Anatolium*, aut *Senatorem*, legatum ad se admissurum, adfirmauit. *§. XVIII. p. 57.*

41. Legati *Romanorum*, cum orientalium, tum occidentalium, ad conuiuium ab ATTILA inuitantur. in quo, delibato ante cœnam calice, hospites, qui accubuerant, lautius, argentea & aurea vsi supellectile, epulabantur; ATTILA contra, in quadra lignea, carnes edens, bibensque ex poculo ligneo, moderatum se in omnibus præbebat. *Cap. II. §. XIX. p. 57. 68.*

42. In conuiuio ATTILAE, quoties illata mensæ fercula consumta fuerant: toties, conuiuatores, in pedes erecti, adsurrexerunt, ebibitoque, cum præfatione salutis ATTILAE, calice, sedes suas repetierunt. *§. XIX. p. 60.*

43. Sublatis dapibus, primum, duo viri *Scythæ*, virtutes bellicas, & victorias ATTILAE, carmine *Scythico*, recitabant; postea, *Mimi*, mores, actusque hominum, mordaci sale perfricabant; postremo; *Zercbon Maurusius*, non solum forma & habitu corporis, verum verbis etiam, confuse prolatis, conuiuatores in risum concitabat ATTILA, inter accumbentium hilaritates, semper eodem vultu permanente; præterquam, quod *Irnachum* filium iuniorem, placidis & lætis oculis fuerit intuitus. *§. XIX. p. 65. 68.*

44. Die sequente, *Maximinus*, ONESEGII interuentu, reditum ab ATTILA impetrat, a RECCAM, ATTILAE vxore, ad cœnam inuitatus. *§. XX. p. 68. 69.*

45. Postridie, *Maximinus*, ab ATTILA, eodem, quo prius ritu, in cœna, ad hilaritatem excitatur, adpellaturque: *Vti Imperatorem moneret; quo promissam* Constantio *Scribæ, vxorem locupletem, mitteret. §. XXI. p. 70. 71.*

46. *Maximinus*, muneribus donatus, dimittitur, eique *Berichus* Scytha, ATTILAE, ad *Theodosium*, legatus, adiungitur: qui tamen, superato *Istro*, neque eadem cum *Romanis* via ire; neque cum iis conuersari, voluit. *Cap. II. §. XX. p. 72. 73.*

47. *Bigilas*, reuersus *Constantinopoli* in Scythiam, a barbaris comprehenditur, conuictusque coniurationis in caput ATTILAE, coniicitur in vincula,

non alias

non alias in libertatem adſerendus, quam, ſi centum auri libræ, pro eius, filii- A. C. N.
que liberatione, exſolutæ fuerint. §. XXIII. p. 73.

48. *Bigila*, inſidiarum in ATTILAM manifeſte conuicto, ATTILA, ablatis ab
eo centum auri libris, *Oreſtem*, & *Eslam*, legatos, ad Imperatorem miſit, &
*Cryſaphium Eunuchum*, qui aurum ad perpetrandum facinus miſerat, ad ſup-
plicium dedi popoſcit. *Cap. I. §. IV. p.* 27. *II. §. XXIII. p.* 74.

49. *Anatolius*, & *Nomius*, viri ſummo loco poſiti, legati ad ATTILAM 449.
mittuntur. qui, partim muneribus, partim legatorum oratione placatus, &
pacem, ſecundum conuentiones confirmauit, & *Bigilam*, numeratis centum
auri libris, liberauit, & *Conſtantio*, dimiſſis legatis, vxorem locupletem, apud
*Romanos* collocari præcepit. *§. XXIV. XXV. p.* 74. 76.

50. ATTILA, cum, & *Martianus*, qui *Theodoſio*, in oriente ſucceſſerat, 450.
tributum; & VALENTINIANVS, qui in occidente imperabat, *Honoriam* ſororem,
ſibi negauerat: bellum, aduerſus vtrumque *Romanorum* imperium, decreuit,
primo tamen exercitum, in occidentem duxit. *Cap. I. §. V. p.* 12.

51. ATTILA, opem, ſeniori *Franciæ* hæredi, aduerſus iuniorem, poſt obi- 451.
tum patris laturus, in occidentem irrupit: ante vero, quam eam expeditio-
nem ingrederetur, denuo *Honoriam*, cum parte imperii, in matrimonium ſibi
dari, per legatos imperauit. *Cap. I. §. V. p.* 12.

52. *Romani* orientales, *Apollonium* legatum, cum muneribus ad *Hunnos*
mittunt. qui aditum ad ATTILAM minime nactus, dum exmiſſa a *Martiano*
dona, tradi nihilominus poſtulabantur, reſpondit: ſi, tanquam legatus admit-
teretur, ea ſe adlaturum; ſin minus, ea, quæ ſibi eripientur, ſpoliorum po-
tius, quam munerum loco habiturum. *Cap. II. §. XXVI. p.* 77.

53. ATTILA, vaſtata *Italia*, *Romanorum* Imperatori in oriente, bellum de- 454.
nuntiauit. *Ardaburius*, *Aſparis* filius, cum *Saracenis* in Aſia, de pace tracta-
uit. *Cap. I. §. V. p.* 13.

54. *Blemyes*, & *Nubades*, in Africa a *Romanis* victi, pacem a *Maximino*
exorant, eoque paullo poſt mortuo, rurſus prouincias Romanas excurſioni-
bus vaſtant. *Cap. I. §. VI. p.* 13. 14.

55. MARTIANVS, orientalium Imperator, miſſis ad *Vandalos* legatis, 456.
*Genſerichum*, vt ab Italiæ vaſtatione abſtineret, & vxorem *Valentiniani*, eius-
que filias, libertati reſtitueret, vrſit. ad quem, dum litteras, eius rei cauſſa,
per *Bledam* epiſcopum, iterum ſcripſiſſet: AVITVS, Romanorum occidentalium
Imperator, eundem quoque per legatos monuit, vt initorum ſecum fœderum
meminiſſet. *Cap. II. §. XXVII. p.* 78. 79.

56. *Romani*, in *Colchidem* profecti, bello aduerſus *Lazos* decertabant, 457.
quod illi, ſuſcepto per *Armeniam* itinere, repetebant iterum. *Cap. II. §.
XXVII. p.* 79.

57. *Gobazes*, Lazorum in Colchide rex, ad monarcham Parthorum, au-
xiliorum cauſſa confugit. quem tamen ille reiecit, propterea, quod ſibi bel-
lum cum *Hunnis Cidaritis* fuerat. *Cap. II. §. XXVII. p.* 79.

58. *Gobazes*, Colchidis rex, miſſis ad *Romanos* orientales legatis, re-
gnum filio ceſſit, ipſe in *Romanorum* regionem transgreſſus. *Cap. I. §. VII.
p.* 15. 16.

59. MAIORIANVS, Romanorum occidentalium Imperator, deuinctis ſibi 458.
fœdere *Gothis*, in Lybiam, cum magno exercitu penetrare tentauit, tranſacta-
que cum *Vandalis* controuerſia, per legatos, terram *Mauruſiorum*, igni fer-
roque vaſtauit. *Cap. I. §. VIII. p.* 16. 17.

60. *Genſerichus* rex, coactam *Vandalorum*, & *Mauruſiorum* multitudi- 461.
nem, in Italiam ac Siciliam immiſit. Orientalium *Romanorum* legatione pla-
catus, *Eudociam*, Valentiniani ſororem, *Honoricho* filio deſponſauit; *Olibrium*,
poſt mortem *Maioriani*, ad imperium occidentis euehere ſtuduit. *Cap. II. §.
XVIII. p.* 79. 80.

61. *Marcellinus*, qui bellum aduerſus *Gothos*, in Gallia, fortiter geſſerat,
*Romanis* occidentalibus in ſuſpicionem venit. *Genſerichus*, *Vandalorum* rex,
*Italiam* preſſit. Vtriusque rei cauſſa, legati a Romanis Heſperiis, ad orientales,
miſſi ſunt. *Cap. II. §. VIII. p.* 16.

62. *Genseriebus*, Valentiniani, & Aetii bona, *Honoriæ* petens nomine, A. C. N.
Siciliam ac Italias, infesto exercitu inuasit, Romanis orientalibus, auxilia ad-
uersus *Vandalos*, eo quod, fœdus cum eisdem fecerant, negantibus. *Cap. I.*
*§. VIII. p.* 17.
63. *Saraguri*, *Vrogi*, *Hunoguri*, propriis sedibus eiecti, & *Sabiros*, atque
*Hunnos Acathiros* adorti, post reportatam de vtraque gente victoriam, lega-
tos, nanciscendæ societatis caussa, ad *Romanos* miserunt. *Cap. I. §. VIII p.* 17.
64. Legati, ex *Italia*, & *Perside* adueniunt, quorum illi, *Italiam*, a *Van-* 463.
*dalis* premi; isti, complures *Persarum*, in *Romanorum* ditionem confugere,
*Magos*, Romanorum incolas, in religionis suæ cultu, impediri; pecunias ad
custodiam arcis *Ierouách*, & bellum, contra *Hunnos Cidaritas* gerendum, a
*Romanis*, haud conferri oportere nunciabant. *Cap. I. §. IX. p.* 17. 19.
65. Sub Leone Imperatore, *Tatianus*, pro Italis, ad *Vandalos*; *Constan-*
*tius*, tertium consul, ad Persas, legati mittuntur. *Cap. I. §. X. p.* 19. *II.*
*§. XXIX. p.* 80. 81.
66. *Peroses*, rex Persarum, bellum aduersus *Hunnos Cidaritas* gessit. quo
finito, ambienti sororem regiam, *Conchæ*, Hunnorum regi, mulierem aliam,
regio cultu ornatam, misit. quam *Hunnus*, ob fraudem detectam, vxorem
quidem retinuit: euocatos tamen ad militiam *Persarum* illustriores; vt frau-
dis commissæ pœnas luerent; partim trucidauit, partim truncatos domum re-
misit. *Cap. II. §. XXIX. p.* 81. 82.
67. Inter *Persas*, & *Hunnos Cidaritas*, bellum ad *Gorga* geritur. Vbi,
*Constantius*, *Romanorum* legatus, a *Perose*, Persarum rege, excipitur. *Cap. II.*
*§. XXIX. p.* 82.
68. Post incendium Constantinopolis, *Gobazes*, stola Persica indutus, cum 464.
*Dionysio*, Constantinopolim venit. quem Imperator comiter amplexus, dimisit.
*Cap. I. §. X. p.* 19. 20.
69. *Scirris*, & *Gothis*, acie decertantibus, Leo Imperator, iussit præfe- 465.
ctum Illyrii, copias auxiliares, *Scirris*, aduersus *Gothos* præbere. *Cap. I. §.*
*X. p.* 20.
70. Dengisich, & Irnach, *Attilæ* filii, legatos ad *Leonem* Imperatorem
mittunt. quibus, re infecta, in *Scythiam* reuertentibus, Hunni, bellum Ro-
manis indicere volebant, *Irnácho* prudenter idem auersante. *Cap. I. §. XI.*
*p.* 20. 21.
71. *Saraguri*, *Acathiris*, aliisque gentibus adgregati, per *Portas Caspias*, 466.
in Iberiam, & Armeniam, irruperunt, obiectamque regionem vastarunt. *Cap.*
*I. §. XII. p.* 21.
72. *Persæ*, bello, aduersus *Hunnos Cidaritas* gesto, & *Saragurorum* ex-
cursione permoti, *Romanos* denuo sollicitant: vt sibi, vel pecuniæ, vel mili-
tes, ad custodiam arcis *Ierouach* mitterentur: quorum tamen neutrum, a *Ro-*
*manis* fuerat promissum. *Cap. I. §. XII. p.* 21.
73. Dengisichium, *Attilæ* filium, bellum aduersus Romanos, in regione
cis *Istrum*, molientem, Leo Imperator, per legatos placauit, eumque, in fœ-
dus & societatem, adsciuit. *Cap. I. §. XII. p.* 21. 22.
74. Leo Imperator, *Gensericbum*, Vandalorum regem, de Anthemii im- 467.
perio, certiorem fecit, eique, nisi Italias, & reginas dimiserit, bellum denun-
tiat. *Cap. II. §. XXIX. p.* 82. 83.
75. *Gothi*, in locum abruptum & concauum, a ducibus *Romanis* conclusi,
& *Calealis Hunni*, oratione subdola, in cædes mutuas conuersi, ab exercitu
*Romano* delentur. *Cap. I. §. XIII. p.* 22. 23.
76. *Lazi*, in *Colchide*, bello aduersus *Suanos*, & *Persas*, impliciti, auxilia
ex militibus, qui *Armeniæ* oram tuebantur, mitti sibi, a *Romanis* petierunt.
*Cap. I. §. XIV. p.* 23. 24.
77. Persæ, *Balaam*, vrbe Scytharum expugnata, *Hunnos Cidaritas* vice-
runt: id quod illi, Imperatori, verbis magnificis, per legatos nunciabant.
*Cap. I. §. XIV. p.* 23. 24.

F I N I S.

# PAVLLI GREGORIANCZII
## ZAGRABIENSIS ET IAVRINENSIS EPISCOPI
# BREVIARIVM RERVM HVNGARICARVM
## HISTORICO GEOGRAPHICVM.

*NVNC PRIMVM*

Ex obſoletis authoris ſchedis eruit, & notis paſſim illuſtratum, in Adparatum Hiſtoriæ Hungaricæ retulit,

MATTHIAS BELIVS.

*ACCESSIT*

TRIPLEX APPENDIX,

Atque harum praecipua,

## DE IAVRINO RECVPERATO

CARMEN & ORATIO luculenta, in ſollemnibus Argentoratenſis Academiæ εὐχαριστικῶς, A. M. DXC. VIII. ab Illuſtribus Adoleſcentibus, dicta.

*DECADIS II. MONVMENTVM II.*

---

POSONII, apud Heredes Royerianos, Anno MDCCXLVI.

EXCELLENTISSIMO
REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMO
DOMINO,
DOMINO FRANCISCO
E COMITIBVS
ZICHY DE VASONYKÖ,
PERPETVO IN HOMONNA,
EPISCOPO IAVRINENSI,
ET COMITATVS COGNOMINIS,
PERPETVO SVPREMO COMITI,
SACRAE CAESAREAE REGIAEQVE MAIESTATIS
ACTVALI INTIMO CONSILIARIO,
DOMINO LONGE GRATIOSISSIMO,
Felicitatem, perpetuitatem, ex animo precatus;
*ISTVD*
PAVLLI GREGORIANCZII,
PRAESVLIS QVONDAM IAVRINENSIS,
BREVIARIVM RERVM HVNGARICARVM,
*CVM*
IAVRINO RECVPERATO,
*Demissisime dedicat, Musasque suas insinuat,*
MATTHIAS BELIVS,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, LONDINENSIS,
ET BEROLINENSIS, COLLEGA.

# PRAEFATIO
## AD AMICVM LECTOREM.

PAVLLVS GREGORIANCZIVS, *cuius* BREVIARIVM RERVM HVNGARICARVM, *nunc primum, ex schedis suis, eruderamus,* Zagrabienfis, *atque inde,* Iaurinenfis, *Ecclesiae fuit Episcopus: sed qua gente editus, ignoramus; nisi forte* Slauum, *aut* Croatam, *cognominis vocabulo adductus, velis credere. quod & istud suadet, quod, primos sacerdotiorum gradus, hic, alibiue supergresso, via, ad sedem* Zagrabienfem, *adaperta est. Nobili loco natum, certo persuasi sumus: eo, quod in diplomatibus, quae in tabulariis transdanubianae regionis, passim occurrunt, subinde* PAVLLVS de GREGORIANCZ, *dicitur. quod nobilis praerogatiuae ortusque fuerit indicium. Atque, hunc ego gentis suae decorem, auctoramento fuisse, adolescenti adhuc, existimo, vt, bellicosissima illa, qua adoleuit, aetate, elegantiora litterarum studia, sacra praesertim, cum domi, tum peregre, omni studio curaque, animo complecteretur, fieretque capessendis sacris honoribus idoneus.*

*II. Et in Episcope quidem* Zagrabienfi, NICOLAO OLAHO, *ad metropolitanam sedem* Strigonienfem, *inde, anno MDLIII. translato; post intercalatum aliquantisper* Wolffgangum Gyulas; *vti non obscuris indiciis coniicimus; anno demum MDLIV. successor datus est.* Sed, ita tunc fuerunt ecclesiarum fata, vt nequiuerint, eosdem praesules, quos regum indulgentia, nactae sunt, retinere diutius. Ergo, neque* GREGORIANCZIO, *diuturna esse potuit sedes haec* Zagrabienfis: *quippe, qui* FERDINANDI I. *prouidentia, tunc ad* Iaurinenfem *concessit; cum* Francifcus Ujlaky, *eiusdem regis voluntate,* Agriam *transferretur. Ea, enimuero, tempestate* Iaurinenfi *tiara, honestatus est* GREGORIANCZIVS. SZENTIVANIVS *certe auctor est, ad diem XV. Maii anno MDLIV. ab vrbe confirmatum fuisse; sed de his, viderint alii.*

*III. Hic, cum, & Ecclesiae rebus, & prouinciae, vniuersim toti, cum laude, & summa omnium adprobatione, moderaretur,* BREVIARIVM *isthoc* RERVM HVNGARICARVM *concinnauit. Nempe, fuere iam tum,* Nicolai Olahi *Commentarii de Hungaria, in doctorum manibus: quibus* GREGORIANCZIVS, *diligentissime, quin ita vsus est, vt raro, ea aetate, exemplo, in succum eos & sanguinem, quod dicitur, verteret, atque penitus suos faceret. Ita enim ingenuus est noster, vt aperte id, neque a quoquam adpellatus, confiteatur: praeter morem aetatis, quam viuimus, eruditorum quorundam, qui lucubrationes alienas, tanta adcuratione, atque silentii fide, sciunt in rem suam vertere; vt deierare malint; quam, vnde, cuiusue beneficio, ac curis, in suis molitionibus profecerint, grato animo, & procul plagii suspicione, ex vero confiteri. Neque coeptum id,* GREGORIANCZIO: *quippe, rerum patriarum studiosissimo; indecorum esse potuit, quasi, qui alienis pennis voluerit turgescere. Praeterquam enim, quod, sicuti* Breuiarium *istud, intra museum sollicitissime continebat, vt secum perpetuo habitaret; ita, prorsus crediderim, pro eius aetatis indole, noluisse, virum summum,* laureolam in mustaceo *quaerere.* PERSII, (a) *in nostro mens fuit, canentis:*

Non equidem hoc studeo, bullatis vt mihi nugis,
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.

*Hinc ista, & moles opusculi, & compendiosa rerum, sed curate digesta, breuitas.*

*IV. Atque hic ille est commentariolus, quem inuito forte, si superaret in rebus humanis,* GREGORIANCZIO, *ederemus, qui iam in lucem publicam, neminis iniuria, protruditur. Duplex eius fuerit vtilitas: quarum, in hos redundabit altera, qui* filuam

 Re-

a) Sat. V. verfu 19.

Rerum Hungaricarum, *opacam eam adhuc, neque satis studiose sublucatam, ingressuri, plenius earum habitum volent pernoscere: his enim, cum fructu praeibit, praeferetque faculam. Ad eos pertinebit altera, qui, seu Hungariam ipsam, seu res in ea gestas, seu vtraque simul, animo complexi, memoria, non raro, vacillant: nam, & his ex facili suggeret, in quam, haec illaue, rerum periodum, reponi, vel, apud scriptores luculentiores, si opus sit, fusius recoli, cognoscique possint exaggeratius. Hinc est, partiendi ea diligentia, quam schedis his, quantulaecunque sint, inducendam putauimus. Nam, cum* GREGORIANCZIVS, *satis habuit, ordinem, quem animo conceperat, exprimere; nos, quae ille, perpetua serie, haud confuse tamen, in litteras retulerat; vt, & legerentur expeditius, & quaesita occurrerent facilius: in suas singula partes, periodos, atque incisa, eum in modum dispesceremus, vt auctori quidem ipsi, vis nulla fieret, lucis contra adfunderetur plurimum. Notulas, adspersimus paucas, atque id locis admodum iis, vbi, vel a vero aberratum fuisse, aduertimus, vel id rationes poscere videbantur aliae.*

*V. Denique, libellum, quantus quantus est,* BREVIARIVM RERVM HVNGARICARVM, HISTORICO GEOGRAPHICVM, *visum est inscribere: non tam, ut imitaremur veteres,* EVTROPIVM *nempe, &* SEXTVM RVFFVM; *quorum vterque, Historiae Romanae* Breuiarium *nobis reliquere: quam, vt ex ipso titulo, Lectores, de tota opella possent existimare. Quam, quod re vera* Breuiarium *refert, atque mole est exilior, quae monumentis, a nobis iam editis, respondeat, appendicibus augendam duximms. quarum duae quidem priores, ex iisdem schedis* Gregorianczii, *nunc primum prodeunt, & tametsi argumenti sint insoliti, dignae tamen, quae legantur: tertia,* IAVRINVM RECVPERATVM, *& carmine memorat, & oratione soluta. Prodierunt in orationibus* MELCHIORIS IVNII, *Professoris Eloqu. Argentoratensis: vnde, totam accessionem hanc, mutuati sumus. Argentoratensi enim in Academia sollemnia illa, anno maxime memorabili, M. D. XC. VIII. magna obibantur celebritate; vt aequum duxerimus, ea recognoscere iterum, & res* Iaurini, *quas fuse recoluimus suo loco,* (b) *tanto reddere exaggeratiores, quo magis momenti historiae accedit, si alienigenarum simul confessione, adfirmetur. Vale, amice Lector! & nisi fastidis haec nostra, iis vtere, fruere.* PISONII, *anno M. DCC. XLVI.* Calendis Martii.

---

b) Hungariae Nouae, Tomo V. in Hist. Comit. Iaurinens. quae pridem propitiam *Lucinam* exspectat.



PAVLLI



# PAVLLI GREGORIANTZII,

## IAVRINENSIS, ET ZAGRABIENSIS EPISCOPI,

# BREVIARIVM RERVM HVNGARICARVM HISTORICO-GEOGRAPHICVM.

## *PARS PRIOR,* HISTORICA,

### *Periodus I.* ETHNICA.

Synopsis.

I. HVnnorum *genus, a* Noacho *ductum:* & primus *eorum, in Europam,* aduentus.

II. *Pannonias bello occupant.*

III. *Primus Hungarorum rex* ATTILA: *eius insolens titulus; expeditiones in orientem: in Italiam: denique mors inopinata.*

IV. *Filii* ATTILAE.

V. *Adtritis prioribus Hunnis, denuo e Scythia erumpunt: ductu* septem Capitaneorum: *eorum nomina: coadunantur Hunnorum priorum reliquiis: Hungarorum familiae, a* Capitaneis *propagatae.*

VI. Arpad, *quos genuerit duces:* Zoltan, Toxon, Geyza, S. Stephanum.

§. I.



NOE, cuius tempore fuit *Diluuium generale*, tres habuit filios: *Sem, Cham,* & *Iaphet. Cham* habuit filium, *Chus* vocatum. Iste genuit *Nemroth*, robustum illum venatorem. Ex *Nemroth* geniti sunt: *Hunor* & *Magog*: ex *Magog* vero (a) *Magyari*, quod Scythica lingua, *Hungarum* sonat. qui, in Scythia, regione septentrionali, per

*Hunnorum genus, a Noacho ductum:*

a) Peruulgata haec, scriptorum Hungaricorum, opinio est. Conferantur, FRANCISCI

per multa tempora, latiſſime regnauerunt, multiplicati, in *centum*, & *octuaginta partes*, ſiue *tribus*. Quorum multitudinem, dum regio illa non caperet, elegerunt ex omnibus tribubus, ſex viros inſignes: *Belam*, *Keme*, & *Kaydicha*, filios cuiusdam *Chele*; ac ATTILAM, *Keme*, & *Budam*, filios *Bendeguz*, quibus ex qualibet tribu, decem millia armatorum, adtribuerunt, ſicque, collecto exercitu, *decies centum*, & *octuaginta millium*, emiſerunt ex Scythia, nouas quærere regiones. Qui duces, anno * Domini CCCLXXIII. VALENTINO Imperatore occidentis; VALENTE vero, orientis, DAMASO Papa ſedente, egreſſi ex Scythia, per multas gentes, & per *Comaniam Nigram*, quæ nunc *Moldauia* dicitur, vſque ad ripam Tybiſci amnis, peruenerunt, fixis, in eo loco, tentoriis.

*Primus eorũ in Europam aduentus:*

*Pannonias bello occupant.*

§. II. PANNONIAS tunc diuerſæ gentes incolebant. quarum præfectus, *Matrinus* quidam erat, vir longe potens, qui audito aduentu Scytharum, implorauit auxilium *Detrici*, qui in Germania regnabat: & ſic ambo conſederunt in loco *Záazbalom*, prope Theten; vbi primo, per *Hunnos* fugati, in valle, deinde *Thárnok* dicta, eosdem *Hunnos*, in fugam verterunt, quo loco, vnus ex ducibus, *Keme* eſt occiſus. Deinde, ad oppidum *Tholna*, facto prælio, *Matrinus* occiſus eſt; *Detricus* vero, ſagitta ictus, profugit *Veronam*. Tres enim duces, *Bela*, *Keme*, & *Kaydicha*, mortem oppetierunt. Poſt hanc victoriam, *Hunni* vniuerſæ Pannoniæ imperare cœperunt, & anno Domini CCCCI. * ATTILAM, in regem elegerunt.

*Primus Hungarorum Rex* ATTILA:

*Eius inſolens titulus:*

*Expeditiones in orientem:*

*Occidentem:*

§. III. ATTILA (b) igitur, primus Hunnorum rex, poſuit ſedem ſuam in *Sicambria* ciuitate, & profecturus ad bellum, reliquit in Pannoniis loco ſui, *Budam* fratrem, ſumto ſibi tali titulo: ATTILA, *filius Bendeguz*, *Nepos magni Nemroth*, *in Engaddi nutritus*, DEI *Gratia Hunnorum*, *Medorum*, *Gothorum*, *Dacorum Rex*, *metus orbis*, *flagellum* DEI. Inuadit primo, ferroque & igni vaſtat nobiliſſimas regiones, ac clariſſimos populos, prout quique, vicini erant, *Illyricos*, *Myſos*, *Achiuos*, *Macedones*, & *Thraces*. Reuertitur poſtea in *Sicambriam*. Deinde, quietis impatiens, progreſſus, vaſtat *Auſtriam*, *Bauariam*, *Sueuiam*, & vniuerſas, quæ inter *Rhenum*, & *Danubium* ſunt, proterit ciuitates, & inter *Conſtantiam*, & *Baſileam*, *Sigiſmundum* principem profligat; *Argentinam* diripit & diruit. Poſtea, traiecto *Rheno*, Gallias vaſtat, & in Hiſpanias, vſque Bethicam & Hiſpalim, penetrat armatus, & in campis *Cathalaunicis*, cum rege po-

CISCI FORIS OTROKOCZII Orig. Hungaricarum, Parte I. Cap. IX. p. 325. Sed, de vera poſterorum Noë ſucceſſione, conſule omnino, eruditiſſimi SAMVELIS BOCHARTI, Opp. Tom. I. ſiue PHALEG & CANAAN.

b) Res ATTILAE excuſſimus, Decade I. Monumento III. p. 59. ſeq cum in COELII CALANI DALMATAE ATTILAM commentaremur: &, in DECAD. huius II. Monumento I. proxime antegreſſo, in ATTILA, *Miſſis, acceptisque Legationibus Illuſtri.* quorſum lectores, non iniuria, dimittimus. Ceteroquin, in errore ſunt Scriptores Rerum Hungar. quando, primum Hunnorum Regem, ATTILAM conſtituunt. Nam, præceſſere omnino ATTILAM: *Balamber*, qui primus ex Scythia Aſiatica, *Hunnos*, in Europam transduxit; *Bendegutz*, ſiue *Mundzuccus*, Attilæ & Bledæ pater; *Vlden*, ſeu *Huldin*, qui *Honorio* Imperatori, aduerſus *Radagaiſum* auxiliabatur; *Suphtar*, quem alii, *Octar* vocant; denique, *Ruas*, ſiue *Roua*, ſeu *Rugila*. Tum demum, rebus potitus eſt ATTILA. Igitur, *quinque Reges*, præluſere ATTILAE.

ge potentiſſimo, *Theodorico*, & *Aetio*, crudeliſſimo & ſæuiſſimo omnium prælio, confligit, ac expugnatis multis vrbibus, regreditur *Sicambriam*; vbi fratrem *Budam*, eo quod ciuitatem, & arcem *Budenſem*, de ſuo nomine adpellauerit, occidit; & in *Danubium* proiicit. Et dum aliquantulum quieuiſſet, poſt annos quinque, quietis impatiens, *Italiam* inuadit, & deuaſtat. Reuerſus poſtea *Sicambriam*, Regis *Bactrianorum* filiam, *Mykolam*, ducit vxorem, in cuius amplexibus dum dormit, vino ingurgitatus, naris profluuio, ſuffocatur, anno Domini CCCCXLV. anno ætatis ſuæ, *centeſimo vigeſimo quarto*, alii dicunt, *anno ſeptuageſimo quarto*.

*In Italiam:* *denique mors inopina.*

§. IV. Poſt mortem ATTILAE, imperium remanſit penes filios eius, quorum vnus vocabatur, *Aladar*; alter vero *Chaba*; ſed, dum *Aladar* præualuiſſet, & electus fuiſſet in regem, tunc *Chaba* alter filius, cum magna parte *Hunnorum*, rediit in *Scythiam*.

*Filii Attilæ.*

§. V. Hoc itaque modo, dum *Pannonia*, ſiue *Hungaria*, per multos annos, ſub diuerſis principibus, multiplicem fuiſſet experta fortunam, *Hunni*que ipſi admodum fuiſſent extenuati; accidit poſtea, alter (c) egreſſus ipſorum ex Scythia. *Hunni* enim Pannonici, miſſis oratoribus in *Scythiam*, effecerunt, vt longe plures, ex Scythia ſecundario egreſſi fuerint, ſub *Septem Capitaneis*. quod accidit, *anno Domini*, *ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo*. Capitaneorum autem hæc fuerunt nomina: Primus Capitaneus fuit ARPAD, filius *Almi*, filii *Elend*, filii *Vgegh*, ſiue *Ew*, filii *Edemen*, filii *Chaba*, filii ATTILAE. Secundus Capitaneus fuit ZABOLCH. Tertius Capitaneus fuit GYVLA. Quartus Capitaneus fuit KEVVD. Quintus Capitaneus fuit LÉL. Sextus Capitaneus fuit VERBVLCHO. Septimus dicitur fuiſſe nomine VRSS. Iſti ſeptem Capitanei, adiunxerunt ſe *Hunnis Pannonicis*, & conſederunt proprie in *Dacia*, quæ Transſiluania dicitur, poſitis ibidem ſeptem caſtris; vnde etiam nunc ipſa *Transſiluania*, ſeptem caſtrorum nomen habet. Et ab iſtis ſeptem Capitaneis, inſignes quædam familiæ per Hungariam propagatæ & denominatæ ſunt, quarum nonnullæ etiam nunc durant, prout eſt familia *Edemffy*, quæ a Capitaneo *Edemen* præfato, duxit originem. Item familia *Gyulay*, quæ proceſſit a Capitaneo *Gyula*. Item familia *Kendy*, dicta ab illo Capitaneo, qui *Keuud* adpellatus eſt: & ſimiles quædam familiæ & loca, prout eſt Comitatus de *Zabolch*. (d)

*Adtritis prioribus Hunnis, denuo e Scythia erumpunt:* *ductu ſeptē Capitaneorum: eorum nomina:* *coadunantur Huñorum priorum reliquiis:* *Hungarorū familiæ a Capitaneis propagatæ.*

§. VI. In hoc igitur ſecundo egreſſu *Hunnorum* ex Scythia, primus ille Capitaneus ARPAD, quaſi princeps aliorum fuiſſe dicitur, & ex

c) Tres Hunnorum fuiſſe, ex ſedibus ſuis, egreſſus, paſſim docuimus: atque ante nos, NADANYVS, & laudatus OTROKOCSI, Orig. Hung. Part. I. Cap. III. V. VI. *Hunnorum*, ſcilicet; *Hunno-Abarum*; & denique *Hungarorum*. Et integro ſeculo ante, LEONHARDVS VNCZIVS, in libris Poëmatum, de rebus Hungaricis, qui carmine elegiaco prodiere *Cracouiæ*, anno MDCXXVIII. *for. duod.*

d) Confer de *Septem* his *Ducibus*, Chronica M. IOHANNIS THVRÓCZII, Parte II. Capitibus prioribus IX. pag. 30. ſeqq. atque *Editionis nouæ Lipſienſis*, p. 4. ſeq. vbi, de *Septem Ducibus*, *Hiſtoriam* Anonymi, BELAE regis notarii, reperias; ſed multum, a THVRÓCZIO, OLÁHO, & GREGORIANTZIO, diſcrepantem, lectu tamen digniſſimam. Prodiit, cum Præfatione noſtra, hoc eodem anno MDCCXLV. *fol.*

Arpad, *quot genuerit duces:* & ex ipsius generatione, profluxerunt complures principes eiusdem gentis, qui Pannoniam, vsque ad tempora D. Regis STEPHANI, gubernauerunt, hoc videlicet ordine: Nam, ARPAD iste genuit filium, qui dictus fuit *Zolthan;* dux *Zoltan* genuit *Toxon* ducem; dux *Toxon* genuit, *Geyzam* & *Michaëlem;* is *Michaël* genuit, *Ladislaum* Caluum, & *Vazúl; Ladislaus Caluus*, genuit *Andream, Belam*, & *Leuenthe. Geysa* supra dictus, filius primogenitus ducis *Toxon*, genuit S. regem STEPHANVM. Hic *Geysa*, pater *B. Regis Stephani*, primus inter *Hungaros*, fidem *Christianam* amplexus est, & baptizatus fuisse dicitur a B. ADALBERTO Episcopo, cuius inter Hungaros clara est memoria.

*Zoltan: Toxon: Geyza.*

S. Stephanum.

## *Periodus II.*
## CHRISTIANA.
### Synopsis.

| | | | |
|---|---|---|---|
| S. STEPHANVS. | I. | *Ladislaus IV. seu* Cumanus. | XXII. |
| *Petrus* Alemannus. | II. | *Andreas III. seu* Venetus. | XXIII. |
| *Aba, siue* Abanus, *vel* Ouo. | III. | *Ladislaus, seu* Venceslaus. | XXIV. |
| *Andreas* Albus. | IV. | *Otto Bauarus.* | XXV. |
| *Bela I.* | V. | CAROLVS *I.* | XXVI. |
| *Salomon.* | VI. | LVDOVICVS *I.* | XXVII. |
| *Geysa I.* | VII. | *Maria* Regina. | XXVIII. |
| S. LADISLAVS. | VIII. | *Carolus* Paruus. | XXIX. |
| *Colomannus.* | IX. | *Sigismundus.* | XXX. |
| *Stephanus II.* | X. | *Albertus.* | XXXI. |
| *Bela II.* | XI. | *Vladislaus* Polonus I. | XXXII. |
| *Geysa II.* | XII. | *Ioannes Hunnyadi.* | XXXIII. |
| *Stephanus III.* | XIII. | *Ladislaus* Posthumus. | XXXIV. |
| *Ladislaus II.* | XIV. | MATTHIAS I. Coruinus. | XXXV. |
| *Stephanus IV.* | XV. | *Vladislaus* Polonus *II.* | XXXVI. |
| *Bela III.* | XVI. | *Ludouicus II.* | XXXVII. |
| *Emericus.* | XVII. | *Ioannnes* de Zapolya. | XXXVIII. |
| *Ladislaus III.* | XVIII. | *Ferdinandus I.* | XXXIX. |
| *Andreas II.* | XIX. | *Maximilianus.* | XL. |
| *Bela IV.* | XX. | Epilogus. | XLI. |
| *Stephanus V.* | XXI. | | |

### §. I.

S. STEPHANVS: S. STEPHANVS, filius *Geysæ* ducis, primus Hungarorum Rex, coronatus est anno Domini, *millesimo primo*, & magnam, ac fere totam Hungariæ partem, & regionem, ad fidem CHRISTI conuertit; propterea Hungarorum Rex & *Apostolus* est cognominatus, & regnauit in Hungaria annis quadraginta sex. Mortuus (a) enim est, anno Domini, *millesimo quadragesimo septimo:* sepultus in *Alba Regali*. Hic habuit filium vnicum, *Sanctum Emericum*, qui decessit in virginitate, ante patrem, & adscriptus est catalogo *Sanctorum*.

Petrus *Alemannus:* §. II. PETRVS Alemannus, filius *Vilhelmi*, ex sorore *S. Stephani* proge-

a) Erronee! vt videre est apud TIMONEM, p. 4. qui subductis rite rationibus, annum MXXXVIII. ei fuisse emortualem, adserit.

progenitus. Electus fuit in regem post ipsum *B. Stephanum.* Homo fuit crudelissimus, & propterea ex regno expulsus; licet postea fuerit reductus per *Henricum* Imperatorem; regnauitque vniuersim, annis *sex.* Iste fuit occisus, propter dictam crudelitatem, & sepultus in Ecclesia *Quinque-Ecclesiensi.*

§. III. ABA, siue *Abanus*, sororius S. *Stephani*, tempore *Petri* Alemanni, siue *Teutonici* expulsi, & adhuc viuentis, fuit electus in Regem, & coronatus, regnauitque *tribus* annis; & postea propter crudelitatem fuit occisus, sepultusque est in monasterio *Saár*, anno (b) *millesimo quinquagesimo tertio.* Post cuius mortem, vt dictum est, *Petrus Alemannus* fuit reductus in regnum, & de nouo coronatus, ac occisus. Aba, *siue* Abanus, *vel* Ouo:

§. IV. ANDREAS Albus, primogenitus *Ladislai* Calui, post *Petrum* Teutonicum, electus fuit in regem Hungariæ, & regnauit annis *quindecim*, felicius, quam priores duo. Hic genuit duos filios, *Salomonem*, & *Dauid.* Occisus est autem anno Domini, *millesimo sexagesimo nono*, sepultus in *Tibonio*, peninsula lacus *Balaton.* Andreas *Albus.*

§. V. BELA I. frater *Andreæ* Albi, post *Andream* regnauit *tribus* annis, qui genuit tres filios; duos in *Polonia*, videlicet *Geysam*, & *Ladislaum*; tertium vero reuersus in *Hungariam*, videlicet *Lampertum.* Obiit autem anno Domini, *millesimo septuagesimo primo*; sepultus in monasterio Abbatiæ *Saxárd*, quod ipse fundarat, atque construxerat. Bela I.

§. VI. SALOMON, filius *Andreæ* Albi, post obitum *Belæ I.* in magnis tribulationibus & persecutionibus, regnauit tamen annis *vndecim.* quamuis de anno sui obitus ignoretur: expulsus enim fuit, & mortuus dicitur esse in *Austria*, vel *Styria.* nam intrauerat religionem tempore *Sancti* Regis *Ladislai*, sui consanguinei, qui illum persecutus est. Salomon.

§. VII. GEYSA, primogenitus regis *Belæ I.* viuente adhuc *Salomone* expulso, regnauit *tribus* annis, & genuit duos filios, *Colomannum*, & *Almum.* Obiit anno Domini (c) *millesimo octuagesimo*, & sepultus est in Ecclesia *Vaciensi.* Geysa.

§. VIII. LADISLAVS Rex, filius eiusdem *Belæ I.* successit *Geysæ*, & regnauit feliciter annis *decem* & *nouem*, gessitque multa bella cum *Tartaris*, & aliis aduersariis & æmulis regni. Iste gladio suo, *Belgradum*, siue *Nándor-Albam*, imperio Hungarico acquisiuit. Decessit sine prole, anno Domini, *millesimo nonagesimo sexto*; sepultus est in Ecclesia *Varadiensi*, vbi dies & noctes apud sepulchrum eius decantantur *Psalmi* Dauidici. S. Ladislaus

§. IX.

b) Decennio aberrat a vero auctor. Nam ABA quidem anno MXLV. interiit, qui demum error, propagatur in reges sequentes: quod hoc loco monuisse sufficiat.

c) Anno MCXXVII. tribus annis, ætatem GEYSAE, præter rationem, producit auctor. Venit hic in mentem cogitare; annon nomen GEYSA, ex Hungarico vocabulo, *Győző*, victor, sit deriuandum? Nam id quidem cum actibus eius conuenit; & præterea nomen illud, nihil significabit: nisi, quod aliquos scriptorum extero-

Colomannus. §. IX. COLOMANNVS, filius *Geysæ*, filii *Belæ I.* ſucceſſit *Sancto* Regi *Ladislao*, & regnauit annis *decem* & *octo*, menſibus *ſex*, diebus *quinque*. Hic prius dicitur fuiſſe Epiſcopus *Varadienſis*; ſed per diſpenſationem Apoſtolicam, propter defectum ſeminis regii, fuit ex Epiſcopatu electus in regem Hungariæ, & propterea vocatur apud Hungaros, *Kônves Kálmán Király*. Iſte excœcauit *Almum* ducem, & filium eius *Belam*, genuitque duos filios: *Ladislaum*, & *Stephanum*. Obiit anno Domini (d) *milleſimo centeſimo decimo quarto*, ſepultus eſt in *Alba Regali*.

Stephanus II. §. X. STEPHANVS II. filius ipſius *Colomanni*, ſucceſſit patri, & regnauit annis *decem*, & *octo*, deceſſitque ſine hærede, anno Domini: *milleſimo centeſimo triceſimo primo*. Sepultus eſt *Varadini*.

Bela II. §. XI. BELA II. cœcus, filius ducis *Almi*, & *Lamperti*, qui fuit filius *Belæ* primi, adeptus eſt regnum poſt *Stephanum*, & regnauit annis *nouem*, menſibus *vndecim*, diebus *duodecim*. Et genuit quatuor filios: *Geyſam*, *Ladislaum*, *Stephanum*, & *Almum*. Obiit autem anno Domini: *milleſimo centeſimo quadrageſimo primo*, & ſepultus eſt in *Alba-Regali*.

Geyſa II. §. XII. GEYSA II. filius ipſius *Belæ* cœci, ſucceſſit patri, & regnauit annis *viginti*, menſibus *tribus*, & diebus *quindecim*, genuitque filios quatuor: *Stephanum*, *Belam*, *Arpad*, & *Geyſam*. Obiit anno Domini, *milleſimo centeſimo ſexageſimo primo*, in *Alba-Regali* ſepultus.

Stephanus III. §. XIII. STEPHANVS III. filius ipſius *Geyſæ*, poſt patrem regnauit annis *vndecim*, menſibus *nouem*, diebus *tribus*. Deceſſit ſine hærede, anno Domini: *milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio*, & in Eccleſia *Strigonienſi* ſepultus eſt.

Ladislaus II. §. XIV. LADISLAVS, filius cæci *Belæ*, viuente adhuc *Stephano*, filio *Geyſæ*, vſurpauit ſibi coronam & regnum, ſicque regnauit menſibus *ſex*. Obiit anno Domini: *milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio*, ſepultus in *Alba Regali*.

Stephanus IV. §. XV. STEPHANVS IV. frater ipſius *Ladislai*, filius *Belæ* cœci, mortuo ipſo *Ladislao*, ſed adhuc etiam ipſo *Stephano* rege viuente, modo ſimili, vſurpauit ſibi coronam, & regnauit menſibus *quinque*. Iſti ambo fratres, per *Lucam*, *Archi-Epiſcopum Strigonienſem*, fuerunt excommunicati, qui Archi-Epiſcopus etiam prædixerat ipſis, ambobus periculum citiſſime futurum: eo, quod ſe illegitime fecerant coronari. Obiit & iſte eodem anno Domini: *milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio*. *Albæ* quieſcit.

Bela III. §. XVI. BELA III. filius videlicet *Geyſæ II.* ſucceſſit *Stephano*, & regnauit annis *viginti tribus*, menſe *vno*, diebus *nouem*. Genuit duos filios, *Emericum*, & *Andream*. Obiit anno Domini: *milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto*. Sepultus in *Alba Regali*.

§. XVII.

---

terorum, in *Ioſiam*, aut *Ioſuam*, detorquere videam: ſed præter rem; neque enim ethnicis Hungaris, ſiue *Ioſua*, ſiue *Ioſias*, cognitus eſſe potuit. a quibus tamen manauit vocabulum.

d) Rectius MCXV. qui erat regni eius annus vndeuigeſimus; non, vti BONFINIVS & THVRÓCZIVS deerrant, *viceſimus quintus*.

§. XVII. Emericvs, filius *Belæ III.* deinde regnauit annis *octo*, mensibus *septem*, & diebus *sex*, genuitque filium *Ladislaum.* Obiit anno Domini: *millesimo ducentesimo quarto.* Sepultus in Ecclesia *Agriensi.* Emericus.

§. XVIII. Ladislavs, filius eiusdem *Emerici*, successit in regnum, & regnauit mensibus *sex*, & diebus *duobus.* Decessit sine hærede, in fine eiusdem anni, quo pater eiusdem mortuus fuerat. Sepultus in *Alba Regali.* Ladislaus III.

§. XIX. Andreas II. filius *Belæ III.* successit in regnum, & regnauit feliciter annis *triginta.* Hic est ille gloriosus Rex, Andreas *Hierosolymitanus* adpellatus, qui priuilegia libertatis maximæ, concessit nobilitati Hungaricæ, ad cuius decreti obseruationem, vniuersi Hungariæ Reges, tempore coronationis ipsorum, solent iurare. (e) Genuit filios, *Belam*, *Colomannum*, & *Andream*, ac filiam *S. Elisabeth*, & hos de prima vxore. De secunda vero vxore, filia videlicet *Marchionis Hessensis*, genuit *Stephanum*, patrem Andreae III. de quo infra dicetur. Andreas II.

§. XX. Bela IV. post obitum *Andreæ II.* patris sui, regnauit annis *triginta tribus*, & mensibus *septem*, genuitque duos filios, *Stephanum* & *Belam.* Huius tempore, deuastauerant *Tartari* totam Hungariam; & per eos fuit expulsus ad insulas maris *Adriatici*: vnde postea fuit reductus, auxilio potissimum duorum *Comitum de Frangepanibus*, quibus propterea amplissimam dedit ditionem, castrorum & castellorum, ab ipso mari *Adriatico*, vsque ad flumen *Saui.* Obiit anno *millesimo ducentesimo septuagesimo.* (f) Sepultus *Strigonii*, apud *Fratres Minores.* Bela IV.

§. XXI. Stephanvs V. filius *Belæ IV.* successit patri in regnum, & regnauit annis *duobus*, genuitque filium *Ladislaum*, & filiam *Mariam*, quæ fuit data in matrimonium *Carolo Claudo*, regi Siciliæ, filio videlicet *Caroli Magni*, ex qua genuit *Carolum Marcellum*, qui quidem *Carolus Marcellus* genuit postea *Carolum Paruum*, quem postea, *Hungari* vocauerunt similiter *Carolum.* Obiit autem ipso anno Domini, *millesimo ducentesimo septuagesimo tertio*, (g) & sepultus est in insula *Budensi*, quam apud Budam Danubius effecit. Stephanus V.

§. XXII. Ladislavs, filius *Stephani V.* regnauit annos *decem* & *septem*, & occisus est per quosdam famulos suos Cumanos, & decessit sine hærede, in quo defecit semen masculinum sanctorum Regum. Obiit anno Domini, *millesimo ducentesimo nonagesimo*, sepultus *Chanadii.* Ladislaus IV. *seu Cumanus.*

§. XXIII. Andreas III. Venetus, post suprascriptos reges, primus rex ex patre alienigena, quem *Hungari* quidam de *Venetis* vocauerunt, qui scilicet fuit nepos *Andreæ* secundi, & filius *Stephani*, filii eiusdem. Idem enim *Stephanus* ipsum *Andream* genuerat, ex filia Andreas III. *Venetus.*

e) Abrogatum id esse, publico comitio, sub Leopoldo I. decreto anni MDCLXXXVII. Articulo IV. in vulgus notum est.

f) Variantes, de anno Belae emortuali, sententias, vide apud Timonem.

g) Repone annum MCCLXXII.

filia cuiusdam ciuis *Venetiarum*. Regnauit annis *decem*, deceſſit ſine hærede, anno Domini, *milleſimo trecenteſimo primo*. Sepultus *Budæ*, in clauſtro *S. Ioannis*, apud *Fratres Minores*.

Ladislaus, *ſeu* Venceslaus. §. XXIV. Ladislavs, (h) aliter *Venceslaus*, filius Regis Bohemiæ, inductus fuit per quosdam Hungaros, contra *Carolum*, pronepotem *Stephani V.* filium ſcilicet *Caroli Martelli*, pro quo, mortuo ipſo *Andrea*, miſſus fuit; ſed *Carolus* in tenera erat ætate, & *Ladislaus* regnauit *tribus* annis; ſed propter diſſenſiones, reliquit regnum, & reductus fuit per patrem in *Bohemiam*, cum magno damno *Hungarorum*.

Otto. §. XXV. Otto, Dux Bauariæ, poſt reductionem *Venceslai* in Bohemiam, inductus fuit, contra *Carolum* præfatum, per quosdam Prælatos & Barones, coronatusque, regnauit annis *tribus*; ſed poſtea fuit captus, ſpoliatus & expulſus, & regnum fuit deuolutum omnino in *Carolum* præfatum.

Carolus. §. XXVI. Carolvs, regnauit annis *quadraginta duobus* (i) fauſte & feliciter, inter optimos Reges connumerandus. qui genuit plures filios, ante eum mortuos. Poſtremo autem genuit *Ludouicum*, *Andream* & *Stephanum*. Obiit anno Domini, *milleſimo tercenteſimo quadrageſimo ſecundo*. Sepultus in *Alba Regali*.

Ludovicus I. §. XXVII. Lvdovicvs, filius *Caroli*, ſucceſſit patri in regnum, & regnum ſibi a patre relictum, potentia, & bono conſilio, rexit, defendit, & ampliauit, (k) & ad veras metas reduxit. Rex omnium glorioſiſſimus, qui ante eum regnauerunt. *Quadraginta* & *vnum* annum regnauit; *Dalmatiam* viriliter defendit. Nullum habuit hæredem maſculinum, ſed filias genuit: *Mariam*, *Heduigam*, & *Catharinam*. Obiit *Tyrnauiæ*, anno Domini, *milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo*, *Albæ* ſepultus.

Maria *Regina*. §. XXVIII. Maria, filia *Ludouici*, propter ingentem amorem, quem Hungari, erga *Ludouicum* regem geſſerant, fuit electa, & coronata in Regem (l) Hungariæ. Hæc fuit deſponſata *Sigismundo*, filio *Caroli* Imperatoris, & regis Bohemiæ. quæ quidem *Maria* regnauit annis *quatuor*, & poſtea tradidit ius ſuum regium *Sigiſmundo*, marito ſuo. Hæc dum eſſet mortua, ſepulta eſt *Varadini*, in qua deficit ſemen, ſexus vtriuſque, *Sanctorum Regum*.

Carolus *Paruus*. §. XXIX. Carolvs *Paruus* interim, per quosdam Magnates & Præla-

h) Venceslavm, ex patris nomine, Bohemi dixerunt; Hungari, vſitato magis, in regibus ſuis, vocabulo, Ladislavm adpellauere. quod ille nomen, in diplomatibus etiam prætulit.

i) Annorum hæc ſupputatio ab an. MCCCI. fere incipit, quo Carolvs, a Strigonienſi, iuſſu Papæ, peregrina corona, redimitus eſt; nam inauguratio legitima, anno demum MCCCX. ritu patrio, a *Thoma* I. Archi-Epiſcopo Strigonienſ. peracta fuit. quam in rem, diploma, in deſcriptione vrbis *Comaromienſis*, Tomo V. dabimus.

k) Magni inde nomen adeptus.

l) Rex, an Regina, ſit adpellanda? ſunt omnino, ſententiarum quædam diuortia. Vulgus ſcriptorum Hungaricorum, Regem dicit: aliter non pauci. In his, Carolvs Andreas Belivs, iam in celeberrima Lipſienſium Academia Profeſſor Pub. filius Matthiae, qui peculiari diſſertatione, non Regem, ſed Reginam, vocatam fuiſſe, docuit, argumentis vtique prægnantibus. Lipſiæ MDCCXLII.

Prælatos, ex Italia, atque ex regno Neapolitano, fuit adductus in regnum Hungariæ, contra *Mariam* reginam, & eius matrem *Elisabeth.* Qui tamen *Carolus*, ex voluntate earundem reginarum, procurante *Nicolao de Gára*, regni Palatino, fuit in arce Budensi, per quendam nobilem *Blasium Forgách*, occisus, & sic imperium iterum rediit in reginam *Mariam*, & deinde ad eius sponsum *Sigismundum.*

§. XXX. Sigismvndvs, Rex & Imperator, fuit coronatus anno ætatis suæ vigesimo, & regnauit in toto *annis quinquaginta*, & mensibus *nouem.* Gloriosus rex, qui viriliter, licet infeliciter, conflixit cum *Turcorum* Imperatore *Baiazete*, apud *Nicopolim.* Hic, post obitum *Mariæ Reginæ*, accepit in vxorem *Barbaram*, filiam *Hermanni Comitis Ciliæ*, ex qua genuit vnicam filiam, *Elisabeth*, quam postea tradidit in vxorem *Alberto*, Archi-Duci Austriæ. Obiit anno Domini: *millesimo quadringentesimo tricesimo septimo*, ætatis vero suæ circiter *septuagesimo.* Sepultus est in Ecclesia *Varadiensi.* Sigismundus.

§. XXXI. Albertvs, Archi-Dux Austriæ, gener ipsius *Sigismundi*, post *Sigismundum* electus fuit in regem, in fauorem *Elisabeth* vxoris, & coronatus in die Circumcisionis Domini, anno: *millesimo quadringentesimo tricesimo octauo*, & regnauit *vno* anno, & mensibus *decem*, natusque est ei filius posthumus, nomine *Ladislaus.* Obiit autem anno Domini: *millesimo quadringentesimo tricesimo nono*, sepultus in *Alba Regali.* Mortuo *Alberto* rege, *Elisabeth* consors eiusdem remansit grauida, & dum nesciretur, an filium, vel filiam esset paritura; interim Prælati & Barones, miserunt oratores pro *Wladislao*, filio regis Poloniæ, qui, antequam induceretur, regina peperit filium *Ladislaum*, quem mox paruulum trimestrem, fecit coronari, & coronam regni secum in Austriam, ad *Fridericum* Imperatorem absportauit. Nihilominus, *Wladislaus* ex Polonia introducitur. Albertus.

§. XXXII. Wladislavs Polonus, postquam introductus fuisset, & corona regni non haberetur; fuit nihilominus coronatus, quadam corona, de capite reliquiarum *Sancti* Regis *Stephani* desumpta, qui *Wladislaus* Polonus, regnauit prope annos *quatuor*, in defensione regni, & magna virtute conflixit cum *Amurathe*, Imperatore *Turcarum*, apud oppidum *Varna*, vbi & ipse periit, anno: *millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto*, in profesto sollemnitatis *D. Martini* Episcopi. Wladislaus *Polonus I.*

§. XXXIII. Ioannes *de Hunnyad*, Comes Byztriciensis, tempore eodem, post mortem *Wladislai* Poloni, puero *Ladislao*, in manibus *Friderici* existente, fuit electus in *Gubernatorem* regni Hungariæ. Magnus, & ad arma tractanda natus Princeps, qui *Mahometum*, *Turcarum* Imperatorem, capta iam *Constantinopoli* superbum, & *Nándor Albam* obsidentem, fugauit, ademtis illi bellicis ingeniis magni valoris. quod nulli regum in Europa contigit. Obiit in *Nándor Alba*, anno Domini: *millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto*, sepultus in Ecclesia *Albensi* Transsiluaniæ. Ioannes *de Hunnyad.*

§. XXXIV. Ladislavs puer, filius *Alberti* regis, circa *duodecimum* Ladislaus *Posthumus.*

*mum* ætatis suæ annum, fuit ereptus de manibus *Friderici* Imperatoris; corona tamen regni Hungariæ, per ipsum *Fridericum* retenta fuit. Hic fuit iuuenis probus, bonis moribus, pudicus, & pro ætate, prudens; cœpit regnare adhuc viuente *Iohanne* Gubernatore, & cum esset *Pragæ*, appararenturque ipsi nuptiæ cum filia regis *Franciæ*, obiit ibidem, anno ætatis & coronationis suæ *decimo octauo*; anno vero Domini: *millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo.* Sepultus *Pragæ* in Ecclesia Cathedrali.

Matthias I. *Coruinus.* §. XXXV. MATTHIAS Rex, filius eiusdem *Ioannis Gubernatoris* fuit, postea electus in Regem, & coronatus anno Domini: *millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto*, in die Cœnæ Domini. Qui regnauit feliciter, & in repetenda corona de manibus *Friderici*, non destitit, donec illam non rehabuerit. Eidem *Friderico*, vi & armis, ademit *Viennam* ciuitatem, in qua etiam mortuus est, feria tertia maioris hebdomadæ, anno Domini: *millesimo quadringentesimo nonagesimo.* Sepultus in *Alba Regali*, ex *Vienna* translatus.

Wladislaus II. *Polonus.* §. XXXVI. WLADISLAVS II. Polonus, de gente *Casimira*, electus fuit postea in Regem, & coronatus anno Domini eodem: *millesimo quadringentesimo nonagesimo*, in festo *Exaltationis S. Crucis*, & regnauit in summa pace, & otio, ac desidia, vsque ad annum Domini: *millesimum quingentesimum decimum sextum.* quo anno est mortuus & sepultus in *Alba Regali.*

Ludouicus II. XXXVII. LVDOVICVS, filius eiusdem *Wladislai*, natus est *Budæ*, anno Domini: *millesimo quingentesimo sexto*, & in ipsa ætate puerili coronatus. Duxit vxorem *Mariam*, sororem carnalem Imperatoris *Caroli V.* & *Ferdinandi*, Archi-Ducis Austriæ. Regnauit & iste in summo otio, ac amisit *Belgradum*, quod fuit expugnatum per *Solymannum*, Turcarum Imperatorem, anno Domini: *millesimo quingentesimo vigesimo primo.* Tandem conflixit cum eodem *Solymanno*, in campo oppidi *Mohács*, in festo *Decollationis B. Ioannis Baptistæ*, vbi profligatus periit, anno Domini: *millesimo quingentesimo vigesimo sexto.* Corpus eius in luto inuentum est, & sepultum in *Alba Regali.*

Ioannes *de Zápolya.* §. XXXVIII. IOANNES *de Zápolya*, Comes Scepusiensis, per magnam partem Dominorum Prælatorum & Baronum, ei, tanquam potentiori adhærentium, fuit electus in Regem, & coronatus eodem anno: *millesimo quingentesimo vigesimo sexto*, in festo *B. Martini*; sed quia illius electio, facta fuit per factiones, ac non consentiente *Palatino regni*, *Stephano de Báthor*, ideo sequenti anno fuit expulsus in Poloniam; sed postea reductus armis Turcicis *Solymanni.* In perpetuis guerris regnauit, & *Budam* possedit vsque ad mortem. (m) Obiit anno Domini: *millesimo quingentesimo quadragesimo*, in mense *Iulio.* Sepultus in *Alba Regali*, relicto vno filio, & vxore, quæ fuit filia regis Poloniæ.


§. XXXIX.

m) Res IOHANNIS, fide optima, expromsit perquam luculenter, WOLFFGANGVS BETHLENIVS, in Libris Historiarum. quem consulat, qui potest; rarus enim est liber, quique in Lib. XI. ad annum MDCI. deficit. Adde, FRANCISCI C. NADASDII, IOHANNIS elogium, in Mausoleo Regum Hungariæ: IOHANNIS item ZERMEG, Historiam Rerum, inter *Iohannem*, & *Ferdinandum* gestarum, infra exhibendam.

§. XXXIX. Ferdinandvs, Archi-Dux Austriæ, per saniorem Dominorum Prælatorum & Baronum, ac regnicolarum partem, fuit electus in Regem, anno *millesimo quingentesimo vigesimo* (n) *sexto*, & coronatus anno *millesimo quingentesimo vigesimo septimo*, in festo *Emerici Ducis.* Mortuus est anno Domini: *millesimo quingentesimo sexagesimo sexto*, in festo *S. Iacobi*, & sepultus *Pragæ*, cuius filius Ferdinandus I.

§. XL. Maximilianvs, adhuc viuit, ac in Regem Hungariæ est electus, ac coronatus, *Posonii*, anno Domini: *millesimo quingentesimo sexagesimo tertio.* Maximilianus.

§. XLI. Præscripti itaque Reges ac Principes, Hungariæ possederunt regnum ipsum, in diuersis casibus fortunæ, vsque ad hæc tempora, (o) quum interim potentia Turcica, vsque adeo inualuerit contra Hungariam, & post amissum *Belgradum*, magna etiam *Regni* pars ditioni Turcicæ sit iam subdita; tam videlicet *Buda*, *Strigonium*, *Alba Regalis*, *Quinque Ecclesiæ*, *Vesprimium*; quam etiam alia insignia regni loca: adeo, vt saltem paruula ipsius regni pars sit relicta. Epilogus.



# *PARS POSTERIOR* GEOGRAPHICA.

## I. *Generalis* HVNGARIAE DELINEATIO.

### Synopsis.

H*Vngariæ ambitus:* Posonium, & Nándor Alba. *eius claues: reliqui circum limites.* I.

*Præcipui Hungariæ fluuii:* Danubius, *eiusque fontes, ac decursus: loca celebriora, quæ adluit: in Pontum Euxinum exitus: piscis* Huzo, *qui est* Plinii *Mario.* II.

*Flumina in Danubium incurrentia:* Moraua: Tyrnauia: Vagus: Nitria: Granus: Ipola: Tibiscus: Leita: Rábcza: Rába: Sárviz: Drauus: Sauus. III.

Insulæ, *quas efficit Danubius:* Csallóköz superior, *eiusque magnitudo: fertilitas: oppida præcipua, virique insignes:* Interior, *seu* Comárom Szigethe: *Metropolis Comaromium, a* Ferdinando I. *communitum:* Chepel, *altera* Danubii *insula; eius fœcunditas & amœnitas: latitudo & longitudo.* IV.

Tibiscus: *vnde oriatur: & vbi in Danubium exeat: quæ loca subluat: familiæ* Serediorum *incrementa.* V.

Drauus,

n) Sed, anno *vigesimo septimo* demum; adulto iam, inauguratus.

o) Sequuti inde sunt reges: *Rudolphus*, *Matthias II. Ferdinandus II. Ferdinandus III. Ferdinandus IV. Leopoldus M. Iosephus I. Carolus VI. Cæsarum*, e domo *Austriaca*, hactenus *vltimus*. Hunc Maria Theresia, filia, eademque ex asse hæres; inaugurata ritu patrio, anno MDCCXLI. die XXV. Iunii; Regina, vltra viri modum, propositi, inter confertissima bella, feliciter tenax, excepit. quam porro, felicitet numen, pacis desideratissimæ prouentu, vbere ac perpetuo!

Drauus, *e Carinthia delapsus:* Muram *accipit,* & *peninsulam* Drava-Muraköz *molitur:* *est* Sclauoniæ, *ab* Hungaria, *disterminator.* *VI.*

Sauus, *in Carniolia ortus:* & *varie auctus: insulam* Segesticam *efficit:* *posteaque* Sabacs *præteruectus, ad* Belgradum, *Danubio hauritur.* *VII.*

§. I.

Hungariæ *ambitus:*

VT autem omnibus pateat, quam amplam, & qua fortuna, priores *Reges Hungariæ*, possederunt eam regionem, libet paucis adtingere, ipsius *Hungariæ* situm, atque terminos. Ipsa enim vetus, & olim, per *Hungariæ Reges* possessa *Hungaria*, quasi media diuiditur *Danubio*, fluuio ingenti, cuius pars superior, incipit a terminis *Austriæ*, vbi prima eius ciuitas est *Posonium*, & deinde descendit perpetuo flumine, vsque ad *Nándor-Albam*, quæ est eius terminus; ita, quod ista duo munitissima loca, *Posonium* videlicet, & *Nándor-Alba*, sint quasi duæ claues Hungariæ, vna ex parte *Germaniæ*, alia vero ex parte *Græciæ*, siue *Turciæ*: circulariter vero metiri potest eius ambitus, procedendo semper penes terminos *Austriæ*, quasi versus *Septentrionem*, & *Orientem*, ad terminos *Morauiæ*, deinde *Silesiæ*, ac per consequens, *Poloniæ*, per montem *Carpatum*, vsque ad flexionem *Tyræ*, continuo procedendo vsque ad *Euxinum Pelagus*, vbi *Danubius*, Ponto miscetur. Deinde, recta flectendo *Samandriam* & *Belgradum*, per limites *Epiri*, vsque ad sinum *Adriaticum*; sicque iterum reflectendo ad terminos *Histriæ*, ac deinde *Carnioliæ* progrediendo. Exinde penes terminos *Styriæ*, & *Austriæ*, vsque ad *Posonium*: vbi prima origo huius considerationis incipit.

Posonium, & Nándor-Alba, *eius claues:* *reliqui circum termini.*

§. II. Habet autem hæc ipsa *Hungaria*, sicut dictum est, circumscripta, infinitos etiam alios, memorabilesque fluuios; inter omnes tamen, quatuor sunt insigniores, videlicet: *Danubius*, *Tibiscus*, *Drauus*, & *Sauus*. DANVBIVS oritur in Germania, circa (a) Siluam *Nigram*, siue *Herciniam*, non procul a pago *Donaschingen*, in Rhætia, e monte *Abnoba*, habetque fontem in planitie, non procul a ripa *Rheni* distantem, duobus forte milliaribus, qui deinde per latos Germaniæ fines, *Vindeliciam*, *Bauariam*, ac *Austriam*, decurrit. Deinde, prope *Posonium*, Hungariam ingreditur, ad arcem, quæ *Deuinia* vocatur. Hinc, longo & sinuoso alueo, lapsus, penes *Iaurinum*, *Comáromium*, *Strigonium*, *Vissegrádum*, *Vaciam*, *Budam*, *Pesthum*, *Vylak*, aliaque celeberrima Hungariæ loca, percurrit, ad *Nándor-Albam*, deinde *Daciam*, a *Mysia* superiore disterminans, infra *Mysiæ* inferioris, quæ nunc *Bulgaria* dicitur, terminos, sexaginta amnibus in se receptis, ingenti lapsu, septem vastis ostiis, in *Pontum Euxinum* exoneratur. Quibus in locis, apud ostia ipsa termini Hungariæ, videlicet *Chylia*, *Nester*, *Orsoua*, (b) & alia nonnulla

*Præcipui Hungariæ* Fluuii: Danubius, *eiusque fontes, ac decursus:* *loca celebriora, quæ adluit:* *in* Pontum Euxinum *exitus:*

a) Genuinos DANVBII fontes, peculiari tractatu expromsit, FRIDERICVS WILHELMVS BREVNINGER, *Nürtinga Würtenbergicus*, ad D. CAROLVM VI. Imperatorem. qui consulendus est omnino, Cap. in primis IV. V. & VI. Excusus est libellus *Tübingæ*, a MDCCXIX. for. oct. idiomate Germanico.

b) ORSOVA, non est ad ostia *Danubii*; sed altius, & supra Pontis Traiani, eius alueum,

nulla olim pertingebant; ſed iam nunc propter temporum infelicitatem, præfati termini, nempe *Chylia* & *Neſter*, tempore adhuc Regis MATTHIAE, in *Turcicam* poteſtatem deuenerunt. Alia vero altius loca, vt ſunt: *Orſoua*, *Péch*, (c) & *Seuerinum*, tempore LVDOVICI II. amiſſa ſunt. Ex iſtis oſtiis Danubii, ex Ponto ipſo piſces illi excellentes, *Antacæi*, quos PLINIVS *Mariones*, (d) nunc vero vulgus *Vzones* adpellat, aduerſo flumine adſcendunt, per vniuerſam fere Hungariam, & quaſi vſque *Poſonium*; ſupra eum tamen locum non inueniuntur.

*piſcis* Huzo, *qui eſt Plinii* Mario.

§. III. Flumina, in Danubium, iſta ſpecialiora influunt. Nam, ſupra *Poſonium*, ſub arce *Devén*, influit *Maroſia*, ſiue *Morava* fluuius; tum prope *Vyzkeleth*, *Tyrnauia* (e) riuulus; ſupra *Comárom* arcem, ad oppidum *Guta*, influit *Vagus*; paullo inferius, ſub pago *Nyarſchida*, influit *Nitria*, amnis non ignobilis; deinde fluuius *Granus*, ſiue *Granua*, qui oritur circa arcem *Murán*, ſub *Nouoque* ac *Veteri Zolio*, *Sanctoque Benedicto* decurrens, ſimul cum alio fluuio, *Ipol* (f) dicto, ingreditur *Danubium*, ex oppoſito *Strigonii*. Deinde, non procul a *Titulio*, ex ripa oppoſita oppido *Zalonkemen*, *Tybiſcus*, amnis nobilis, influit: & hic quidem fluuius, multa ſecum minora deuehit flumina. Ab altera, videlicet meridionali parte, *Danubius* hæc flumina recipit. Primo circa oppidum, quod *Altenburgh* vocatur, *Leitam*, qui in certa ſui parte, *Hungariam* ab *Auſtria* diuidit. Deinde circa *Iaurinum*, quod olim *Brigantium* dictum eſt, (g) *Rabniczam*, qui nunc *Rábcza*, & *Rába*, olim *Arrabo* nominatus eſt. Poſtea circa oppidum *Bátha* recipit amnem *Sáaros* dictum; deinde ad *Drazad*, quod olim *Teutoburgum* fuiſſe creditur, *Drauo* amne augetur. Poſtremo, circa *Taurunum*, ſeu *Nándor-Albam*, *Sauus*, nobilis fluuius, ingreditur *Danubium*, efficiens ſuo ingreſſu quaſi peninſulam. Et in hoc loco, ex parte *Turciæ*, in colle quodam, eſt conſtitutum nobile illud fortalitium, quod *Belgradum* dicimus, propugnaculum fortiſſimum totius *Hungariæ*.

Moraua: Tyrnauia: Vagus: Nitria: Granus: Ipola: Tybiſcus: Leita: Rábcza: Rába: Sáarviz: Drauus: Sauus.

§. IV. Is fluuius DANVBIVS, quas per tractum *Hungariæ* plurimas facit, duas habet, & magnitudine, & fertilitate, maxime præſtantes inſulas. Altera earum, initium ſumit apud *Piſonium* vrbem,

Inſulæ, *quas efficit Danubius*:

alueum, quærenda; quippe nupero demum bello Turcico, iterum amiſſa: gemina ea eſt; altera in Danubii ripa; altera in inſula.

c) *Péch*, ſiue *Péts*, Latinis *Quinque Eccleſiæ*; vrbs olim copioſa, amœnaque, *mediterranea* eſt. Forte *Petervaradinum*, auctor voluit ſcribere, quod Danubio adhæſit, eſtque, hac tempeſtate, munimentum, aduerſus *Turcas*, limitaneum.

d) Non *Marionum*, ſed MARMYRONES meminit PLINIVS, Lib. XXXII. Cap. LIV. ſed an iſthuc quadraturos, neſcio. *Pictæ* enim ſunt *Marmyrones*: quod de noſtris *Huzonibus*, minime poſſis dicere. Sed, *paruam* etiam *Marmyronem* aiunt; contra, *Huzo* noſter grandi quandoque mole eſt, & quæ *centenarios*, VI. VII. ſubinde etiam X. pondere exæquet.

e) *Dudvágum* mallem, loco *Tyrnauiæ* ignobilis amniculi, nominaſſet.

f) *Ipola*, e gremio montium *Kis-Hont* interiorum, deiecta, poſteaquam *Neogradienſem* agrum interluiſſet, apud *Nagy-Hontenſes*, longe infra *Granum*, Danubio miſcetur.

g) *Arrabo*, veteribus dicebatur *Iaurinum*; *Brigantium* certe, alibi quærendum. quod & faciemus ſuo loco. Conf. infra p. 104. §. VI. not. *n*.

Csallokőz superior, *eiusque magnitudo:* *fertilitas:* *oppida præcipua, virique insignes:* inferior, *seu* Comárom-Szigethe: *metropolis* Comáromium, *a* Ferdinando I. *communitum:* Chepel, *altera Danubii insula.*

bem, porrigiturque longo tractu, tredecim milliarium, vsque ad arcem *Comárom*; lata interim nunc ad tria, nunc etiam ad quatuor milliaria. Frumenti, hordei, auenæ, siliginis, leguminumque aliorum, fertilissima. Huius insulæ pars *superior*, qua *Posonio* propinquior est, lingua patria, *Csallókőz* nuncupatur. In ea parte sunt loca nobilia, signanter arx *Eberhard*, viri clarissimi *Michaëlis Merey*, incolatu nobilitata; est enim illius virtute acquisita. Item oppida hæc: *Samaria*, *Chötörtök*. *Zerdabel*, *Beős*, *Vasarúth*, *Paka*, ac viri aliquot satis nobiles, de quibus taceo. Alia, eiusdem insulæ pars *inferior*, versus orientem, & meridiem, quæ arci *Comárom* propinquat, ab ipsa arce vocatur, *Comárom-Szigethe*, in qua parte sunt: primo, arx ipsa *Comárom*, in eo confluente sita, vbi iterum *Danubius* miscetur. Arx eadem sumtuoso admodum opere, per Serenissimum Regem FERDINANDVM, nostro hoc tempore, contra impetus *Turcicos*, est munita, & fortificata. Sunt ibi & alia nonnulla oppida, & viri, de quibus taceo. Alterius insulæ, paullo infra *Budam* incipientis, nomen est *Chepel*. Hic est; *Kevi*, quod *Rasciani* incolunt; *Sanctus Martinus*; *Thököly*, (h) Solet esse cum aliis nonnullis pagis, Reginæ Hungariæ, *iure donationis propter nuptias*. Hæc insula, (i) nobilissima est, ac diues perdicibus, phasianis, turdis, gallinis siluestribus; item ceruis, damis, apris, leporibus, abundantissima, adhæc siluis, nemoribus, vineis, pascuis, frumento, & aliis, ad vsum mortalium necessariis, adeo insignis, vt nihil, siue quod ad necessitatem victus, siue ad voluptatem pertineat, hic deesse videatur: & propterea Regibus Hungariæ secessum præbere solita fuit, solatiumque & oblectamentum amœnissimum. Hæc longa est in meridiem nouem milliaribus, lata vero, duobus, aut tribus, iuxta locorum diuersitatem.

Tibiscus, *vnde oriatur: & vbi in* Danubiũ *exeat:* *quæ loca subluat:* *familiæ Serediorum incrementa.*

§. V. TIBISCVS (k) fluuius, vnus ex quatuor principalioribus, aliis tamen tribus longe piscosior. Ortum habet in *Marmarusio*, humili ex fonte, sed prope eadem loca, quinque riuulis ortis, augetur, ac multis postea *Hungariæ* superioris, & *Daciæ* nauigabilibus auctus fluminibus, sub oppido *Szalankamen*, in *Danubium* influit. Habet & iste nobilissima loca, quæ adluit, aut circumfluit, signanter autem, *Huszth*, & *Tokay*, quæ hæreditaria olim IOANNIS Regis fuerant; nunc vero munificentia regia possidetur per familiam *Serediorum*, quæ licet nobilis; fortunæ tamen fuerat tenuioris; sed proximis his disturbiorum temporibus, in amplas creuit facultates, possessiones ac diuitias, virtute potissimum *Casparis Seredi*, qui primus eam familiam, in hoc dignitatis culmen, sua virtute & prudentia, euexit, & ampliores, quam acceperat, opes reliquit. §. VI.

---

h) Hinc prodiere, sed profecto inauspicato, TÖKÖLII, vetustæ alioquin nobilitatis homines. quod opportune diximus, in insulæ huius Designatione, *Hungariæ Nouæ*, TOMO III. Parte Speciali, Memb. III. Sect. V. Art. III. p. 532. seq.

i) Descripsit eam NICOLAVS OLÁHVS, in Hungaria sua, Decadis huius I. Monum. I. p. 7. vnde pleraque hæc mutuatus est noster. Nos eam dedimus, Operis Tom. III. p. 515. idque professa prolixaque opera.

k) Ortus & decursum TIBISCI, peculiari libello dedit, SAMVEL TIMON, S. I. 8uo. Ipsi autem nos, indagauimus in eosdem, adcuratione, quam fieri potuit, maxima, in Historia Comitatus *Maramarosiensis*.

§. VI. Dravvs, tertius Hungariæ nobilior fluuius, oritur in *Carinthia*, ex monte *Cœcio*, fonte non ita magno, fluitque per *Styriam*, adluens nobilissima loca, signanter *Pethouiam*, *Ormosd*, quæ sedes est & habitaculum nobilissimæ familiæ *Zékel*. Idem accipit in se fluuium *Muram*, qui suo confluenti efficiunt insulam quasi quandam, quæ proprio nomine, *Draua-Murakôz* nominatur. In ea peninsula est arx *Chaktornya*, amplissimos habens prouentus, nunc in manibus clarissimi viri. *Nicolai Comitis a Zrinio*, Bani, habita. Decurrens postea ipse fluuius *Hungariam*, a *Sclauonia* Hungarica, diuidit, & adluit oppidum *Eszek*, clade exercitus nostri, quem dux *Kaczianer* illic amisit, nobilitatum. Deinde, vt dictum est, penes oppidum *Drazad*, Danubio miscetur.

Drauus, *e* Carinthia *delapsus*: Muram *accipit*, *& peninsulam* Draua-Murakôz *molitur*: *est* Sclauoniæ *ab* Hungaria *disterminator*.

§. VII. Savvs fluuius, vnus similiter ex quatuor nobilioribus. Oritur, in radice eiusdem montis *Cœcii*, in *Carniolia*, non procul ab *Arnoldstein Carniæ*, non multis supra *Villacum* milliaribus. Is, multis admissis, Sclauoniæ, Hungariæ, Croatiæque, nec non Bosniæ & Seruiæ, fluminibus, labitur. In confluenti illo, vbi fluuium *Colapim* in se recipit, est insula *Segestica*, olim *Voruca*, vbi colonia nobilissima Romanorum *Siscia*, nunc vulgari nomine *Zûzek*, adpellata: vbi est insignis arx Collegii, siue Capituli, Ecclesiæ Zagrabiensis, per Dominos illos *Canonicos*, denuo, contra vim hostilem, exædificata. Descendit deinde *Sauus*, per fines *Sirmienses*, & mœnia arcis *Sabács* adluens, sub *Tauruni*, siue *Belgradi* mœnibus, quæ occidentem respiciunt, in *Danubium* se exonerat. Hæc quatuor flumina, cum duplicata cruce alba, insignia sunt regni Hungariæ, iam inde ab initio regni vsurpata.

Sauus, *in* Carniolia *ortus*: *& variè auctus*: *insulam* Segesticam *efficit*.

## II.
## *Specialis*
# HVNGARIAE DESCRIPTIO.

## Synopsis.

HVngariae *Pars prima*: *Comitatus ad eam pertinentes*: *lacus* Ferthö *&* Balaton: *Archiepiscopatus Strigoniensis*: *Episcopatus Quinqueecclesiensis*: *Iauriensis*: *& Veszprimiensis*. *I.*

*Vrbes Hungariæ Trans-Danubianæ*: Buda: *vrbis & arcis situs & elegantia*: *Bibliotheca Coruiniana*: *Thermæ Budenses*. *II.*

Alba-Regalis, *cum vicinis arcibus*: Vissegrád *oppidum*, *& huius opportunitates*: *arx monti altissimo imposita*, Coronæ *sedes*. *III.*

Strigonium, S. Stephani *patria*: *Thermæ*: *silua Vértes*: *Abbatia* S. Martini *montis Pannonii*: Papa *oppidum*. *IV.*

Sabaria, *D. Martini patria*: Körmönd: Sárvár: *Thomæ Nadasdy sedes*: Monyorókerék: Német-Vjvár: Felsö *&* Alsó Lindva: Canisa, *cum vicinis arcibus*. *V.*

Lövöld, *FF. Carthusianorum cœnobium*: Váson *arx*: *Abbatia* Tihon, Zegligeth: *Abbatia* Zalavár: Kapornak: Vesprimium: *reliqua*: Sopronium: Ovár: Iaurinum. *VI.*

Tata, *arx Regia*: *oppida*, *quæ sunt vltra Budam*: Quinque Ecclesiæ: *arx* Soklós: Mohács, *clade* Ludouici, *infame oppidum*. *VII.*

Secunda *Hungariæ Pars*, *intra* Sauum *&* Drauum, *& quæ vltra sunt*: Dalmatia, Croatia, Bosnia: Diaco,

## §. I.

**Hungariæ** *pars prima*: DIuiditur autem *Pannonia*, siue *Hungaria* (a) ipsa, in quatuor potissimum partes; quarum prima, quæ trans *Danubium* est, a flante *Fauonio*, initium habet ab *Austria*, olim, *Pannonia Superior* dicta; ab *Euro*, *Drauum* adtingit; *Subsolanum* vero, qua adtingit, porrigitur verius & ad ostia eiusdem *Draui*; a *Borea* vndique vicina est *Danubio*. **Comitatus** *ad eam pertinentes*: In hac parte sunt Comitatus: *Sopronienfis*, *Mossoniensis*, *Iauriniensis*, *Strigoniensis*. Item. *Castriferrei*, *Zaladiensis*, *Simigiensis*, *Veszprimiensis*, *Albensis*, *Tolnensis*, & *Baranya*. Sunt item duæ paludes, siue stagna perpetua, magna & piscosissima: quorum *lacus* **Fertheő, & Balathon**: vnum vocatur *Fertheő*, ad cuius latus sunt oppida *Neysidel*, & *Ruszth*. (b) Alterum vero stagnum vocatur *Balathon*, longitudine fere milliarium quatuordecim, latitudine duorum, & quandoque trium, ac amplius. Iste lacus *Balaton*, disiungit *Vesprimium*, a *Simigio*.

a) Vulgato, scriptoribus Rerum Hungaricarum, more, *Pannoniæ*, & *Hungariæ*, vocabula permiscet: cum tamen, *Pannoniaiarum* nomen, soli *Hungariæ Transdanubianæ* sit proprium; *Hungaria* contra, *Cisdanubiana*, regiones, *Quadorum*, *Iazygum Sarmatarum*, & *Metanastarum*, *Daciæ* item eius partem describat, quæ vltra *Tibiscum*, vsque ad *Carpathi* orientalis, radices & iuga, procurrit. quod monuimus sæpius; neque hic silendum putauimus; vt adsuescant ciues nostri, veteres regiones, ac harum situs, discriminare ab hodiernis: & cum loquuntur cum vulgo, cum doctis sentire; hoc est: cum rerum antiquarum scriptoribus.

b) Adde his: *Széles-Kút*, siue *Breiten-Brunn*; *Fekete-Város*, di Germanis, *Purbach* est; denique, *Rakos*, seu *Kroysbach*. quod iam in ditione censetur Episcopatus Iauriensis.

*migio.* Hæc *Hungariæ* pars, continet primum *Archiepiſcopatum Strigonienſem*, cuius Antiſtes, *Primas*, *Legatus*que natus, & *Supremus* regni Hungariæ, ex regum veterum inſtituto, eſt ſemper *Cancellarius.* (c) Huic, noſtro hoc tempore, præeſt clariſſimus vir, NICOLAVS OLÁHVS, Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimus, & multis præclaris virtutibus inſignis: dignus, qui meliore tempore, in locum hunc ſublimatus fuiſſet. Etenim, *Strigonium* ipſum, ſedes Archiepiſcopalis, vna cum alia arce eiuſdem, *Drégel* dicta, in manibus iam *Turcorum*, antequam ipſe in hunc locum veniſſet, habebatur. Sunt item in hac Hungariæ parte Epiſcopatus: *Quinque-Eccleſienſis*; *Iaurinenſis*, quem diuino munere, & piiſſimi regis liberalitate, ego poſſideo: & *Veſprimienſis.* Eſt etiam *Præpoſitura Albæ-Regalis*; item *Abbatia S. Martini*, prope *Iaurinum*; *Sexardienſis*; *Somogyvár*; *Zalavár*; *Péch-Varadienſis*; *Tyhonienſis*, & *Bátha.* *Archiepiſcopatus* Strigonienſis: Epiſcopatus Quinque-Eccleſienſis; Iaurienſis, & Veſprimienſis.

§. II. Habet hæc pars ciuitates munitas, & ſignanter *Budam*, (d) quæ ſedes eſt regni, cum arce nobiliſſima, opere, in tota Europa, nobiliſſimo, conſtructa; tamen, hæc quoque, noſtro hoc tempore, circa annum Domini MDXLII in manus *Turcorum* deuenit. Tota hæc vrbs, cum arce, in colle ſaxeo ſita eſt, & a ſeptentrione in meridiem protenſa. Arx, in fronte meridionali conſtructa, ædificiis, fornicibus, tabulatisque, auro, & coloribus depictis, vſque ad admirationem eſt exornata. cui, propter operis excellentiam, ipſe quoque hoſtis, dum vrbem exurreret, pepercit. Fuit in hac arce Bibliotheca, Græcis, Latinisque voluminibus, per regem MATTHIAM *Coruinum*, non minori cura, quam labore, e medio etiam Græciæ, eo congeſtis, referta; quæ tamen ita diuiſa erat, vt merito duæ Bibliothecæ dici poſſint. Nam altera, Græcos, altera vero interior, Latinos continebat codices; a primis rudimentis, ad arcem vſque, omnium ſcientiarum, per capſulas, & loculos, ordine quæque ſuo, diſtinctos. quæ omnia fuerunt rabie Turcica, poſt occiſum in *Mohács* regem LVDOVICVM, dilaniata. Ex oppoſito *Budæ*, in vlteriori *Danubii* ripa, eſt oppidum *Peſth.* A meridie *Budæ*, obiicitur altisſima rupes, Diuo *Gerhardo* ſacra: ex qua rupe miles quidam Turcicus eques, ſe ſe ſponte cum equo dicitur præcipitaſſe, in ſignum lætitiæ, dum *Solymannus* ea vrbe fuiſſet potitus. Sunt circum *Budam*, thermæ nobiliſſimæ, ſupra & infra vrbem. A ſeptentrione viuarium regis eſt, *Nyék* dictum, cum aula ampliſſima. Non procul eſt *Eremitarum* monaſterium, *Diui Pauli primi Eremitæ*, corpore eiuſdem olim venerabile. De aliis *Budæ* excellentiſſimis circumſtantiis, dicere, (e) foret opus immenſum.

*Vrbes Hungariæ Trans-Danubianæ:* Buda: *vrbis & arcis ſitus, & elegantia:* Bibliotheca *Coruiniana:* *thermæ* Budenſes.

§. III.

c) Has ARCHI-EPISCOPI *Strigonienſis Prærogatiuas*, cum cura, & ex *Diplomatum* fide, in Hiſtoria cognominis Comitatus, expromemus.

d) Confer, NICOLAI OLÁHI, Hungariam, quam habes, in ADPARATVS noſtri Decade I. Monumento I. Cap. V. p. 8. ſeqq. Atque, de Bibliotheca Budenſi, NALDI NALDII *Florentini*, Epiſtolam &c. TOMO III. *Hung. Nouæ*, p. 559. ſeq.

e) Nos certe, haud pœnituit, Operis noſtri, TOMO III. prolixa opera, *Budam*, celebrauiſſe. cuius illic expreſſam imaginem, fortunæ vtriusque viciſſitudines, & habi-

Alba-Regalis, *cum vicinis arcibus:*

§. III. *Alba-Regalis*, ciuitas, a *Buda*, meridiem & occidentem versus, tendens. Abest octo milliaribus; inclyta, & coronationibus ac sepulturis Regum Hungariæ. quæ & ipsa, *Turcico* iam paret imperio. Circa hanc vrbem, ad radices cuiusdam siluæ, *Vértes* vocatæ, sunt arces *Csokakö*, *Palotha*, *Oroszlánkö*, infra quas oritur fluuiolus *Sáaros*, molis frumentariis circiter sexaginta percelebris.

Vissegrád *oppidum, & huius opportunitates:*

Item, oppidum *Vissegrád* (f) abest a *Buda*, occidentem & septentrionem versus, quinque milliaribus, conditum ad ripam *Danubii*, in radicibus siluæ vastissimæ, *Pardorum*, (g) aliarumque ferarum altricis. In fronte oppidi, ad partem orientalem, aula exstructa est, plus, quam dici potest, situ decora; & impensis, ædificiisque præstantissima; vtpote, quæ vnica quatuor regibus, cum suis ordinariis officiariis, eodem tempore, commodissimum præbere potuisset hospitium. (h) Dicitur enim, continuisse plus, quam trecentas & quinquaginta ædes.

*arx monti altissimo imposita:*

Supra hanc aulam, in monte altissimo, & cacumine eiusdem, conspicitur, veluti quispiam nidus, arx fortissima, in qua veteri more regni, custodiri solita erat, *Sacra Regni Hungariæ Corona.*

Coronæ *sedes.*

quæ nunquam aliter exportari erat solita; nisi, dum nouus, in *Hungaria Rex*, legitime debebat coronari.

*Strigonium* S. STEPHANI *patria:*

§. IV. In ripa eiusdem *Danubii*, ciuitas est STRIGONIVM, (i) de qua diximus, cum arce nobilissima, in loco excelso ædificata. Hæc, natiuitate atque baptismo D. STEPHANI, primi regis Hungariæ, est memorabilis. In arcis radice, in ipsa *Danubii* ripa, est turris

*thermæ:*

fortissima, quæ aquatica dicitur, in qua thermæ, (k) tanto impetu erumpunt, vt molam circumagant. Auditu res miranda, eodem tractu fere contiguo, iisdemque venis, aquam gelidam *Danubii* decurrere, & thermas erumpere. In fine siluæ, quæ ciuitati immi-

*silua* Vértes:

net, initium habet alia silua vastissima, *Vértes* nominata, versus meridiem, vsque ad terminos alterius siluæ, quæ *Bacon* vocatur, protensa, ad terminos vsque lacus *Balaton*. Ad latus huius siluæ *Vértes*,

*Abbatia* S. Martini *Montis Pannonii:*

*Abbatia S. Martini*, de qua dictum est, adiacet in monte, qui adpellatur *Sacer Mons Pannoniæ*, sitaque est in amœnissimo loco, ad omnes plagas, oppida & latos campos, prospiciente. Hinc ad

Pápa *oppidum.*

meridiem versus, oppidum *Pápa*, situm in fertilissima omnium rerum tellure, cum lacu amplissimo, qui mœnia oppidi adluit.

§. V.

---

habitum, quo est hodie, haud sine voluptate leges, Parte Spec. Memb. III. Sect. I. Cap. II. a p. 185. vsque ad pag. 467.

f) Fuse *Vissegrádum* designauit OLAHVS, in Decadis I. Monum. I. p. 11. seq. & nos, loco nunc citato, p. 468. seq. ruderum icone simul exhibita. GREGORIANCZIVS, epitomator hic est OLAHI, & per totum commentariolum, passim.

g) Ambigo, an *Pardi*, familiares vnquam siluis Hungaricis fuerint.

h) BONFINIVS, Dec II. Lib. IX. p. 233, 23. Adde Commentaria nostra, l. c.

i) Nos eam curate exhibebimus descriptam, sequuturo Operis nostri TOMO V. quem hucusque, partim difficultas temporum, partim hominum quorundam iniquitas, a luce publica retentauit: quando, destinatos, ad consummandum opus vniuersum, augustali D. Cæsaris CAROLI VI. & postea Serenissimæ Reginæ MARIAE THERESIAE, munificentia, reditus, præter, quam decet, auaris scriniis, mordicus detineat. *Vtinam, ad se tandem redeant!*

k) Vide, GEORGIVM WERNHERVM, de Aquis Hung. Admir. p. 597. collectionis *Bongarsianæ*.

§. V. Deinde, magis meridiem verſus, quaſi ad occidentem, *Sabaria*, (l) arx, cum oppido adiacente. quæ quidem *Sabaria*, patria fuit *D. Martini* Epiſcopi *Turonenſis*, vbi, in loco natiuitatis eius, ædificata eſt *Capella*, in honorem, & ſub nomine eiusdem *S. Præſulis*. Hic locus in pertinentiis eſt Epiſcopatus *Iaurienſis*, quem per multos annos, in alienis manibus exiſtentem, diuina ope, ego ad iurisdictionem Eccleſiæ reduxi. Non longe illinc eſt oppidum *Körmend*, *Anzbergh*. Tum non procul conſpicitur caſtrum *Sárvár*, locus videlicet habitationis viri incomparabilis, *Thomæ Nadaſdy*, regni Hungariæ *Palatini*, qui ſuam nobilem progeniem, virtute atque induſtria, nobiliſſimam effecit, & per omnes dignitatis gradus, ad culmen ſupremi honoris *Palatinatus*, meruit exaltari. Duxit hic vxorem, *Vrſulam*, ex domo *Kaniſay*, vnicam hæredem: cum qua, dum annos viginti, nullam habuiſſet prolem, hoc demum anno, ſexta die Octobris, filium ſuſcepit, nomine *Franciſcum*, MDLV. cuius vita ſit perpes, longæua atque diuturna. In iisdem locis ſunt arces, *Kapu*, *Monyorókerék*, quam Teutones, *Eberau* dicunt. Item, in rupe ardua exſtructa eſt arx *Német-Vjvár*, ſiue *Nouum Caſtrum*, habitatio & hæreditas viri ampliſſimi, *Franciſci Battyáni*. Cum altera arce, ibidem non procul, *Zolnoko* dicta. Non longe eſt arx inter ſiluas, *Felsö-Lyndva*, & alia, *Alſo-Lyndva*, Comitum Zaladienſium ſedes, & habitatio. Nec procul eſt arx *Caniſa*, domus vetuſtiſſimæ familiæ, *Baronum de Caniſa* ſedes. Sunt illinc arces: *Berſencze*, *Chorgó*, *Babocha*, *Zigeth*, *Kapos*. Item, pertranſito fluuio *Mura*, eſt arx nobiliſſima, *Cháktornya*, & *Strido*, D. HIERONYMI (m) patria. Non ita multum a *Felsö-Lindva* diſtat, *S. Gotthardus*, *Némethi*, *Kalmanchéch*.

*Sabaria*, D. MARTINI *patria*. — Körmend: Sárvár, *Thomæ Nadaſdy ſedes*: — Monyórókerék: Német-Vjvár: — Felsö- & Alsó-Lyndva: — Canisa, *cum vicinis arcibus*.

§. VI. Ad *Vértes*, non longe a *Veſzprimio*, eſt cœnobium *Lövöld*, *FF. Carthuſianorum*, multis oppidis & reditibus opulentum, quo nullum in *Hungaria*, vel ædificiis excellentius, vel prouentibus clarius, inter monaſteria Fratrum, poterat inueniri. Citra *Balathon* lacum, ad radices ſiluæ, eſt arx *Váſon*, ab hac non multum abeſt *Abbatia Tihonium*, in amœno loco, quaſi in peninſula Balathonienſi ſita. Arx *Zegligeth*, *Abbatia Zalavár* munitiſſima, & prouentibus ampla. Alius item Conuentus Religioſorum in *Kapornak*, ſupra *Váſon*. Ad Boream eſt *Veſprimium* Epiſcopatus, & *Berenhyda*. Hinc non longe a plaga meridionali: *Sárosladan*, *Vrhyda*, *Lepſin*,

Lövöld, *FF. Carthuſianorum cœnobium*. — Váſon *arx*: *Abbatia* Tihon: Zegligeth *arx*: *Abbatia* Zalavár: Kapornak:

l) CAROLVS VI. Imperator, & Rex Hungariæ, nouum iſthic Epiſcopatum erigere conſtituerat, deſignato in Præſulem, *Comite* PAVLLO FORGÁCH, *iuniore*, Præpoſito Poſonienſi; ſed, res ea, ob temporum difficultatem, videtur adhæſiſſe, ac per intempeſtiuam, Cæſaris & Regis optimi, mortem, intercidiſſe prorſus.

m) Non eſt tam facile, quam eruditi quidam exiſtimant, patriam D. HIERONYMI deſignare. Neque enim, eadem in regione, ab omnibus, *Stridon* quæritur. Qui in *Iſtriam* vrbem reponunt, *Italum* hi faciunt beatum virum; *Dalmatam* contra, qui fatentem ſequuntur ipſum *Hieronymum*; *Pannonium* noſtri, qui hoc loco ſtatuunt *Stridona*. quam nos controuerſiam, adtingemus, Operis TOMO V. in Peninſulæ *Muraköz*, deſcriptione. Lege interim, IOHANNEM LVCIVM, ad *Marci Maruli* carmen, in eos, qui B. HIERONYMVM, *Italum* eſſe contendunt, p. 457. ſeqq.

 n) Exa-

Vesprimium: reliqua: *psin*, *Ozoró*, *Simon-Tornya*. Oppida: *Bykad*, *Zerdabely*, *Zántó*, *Keresbelgy*, *Tard*, *Somogyvár*, Abbatia opulenta, *Oztopan*, *Korpád*. Ad

Soproniū: occidentem vero *Sopronium* eſt, vrbs, a Vienna decem circiter milliaribus diſtans. Ager eius, vini & frumenti ferax. Hæc eſt vna

Ovár: ex octo liberis Hungariæ ciuitatibus. Diſtat hinc arx *Ovár*, ad octo fere millaria, quam Germani *Altenburg* vocant, apud quam a meridie influit flumen *Leyta*; a ſeptentrione pars *Danubii* eſt, qui illic

Iaurinum. tres mediocres facit inſulas. Deinde eſt *Iaurinum*, Epiſcopatus meus, arx cum oppido ampliſſimo, quod olim *Bregetium* (n) dictum fuit, in ripa *Danubii*, qui hic quoque loci inſulam facit: infra quam arcem, occidentem verſus, flumen *Rábcza* in Danubium exoneratur. Sub ipſa vero mœnia arcis *Iaurini*, aliud flumen, olim *Arrabo*, nunc *Rába* dictum, in eundem Danubium voluitur.

Tata, *arx regia*: §. VII. Hinc *Tata*, arx regia, inter *Strigonium*, & *Comaromium*, ad latus meridionale ſita, occurrit, medio milliari a ripa *Danubii* diſtans, inſignis MATTHIAE regis ædificiis. Adluit huius muros orientales, latiſſimum viuarium, piſcibus multigenis memorabile.

*oppida, quæ ſunt vltra* Budam: Vltra *Budam*, meridiem verſus, *Thétén*, *Erd*, *Adony*, *Palſium*, *Tbolna*, *Sexárd*, & *Bátha*, Abbatia oppulenta, & Sacramento miraculoſo olim celebris. quam flumen *Sáros* præterfluit. Vltra eandem eſt

Quinque-Ecclesiæ: *Abbatia Péch Varadina*. Hinc occurrunt *Quinque-Eccleſiæ*, ciuitas, cum arce nobiliſſima, in radice montis ardui, *Mechek*, ſita. qua ciuitate, vix vlla alia in Hungaria fuit celebrior, (o) vberrimis campis & promontoriis, omnia, quæ ad vſum humanum neceſſaria ſunt, largiſſime præbens; & propterea tanta in ea vrbe ſcholaſticorum, bonas litteras diſcentium, confluere ſolita erat multitudo, vt exercitum vnum æquare potuiſſet; incolarum præterea tanta fuit comitas & ciuilitas, vt *Athenas* dicere potuiſſes. Habet ad latus ſeptentrionale, erumpentem quandam aquæ ſcaturiginem, tanta copia,

*Arx* Soklós: vt aqua ea ſtatim, circiter quadraginta molas circumagat. Huic vi-

Mohács, *clade* LVDOVICI *infame oppidum*. cina eſt, ad tria milliaria, arx *Soklóſium*, munitione, & natura, fortiſſima. A Quinque-Eccleſiis, ad quatuor milliaria abeſt ad ripam *Danubii* ſitum oppidum *Mohács*, clade LVDOVICI regis, ac totius nobilitatis Hungaricæ, funeſtum & memorabile.

Secunda HVNGARIAE *pars, intra* Sauū *&* Drauum, *& quæ vltra ſunt*: §. VIII. *Secunda* HVNGARIAE Pars, partim *Drauo*, & *Sauo*, fluminibus, includitur; partim vero vltra *Sauum*, ad Alpes vſque, & mare quoque *Adriaticum*, porrigitur. Trans *Sauum* enim ſunt regna: *Dalmatia*, & *Croatia*, ac *Boſnia*, ad coronam Hungariæ pertinentia; & omnis ille tractus, vſque ad *Taurunum*, ſiue *Belgradum*.

Dalmatia, Croatia, Bosna: Diaco, *ſedes Epiſcopi Boſnenſis*: Zabacz: Illic eſt Epiſcopatus *Boſnenſis*, cuius ſedes nunc fuerat oppidum *Diaco*. Eſt in eo tractu *Nándor-Alba* ipſa, cuius muros adluit *Sauus*, & ibidem Danubio miſcetur. Eſt illic etiam arx *Zabacz*, ad ripam eiusdem *Saui*. Sunt præterea multæ arces, iam pridem per *Turcos*

n) Examinauimus eam ſententiam alibi: dubiam fecimus, DECADE I. Monum. I. Cap. VIII. §. II. nota f.) p. 15. nunc, plane inficiamur: cauſſas, ad Strigonium exprompturi: licet ſatis ſit dixiſſe; contraire ei ſententiæ, ANTONINI Itinerarium,

o) Hinc celebratum *Hungaris* prouerbium: *Németnek Béts*, *Magyarnak Péts*; quod

*Turcos* interceptæ, vti eſt: *Barka*, *Vjvár*, *Dobor*, *Michálocz*, *Doboczìez*, *Zlaboczina*, *Moglay*, *Grayacz*, *Zrebernik*, & aliæ multæ. *arces reliquæ:*
Eſt etiam *Dalmatia*, fere vniuerſa, per *Venetos* occupata, cum ſua metropoli *Iadera*. Eſt & Epiſcopatus *Tinninienſis*, cuius etiam vnica arx *Czazyn*, in manibus Epiſcopi, *Ioannis Vylaki*, viri excellentiſſimi, noſtro hoc tempore, habetur. Eſt etiam Epiſcopatus *Modruſienſis*, qui & ipſe paucos adhuc ad mare *Adriaticum* habet prouentus, quem Epiſcopatum Sereniſſimus rex FERDINANDVS, non ita diu contulit Theologo cuidam, Fratri Dominicano *Dionyſio*, proprio nomine. Vniuerſa præterea dominia *Comitum* de *Frangepanibus*, *Zrinii* de *Zrinio*, nec non *Blagay*, ſunt in hoc tractu, arces videlicet: *Modruſium*, *Ozal*, *Dobovecz*, *Bruman*, *Czetin*, *Zthenychnak*, & aliæ. Multa caſtra inferiora: *Lipovcz*, *Zelim*, *Iaztrabarczza*, *Okich*, in altiſſimo monte ſitum. *Iadera: Epiſcopatus Tinninienſis: Modruſienſis: ditio Frangepanum, Zriniorum, & Blagayorum.*

§. IX. Quæ vero regio, *Sauo*, & *Drauo*, fluminibus, incluſa eſt, ea, noſtra hac ætate, bifariam nominatur. Illa enim pars, quæ ad occidentem hibernum, vſque ad fines *Carniolia*, & *Carinthiæ*, quæ antea *Carnia* nominabatur, & *Comitatum Ciliæ* vergit, adpellatur *Sclauonia Hungarica*. In hac ſunt: Comitatus *Zagrabienſis*, *Varaſdienſis*, *Criſienſis*, *Verőcze*, *Poſſega*, *Válpo*, & *Valco*. Eſt & Epiſcopatus *Zagrabienſis*, dignitate & reditibus, olim inſignis. cuius titulum benignitate regia, ego gero. Eſt illic etiam ciuitas regia, *Mons Græciæ* vocata, ipſi arci *Zagrabienſi* vicina, in colle quodam exſtructa. Sunt ibidem inſignia loca etiam alia, vt *Varaſdinum*, *Cſaproncza*, *Chaſma*, *Ivanch*, *Dombro*, *Criſium*, *Rokonok*, *Zentbberg*, *Monoſzló*, *Lyzek*, *Gereben*, *Rahócza*, *Ezek*, & alia infinita. Ea vero pars, quæ inter oſtia *Saui* & *Draui*, orientem verſus porrigitur, vocatur *Sirmium*. In ea ſunt arces: *Vjlak*, initium & caput *Sirmii*, quæ in monte, *Danubio* imminente, non abſimili ſitu, quam *Buda*, iacet, regalibus inſtructa ædificiis, tum ſepultura fratris *Iohannis Capiſtrani* inclyta. Item, *Bánomonoſtra*, ſedes Epiſcopi *Sirmienſis*, *Kamáncz*, *Váradinum Petri*, *Karan*, *Zalonkemen*, in ripa Danubii omnes ſitæ. Circa ſeptentrionalem autem ipſam ripam *Saui*, a meridie, orientem verſus, ſunt ex ordine arces: *Diaco*, ſedes Epiſcopi *Boſnenſis*; *Sanctus Laurentius*, *Maróth*, *Racza*, *Zemblinum*, *S. Demetrius*, *Bancz*, & pleræque aliæ. Hic tractus, olim *Sauia*, ſiue *Sauienſis* regio adpellabatur. Hæc itaque *Secunda Hungariæ* Pars, vt ſupra docuimus, *Sauo* interciſa, ab ortu *Myſos*, *Triballos*, qui nunc *Raſciani* vocantur, contingit; ab occidente, *Auſtriis* prouinciis; ab auſtro, monti Scardo eſt contermina; ad ſeptentrionem vero, *Draui* ripis finitur. *Regio inter Sauum & Drauum, diuiſa bifariam: in Sclauoniam Hungaricam, cum ſuis Comitatibus: Mons Græciæ, & reliqua oppida: Et in Sirmium, vbi eſt Vjlak: Bánomonoſtra, ſedes Epiſcopi Sirmienſis: Petro-Varadinum: Zalonkemen, & reliqua.*

§. X. *Tertia* HVNGARIAE Pars, inter *Tibiſcum* & *Danubium*, fluuios, Boream verſus, ad *Carpatum* vſque montem protenditur, ac inter ſeptentrionem & orientem, *Morauiæ* fines; ad orientem vero, Tibiſci fluminis, in Danubium incurrentis, oſtia adtingit, quam olim *Tertia Hungariæ Pars, inter Danubium & Tibiſcum:*

quod eſt: *Suam ſibi* Germanos *habere poſſe* Viennam; *dummodo* Hungari *retineant* Quinqueeccleſias. quæ noſtra lingua *Péts* dicuntur.

*Archiepiscopatus* Colocsa: *Episcopatus* Agriensis, Nitriensis, Váciensis: Pesth *ciuitas*: olim Iaziges Metanastæ incolebant. In ea est Archiepiscopatus *Colocia*, qui & *Bachiam* vnitam habet. Sunt etiam Episcopatus: *Agriensis*, *Nitriensis*, & *Váczìensis*. Multa adhæc monachorum, prælatorum, diuersi ordinis, monasteria. Comitatus: (p) *Scepusium*, *Sáaros*, *Ujvár*, *Trentsinium*, *Nitria*, *Gömör*, *Thúrócz*, *Lyptó*, *Bacia*, multique alii. Ciuitas *Pesth*, ad orientalem Danubii ripam, e regione *Budæ* conspicitur, incolis frequens, vinis exoticis, & *Sirmicis* optimis, nec non *Somogyinis*, *Baroniacis*, ac alterius ordinis, celebris. Ager arenosus, sterilisque, sed amplissimus, cuius latus septentrionale adpellatur *Rákos*, (q) vbi comitia publica, & electiones *Regum*, atque *Palatinorum*, Hungari, felicioribus temporibus, facere consueuerunt.

*campus* Rákos: Vácia, *fedes Episcopalis*: *Vácia* ciuitas, sedes *Episcopi*, ad ripam pariter *Danubii*, qui insulam illic mediocrem circumluit. Sita est a *Pesthø*, Boream versus, quatuor milliaribus recedens, locus, propter montem, arboribus plenum, & propter viridaria, amœnissimus. Huius titulum nunc gerit, optimus vir, *Blasius de Varadino Petri*, regius, & Camerarius, & Consiliarius.

Maros *oppidum*: Est in eodem tractu *Maros* oppidum, *Vissegrádo* obiectum.

§. XI. Tum traiectis per ordinem, *Ipola*, *Grano*, & *Nitria*, fluminibus, est *Gutha* oppidum, quod ad ostia *Vagi* fluminis, circa quæ loca piscatio fit *Antacæorum* piscium, situm est.

Gutha: Semphte: Posonium: Hinc magis ad aquilonem, ad ripam eiusdem *Vagi*, est arx *Sempthe*. Ex eo loco, relictis ad dextram aliquot pagis, a *Tyrnauia*, tenditur *Posonium*. Hæc vrbs regia, adiacet ripæ Danubii, habens in colle eminenti, arcem fortissimam.

Stompha: Thal: Bozin: Vöröskö: Tyrnauia: Vltra *Posonium*, intra viscera montis, ad orientem æstiuum, est arx *Stompha*, & monasterium *Eremitarum*, *Thal*. In radicibus vero, insistunt arces: *Sanctus Georgius*, optimis & dulcissimis vinis, memorabilis; *Bozin*, *Vöröskö*, præterea aliquot oppida. Hinc, ad orientem visitur *Tyrnauia*, ciuitas, & arte & natura minus munita, fluuiolum habens eiusdem nominis.

Nitria, *fedes Episcopi*: *Nitria* dehinc, sedes Episcopi ad septentrionem, orientem versus vergens, cum arce munitissima, quam modernus loci Episcopus, insignis vir, *Franciscus Thurzo*, (r) Cameræ regiæ præfectus, munitiorem longe fecit, quam ante fuerat.

Oláh-Vjvár: A qua, non longe versus *Danubium*, constructa est nouiter, contra Turcorum impetum, munitio Archi-Episcopatus Strigoniensis, *Oláh-Vjvár*, (s) a cognomine

---

p) Plenius ad hunc modum connumeraueris: *Posoniensis*, *Nitriensis*, *Trentsiniensis*, *Aruensis*, *Thuroczìensis*, *Lyptouiensis*, *Scepusiensis*, *Sarosiensis*, *Aba-Ujváriensis*, *Semplinìensis*, *Borsodiensis*, *Tornensis*, *Gömöriensis*, *Zoliensis*, *Barsiensis*, *Hontensis*, *Neogradiensis*, *Heuesiensis*, *Pesthiensis*, & *Soldensis*, *Szolnok* exterior, *Bácsiensis* cum *Bodroghiensi*.

q) Si lubet, comitiorum, isthic actorum, historiam, & ritus, recognoscere, adeundus erit, Operis nostri Tom. III. p. 42. seqq.

r) Postea maritus, atque Georgii Thurzonis, regni Hung. Palatini pater, Emerici auus, vide Hist. Aruens.

s) At vero, non OLÁHVS, Archiepiscopus; sed PAVLLVS de VARDA, primus arcis conditor fuit; ergo, non ab illius, sed ab huius nomine fuisset nuncupanda. Fuse, de arce ipsa, commentati sumus, TOMO IV. a p. 330. ad p. 383. posito simul arci, iam solo æquatæ, monumento emortuali. quæ singula illic lege.

mine moderni Archi-Episcopi dicta. A *Nitria*, distat *Trentsinium*, nouem milliaribus, & loci amœnitate, propter adluentem *Vagum*, & munitione memorabilis. Inter quam, & *Nitriam*, sunt arces: *Galgócz*, *Temethvén*, *Vág-Vjhely*, & nonnulla oppida. Est in eodem tractu etiam *Ilaua*, & castrum fortissimum *Bisztriczia*. Item versus orientem, *Vgrouecz*, *Ghymes*, & deinde *Léua*, *Baynócz*, ad fluuiolum Nitra sita. Vltra montem, arx *Lethaua*, & circa Vagum, magis ad septentrionem, *Ztrecsen*, *Oraua*, *Lykaua*. Vltra Vagum, *Suchan*, *Blattnicz*, *Sklabina*, arces. Trencsinium: Golgócz; Temetvén: Ilaua: Bisztriczia: Vgrouecz: Ghymes: Léua: Baynócz: *reliqua.*

§. XII. His, ad orientem brumalem, vicinæ sunt septem (t) ciuitates montanæ, siluis & locis asperis interseptæ: *Cremniczia*, *Schemniczia*, *Bistriczia*, *Bukanum*, *Mons Regius*, *Dilinum*, & *Libetha*. Arces: *Sáskő*, *Dobranyiva*, *Vygles*, *Lypcse*, supra quam *Granus* (u) oritur. Loca hæc sunt auri & argenti fodinis, atque aliis metallis, memorabilia. Inter eosdem montes, circa *Ipolam* fluuium, sunt oppida plurima: *Rimaszombath*, *Ozdin*. Arces: *Fülek*, *Lossoncz*, *Salgó*, *Tarian*, *Kalonda*. Præpositura *Bozok*. Item oppida: *Carpona*, *Lothva*, *Hydvég*. Præpositura *Saag*, arx *Drégel*. Oppidum *Orozy*, perpetui, ac semper fideles *Ianitores* regum Hungariæ. Ab his itur *Cassouiam*, quæ ipsis montanis ciuitatibus est septentrionalis; ciuitas pulchra & fortis, iuxta quam labitur *Hernadus* amnis, qui postea inuehitur *Saioni* fluuio: is, non procul ab oppido *Moby*, exoneratur in *Tibiscum*. *Cassouiæ* vicinæ sunt ciuitates liberæ: *Eperies*, *Leutschouia*, *Bartfa*, *Sibinium*. Hinc ad septentrionem, *Scepusium*, *Tarkö*, *Késmark*, *Rosnauia*, *Smolniczia*. Inter montes, arx *Murán*, vsque ad admirationem, fortissima. Item, versus occidentem, inter *Saionem* & *Hernadum* fluuios, sunt oppida: *Vámos*, *Zykzo*, tum versus *Cassouiam*: *Haradna*, *Syna*. Arces: *Thorna*, *Nagybida*. Item, meridiem versus, arces: *Sóvár*, *Chiczua*, *Vngvár*, *Vjhely*, *Therebes*, *Fizeer*, *Vib*, *Sarospatak*, *Boldogkő*, *Thálya*, *Tharczal*. Item oppida: *Zánto*, *Liszka*, vini optimi feracia. Arx deinde *Tokay* in occidentali *Bodrog* fluuium accipientis ripa est condita, qua traiectus est ad reliquam Hungariæ partem, locus amœnus & munitus. Orientem autem versus, in radicibus montis siluosi, ex quo *Latorcza*, *Zaza* flumen oritur, sita est arx *Munkáts*, reditibus vini & pecorum insignis, a qua non longe abest *Beregh-Szaász*, Parochiali Ecclesia memorabile. Infra *Saionem* fluuium, meridiem versus, *Dyósgyőr*, arx cum oppido eiusdem nominis, magis amœna, quam munita, occurrit. Infra arcem fluit ex monte riuus, truttis, & aliis piscibus delicatioribus scatens. Ad medium hinc milliarium, est oppidum *Miskólcz*, subditum arci, vinis, & omni commeatuum genere, abundans. *Septem Montanæ vrbes: arces interseptæ & circumiectæ.* Cassouia: Eperies: Leutschouia: Bartfa: *cetera:* Tokay: Munkáts: DiósGyőr: Miskólcz:

§. XIII.

t) Expromsimus eas, Tomo II. & IV. adcuratione maxima: quas illic excutiat Lector, historiæ naturalis studiosus.

u) Fontes *Grani*, veteribus *Granaua* dicti, non in *Comitatu Zoliensi*, in quo arx *Lyptse* sita est; sed in *Gömöriensi*, quærendi sunt, altius in orientem brumalem, vbi eos designauimus.

Agria, *sedes Episcopi:* §. XIII. Ab hoc, meridiem versus, ad quatuor milliaria, posita est *Agria*, sedes Episcopi, olim magnorum redituum, quæ hoc tempore, ante paucos annos, oppugnationem Turcicam, viriliter & constanter sustinuit, nunc Episcopo carens, demortuo nuper optimo viro, *Francisco* ab *Vjlak*, illius Episcopo. Hinc etiam, in ripa *Tibisci*, orientem versus labentis, sunt inter alia plurima oppida: *Zolnok*, *Varkon*, *Körtvéles*, *Szegedinum*, insigne oppidum. In ripa vero Danubii, e regione meridionali defluentis, sunt, prætermissis aliis, *Coloczia*, sedes Archi-Episcopi Coloczensis, Ecclesia Cathedrali olim inclyta: *Zeremliem*, *Bakmonostra*, *Bodrogh*, *Patha*, *Apáthi*. Hinc *Báchia*, alia Archiepiscopi Colocsensis sedes, ad vnum milliare a ripa *Danubii* sita, omnibus commeatibus, maxime piscibus, abundans, vsque adeo, vt quandoque mille pisces, carpii, siue lucii, mixti carpionibus, longitudinis dimidiæ vlnæ, vno ducato emi soleant. Tum, ad ostia fere Tibisci, in Danubium se exonerantis, est *Titulium*, olim nobilis Præpositura, redituum quatuor millium ducatorum. Deinde *Kisdy*, *Kabol*, & aliæ plurimæ arces. In hoc, inter *Danubium*, & *Tibiscum*, tractu, ad septentrionem, campus est *Cumanorum*, cum multis vicis, regio *Fisco* addictis. Alunt isti pecora & greges equorum, ex quibus opes non paruas sibi comparant. Aquæ & lignorum sunt inopes. Ager, non vllius leguminis commodius ferax, quam peponis. Ad ignis vsum, vtuntur arundinibus, fimo animalium, & modicis lignis, procul aduectis. Supra quos, in orientem diffitus est alius tractus campestris amplissimus, qui *Bácsiensis* Comitatus adpellatur, multis oppidis refertus, tritici, frumenti, leguminisque ferax. Vino vtuntur *Sirmico*, a quo *Danubius* interfluens, eos dirimit. Nascuntur hic optimi equi.

Szolnok: Szegedinum: Coloczia, *sedes Archi-Episcopi:* Bácsia: Titulium, *Præpositura:* *campus* Cumanorum: Bácsiensis *regio.*

Quarta Hungariæ *Pars, vltra Tibiscum, olim* Dacia: *hodie,* Valachia, Moldauia, Transsiluania, Maramarusium, *&c.* Valachiæ *descriptio:*

§. XIV. *Quarta* illa Hungariae Pars, quæ vltra *Tibiscum* est fluuium, olim Dacia adpellabatur. Hæc ad septentrionem, *Sarmatiæ* partem adtingit, & a *Carpatho* monte, vsque ad flexum *Tyræ* fluuii, porrigitur. Ab austro autem *Danubio*, vbi *Ister* vocari incipit; ab occidente vero *Tibisco*, & *Iazigibus Metanastis*, terminatur. Pars regni omnium amplissima; continet enim prouincias: *Valachiam* (v) magnam, quæ Transalpina vocatur; item *Moldauiam*, *Transsiluaniam*, *Maramarusium*, *Samoskõz*, *Kereskõz*, *Nyir*, & *Temeskõz*. Transalpina olim a *Flacco*, qui coloniam Romanorum eo deduxerat, *Flaccia* vocata fuisse dicitur. Ab alpibus, quibus a Transsiluanis distincta est, incipiens, ad *Euxinum Pelagus* extenditur, terra plana, aquarumque indiga. A septentrione *Roxolanos*, qui nunc *Rutheni* vocantur; a meridie eam *Hungariæ* partem, quæ arces *Temesuár*, & campum *Moxons* respicit; ad orientem vero, *Danubii* flumen, *Mysiam* inferiorem ab ea diuidens, contingit. Huius Principes, *Waywodæ* adpellantur, regibus quidem Hungariæ ab antiquo subditi; verum nunc, crescente potentia *Turcica*, dubiæ semper

v) *Valachia*, a Sarmatis dicta, ob *Italicam* coloniam, isthuc deductam: Wlach enim eo idiomate, *Italus* vocatur, & regio ipsa *Wlachia*; hodie *Wlaská Zem.* Luculentius, tametsi ob iter, *Valachiam* descripsit, Pavlvs Iovivs, Historiar. Lib. XL. Tomi II. Parte altera p. m. 311. seq.

per fidei exiſtunt; niſi, quantum armis coguntur. Noſtra hac ætate, *Petraſco* quidem obtinet eam regionem, pulſo *Radulo.* Dum exigit neceſſitas, ad quadraginta millia hominum armatorum, in aciem educere, intra ſuos fines poſſe dicitur. Principes huius regionis, non modo aduerſæ factionis; ſed etiam ex ſua familia hominem, de imperio ambiendo ſuſpectum, vel interficiunt, vel naribus, aut aliis membris, truncant. Græcam ſequuntur fidem. MOLDAVIA regio, ab oriente coniungitur *Tranſalpinæ*, ad ſeptentrionem, **Moldauiæ** verſus occidentem *Polonis;* ad boream vero, interpoſita *Podolia*, non *ſitus.* longe abſunt a *Tartaris*, qui vicini ſunt paludi *Mœotidi.* Eius etiam regionis principes vocantur *Vaywodæ*, (x) haud aliter, ac *Tranſalpini.* Iſti quoque, ſubſunt ab antiquo regi *Hungariæ*, cui iuramentum fidelitatis ſemper præſtiterunt, ſæpe tamen a regibus Hungariæ defecerunt. Vltra quadraginta hominum millia in armis alere poſſunt. Sermo eorum olim fuit *Romanus*, vt qui ſunt colonia Romanorum. Equis generoſis abundant. Noſtra hac ætate, *Alexander* quidam, eam regionem poſſidet, nunc *Turcis*, nunc *Polonis*, adhærens.

§. XV. TRANSILVANIA, vndique cincta eſt altiſſimis montibus, **Tranſiluania** *montibus incincta:* ex ea potiſſimum parte, qua a *Tranſalpinis* ſecernitur, vno ſaltem ex latere, quo ſeptentrionem & *Moldauos* reſpicit, patentiorem habet aditum. Ex *Hungaria*, tres ad eam patent viæ, hæque difficiles, videlicet: *Mezes*, *Kéres*, & *Porta Ferrea.* Ex *Tranſalpina*, anguſtus eſt ingreſſus. Facilius ex *Tranſiluania*, quæ triginta, vel *eius magnitudo:* circiter, milliaria longa eſt, & lata fere totidem, totam *Hungariam* ſubigere poſſis, quam ex *Hungaria* Tranſiluaniam; nam itinere eius roboribus ſuccifis, facile coarctari poſſunt. Gens bellicoſa, & equis abundans, agri fertilis regio, vini ferax, auri, argenti, ferri, *fertilitas:* aliorumque metallorum, præterea ſalis plena, boum, ferarum, vrſorum, piſcium, abundantiſſima; vt naturam accuſare non poſſis, quin omnia vitæ commoda in eam contulerit regionem. In hac ſunt quatuor diuerſi generis nationes: *Hungari*, *Siculi*, *Saxones*, & *incolæ:* *Valachi;* inter quos *Valachi* (y) *Romanorum* colonia eſſe dicuntur. In hac regione ſunt flumina: *Samos*, *Biſtricia*, *Samos*, *Kőres*, *Maros*, *fluuii:* qui *Maruſius* olim vocabatur, *Aranyas*, *Kykellő*, & *Ompay*, quæ poſtea diuerſis aucta fluuiolis, pro maiori parte fiunt nauigabilia, & demum influunt in *Tibiſcum.* Loca complura ſunt notabilia, ſignanter ſeptem (z) ciuitates, quas ſedes vocant Saxonicas, nempe: *ſeptem vrbes:* Cibi-

x) *Slauicum* itidem, ſeu *Sarmaticum* dignitatis vocabulum. *Wyvvodjm* certe, *educere*, reliquis *præire*, ſignificat. Ergo, *Wyvvoda* eſt *ductor*, ſiue *Dux;* vnde factum, *Wayvvoda;* quod Hungari, *Vajda* pronunciant.

y) *Valachi*, ſeruum ſunt genus, ignobilibus miniſteriis adhiberi ſoliti; ſiue ii ex *Romanis* coloniis ſuperſtites; ſiue proxime e *Valachia* huc illati. Iam, immane, quam adtollant capita.

z) Rectius vrbes *Saxonum* recenſueris: *Cibinium*, Germanice *Hermanſtadt:* *Braſſouia*, ſiue *Corona*, vel *Cronſtadt;* *Biſtriczia*, *Nöſenſtadt;* *Szegesvária*, *Scheſzburg;* *Megyes;* *Száſzebes*, ſeu *Sabeſſus*, *Millenbach;* *Coloſuaria*, ſeu *Clauſenburg;* vide

*Cibinium*, *Sázſebes*, olim Sabeſſus, *Segesvár*, *Sasváros*, ſiue *Broſzvincz*, & *Berthalom*, ac *Holozonya*. Harum, quamlibet Præfecturam, ſiue magiſtratum, qui *Iudiciatus regius* vocatur, Rex confert. Subſunt
Cibinium *metropolis:* his ſingulis multa oppida & vici. *Cibinium*, caput eſt, nobilis ciuitas & magna, negotiatoribusque referta, adhæc munitiſſima, vt vix alia ratione expugnari poſſit, quam inedia, vel inteſtina diſcordia.
Vizakna: Non longe hinc diſſitum eſt oppidum *Vizakna*, prope quod ſal effoditur. Ciuitati *Szazváros*, ſubeſt ad vnum milliare locus quidam, cui nomen eſt *Kenyér Mező*, latine *Panis Campus*, memorabilis eſt conflictu Hungarorum & Turcorum, tempore regis
Alba Iulia: MATTHIAE. Eſt & *Alba Iulia*, (a) tribus circiter milliaribus ab eo campo diſtans, ſedes Epiſcopi Tranſiluanienſis, cui hoc tempore præſidet *Paullus Abſtemius*, (b) Epiſcopus, doctus & probus vir. In ea ciuitate eſt ſepulchrum excellentiſſimi ducis, *Iohannis Hunnyadis*, patris *Matthiæ* regis. Sunt in *Tranſiluania*, alia etiam inſignia lo-
*arx* Hunyad: ca, vt arx *Hunyad*, dicti *Iohannis* propria, ſub radice montis *Haczok* ſita, haud procul a *Déva* arce, in altiſſimo monte condita.
Colosvár: Item, ciuitas *Colosvár*, quæ nunc *Claudiopolis* nuncupatur, ſitu, &
Thorda, *reliqua:* opibus inclyta. Abbatia *Kolosmonoſtor*. *Thorda* oppidum, penes quod ſal ſcinditur. Item, vltra alpes, verſus orientem, ſunt oppida: *Begen*, *Vásárhely*, *Zakad*, *Terem*, *Sáros*, *Nagylak*, *Udvarhely*,
Megyes: *Kőbalom*. Item, arx *Kykellő*, ciuitas *Megyes*, nece *Ludovici* Gritti,
Corona. inſignita. Altera ciuitas *Braſſouia*, ſiue *Corona*, mercatu celebris. Item, arx *Torcz* fortiſſima, veluti porta Tranſyluaniæ, qua ex Tranſalpina venitur.

§. XVI. Supra *Sámos* fluuium, in occidentem, eſt oppidum,
Riuulus Dominarum: *Riuulus Dominarum*, & *Felsőbánya*, auri & argenti fodina vberrima. Ea vero regio (c), quæ vltra fluuium *Sámos* eſt, vocatur *Zilágysságh*,
Zathmár: vbi inter alia oppida ad ripam *Sámoſii* orientalem, eſt *Zathmár*, ad
Némethy: occidentalem (d) vero *Némethy*. Et ſic procedendo in eis locis, extra *Tranſiluaniam*, peruenitur ad oppidum *Debreczen*. Poſtea eſt ci-
Varadinum, *ſedes Epiſcopi:* uitas *Varadinum*, ſedes Epiſcopi, qui hoc tempore eſt excellens vir, militia & religione æque honoratus, *Matthias Zaberdinus*. In Eccleſia Varadienſi, clara eſt ſepultura D. LADISLAI regis, & SIGISMVNDI (e) Imperatoris. Præterfluit illam ciuitatem, & diuidit fluuius *Kőrős*. Hinc non procul ſunt oppida: *Püſpőky*, *Byhor*, *Kereſztúr*. Occidentem verſus, latiſſimi ſunt campi, alendis pecoribus commodiſſi-

vide REICHERSDORFF: Chorogr. Tranſilu. in collectione IACOBI BONGARSII, Scriptor. Hungar. p. 568.

a) Hodie CAROLINA, ab auguſto inſtauratore ſuo, CAROLO VI. ſic dicta, qui eam operibus militaribus ad regulam factis, munitiſſimam reliquit.

b) Characterem eius, *Franciſcus Forgách*, Epiſcopus Varadienſis: in Hiſt. ſui temporis, manu ſcripta, egregie depinxit. quem, ſi datur, lege.

c) Regionis hæc ora, *Hungariæ* hodie accenſetur, poſteaquam deſierunt eſſe Principes Tranſiluaniæ *electitii*, Partium Hungariæ Domini.

d) Hodie, in vnam ſunt vrbem liberam regiamque, coadunata, quæ iunctim, *Szathmár-Némethy*, dicitur.

e) Ne vola, ne veſtigium ex his monumentis ſuperat, ita ea, ingrata poſteritas, detriuit, ſaltem neglectui habuit: poſtea vero oblitterauerunt vrbis obſidiones,

diſſimi, in quibus eſt oppidum *Debreczen*, pecorum mercatura inſi- Debreczen:
gne. Inferius ſunt: *Angyalháza*, *Nádudvar*, *Ozthupan*, aquarum &
lignorum indiga. Horum locorum incolæ, multa alunt armenta,
adeo, vt inuenti ſint, qui decem circiter millia boum (f) aluerint.
Hinc verſus meridiem, in ripa orientali Tibiſci: *Balaſzenth Miklós*,
*Varſán*; in aduerſa vero ripa, *Sanctus Andreas*, *Alba Eccleſia*, *Bokyn*,
inter vtrumque, *Thur* oppidum, qui tractus *Köröskőz* vocatur. Ver-
ſus radices montis, eſt *Fekete-Báthor*, *Ireg*, *Cheſſa*, *Zadan*, *Kerekſel*,
*Sarkád*. Hinc magis ad orientem, arx munita, *Gyula*, *Bezely*, *Te-* Gyula:
*leky*, *Miske*, *Talpas*, *Félthót*, oppida. Quæ autem inter *Album Kö-*
*rös* & *Maros* fluuios, in meridiem porrigitur regio, *Maroskőz* vo-
catur. In ea *Makra* promontorium eſt, in quo optima vina na-
ſcuntur. Item ſunt arces: *Solymos*, *Lippa*, *Vilagosvár*, *Pangotha*, Lippa:
*Zarad*, *Kerék*. Dehinc magis ad meridiem oppida: *Simánd*, *Paly*,
Præpoſitura *Orodienſis*, arx *Nagylak*, oppida: *Bozás*, *Kávásháza*,
*Krothas*, *Pereg*, *Hetthes*, *Chongrád*, & alia plurima. Ex ea rupe, Chongrád:
quæ oppido *Karanſebes* imminet, oritur amnis *Themes*, qui caſtel-
lum & oppidum *Lugos* adluit, vbi equites, militiæ dediti ſunt opti-
mi. Deinde eſt *Temesvár*, ab eo flumine cognominatum caſtrum Temesvár:
fortiſſimum, quod ſuperioribus annis in manus *Turcorum* deuenit.
Hic amnis *Themes* præterfluit, & deinde, per latiſſimos campos in
Danubium ſe euomit, medio inter *Samandriam*, & *Belgrádum*, in-
terſtitio. Inter hunc *Themeſium*, & *Maros* fluuium, regio ſita, *Te-*
*meskőz* vocatur, regio fortiſſima, multis oppidis referta. Vbi eſt
etiam *Chanadinum*, Epiſcopatus ſedes, quæ hoc tempore, propter Chanadi-
rabiem Turcicam, paſtore vacat. Magna eſt in hoc tractu piſcium num, *Epi-*
copia. Inter eundem *Temeſium* fluuium, & *Danubium*, campus eſt, *ſcopi ſedes*:
*Maxons* dictus, in cuius medio ſiluoſo, arx eſt *Erſomlyó*, item alia
campeſtris *Somlyó*. Hic e regione, ad aliam Danubii ripam, ſita eſt
*Samandria*, olim ſedes *Deſpotæ*, ſiue Domini Raſcianorum, iam diu Samandria:
Turcico ſubiecta imperio. In his locis ſæpe viſus eſſe dicitur grex
ceruorum, & damarum, vſque ad tria & amplius (g) millia. E
regione *Samandriæ*, in ripa Danubii, eſt arx *Seuerinum*, a *Seuero* olim Seuerinum:
imperatore, ædificata. Infra *Traiani* pontem, cum tribus aliis, *Or-*
*ſoua*, *Péch*, & *Michåld*, illi ſubditis. Harum præfectus vocabatur
*Banus*, Magiſtratus magni nominis. *Pons Traiani*, (h) magnificis Pons Tra-
fuit iani.

f) Veroſimilius iſta dicuntur, quam quæ alibi legas. *Ciues*, inquit, *quantum fortunis*, & *ſpecialiter re pecuaria valuerint*, *quantumque quondam potuerint*, *coniice ex municipe quodam*, *cui nomen erat* Caſpar Biró, *quem* Nicolaus Oláhus, *Archiepiſcopus Strigonienſis*, *familiariter cognouerat*. *Is ſæpe*, centum millia boum, *ad paſcua agebat*. Celebr. Hung. Vrb. & oppid. Topogr. P. II. p. 14. ad Debreczén. Conf. Decadis I. Monumentum I. Cap. XVI. §. III. & nota *x.)* p. 30. vbi, OLÁHVS, non *centum*, ſed *decem* admodum millium boum, meminit. quod ſane mendum eſt, nigro calculo notandum.

g) Ita OLÁHVS, loco nunc laudato, Cap. XVII. §. III. p. 31. Et facile omnino eſt, idem opinari: quando in vaſtis adeo ſolitudinibus, noſtri, iuxta & Turcæ, a venatu ferarum, mutuo metu, retentabantur.

h) Vulgaris, de *Ponte Traiani*, error, ex DIONE hauſtus; quem *Magnitudinis*

 *Roma-*

fuit exſtructus operibus, quem *Traianus* imperator lapideum in Iſtro fecit: opus mirandum & memorabile, cui cetera eius opera, vix adæquare poſſis. Viginti ſtant etiam nunc, ex quadrato lapide, pilæ, quarum altitudo centum & quinquaginta pedum, præter fundamenta, habetur; latitudo ſexaginta pedes continet. Diſtant inter ſe centum & quinquaginta pedibus, fornicibusque olim coniungebantur.

Epilogus: §. XVII. HVNGARIAM itaque, hoc modo breuiſſime circumſcriptam, veteres olim *Reges Hungariæ*, feliciter poſſidebant; ſed iam deducta eſt in altiſſimum, adeo, vt vix fimbriæ quædam, veteris *Hungariæ*, in manibus Chriſtianorum remaneant. Hæc autem ſummaria deſcriptio eiuſdem *Hungariæ*, deſumta eſt ex commentariis (i) ſiue ſcholiis, magni viri, Domini NICOLAI OLÁHI, in eo loco, vbi ipſe Scythiam, libello ornatiſſimo, deſcripſit. Et in hac quidem *Hungaria*, quam ſupra nominati Hungariæ reges, feliciter poſſederunt, diuerſis temporibus multa addiderunt ſtatuta & decreta, quæ exſtant, & habentur in uſu, magna ex parte.

## APPENDIX PRIOR.

## *De Sereniſſimo Rege Matthia, & Nicolao Bánffy; ex Schedis Paulli Gregorianczii, Epiſcopi Iaurinenſis, deſumpta.*

§. I.

INter memorabilia ea negotia, quæ de temporibus Nobiliſſimi Regis Vngarorum MATTHIAE, commemorantur, talis quæpiam habetur veridica hiſtoria. (a) Adamauerat rex iſte, prout fuit natura pronus in Venerem, ampliſſimi viri, NICOLAI BÁNFFY de *Alsó Lyndva*, intimi conſiliarii ſui, vxorem. Quæ femina, genere *Sieſita*, prout clariſſima ſtirpe orta erat; ita etiam probitate & honeſtate morum, corporisque pulchritudine, alias ſui temporis matronas, longe præcellebat. Fungebatur tunc ipſe *Nicolaus*, honore *Comitatus Poſonienſis*, vbi vna cum vxore habebat reſidentiam. Rex igitur, vt ſuo potiretur deſiderio, ſimulatis aliis conſiliorum cauſſis, *Poſonium* ire conſtituit. qua re cognita, *Nicolaus*, cui mores principis optime cogniti erant, pudicitiæ vxoris timens, aduocato quodam ex primoribus ſuis ſerui-tori-

*Romanæ* admiratores, ſubinde auxere in maius: nuper autem, profligauit MARSIGLIVS, in *Opere Danub.* Tom. II. p. 52. ſeqq. & peculiari epiſtola, ad CL. V. BERNHARDVM MONTFAVCON, quæ exſtat, apud SALLENGRE, *Theſauro Antiq. Rom.* Tom. II. Num. IX. p. 989.

i) Edidimus ea, in ADPARATV hoc noſtro, DECADE I. *Monument I.* Hoc vero eſt, ingenue confiteri, vnde profeceris. quod aliter fit hodie, ab eruditorum eo genere, qui aucupandæ famæ cauſſa, multa paſſim, ex elaboratiſſimis aliorum ſchedis, in rem ſuam clam ſciunt referre, locupletareque, quæ parturiunt, commentaria; grata mente, atque palam, recognoſcere neſciunt, ſaltem nolunt; ne ſibi vmbras inducant, cimmeriis tenebris obſcuriores.

a) Retulimus eandem, ex hoc ipſo Monumento, in hiſtoria *arcis Poſonienſis*, TOMO Operis II. p. 148. ſed verbis noſtris: nunc edendam putauimus denuo, quemadmodum in litteras relata a GREGORIANTZIO eſt, vt fidem narrationi illi præſtruamus.

toribus, cui nomen fuit *Benedictus Chenehâzy*, quem ipſe arci *Poſonienſi* præfecerat; ei imperat, vt vxorem in *Lyndvam* deducat, exprimendo eidem, cur id conſilii ceperit.

§. II. Tunc *Benedictus*, multis adductis rationibus, disſuadere cœpit, ne id fieret; regem enim iniquiſſimo, hanc rem animo laturum. qui, etſi laſciuioris ſit naturæ, nunquam tamen cuipiam matronæ vim inferre ſolitum, niſi illa ſponte conſentiret: nullum fore pudicitiæ vxoris periculum, ſe fore ſponſorem, viamque inuenturum, vt omnia probe & honeſte ſuccedant. Sed, *Nicolao* aliud nolente, deducta fuit vxor in *Alsó-Lindvam*. Poſonium igitur veniens Rex, dum rem, vt acta fuerat, cognouit, ingentes animo, & *dignas Ioue, concipit iras*, adinuentisque aliis atque aliis, contra *Nicolaum*, criminationibus, dum vxoris quoque ablegationem, in ſui contumeliam factam, exprobraſſet, ſtatuit animo, in *Nicolaum* animaduertere.

§. III. Aduocato igitur arcis præfecto, eo nempe, quem diximus, *Benedicto*, iuſſit *Nicolaum*, tunc adſtantem, duci in carcerem. At præfectus, rei nouitate adtonitus, cœpit admodum eſſe anxius, quid contra *Dominum* ſuum, ad præceptum regis, facere deberet. Regi identidem iubenti, & iusſum repetenti, ne verbum quidem reſpondit; ſed facta aliquoties genuflexione repetebat, quid Maieſtas illius iuberet; & dum itidem repeteretur, facta iterum repente reuerentia, cum ſe rediturum dixiſſet, abiit, exiſtimante rege, quia pro adducendis lictoribus, qui *Nicolaum* captiuum ducerent, fuiſſet egreſſus. Interim *Benedictus*, conuocatis mox omnibus arcis militibus, quibus ipſe præerat, vniuerſum perſoluit ſtipendium, adiurans eos ad fidelitatem, vt ſe, qui illos conduxerat, ſequerentur, & apud portam arcis, exſpectarent. Quo facto, claues arcis habens in manu, ad regem reuertitur, illumque ſic adlocutus eſt: *En*, inquit, *O Rex! Dominus meus, tali pacto mihi has claues arcis tradidit, vt, ſi ipſe vel moreretur, vel in captiuitatem deueniret, Tibi illas adſignarem. Video autem illum captum:* en tibi claues! *mihi, in Dominum meum, manus iniicere non licet; habeto igitur, & recipe claues, ac vale.* Quo dicto, cum omni arcis præſidio, egreſſus, omnium oculos, quin & regis, in ſui admirationem conuertit. Rex autem nihilominus, *Nicolaum* captiuum, & catena ferrea oneratum, iuſſit ſe ſequi, adligatum cuidam machinæ bellicæ, quæ curru vehebatur. Hic quoque *Benedictus*, nactus in itinere occaſionem alloquendi regis: *Dum*, inquit, *O Rex! malefactor quispiam ad patibulum ducitur, vtique imponitur currui, & non pedes vadit; cur igitur tantum hunc virum, necdum morti addictum, non iubes, ſaltem in currum aliquem onerarium imponi?* quod & factum fuit.

§. IV. Deinde *Benedictus*, *Lyndvam* ſe conferens, dominæ conſorti *Nicolai*, nil eorum, quæ acta erant, ſed omnia læta nuntiauit, & tanta prouidentia, rem egit, & texit, vt toto eo biennio, quo *Nicolaus* in carcere manſit, eam captiuitatem vxor ignorauerit; ſubordinatis frequenter aliis atque aliis, nomine illius, ad vxorem, litteris. Poſtmodum, dum *Nicolaus*, exacto biennio, liber domum rediiſſet, vxor prolixitatem barbæ illius admirans, rogare cœpit, curnam barbam ſibi aluiſſet, quod apud *Hungaros* mœroris eſt ſignum, qui alioquin barbam ſemper radere ſolitus fuiſſet, & nunc quoque, gratia Dei, omnia illi proſpera ſuccederent. Hic vero *Nicolaus*, rem admirans, an illa ita ſupina, & ſui oblita eſſet, inquiſiuit, vt captiuitatem biennii, iam

iam in animo non habeat. Tunc vxor, ad nomen captiuitatis expauescens: *Quid*, inquit, *dilectissime marite! quam mihi captiuitatem commemoras? captiuusne fuisti? heu heu me miseram!* sicque in lamenta prorupit, tanquam tunc primum maritus duceretur in carceres, compleuitque clamoribus & fletibus vniuersam domum, adeo, vt & ipse maritus, & vniuersa familia, in planctum & lacrymas flecteretur.

§. V. Et sic, sicut exspectatus, ita etiam summopere admirandus fuit hic *Nicolai* reditus, qui *Benedicto* collaudato gratias egit immensas, de facto tali prudentissimo, habuitque illum, toto vitæ suæ tempore, inter amicos, præcipuum. Casus iste prout mirabilis, ita etiam *Nicolao*, & illius hæredibus, vsque in hodiernum diem, fuit valde damnosus. Nam rex, non aliter illum fecerat liberum, nisi ademta illi hæreditaria arce sua *Lippa*, & *Sólymós*. Quas arces, filius exinde *Nicolai*, *Iohannes* videlicet *Bánffy*, constantissimus ille vir, quem a regis *Iohannis* fidelitate, quam illi iurauerat, nulla rerum tempestas, dimouere potuit, & qui sub eo rege, *Palatinatus* honorem gessit, licet multum laborauerit, reobtinere tamen non potuit; prout & filius *Iohannis*, *Stephanus* videlicet *Bánffy*, nunc sub serenissimo Rege FERDINANDO, Dapiferorum Regalium Magister, licet multum, frustra tamen, pro arcibus illis rehabendis contenderit, donec illæ ambæ, vna cum *Temesvár*, proximis illis annis, nempe MDLII. in *Turcicam* potestatem deuenerunt.

## APPENDIX POSTERIOR.
## *De Oratore Turcarum, a Mathia Rege deluso.*

DE clarissimo Hungarorum Rege MATTHIA, talis habetur historia. Obsederat ille Nouam Ciuitatem Austriæ, eratque in castris, non longe ab ipsa ciuitate firmatis. Eo tempore, missus fuerat ad illum orator quidam, a *Baiazethe*, principe Turcorum, vir magni apud illum nominis, qui alias apud *Sulthanum*, Ægypti regem, & alios Orientis principes, magnis fuerat functus legationibus, principesque illos, ad quos mittebatur, sua eloquentia & authoritate, flectere posse dicebat ad omne, quod principi suo collibuisset: id quod etiam apud MATTHIAM se effecturum fuerat gloriatus. Renuntiatum hoc, ante illius aduentum fuerat, Regi MATTHIAE, qui suæ magnanimitatis memor, statuit omnino, oratoris procacis factum, pari arte obruere. (a) Præstituta igitur oratori audientiæ hora, progressus est, vna cum illo, sub mœnia obsessæ vrbis, vbi acerrimum tunc insultum, sub mœnia fieri iusserat. vbi dum versarentur inter tela missilia, & pixidum hinc inde volitantes globos, iussit exponi legationem; qua vtrinque exposita, mox ad omnia respondit, dimisitque oratorem. At ille omnis responsi, inter tela & arma dati, oblitus, discedere & redire ad suum principem non audens, orabat & obsecrabat sibi repeti responsum: quod nullo vnquam modo obtinere potuit. Quo facto, MATTHIAS dicere solitus fuerat *Baiazethi*, etiam intimando, *vt ad se sagaciores mittat oratores, qui responsa referre nouerint.*

III. OB

* * *

a) Consimilem lusum, cum *Turcico* legato, a MATTHIA institutum, vide Decade I. Monum. I. Cap. VI. §. III. p. 11.

III.

# OB IAVRINVM RECVPERATVM.

## RECTOR ACADEMIAE ARGENTINENSIS,

# PHILIPPVS MARBACHIVS,

S. Th. D. & P. Ord.

## *CANDIDO LECTORI, S. P. D.*

CUm plurima, eaque non adumbrata, ſed ſolida & expreſſa, præpotentis in nos DEI bonitatis ac clementiæ veſtigia exſtant: tum nullum eo eminentius atque illuſtrius eſſe videtur? quod non ita pridem, IAVRINO, caſtro, & natura, & arte, opereque munitiſſimo, recuperato, victoria idem longe pulcherrima, lætiſſima, nobiliſſima, nos donare dignatus eſt. Etenim, ne a linea, quod aiunt, hic excidamus, eaque afferamus, quæ de ipſius victoriæ afferri conditione poſſent: quid eſt, quod Iauriniana hac, eſſe nobilius, cedroque dignius, queat? Vt ſingulare quid ac eximium iſtud olim, *C. Iulio Cæſare* commendatum fuit, quod Africam conſilio ſuperarit: deuicerit celeritate Aſiam: Europam cæde domuerit: Quid in *Iaurino* occupando, nonne prudens, ſed tecta interim, occultaque adhibita deliberatio: idque obſeruatum eſt, quod, qui de re ſcribunt militari, obſeruandum eſſe monent: vt quæ eſt belli Dux facturus, nec vultu, nec voce detegat: etiam cum *Metello* illo *Pio*, tunicam ſuam comburendam eſſe ſtatuat, ſi, quid poſtera die ſit acturus, eloqui poſſet. Nonne ſic res geſta adminiſtrataque ibidem eſt celeriter: vt ante captum eſſe *Iaurinum*, fuerit auditum: quam quisquam, vel ſecundum quietem ac ſomnum, ſibi hoc polliceri potuerit? iſtud *Veni*, *Vidi*, *Vici*, recte vereque ſit a noſtris vſurpatum. Nonne cædes tum ſunt maximæ factæ: cum immaniſſimorum Chriſtiani nominis hoſtium Turcarum, vltra 1300. perierunt: pauci vitam ſuam redemerunt deditione: qui non in Viennenſium modo ac vicinorum, verum etiam aliorum poſſeſſiones & fortunas, impudentiſſimos ſuos oculos, ſpe menteque defixerant: nonniſi incendia, rapinas, ſanguinem ſpirarant. Iam, ſi quæ ſunt inuſitata atque mira, animos noſtros mouent: quot hac ipſa *Iaurini* recuperatione talia deprehenduntur? Miraculoſa illa ſunt habita, & reuera exſtiterunt: cum ad Gabaonem vrbem, Reges quinque fugatos, Ioſua ſuperauit: ita quidem, vt ad perſequendos hoſtes, ſol integri diei ſpatio, medio in cælo ſtaret, cum a trecentis ſolum viris, Duce Gedeone, ingentes Madianitarum & Amalecitarum, ſunt copiæ fractæ; cum Zaræ, Aethiopum Regis, exercitus, decies centenis militum millibus conſtans, eſt ad internecionem deletus: cum Conſtantinus Magnus, bis bello contra Byzantios victus, crucis in cælo effigiem, tali inſcriptione vidit: *In hoc ſigno vinces*: idque euentus comprobauit. In *Iaurino* recipiendo, nihilne animaduerſum eſt ſimile? Lunam, quæ ſereno paulo ante cælo fulſerat, nube obducta, ſubito obſcuram factam, lumen preſſiſſe, atque ita, noſtrorum inſtitutum texiſſe, an non miraculoſum fuit? Canum latratibus claris, non procul a caſtro exauditis, ad auertendum periculum, excitatos Turcas minime eſſe, an non miraculoſum fuit? Tormentorum maiorum, quorum bene multa *Iaurini* inuenta, nullum contra noſtros exſtitiſſe vſum, an non miraculoſum fuit? Silentio lubens, portæ validiſſimæ deiectionem, inuoluo; cataractarum molitionem, tacite factam, præte-

reo; latere alia patior, quæ præſens DEI Opt. Max. auxilium declararunt: omnes CHRISTI, Chriſtianorumque amantes, patriæ ſtudioſos, Imperii Romani cupidos, mouerunt: vt, quæ ad publicum gaudium indicandum, eſſe accommoda viderentur, adhiberent; & inter hos, vrbem quoque hanc noſtram impulerunt, vt, nuncio adlato, confirmatoque, de *Iaurino* recepto, lætitia exultaret: voluptate incredibili inclytus Senatus perfunderetur: de ſuggeſtu, ad populum gratulationes atque gratiarum actiones in Eccleſia inſtituerentur; idem Academia facere conaretur; & quidem prouinciam hanc, duobus *Illuſtribus & Generoſis D.D. Domino Zdenkonio Brtniczenſi, Baroni a Waldſtein, Domino in Vngerſperg & Budowitz, Brtnitzii hæredi*, &c. &c. & *Domino Andreæ Ungnadio, L. Baroni in Sonnegg* &c. daret: quorum vterque, ſuo præclare functus eſt munere; & ille quidem in carmine & oratione ligata: hic ſoluta. Itaque, ad hos audiendos, ſolita, etiam maiori frequentia, cras, Deo volente, hora octaua conuenietis. Eſt muneris atque officii veſtri, quæ in nos, Imperium Romanum, orbem Chriſtianum totum, a bonorum omnium largitore, conferuntur beneficia, & animo grato agnoſcere, & ore pio celebrare, & fauſtis ſecundisque omnibus, quæ inſtant, proſequi: Deum quoque rogare, vt hæc eſſe nobis bona diuturna: Sacram Cæſ. Maieſtatem eiuſcemodi crebro victoriis, contra immaniſſimum Chriſtianorum hoſtem, donare atque efficere dignetur: vt iis, qui eiuſdem nunc in caſtris merent, nec pugnandi ardor, nec vis vincendi, nec felicitas perficiendi, deſit. Sed & ambo Illuſtres atque Generoſi Domini Barones, ita ſtudia, res, rationes ſuas cunctas, ſumma omnium cum adprobatione inſtituant, vt non ſolum ob familiæ vetuſtatem, ſplendorem, promerita plurima atque maxima; verum etiam pietatem, morum amabilitatem, ingenii præſtantiam, diſcendi cupiditatem, progreſſus in ſtudiis inſignes, virtutes egregias, ſingulari Academiæ decori ac ornamento ſint: magnum in his, *Illuſtres & Generoſi Domini Domini Parentes & Cognati*, gaudium, magnum commodum amici, magnum patria ac paratum præſidium habeat. Valete. Argentinæ, XVIII. Cal. Iulii, cIↄ. Iↄ. IIC.

# CARMEN
# IAVRINO RECVPERATO,
## Illuſtris ac Generoſi Domini Zdenkonii Brtnicenſis, Baronis a Waldſtein, Domini in Vngerſperg & Bodowiz, Brtnitzii Hæredis. Informante ac præeunte
## *M. IOSEPHO LANGIO, POETA LAVREATO.*

SAepe ego Magnanimi laudes & facta RVDOLPHI
Cæſaris, ac Getico partos ex hoſte triumphos,
Dicere perpetuis numeris, Latiaque Camena,
Agreſſus, fruſtra Muſarum in vota vocaui
Numina, ſæpe meum ſenſi, velut ales in vndis
Icarus, ardenti ſolis percuſſus ab igne,
Ingenium fluere, & pennas trepidare caducas.
Nam neque tantarum Maieſtas cognita rerum,
Cæſaris & Magni virtus tam tenua poſcunt,

RVDOLPHI *II. Imp. res bellicæ, contra Turcam geſta.*

Carmina

Carmina ferre ſibi, noſtræ nec ad alta Camenæ,
Sufficiunt dicenda. Quis, o, quis bella cruenta
Cæſaris auſpiciis, ſunt geſta, hoſteſque fugatos,
Deuictaſque acies, digno cantauerit ore?
Quis fraudes *Mahomete* tuas? Quis carmine iuſto
Scripſerit, aut captas vrbes, aut fracta tyranni
Threiici imperia, & defenſos fortiter *Hunnos*?
Me virides ripæ potius, Faunique receſſus,
Et Dryadum ſyluæ cupiunt, & amœna vireta,
Naiadumque chorus: tenuis mihi carmen auena,
Permixtumque Lyræ ſonitu fert tibia cantum.

*Fama, de* Iaurino *recuperato.*

At nunc fama recens celeres allapſa per auras
*Iaurini* referens victrici mœnia dextra
Reddita Chriſtigenis, deiectis agmine Turcis:
Sic mentem ſubito ſic impulit, vt mea cogar,
Caſtalia quamuis procul & Cyrrheide limpha
Diſſitus, audaci teſtari gaudia verſu.

*Quarto Calend. Aprilis.*

O niueum feſtumque diem! ſemperque canendum,
Quo fera barbaries, ſtygiis emiſſa cauernis,
Fracta iacet: proprioque luit mala damna cruore
Hactenus *Vngaricis* dederat quæ plurima terris,
Et porro, lætæ ſortis ſucceſſibus amens
Cæcaque non ſolum vicinæ dira *Viennæ*,
Verum ipſi Oceano, patuloque parauerat orbi.
Vos, o *Calliope*, precor aſpirate canenti!
Quas ibi tum ferro ſtrages, quæ funera miles
Ediderit CHRISTI ſacrato nomine gaudens,
Et mecum ingentes oras euoluite belli,
Et meminiſtis enim Diuæ, & memorare poteſtis.

Iaurinum, *deditione captum a Synan Baſſa A. 1594.*

Iam ter compleرat curſus Hyperione natus,
Et quartum æquoreis repararat piſcibus annum,
Ex quo Turca ferox numeroſo milite cinctus,
Mœnia *Iaurini* longa obſidione petita,
Militis obſeſſi tandem arte & fraudibus emtis
Capta tenet, circumque furens loca marte nefando
Vaſtat, & abductos in triſtia vincula ciues
Coniicit, ac miſeros indigne tractat agreſtes;
Quin etiam raptas quaſcunque libidine fœda
Matronaſque nuruſque illibataſque puellas

Cliſſa *Turcis tradita, An. 1596.* Agria *expugnata An. eodem, menſe Octobr.*

Ante maritorum vultus, ante ora parentum,
Proh ſcelus! ante aras, per vim nudo enſe coactas,
Conſtuprat, & mentes ſceleroſis actibus explet.
Senſerat has clades amiſſo milite *Cliſsa*,
Et bona defleuit captiuos *Agria* colles.

*Turca minatur obſidionem Viennæ.*

Nec ſatis innumeris ductoribus atque maniplis
Iam præfinierat cunctis ad bella vocatis,
Vicinam veſano auſu expugnare *Viennam*,

Panno-

Pannoniamque omnem, ac mox cultam Teutonis oram
Nec quicquam ſibi conſerto certamine palmam
Pollicitus, turpique iugo conſtringere colla
Chriſtiadum: quos hoſtis atrox cane peius & angue,
Odit, acerba tuens, & verba minantia fundens.

*Conſultatio Turcarum de bello inſtaurando.*

Ergo vbi iam ſtimulis furiarum ardentibus actus
Vngarici vaſtantur agri, procerum agmine lecto
Concilium horrendum mediis in ſedibus aulæ
Egit, & armatæ quæ ſit ſententia turbæ,
Edixit, belli & iuſſit tractare laborem,
Et maturando feruenti incumbere Marti,
Demandata ſibi quosuis ad mœnia cogens:

*Turcici milites conuolantes.*

Protinus exciti variis e partibus oræ
Threiiciæ coeunt fures, vis aſperat iram,
Quales per deſerta iacens ad putre cadauer
Sic vbi vergit odor caulas ad naris apertas
Accipitres, Coruique, & edaci gutture vultur,
Muſcarumque genus leue, veſparumque cohortes,
Agmine conferto, & tabanorum ſtridula turma
Conuolitant, prædæque inhiant ſub ſidere cancri;
Tales Threiicii collectis vndique neruis

*Trux militum vultus.*

Agglomerant populi, aſpectuque armisque verendi,
Gorgonei vultus hominum: caua lumina torua,
Fronte micant; triſtem Aethiopum referuntque colorem,
Empuſis ſimiles, inſolatisue trabales
Furibus ad furcas, aut quos infame rotarum
Supplicium erectis ſub dio (turpe) latrones
Suſtinet in radiis: quos hiſpida ſilua comarum
Inſperſit labris, * roſa propendula mento.
Vt ſi quis mullos videat, diſcrimine ſecto
Barbarum, aut ſetis deformibus ora catorum.
Mens eadem, feruorque idem omnibus, omnes
Chriſticolas vna belli delere ruina,
Et ferro Vngaricos atque igni euertere fines.

*Prouidentia Diuina.*

At Superum mens, & nunquam non prouida cura
Numinis ætherei res immortalis iniquas,
Conſilii in cæci labyrinthis fraude repertis,
Et quaſi perplexis in ſyrtibus indupeditos
Implicat auctores, arctaque indagine cingit.
Non ſecus ac vulpes in retia tenta plagasque
Venatoris agit ſonor, & feſtina canum vis:

*Fama de Turcarum expeditione.*

Nam cum fama volans tanti prænuncia belli
Chriſtiadum impleſſet, mœſtis rumoribus vrbes,
A mari innumero Turcarum milite turmas
Ingruere infeſtos reparatis viribus hoſtes,
Perniciem ferroque ſimul, flammaque daturos
Finibus Vngaricis, vicinæ & Pannonis oræ:
Hinc etiam excidium tempeſtatisque tremendæ

Triſtia

Triſtia germanis inſtare pericula terris,
Qua ſe Danubius iactat, Rhenusque remotus:
Extemplo ſæuire animi ſimul omnis in arma
*Imperator Germanus ad bellum ſe parat.* Coniurat regio, pariter iuuenesque ſenesque;
Auſtriaco in primis prognatus ſanguine Cæſar,
Feſtinus properat ſæuis occurrere cœptis
Hoſtium, & inſani vires inhibere furoris:
Quippe ſalus populi ſic exigit; ipſe verendi
Poſcit honos ſceptri, & gentis tutela paternæ,
Et ſanctæ pietatis amor, pacisque cupido.
Armatas igitur cogit toto orbe cohortes
Intrepidus, variasque ciet magno agmine gentes,
*Copiæ auxiliares e Germania.* Auxilia accerſens. Coniungunt ſigna propinqui
Marcomanes, Bauarique truces, cum Saxone duro,
Et Sueuus potor, fortesque ad bella Sileſi.
Additur inuictum Rheni quoque robur, & omnis
Francorum virtus: nec deſit Sueua iuuentus.
Et qui Neccario potant de fonte liquorem.
*Itali & Lotharingii milites.* Quique Lyci ripas habitant: Iſtrique per oras:
Auſonii accedunt his, intrepidique Walones.
Quotquot & e vaſtis miſit Lotharingia ſyluis,
Infractos ad bella viros, ſemperque recentes,
Quos ductare iuuat prædas, & viuere rapto,
*Maximilianus Archi-Dux.* Acer & egregiis Maximilianus in armis,
Felici auſpicio frater, cui credere turmas
Audet, & ingentis belli committere ſummam:
Plurima Pannoniis doctor collegerat aruis
Arma virosque: Ducesque ſuis ſociauerat Hunnis.
Omnibus idem animus Mahometæ obſiſtere genti,
Fortibus & patrios fines tutarier armis.
Pars pedes ire parat campis: pars arduus altis
Puluerulentus equis furit: omnes arma requirunt:
Tunc litui, & crepero reboantia tympana bombo
Claſſica dira ſonant: vt bello teſſera ſignum.

Atque ea diuerſa penitus dum parte geruntur,
*Eccleſia Chriſtiana precibus pugnat.* Mœra ſedens, triſti turbata *Eccleſia* vultu:
Qualis erat quondam ſæuis quando acer in armis
Aſſur, Ogusque ferox, aut dira propago Philiſtim,
Iudæa horrendo quaſſabant oppida bello:
Multa gemens, largoque humectans flumine vultum.
Vota precesque Deo, rerum turbante tumultu,
Ferre parat, ciuesque ſimul puerosque ſenesque
Matronasque metu pauidas, trepidasque puellas
Conuocat, & pacem placata Numinis ira
Cæleſtem, hortatur miſeris expoſcere rebus,
Nec tantum humanis ſpem cunctam ponere in armis,
Ipſa etiam ante aras mediæ in penetralibus ædis
Ad cælum palmas, & candida lumina tendens,

Ingemit, & lachrymis tandem ſic fatur obortis:

*Preces Chriſtianorum ſupplices ad* DEVM *auxiliatorem.*

O! qui res hominum Diuumque æterna poteſtas
Aeternis regis Imperiis & Numine torques!
(Namque aliud quid ſit, quod iam implorare queamus?)
Cernis, vt immanes ſcelerato fœdere Turcæ
Coniurent, trepidoque fremat gens dira tumultu,
Te contra, natumque Tuum: ſæuique ferantur
Hoſtes per medias vrbes: tumidique ſecundo
Marte ruant: non clauſa tegunt iam mœnia ciues,
Quin intra portas, atque ipſis prælia miſcent
Vrbibus, & fuſo nunc vndant ſanguine foſſæ.

*Turcarum tyrannis.*

Pars hominum vinctis poſt tergum capta lacertis
Seruitium rapitur: miſere pars fixa ſagittis
Occidit, & triſti patriæ ſola cæde cruentat.
Diffugiunt alii: nulliſque tuentibus agros,
Vngaricæ vaſtantur opes, Turcique nefandi
Quæ nequeunt ſecum ferre, aut abducere, perdunt.

*Conatus Turcici.*

Nec prius abſiſtent, quin omnia Pannonis arua,
Teutoniæque oras, vrbesque binominis Iſtri,
Sub Mahometæum redigant ferro igne capiſtrum;
Nec ſolum imperium noſtro illi ſanguine quærunt
Proferre, & regni latos extendere fines:
Verum etiam tua ſacra volunt, ritusque peremtæ
Gentis, & inſano Chriſti monumenta tumultu
Perdere: ſæuificique extincto lumine verbi,
Tartareis animas tenebris inuoluere tentant.

*Peccatorum confeſſio.*

Et nos iſta quidem, nec non grauiora, fatemur,
Pœnarum meruiſſe mala, ſtygiamque paludem,
Tot peccatorum, ſcelerum tot turpibus auſis,
Te quibus ad iuſtam, temere inſtigauimus iram:

*DEVS, vindex ſcelerum, & miſereator pœnitentium.*

Sed tu Sancte Parens! hominum, qui ſæuus es, idem
Et vindex ſcelerum, & veniæ mitiſſimus auctor,
Cuius habet nullas larga indulgentia metas:
Ne tu, ne pœnas ſceleroſis actibus æquans,
Suppliciis miſeros ſontes tam grandibus vrge:
Quin potius trepidos gelidæ formidine mortis,
Afflictosque malis, humiles fractosque iacentes
Reſpice: quodque negas noſtris dare moribus, illud
Da, pater alme, tuæ bonitati: hoſtisque ſuperbi
Nunc auſus inhibe. Da ſæuum occumbere letho
Inuiſa cum gente, Ducem: frange impia tela,
Et iace in aduerſas vltricia fulmina dextras,
Vt trepident animi fracta virtute minaces,
Affuſique cadant pedibus, ne ſurgere poſſint
Rurſus, & antiquas armis reparare ruinas.
Namque potes ſolus! Viuum per membra vigorem

*Belli exitus in manibus* DEI.

Tu das, & validos diſtendis robore neruos,
Tu bellare doces, tu armatas ære phalanges

Sternis humi, trepidosque fuga cito disiicis hostes.
Sic Pharios olim currus, regemque superbum
Cum tulit abscissas vestigia sacra per vndas
Gens tua, & attoniti maris obstupuere liquores,
Obruis omnipotens fluctu coeunte refuso;
Assuetasque mari volucres, pecudesque natantes,
Corporibus, turpesque alis, ipso in littore, Phocas.
Et iam surge, tuamque bonus, Pater, assere caussam,
Quod te per natum casta de Virgine CHRISTVM,
Per miseræ, vastæque exhausta pericula vitæ,
Perque fidem non vanam oro, miserere laborum
Tantorum, miserere hominum non digna ferentum.

*Oratio æthera penetrans.*

Talibus orabat dictis, ceu pinea flamma,
Sponte sua liquidas super aeris emicat oras:
Sæpius ac veluti cita corpora pennipotentum
Supra Euros nubesque volant: sic illa precantis
Verba petunt celeri fulgentia templa volatu,
Et gremio sedere Dei, votumque tulere.
Annuit his genitor, rerum inviolata potestas,
Progeniemque diam manifesto numine iuuit.

*Verni temporis descriptio: Mense Mart. Anno 1598.*

Tempus erat gelidam quo grata tepentibus auris
Lux terris hiemem, contractaque frigora pellit
Vere nouo, piscique aries succedit aquoso:
Quando dispositis deuicta per oppida turmis,
Hostis atrox, auida spe, iam præsumpserat vrbes

*Turca Viennæ obsidionem præparat.*

Pannonias, certus magnam obsidione Viennam
Cingere: & infestus circum loca Marte nefando
Perdere: iamque noui, quæ belli postulat vsus,
Conuectabat ouans, Iaurini ad mœnia, quicquid
Fertilibus Budæ ferus incola demetit aruis,
Et quæ maturis Regalis messibus Albæ
Colligit: aut late vicina per oppida sæuo
Quæcunque imperio furor exigit impius: aut quæ
Huc procul Ismariis effert Thrax horridus oris.

*Deus conatus impios Turcarum intuetur: Ps. 2.*

Tunc Pater æthereus summo stetit altus olympo,
Impia perspiciens diræ conamina gentis,
Iamque sui cœtus sortem miseratus acerbam,
Et veniæ memor, & posita placabilis ira,
Consilium in melius subito suaque ora reflectit:
Hinc captæ torquens oculos ad mœnia Rabæ,
Tempus adest, inquit, reuolutis ordine fatis,
Ista meæ reddam, quo propugnacula plebi,
Et meritas pœnas scelerata a gente reposcam,
Quæ me non nouit, quæ nati membra trucidat
Regna inhians aliena, suis grauis, omnibus ægra,
Tantum ait, & tacito sub pectore cetera voluit.

*Nemesis, siue vindicta diuina.*

Est Dea supremi numen famulare tonantis,
Quæ vel ad vltrices vigil ipso in limine pœnas Ex-

Excubat, aut vacuo ſublimis in aere pendens
Nube volat, ſuccincta latus: ſed candida pallam
Sed radiata comam, ac ſtridentibus inſonat alis:
Hanc veteres, Nemeſin, genitam de nocte ſilenti,
Oceano dixere patri: ſtant ſidera fronti
Frena manu, pharetramque gerit, gladiumque trementem;
Quo populos, mandante Deo, Regesque potentes
Disiicit imperiis, & magnas proterit vrbes.
Hæc ſpes immodicas premit, hæc infeſta ſuperbis
Imminet, huic celſas hominum contundere mentes
Succeſſusque datum, & nimios turbare paratus.
Hæc eadem fortes heroes: ſemperque verendum
Ridet, & inſanis obſtat contraria cœptis,
Improba vota domans: ac ſummis ima remiſcens
*Nemeſis, ad Turcarum conatum turbandum mittitur.*
Voluit, & alterna noſtros vice temperat actus.
Hanc Pater æthereus rerum cui ſumma poteſtas
Euocat, & celeri properare ad mœnia curſu
Iaurini, & cœptos nota ratione labores
Turcarum, immanesque iubet turbare paratus
Bellorum, tantisque moras innectere rebus.
Absque mora ætherei patris ſacra iuſſa capeſſens,
Ventorum rapidis & fulminis ocyor alis
Nulli viſa, cito decurrit tramite virgo,
Iaurinæque leuis tantum, ſuperadſtitit aræ:
Hinc loca proſpectans ſubiecta, hominumque labores,
*Turcarum ſollertia & vigilantia.*
Et ſtudium inſanæ gentis, bellique furorem,
Omnia curarum videt, omnia plena tumultus.
Baſſa, vigil, primique Duces, & lecta iuuentus,
Stant validis innixi haſtis, & ſcuta tenentes,
Conſilium belli capiunt, de rebus agendis.
Tela nouant alii poſitis incudibus: illi
Flammiuomis curuos recoquunt fornacibus enſes,
Chriſtigenum crebris hebetatos cædibus: illi
*Belliči adparatus.*
Tegmina tuta cauant capitum; hi thoracas ahenos
Et confecta nouo reparant hoſtilia ferro:
Pars læues clypeos & ſpicula lucida tergunt
Aruina pingui, ſubiguntque in cote ſecures
Hic galeam tectis alius rapit: ille frementes
Ad iuga cogit equos, clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur enſe.
Caſtra alii, & tutos defendunt aggere muros,
Armatique cauis obſeruant turribus hoſtem.
Pars etiam vana trepidi formidine portas
Explorant, pontesque & propugnacula iungunt,
Exercentque vices pariter, quod cuique tuendum eſt.
*Nemeſis increpatio.*
Hæc oculis Virgo luſtrauit, vt omnia certis,
Flammentem torquens aciem, totamque pererrans
Vrbem luminibus: ſubitas exarſit in iras,

O cæcæ mentes! ſublataque corda ſecundis
Rebus: & horrendis gens dudum debita pœnis!
Tantane te ſceleris tenuit fiducia cœpti?
Tu iam Pannonias Mahomete freta per vrbes,
Sperare inuictis victricia ſigna maniplis,
Bellorum & tantas audes dare perfida turbas:
Falleris impia gens: de te nunc illicet actum eſt.
Stultitiam Iſmarum Regis: conamina Baſſæ,
Iupiter in cælis ridet, ridetque profundi,
Iam ſpolia exſpectans ampliſſima, rector Auerni.
Iam conclamatum eſt. Quid, Baſſa, quid angere curis?
*Imminentis periculi prædictio.* Præuideo, exitiumque tuum, cladem que tuorum:
Chriſtigenis video iam reddita mœnia; iamque
Fortia cerno capi magno diſcrimine ferri
Corpora Turcarum: cerno de gente nefanda,
Sulphureis flammis, ſolidoque cadauera plumbo
Perdita: ſeminecesque viros, tepidumque recenti
Cæde locum, & plenos ſpumanti ſanguine riuos.
*Baſſæ vitæ periculum imminens.* Tu quoque Baſſa ferox, tu non euadere poſſis.
Quin vel Pragenſem videas nouus incola turrim,
Lætaque des vinctus cupido ſpectacula vulgo:
Vel iaceas ingens Rabnitzi littore truncus,
Auulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus,
Quippe tibi parat has vltrix Rhamnuſia pœnas,
Quas vitare nefas. Quis enim, quis talia vitet,
Quem Deus, & fatum periturum deſtinat orco?
Sic ait, horribilique enſem fulgore coruſcum
Expedit, atque moras maleſanis auſibus infert,
Spem certam reſecans, atque impia vota coërcens.
*Torpor diuinitus Turcis immiſſus.* Mox quoque tabifico plenum cratera liquore
Corripit, & totum vacuas effundit in auras.
Tecta ſuper mediasque domos, ſedesque Deorum:
Torpor iners animos & fortia corda Getarum,
Inuadit ſubito: validosque effeminat artus
Molities inſueta, & inertia parca laboris,
Et vultu torpens ignauia dormitanti;
Quin & femineo mollis laſciuia luxu
Corpora non ſolita ſternit ſecura quiete.
*Studium bellicum, remiſſum ſocordia.* Friget amor belli: ceſſant ſtudia aſpera Martis,
Et ſubito rerum facies mutata refulget,
Sic cum turbatis placidum caput extulit vndis
Neptunus, totumque videt, totoque videtur
Rector aquæ Ponto: ſæui fera murmura venti
Submittunt, nullasque mouent in fluctibus alas:
Tunc ſenſim infuſa tranquilla per æquora pace
Languentes tacito lucent in littore fluctus.
Haud ſecus inſanus furor & rapida arma quieſcunt
Turcarum, ſuperante Dea. Secura per vrbem

*Securitas Turcarum, ex hostium despectu.*

Agmina iam positis agitant conuiuia mensis:
Bassa ferus, cunctique simul proceresque Ducesque
Indulgent epulis, & grandia pocula siccant.
Nec iam per muros legio sortita periclum
Excubat, aut vllis obseruat turribus hostem;
Lumina rara micant, per opacæ tempora noctis,
Nullaque desertus seruat custodia portas.
Sed luxus populator opum, atque ignauia, fractas
Mulcebat mentes, & corda oblita laborum.

Interea Austriacus magno molimine Cæsar,
Fortiter Ismariis occurrere cogitat armis,
Vndique collectas armans in prælia turmas:
Ductoremque legit generoso a sanguinis ortu,

*Adolphus a Schwartzenberg L. Baro, copiis præficitur.*

*Schwartzembergiaden*, animi præstantis *Adolphum*
Virtutisque virum: quem Dux Mansfeldius olim
Carolus, a primis iuuenem formauerat annis,
Militiam, Martisque docens tolerare labores,
Et dubii fortem tentare pericula belli,
Hinc primum Hesperias per Belgica cura Phalangas
Duxit ouans, terror Belgarum: & Marte secundo
Infractis vicit trepidantem viribus hostem.
Huic, sed enim Austriaca Romanus origine Cæsar,
Vngaricas nunc credit opes, fidumque maniplis
Præficit auctorem pugnæ, bellique ciendi.
Muneris ille memor, demandatique laboris,

*Ducis belli prouidentia & industria.*

Prouidus ingenti curarum fluctuat æstu,
Atque animum celerem, nunc huc, nunc diuidit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat;
Iamque locum castris legit: aut tentoria vallo
Circumdat: lectosue armatque locatue maniplos
Diuisos acie: casus nunc mente futuras
Prospiciens cauta, tanto capit vtile bello
Consilium: ac tacite vires explorat, & hostis
Militiam, ac Getico venientes orbe cateruas.

Ergo, vbi iam dudum segni secura sopore
Agmina fracta iacent Turcarum, & mœnia nudam
Iaurini ostentant, motis custodibus, vrbem:
Ecce ad *Schwartzenbergiaden* iam multa parantem,
Cunctipotens genitor, rerum inuiolata potestas,
De celso charam Theobulen mittit olympo,

*Deus, cor Schwartzenbergici, consilio instruit.*

Nympham cælestem, cui sat arcana tonantis
Et scire, & mandante Deo deferre per auras,
Si qua velit miseris largiri munera terris.
Forte sedens solus tum Schwartzenbergicus heros,
Sollicitus vigili iactabat pectora curas
Intentus, partes animum versabat in omnes,
Si quo Iaurini possit stratagemate portas
Diruere, & victor plenas immittere turmas,

Et Mahometicolæ vires infringere Bassæ,
Ad quem tum roseo Theobule est ore locuta :

*Oratio Theobules.*

*Schwartzenbergiade*, magni pia cura Tonantis,
Ecce quod optanti dudum, promittere nemo,
Auderet, voluenda dies nunc adtulit vltro.
Magna tenet segnes rerum fiducia Turcas,
Nunc quibus antiquæ famulantur mœnia Rabæ;
Nulli iam vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur : nullus venientes turribus hostes

*Securitas Turcarum.*

Prouidus obseruat : stant propugnacula nuda
Milite; rara micant per opacam lumina noctem
Læta Petæ positis celebrant conuiuia mensis,
Et genio indulgent : potu hinc somnoque sepulti
Procumbunt, circumque silent loca vasta quiete.
Quid dubitas ? nunc tempus equos, nunc poscere currus;
Rumpe moras omnes, & secura arripe castra.
Dixit, & in cælum paribus se sustulit alis,
Et claro fugiens signauit limite nubes.

*Responsio* Schwartzenbergiaci.

Agnouit iuuenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus :
Numinis alterni, Theobule, sancta propago,
An Pater æthereus nunc te mihi nubibus actam,
Detulit in terras ? vnde hæc tam clara repente
Tempestas ? video medium discedere cælum
Palantesque polo stellas : sequar omnia tanta,
Quisquis in arma vocas ! Et sic effatus, ad aras
Processit, puroque preces de pectore fudit,
Multa Deum venerans, onerauitque æthera votis.

*Militum collectio ex vicinis præsidiis.*

Hinc equitum peditumque citus sub celsa Comorræ
Mœnia, dispositas vicinæ per oppida turmas,
Conuocat, & validis nudas catus instruit armis :
Mox vbi Danubii ratibus vada cærula iunctis

*Martij 27. hora 1. pomerid.*

Transiit, officii partitur rite laborem
Cunctis, sortiturque vices, operasque sagaci
Diuidit ingenio, & curas ductoribus æquat.

*Dux Lotharingiorum militum,* Oberbruk.

Munus habet primum, fortis Vaubcourtius Heros,
Agminis Austrasii ductor : quem pone Walonum
Dux sequitur, summi clarus de nomine Pontis.
Signifero lectas agitans cum fratre cohortes,
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis.

*Hungari pedites.*

Hos sequitur Nimbus peditum, tunicataque turba
Pudis Pannonicæ, Martis certissima proles.
Non hi sarmaticas poscebant Pesa sagittas :
Sed quæ flammiuomos edunt cum puluere bombos,
Tormenta, & rabidum sclopeta rotantia plumbum.

*Don* Lopez.

Excipit hos præstans Lopesius, ordine quarto,
Militis egregii Ductor catus ; Inde secutus
STrazoldus, rutilis Dux aspiciendus in armis,

Strazold, *equitum dux.*
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas:
Ipſe ſed in medio præſtanti corpore *Adolphus*
*Schwartzembergiades*, operis proſperrimus auctor,
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt:
*Wallones. Galli. Germani.*
Ductorem hunc, ſequitur reliquorum turba Walonum,
Quotquot & e vaſtis transmiſit SEquana campis,
Teutonis aut aluit tellus. Pars maxima glandes
Liuenti plumbo ſpargit: Pars ſpicula geſtat,
Ancipitesque enſes, latoque haſtilia ferro.
*Mons. de* Hayn. *Mons. de* Werlin.
Septimus inſequitur præſtans HAgnius Heros,
Werlinusque audax, feruent vbi prælia marte
Accenſo, ruit & medios eques acer in hoſtes;
Pálfiús *Illuſtr. Hung.*
At poſtrema tibi ſtatio, fortiſſime *PALFI*,
Pannonia de gente Duci, datur ordine nono.
Sic vbi diſpoſitas ad bella futura cohortes
Produxit, cunctis edicit, ſigna ſequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent ſe.
Illi erecti animis, CHRISTO Duce, & Auſpice CHRISTO,
Procedunt, variisque acuunt ſermonibus iras,
Spe prædæ accenſi, pulchræque cupidine laudis.
Iamque dies alterque dies proceſſerat, ex quo
*Martii 28. hora 6. matutina*, Nemetum *veniunt, & horam 4. pomerid. expectant.*
Danubii ripas ac mœnia celſa COMORRAE
A tergo ſpectant fulgentes ære cateruæ;
Iam madidos pluuiis campos, crebrasque paludes
Ac geminos paſſu totum ſuperauerat amnes
Agmen, & a dextris NEmeti propiore legebat
Mœnia contuitu: cum *Schwartzenbergius* Heros,
*Conſilium de* Iaurino *inuadendo.*
Impiger ex turba ductores conuocat omni,
Selectosque viros: hinc, quæ ſententia menti
Iam dudum ſedeat? qua vi, quibus artibus hoſtem
Cogitet oppreſſum, caſtris ſpoliare ſuperbis,
Edocet? ac mentes trahit in ſua vota ſequaces.
Rabæ *ſitus.*
Quin etiam radio deſcriptæ mœnia RABAE
Fluminaque ignotæque ſitum regionis & vrbis
Spectandum artifici in charta proponit, & omnes
Facundo ambages ſpectantibus explicat ore.
Tum quas quisque vias, quæ propugnacula portis
Occupet effractis, exactum monſtrat ad vnguem;
Hortaturque datas partes, & credita ſorte,
Munera conſtanti quemuis ſtatione tueri.
Inde, vbi iam Titan ſpatium decliuis Olimpi
Flammiferis pulſabat equis, tempusque ſubibat,
Quo nox atra diem bigis ſubuecta recondit:
Mota acies, tacito *Iaurini* ad mœnia paſſu
Tendit, freta dolo, noctisque ſilentibus vmbris.
*Prodigium Lunæ, ſubito nubibus obductæ, & refulgentis.*
Tunc pater æthereus manifeſto numine, ab alto
Dat ſignum cælo, quo non præſentius vllum,
Chriſtigenum valido firmauit robore mentes:

Nam-

Namque, vbi per tenebras & grata ſilentia noctis,
Obiectos propter fluuios crebrasque paludes,
Tardius hærenti facerent iter agmina greſſu:
Ecce reſurgentis ſplendentia cornua lunæ
Se cælo adtollunt, ac pura luce refulgent,
Et late circum per apertos agmine campos
Aeratasque acies manifeſto in lumine monſtrant;
Continuo exciti per compita proxima caſtris
*Canes Turcarum, Chriſtianis metum iniiciunt.* Threiicii latrant, aura reboante Moloſſi,
Et late horrendis campos vlulatibus implent.
Tum vero tremefacti nouus per pectora cunctis
Inſinuat pauor, & ſubita formidine ſanguis
Diriguit, cecidere animi: & ſua cœpta feroci
Iam Baſſæ prodenda timent: nec iam amplius armis
Nocturnoue dolo *Iaurini* inuadere caſtra,
Sed retro ire parant, tantisque abſiſtere cœptis.
Schwartzenbergicus, *milites meticuloſos oratione confirmat.* Aſt Heros inuictus, vti prope cuncta ſuorum
Corda metu perculſa videt, animosque labantes:
Aggreditur dictis trepidos, atque increpat vltro.
Quis metus o ſocii! qui vos pauor improbus urget?
Quo ruitis? ſacra vos oro per nomina CHRISTI
Spemque meam, magni per ſceptra verenda *Rudolphi*,
State! nec incaſſum ſinite hactenus ire labores
Exhauſtos, ne noſter honos infractaque cedat
Fama loco: reuocate animos, mœſtumque timorem
Mittite, & euentus rerum exſpectare cupitos.
Chriſto *Duce, non deſperandum.* Nil deſperandum *Chriſto* Duce, & auſpice *Chriſto*
Deficiat ſi noſtra manus, non deſit olympo
Præſidium, noſtrosque iuuat *Deus* ipſe labores.
Durate & vosmet rebus ſeruate ſecundis.
Sic ait, & delapſus equo, ſimilisque ruenti,
Schwartzenbergiaci *pietas & preces.* *Schwartzenbergiades*, vt erat circumdatus armis
Ad cælum duplices palmas cum voce tetendit.
Per ſanctam pie CHRISTE crucem, per vulnera quinque,
Vnde cruor fluxit, quo gens humana reſurgit,
Per data diſcipulis optatæ munera pacis,
Te precor, hac memores recolunt quæ luce nepotes,
Adſis o! placidus, cœptis ingentibus adſis.
Cauſſa tua eſt, quam nos iuſtis defendimus armis,
Auſpiciisque tuis: nec enim ſine numine certo hæc
Aggredior, ſed iuſſa ſequor, pia Cæſaris almi.
Cur tamen ingratæ nocturno lumine Phœbes,
Prodimur, ac Turcis venimus noua præda nefandi?
Quod prohibe, & caſus clemens auerte ſiniſtros;
*Ioſ. 10.* Namque potes, certas, nec habet tua dextera metas:
Tu ſolis currus potuiſti inhibere volantes,
Et duplicare diem, clarus cum victor ouabat
Dux *Ioſue*, miſſis olim tot regibus orco.

Iam quoque CHRISTE tuis, tua bella gerentibus adſis,
Atque polum tenebris, inimicaque lumina conde.
Vix hæc ediderat: ſubito (mirabile dictu)
*Luna iterum diuinitus nubibus obducta.* Cum ſurgunt nebulæ, atque in nubem cogitur aër,
Tum caput obſcura nitidum ferrugine tecta
Luna abit, & grata denſantur nocte tenebræ.
*Ventus canum vlulatus a Iaurino auertens.* Quin etiam Arctoo conſurgens ventus ab orbe
Clamores ſtrepituſque canum, infauſtoſque vlulatus
Ingenti ſonitu per inanes diſſipat auras,
Et procul auerſos *Iaurini* a mœnibus arcet.
Tum vero rediere animi: manifeſtaque cernunt
Numinis auxilia, & diuini ſigna fauoris.
Augurium ergo piis precibus, votiſque ſalutant
*Chriſtianorum votiuæ preces.* Cuncti. *Chriſte* potens, precibus ſi flecteris vllis:
Aſpice nos, hoc tantum, & ſi pia cauſa meretur
Da deinde auxilium bonus atque hæc omnia firma,
Tu nobis pugnæ princeps, tu rite propingues
Auſpicium, nobiſque adſis pede, *Chriſte*, ſecundo.
Hinc iter inceptum per amica ſilentia noctis
Tuti ac fidentes peragunt, portiſque propinquant.
*Adpropinquatio circa horam 11. noctis.* Ergo, vbi *Iaurinis* acies iam conſtitit aruis
Militis Vngarici, & ſpacio tamen vrbe remota,
Aërio quantum balearis verbere funda
Traiiceret forti acta manu: tum prouidus Heros
*Schwartzembergiacus* poſitis ex ordine turmis,
Quamuis tuta videt blandumque trahentia ſomnum
*Prouidentia Ducis.* Mænia Turcarum: partes tamen ille per omnes
Circumfert oculos, equitumque ex ordine lectos
Emittit, luſtrent campos vicinaque rura:
Ne qua ſcire dolos mediæue occurrere poſſint
Turcarum exitæ ſparſo rumore phalanges.
*Repagulum ferreum pontis conuellitur.* Interea artifices primi munimina pontis
Obicibus ruptis, & firma repagula pandunt.
Fit via. Per pontem mox inſtrumenta patentem
Cætera frangendis voluuntur idonea portis.
*Petardi inſtrumenti pyrobolici deſcriptio.* Machina conſpicitur, ſibi quam fecere periti
Militiæ belliquee duces, ſi quando latenter
Hoſtiles motis reſerandæ poſtibus vrbes.
Hanc neque nomine fas Latio neque dicere verſu:
Sed noſtri appellant peregrina voce *PEtardum.*
Haud operoſa adeo moles, faſtigia coni
Cælſa imitans: intus ferro fabricata cauato,
Vulcani labor, antiquo non cognitus æuo.
Portarum ſed enim ferrato vimine clauſtris
Sulphuris adſtruitur nitrati puluere fœta:
Hinc, vbi ſubiectas per nota foramina flammas
Concipit, horrendi velut ictu fulminis, ipſas
Per medium ingenti portas diſcindit hiatu

Obi-

Obicibus validis, valuisque ſerisque reuulſis.
Hanc ergo artifices,vbi magnæ ad limina portæ,
*Schwartzenbergiaci* iuſſu auſpiciisque volutam
Aptarunt valuis ſenſim, & duce fomite flamma
Subiecere leuem intrepidi: mora nulla fit ingens
Cum ſonitu tremor, & ſublatus ad æthera flammæ.
Spiritus erumpit vehemens, valuasque ſerasque
Rumpit, & obiectos cita vis rapit impete vectes.
Fit via vi ſubito: porta mox limen & vrbis
Effractum patulo latam dedit ore feneſtram.
Vaubcourtius *cum ſuis primus irrumpit.* Continuo cinctus ſociis *VAucourtius* armis
Improuiſus adeſt vrbi, & citus agmine facto
Qua data porta ruit: ſequitur non ſegnior illum
Hochbruck *ſecundo intrans.* Inclyta de ſummo qui geſtat nomina ponto,
Agmen agens peditum: hinc qua ſemita diuidit vrbem
Dextera, per tenebras celerant iter, atque viarum
Defendunt aditus, & ſtrictis enſibus adſtant.
*Vugari.* Hos ſuper, effractas penetrent vaſto impete portas
Agmina Pannonicæ gentis, dextramque ſiniſtramque
Inuadunt vrbis partem, & qua proxima vallo
Fert aditum via, iuſſa ad propugnacula tendunt.
Lopeſius *&* Strazoldus, *equitum ductores.* Nec minus accelerant equitum *Lopeſius* vna
*STrazoldusque* Duces, creperi duo fulmina belli,
Permediamque vrbem, per omnia meta viarum
Armati properant: it clamor & agmine facto
Quadrupedante grauis ſonitu quatit vngula terram.
Clareſcunt ſonitus, armorumque ingruit horror
Iam magis ac prope cuncta tenent per compita læti,
Mœnia capta: fauet primo fortuna labori.
*Turcæ ſomno excitati, & conſternati.* At ſubito exciti ſomno per mœnia Turcæ
Vt videre viros, fulgentiaque arma per vmbras
Hoſtileſque acies mediam volitare per vrbem:
Continuo exortus ferit aurea ſidera clamor
Increpitantem vltro ſocios, & arma vocantum:
Arma viri, fert' arma, vocat nox vltima victos,
Hoſtis agit victor per apertas agmina portas:
Nec plura. Agglomerare manum & concurrere turmis
Aduerſis ardenti animi: furor iraque mentem
Præcipitant, pulchrumque mori ſuccurrit in armis.
Ergo oritur clamorque, virum, clangorque tubarum,
*Turci, Chriſtianis acriter reſiſtunt.* Et pugnæ rabies parte exardeſcit vtraque
Vtraque iam ad portas acies contendit, & omnes
Effundunt vires: hi quo perhiantia rumpant
Mœnia & internis potiantur ſedibus: illi
Eripiant aditum, vel vi venientibus obſtent.
Et iam collecti Turcæ glomerantur eodem,
Et conferre manum, ac procurrere longius audent.
Cum ſubito reliquis cinctus ſuperaduenit Heros

Schwartzenbergicus, cum Italis, Germanis & Gallis, vrbem irruit.

*Schwartzenbergiades* turmis, quas Gallia diues
Teutoniæque vrbes mittunt, fortesque Walones,
Vt magis atque magis glomerare incendia pugnæ
Iam vidit, ac totos efferuere milite muros,
Ipſe ſuos præſens verbis in bella cohortans
Acribus exagitat ſtimulis, hos laudis amore
Incitat, hos pœnis. Nunc, nunc effundite vires,
O! ſocii, nunc tempus ait, ſibi quærere laudem,
Et fortem oſtentare animum, quem conſecrat ætas
Poſtera, perpetuis factorum haud immemor annis,
Veſtra venturi mirentur vt acta nepotes.
Hæc vbi: ſe medios fidens coniecit in hoſtes
Exemplum reliquis præbens, præſtantibus auſis,
Impellens vrgetque obnixius agmina cædens,
Nunc celer hac ſe parte rotat, nunc flectit ab illa
Feruidus in gyrum: quem circum mille ſecuti
Et pedites equitesque ſimul comitantur & vna,
Qua ferro via facta patet, denſo agmine rumpunt,
Ingeminantque ictus, ipſoque in limine portæ,
Perque vias paſſim, mediisque in mœnibus vrbis
Obuia Turcarum dant plurima corpora morti,
Defendentum aditum armis, inque arma ruentum,
Cedit Turca phalanx, retroque impulſa relabi
Cogitur: & quamuis tentat, non ſuſtinet hoſtem:
Chriſtiadumque nouis ſemper cadit obruta telis.
Iamque forum medium, iam propugnacula victor
Chriſtigenum tutis exercitus occupat armis:
Cum *Baſſa* interea ſonitu, & clamore ſuorum
Excitus triſtem ad pugnam volat ocyor Euro,
Qua mage crudeſcit ſæuo certamine Mauors,
Chriſtigenæque magis diſcit violentia turmæ,
Hac ſibi ſumit iter, rapidumque per agmina curſum
Arripit, ac ſe ſe medio in diſcrimine ſiſtens
Aggrediturque ſuos dictis, atque increpat vltro
Quo properatis, ait, quoue hæc fuga? quis timor vrget,
Degeneres animæ? *Mahumetem* cedere *Chriſto*,
Aut fractum inuiſæ dabitur ſuccumbere genti
Me duce? ſtate viri, capite arma, incumbite in hoſtem
Nam quis in hoſte vigor virtusue? audacia fortem
Efficit: hanc armis hanc ſtricto frangite ferro
Si quis in ore pudor, virtusue in corde reſedit:
Si qua pios magni Mahumetæ gloria tangit.
Dixit, & ante volans denſo ſe immiſcuit hoſti
Signa ferens, geminoque armatus acinace palmas
Fulmineam torquens aciem, cædensque fugansque
Limitem agit, quamcumque tulit ſors obuia turmam.
Ac veluti meſſor flauentes inter ariſtas
Chriſtigenum vndantem, ſuaque infera fata ruentum

*Exhortatio.*

Schvvartzenbergi *animoſitas, & fortitudo.*

*Fuga Turcarum.*

*Baſſa, excitatus, ad pugnam feſtinat.*

*Baſſa, ſuos e fuga reuocat, & animum addit.*

*Baſſæ, armatura & virtus.*

Proxima quæque metit: rarescunt milite muri,
Iam victi vincunt, incertaque ludit ouantes
*Bassæ præsentia, Turcas confirmat.*
Nunc hos, nunc illos, vano victoria plausu.
Iam trepidare fuga nostri, iam vertere terga
Incipiunt, & Threiiciis noua pectora turmis
Surgunt, adque sui conspectum principis ardent.
Tunc noua fit cædes repetito marte, resurgit
*Strages vtriusque militis.*
Telorum nubes, & ferreus ingruit imber,
Armorumque ingens fragor, atque hinnitus equorum
Fræna recusantum, & validis seges horruit hastis,
Corpora per varios sternuntur inertia casus.
Ense cadit curuo hic, plumbum iacit ille cauato
Extrusum ferro, & miserum transuerberat hostem.
Hic animam moriens vomit ore ille ictus acuta
Cuspide dat gemitus: vlciscitur alter amicum:
Quadrupedans equitem hic super, vt super arma volutus
Turbidus: & dominum pedibus proculcat & hostem.
Exoritur miseranda equitum mors, hastaque feruet
Vulneribus, cordisque alte bibit acta cruorem.
Nec quid agant nostri, ne qua se Turca receptet
Scire licet, totumque atro stat puluere cælum.
Et mors tecta caput nigris circumuolat alis.
Nec vires quisquam pugnando animumque remittit;
Sed magis atque magis mentem exagitante furore,
Sæuit amor cædis, crudique insignia belli.
Schvvartzenbergicus, *Christianis laborantibus succurrit.*
At iam *Schwartzenbergiades* qua parte labare
Inclinata suæ spectabat robora gentis,
Ne penitus collapsa ruant, penitusque fatiscant:
Selectam ex omni numero instructamque phalangem
Mittit in auxilium, ac fessis succurrere rebus
Imperat: illa viam accelerans micat ignea plantis,
Concussisque ferox vmbonibus intonat, & qua
Thrax ferus Vngaricas iam turmas victor agebat
Constitit, annoso velut ardua robore quercus,
Illuditque minas inimicaque tela repellit.
Bis Turci nostros egere ad mœnia versos,
*Anceps pugna.*
Bis reiecti armis respectant terga tegentes.
At noua iam postquam congressi in prælia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir:
Quisque nouas vires, animum sibi quisque resumit
Christiadum nouaque arma parat, tum Martius ardor
Mentibus incaluit rursus, vincuntque caduntque
Victores victique simul miserandaque belli
Exoritur facies, & imago simillima morti
Tum vero & gemitus morientum, & sanguine in alto
Armaque corporaque & permisti cæde virorum
*Simile.*
Semianimes voluuntur equi, pugna aspera surgit.
Prælia seu tollunt animis & viribus æquis

Discordes venti per inanes ætheris oras,
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit.
*Mars dubius.* Anceps pugna diu: stant obnixa omnia contra.
Christigenum haud acies aliter, Turcique cruenti
Concurrunt, hæret pede pes, densusque viro vir.
Iam grauis æquabat luctus, & mutua Mauors
Funera, cædebant pariter, pariterque ruebant.
Victores victique: neque his fuga nota nec illis,
*Bellona, desperationem Turcis incutit.* Cum subito insano Bellona incincta furore,
Sanguineasque manus diris armata flagellis,
Ingruit, & toto visa est discurrere castro,
Rixarum morbos agitans & nubila mortis:
Quam metus & pallor, gemitusque horrorque secuti
Turcarum inuadunt aciem non omine fausto,
Incutiuntque acuuntque metum (sic facta iubebant)
Illis membra nouus soluit formidine torpor,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
Christigenæ sed contra instant ac tela coruscant,
Indecoresque animas & inertia corpora perdunt.
Iamque ferus toto dum sæuit in agmine *Bassa*
*Bassæ occubitus.* Perturbans sternensque viros, bis glande petitus
Sulphurea, roseum præceps vomit ore cruorem
Procumbens, illi soluuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignaque sub orcum,
*Christiani potiuntur victoria & vrbe.* Sicque diu ancipiti postquam victoria penna,
Lusit, amica modo his, modo stans a partibus illis,
Turcarumque satis fouit, iuuitque caducas
Subdola spes animi: consedit vertice tandem
*Schwartzenbergiadæ* & fausto dedit omine plausum.
*Turci in fugam vertuntur.* Tum Thraces turbati animis, versique sine vllo
Ordine, corripuere fugam: pars agmine facto
Munitam rapido cursu contendit ad arcem,
Et renouare parat bellum pugnamque cruentam:
Pars alia obruitur fugiens fluitatque tumultu
Incerto: ast alios, Martis, quibus ira pepercit
Insani, crepitans duro terit vngula pressum
Quaprupedantis equi; madet atro sanguine tellus,
Et consperſa tremunt roranti membra cerebro.
*Turci, ex desperatione pulueris tormentarii vi, seipsos necant.* Vasta erat: & noto Turcis spelunca recessu
Vrbe sub extrema, qua propugnacula vallum
Gramineo aggestæ coniungunt aggere terræ.
Fugerat huc ingens victorum turba Getarum
Exanimi perculsa metu & turbata suorum
Cladibus: at supra nostri longo agmine vallum
Seruabant vigiles, atque ordine signa tenebant.
Pulueris hic cumulum secreta in parte latebat
Sulphureo admixti nitro, quem perfida turba
Corripit, incerto dum mens fera fluctuat æstu,

Heu! quid agat? tentetne nouis conatibus hostem
Pellere? Victori an se se vitamque ruenti
Dedat, & irato sibi quid promittat ab hoste?
Sed præstat data fata sequi: moritura resurgens
In flammas & in arma ruit, positoque timore,
Sic moriamur, ait, sic non moriemur inulti.
Et simul accensos in puluere condidit ignes.
Ignea vis subito, ceu fulminet ærea centum
*Propugnaculum, & pars valli, disrumpitur.*
Machina verberibus, vacuamque prorumpit in auram,
Saxa hominesque cito sub nubila celsa rotatu
Eiicit eructans: Cadere æthere sidera credas,
Miscerique polum terris, cælumque Barathro
Vertier, & fracti ruere vndique mœnia mundi.
Stat confusa acies, trepidantque in imagine mortis
Victores: totusque exstinctis ignibus æther
Pallet, & obscuris nox circumfusa tenebris,
Horrendam cæca inducit caligine nubem.
Interea parte ex alia discesserat hostis,
*Turci fuga elapsi, denuo repugnant, & arcem occupant.*
Iamque locum adglomerata cohors arcemque tenebat:
Vnde immane fremens nostra in noua bella vocabat
Agmina, telorum volitat genus omne per auras.
At *Schwartzbergiades* haud segnis ahenea in hostem
Instrumenta iubet produci imitantia fulmen:
Nec mora, nec requies, iteratis ictibus instat
*Arcis oppugnatio.*
Excelsas turres & propugnacula firma
Diruere: illa graui nutant labefacta ruina.
Fit via vi tandem: muri dant ecce fenestram
*Deditio arcis.*
Verberibus crebris, alieno fulmine pulsi.
At Turcæ ante oculos vt fata nouissima cernunt,
Deditione necem redimunt, armisque repente
Abiectis, humiles victori (quando necesse est)
Prætendunt victi palmas, veniamque precantur
Poplitibus flexi, atque hostem reuerenter adorant.
*Christiani plena victoria potiuntur.*
Ergo volans pleno victoria libera plausu
Christiadas nitidis tandem complectitur alis.
Iam spolia & totam Mahometica Gaza per vrbem
Diripitur; diues iam pictæ vestis & auri
Arca patet; miles spoliis abit auctus opimis.
Mox omnes pariter Ductores atque manipli
Compositi in numerum faciem explicuere triumphi:
*Schwartzenbergiaden* concordi voce canentes,
Excepere hilari vultu, plausumque dedere,
Et vox adsensu geminata remugiit Echo.
*Gratulatio ad Illustr. Schvvartzenbergium.*
Fortunate Heros! nunquam tua fama fatiscet
Nunquam honor arescet, laurus ceu Delia nunquam
Frondibus absistet proprium seruare vigorem.
Cedant Druse! tui, cedant Traiane! labores,
Cedant Scipiadæ veteres! Victoria nulla

Clarior aut hominum votis optatior vnquam
Contigit : Antiochi ſtragem Romana iuuentus,
Hannibaliſque feri, cædem, captique Iugurthæ.
Vincula non olim maiori excepit ouatu.
Plauſibus o quales iactari ad ſidera voces!
O quales reſonare tubas! o quanta per vrbes
Audiet Auſtriacas veniens noua gaudia fama!

*Fama*

Scribite in annali tantarum inſignia rerum
Argumenta, Ducisque cati celeberrima facta,
Succeſſusque bonos, culti, mea cura, Poëtæ.
Fac numeris celebrare viros, quorum inclita virtus
Ante oculos minime obſcuris innotuit armis.
Et tu quæ leuibus præcurris littora pennis
Fama mali, rectique tenax, & nuncia rerum
Immenſæque volans loca perlegis auia terræ:
Hunc tu alto præſtantem animo, & florentibus auſis
Egregium Heroem, meritisque ingentibus auctum,
Defer ad extremas, alis plaudentibus, oras
Qua Liger & Thameſis, qua currit in æquora Tybris,
Vt modo quem Rhenus, quem ſuſpicit algidus Iſter;
Cum Rhodano, Tagus, & Nilus veneretur, & Indus.

*Ad eos, qui fortiter pugnando occubuerunt.*

Vos quoque felices animæ nimiumque beatæ,
Queis pro relligione pia, pro nomine CHRISTI
Pro patria petere egregiam per vulnera mortem
Dulce fuit: vos haud moriens ſuper æthera fama
Laude feret merita & iuſto decorabit honore,
Dum domus Auſtriadum ſanctis moderabitur orbem
Legibus, imperiumque pater Romanus habebit.
Vobis parta quies, vobis pia præmia reſtant,
Felices animæ! ſi quid mea carmina poſſunt;
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

*Gratulatio ad inuictiſſimum Cæſarem* Rudolphum II. *Imp.*

At Tibi iam partum, diuine RVDOLPHE, triumphum
Perpetuum eſſe velit ſublimis rector Olympi:
Cui grato ore litas, grato cui munere laudum
Fert accepta bonæ victricia præmia cauſſæ.
Ecquid enim potius precer, inuictiſſime Cæſar?
Qui veteres Atauos claris virtutibus æquas,
Succeſſu rerum ſuperas, facta alta premendo.
Ah! tibi ne poſthac deuicta Othomannica turba
Impune audaci ſe ſe ferat obuia bello,
Supplicia infeſtis quin debita ſentiat aſtris.
Sed Tu perge piis patriam tutarier armis:
Per Te ſeruitii quondam ſqualore remoto,
Priſtina Germanis conſurgat finibus ætas:
Per Te fracta diu translataque pene poteſtas
Hungaricæ collum Mahumeti ſubtrahat enſi.
Cæde acies ſæuas, ſcelerataque contere ferro
Pectora: & ætherei quo iuſſa ingentia regis

Inui-

Inuiolanda vocant, gentem conuerte rebellem.
Iam fortuna fauet: iam territus auffugit hostis:
Eque Tua felix plaudit victoria parte.
Sic olim illa dies aderit, qua Tygris & Indus,
Te thalamum auroræ solisque cubilia contra
Tendentem, & fractis referentem e cornibus aurum,
Aspicient propius, cum tu victricibus armis
Austriacum imperium, Nili profectus ad ad ortum
Vltra anni cursum extendes, vltraque Rhiphanten
Algentem, & victo dominabitur orbe RVDOLPHVS.

*Precatio ad DEum maxim. optim.*

At *Tu*, Sancte PARENS! belli pacisque sequester
Regnorumque dator, regnorum euersor & vltor,
Munera cui se homines tanta hæc debere fatentur:
Tu sæuos sic vsque velis punire Tyrannos,
Et gentem seruare *Tuam*: quique vnus in omni
Præsidium orbe, tuo miseris stat numine *Cæsar*,
Magnanimum huic robur, firmas huic suffice vires;
Fortis, vt Ismarios armis victricibus hostes
Frangat, & imperio faciat parere volentes.
Vt quassata diu, bello atque hostilibus armis,
Iam pacem, & tutos tandem gens Pannona nidos
Seruet, & eiectis secura sit Austria Turcis.
Exere Tu placidos in tristia tempora vultus,
Et Sathanæ technas inter bellacis & æue
Tutare abiectam vada per stagnantia cimbam,
Cyaneasque vndas: & furuis orta tenebris,
Disiice saluifici pretioso lumine verbi
Nubila, quæ intentant casus & flebile fatum.
Namque potes! parumque Tibi est succurrere votis
Orantum, atque humile *Patrem* te voce vocantum.
Vtque *Tuas* laudes, dum cælo & dulcibus auris
Vescitur hæc anima, euectet, clarosque triumphos
Suspiciat, Tecumque polo subuecta perennet.





# ORATIO, DE IAVRINO RECVPERATO, *Ill. & Generosi* D. ANDREAE VNGNADI, *L. Baronis in Sonneg.* &c. Primas ducente lineas, MELCHIORE IVNIO.

QVæ Illuſtrem ac Generoſum DOMINUM BARONEM *a Waldſtein*, amicum & commilitonem meum, cauſſæ impulerunt : vt de IAVRINO occupato, & gratulationem, & actionem gratiarum, longe pulcherrimam, eruditiſſimamque, apud Vos, *Ill. Principes, Domini Clementiſſimi, Illuſtres ac Generoſi Domini Comites & Barones, Magnifici, Reuerendi, Clariſſimi, Doctiſſimi, Humaniſſimi Auditores*! inſtitueret : eæ me quoque mouerunt, vt idem, hoc ipſo in loco, facere, licet impari ratione, conarer. Eccui enim Poëtices eſt ignota maieſtas, amplitudo, dignitas? quodnam in recitato modo carmine, inuentionis acumen? quæ ſententiarum grauitas? Cuiusmodi compoſitionis harmonia? qui verborum ſplendor & ornatus? quæ locutionis ſuauitas ac concinnitas, deprehenſa? quam hæc omnia egregie plena venuſtatis, plena animi, plena ſpiritus, plena dignitatis, adiuta conformataque fuerunt? Ecque vero tanta poteſt ingenii vbertas exiſtere, aut dicendi reperiri vis ac copia, quæ vel defatigatis iam aliqua ex parte, auditoribus ſatisfaciat : vel digne augere, atque ornare oratione victoriam illam queat, quæ nuper a noſtris *Iaurini* parta eſt? Equidem, idem hic mihi accidere video, quod iis euenire ſolet, qui cum anni hoc tempore, in hortos eleganter deſcriptos, ſtructosque, veniunt : floſculos alios croco rutilantes : alios, niueo blandientes colore : alios vermiculato ac vario adſpectu arridentes vident : quo ſeſe potiſſimum vertant, quidque in vbertate ſumma, decerpant, non inueniunt. Ideoque veniam, vti ſpero, & qua par eſt peto, obſeruantia, mihi dabitis, Auditores! ſi de re magna, ampla, omnium litteris monumentisque condecoranda atque ornanda, tenuiter dixero : non in medium adtulero omnia, quæ afferri poſſe videntur : ſicque perſuaſum habebitis longe meliorem eorum conditionem eſſe, qui ſterili aliquo ac ieiuno, quam qui in argumento tractando occupati ſunt, vbere ac copioſo. Simul & illud cogitabitis : ante in carmine allata, repetere, non niſi eius eſſe, qui veſtra, in audiendo patientia, abuti, faſtidium non tollere, ſed excitare velit.

*Poëtices commendatio.*

*Simile.*

Eſt

*Victoriæ claritas.*

*Xenophontis sententia.*

Eſt res, *Auditores*! præclara, victoria: nil maiori eſſe voluptati mortalibus poteſt, quam hoſtem armis ſuperare. Græcos, aduerſus Perſas excitaturus, Xenophon, *qui res ſuas*, inquit, *videre cupit, virum ſe ſe ſtrenuum præbeat: qui videndi cupiditate tenetur, vincere contendat: quod victori, hoſtium cædes; victo, mors propoſita: qui opum ac diuitiarum adpetens, in victoriæ ſtudium incumbat: quandoquidem, ſi vicerit, & ſua tueri, & quæ in hoſtium ſunt poteſtate, ſibi vendicare, facile poteſt.* Neque malum, illud dictum a Poëta, videtur:

Τι τὸ σοφὸν, ἢ τὶ τὸ κάλλιον
παρὰ θεῶν γέρας ἐυβροτοῖς.
ἢ χεῖρ' ὑπὲρ κορυφᾶς
τῶν ἐχθρῶν κρείσω κατέχειν.

*Quid ſapientius, aut quod pulchrius a* DEO *munus hominibus datum? quam victricem, hoſtium ſupra verticem manum, habere.* Et, in conſuetudine moreque fuiſſe illud Græcis poſitum legimus: vt, ſi de victoria ab hoſtibus reportata, nuncii commodi optatique veniſſent, coronati omnes, atque ouantes incederent. Cum ad Metaurum, *Hasdrubal* victus eſſet, re, Romam adlata, totus Reipublicæ ſtatus eſt mutatus: emendo, vendendo, mutuum dando, ſoluendo creditum: ita inter ſe agere ciues cœperunt, ac ſi in vado, quod aiunt, res conſtituta, parta quies, omniſque in limine portus eſſet. *Carthagine* euerſa, ſumma vrbem lætitia extulit: mutuæ gratulationes factæ, communia ciuium inſtaurata conuiuia fuerunt: quod Romanum in nomen odia exercenda, velut nata vrbs, deleta funditus eſſet. Secunda fauſtaque ob prælia, *Iulii Cæſaris* in Gallia, XV. dierum Romæ decretæ ſupplicationes fuerunt: quinquaginta ibidem *Auguſtus* obtinuit. Holopherno cæſo, holocauſta ſunt, & vota a Iudæis, Domino oblata. Ad aras atque templa feſtinaſſe alios accepimus: quoties deuicti hoſtes, loca occupata, aut recuperata, munita eſſent. Quin & eo peruentum eſſe, vetuſtatis monumenta teſtantur: vt in minoribus quoque, gaudio, e victoria exorto, mortui quidam fuerint. Loquitur *Chilo Lacedemonius*, ſeptem ſapientum vnus, qui ob filium in Olimpia victorem, ſubito hanc cum morte vitam commutauit. Loquitur *Sophocles Tragicus* Poëta, qui annos nonaginta natus, in Tragœdia quadam victor, repente, amicorum inter gratulationes, ex hominibus abiit. Loquitur *Dyoniſius Tyrannus*, qui cum regno exutus, ludum Corinthi apperuiſſet, deque Tragœdiæ cuiusdam nuntium victoria accepiſſet, præ lætitia repente exſpirauit.

*Græcorum mos in victoriis.*

*Reipubl. Roman. ſtatus ob victoriam mutatus.*

*Lætitiam ob Carthaginē euerſam.*

*Cæſaris victoria.*

*Iudith. 16.*

*Exempla, qui ob gaudia e victoria exſpirarunt.*

Quid ergo de *Iaurino*, recepto a Noſtris, dicemus? Ecquæ vox tam fortis, tam ſecunda oratio, tam fœcundum ingenium, inuenietur: quod publicum inde ortum gaudium, addo etiam felicitatem digne exprimere queat? Vere ineunte, quanta, obſecro, cura, quanta ſollicitudo eſſe ſolet: ne lacteſcentes & molles germinum occuli, aut gelicidiis premantur, aut lædantur carbunculis; vredine arbores; ſideratione plantæ; pruinis ac rubigine ſegetes, infeſtentur; At, cum hac conferre compararequc illam, qui vellet, quæ Anni *Milleſimi quingenteſimi, nonageſimi quarti*, menſe Iulio,

*Hortulanorum ſollicitudo tempore veris.*

Iaurini *expugnatio A. 1594.*

magna vi oppugnato & quaſſato *Iaurino*, exorta eſt, næ! idem noctuis aquilas, teſtudines Pegaſis, ſimiles facere conaretur. Poſt vero eodem, Septembri menſe tradito, DEum immortalem! quanta hinc triſtitia, qui ſudor ac ſqualor, quam gelidus, atque horridus vbique exortus tremor fuit? Cum apud Poëtam, claudit ſua tecta Pyreneus:

*Vimque parat, hanc, Muſæ ſumptis effugiunt alis.*

*Num.* 13.

Vlterius progredi populus *Iſraëliticus* recuſat, quando ab exploratoribus Chananeæ terræ audit: Enaci ibi ſtirpem: Hethæos, Iebuſæos, Amorhæos habitare. Quid in Auſtria, in Vngaria, in locis vicinis aliis? nonne *Iaurini* deditione audita, retrocedere non pauci, rerum ſuarum ſedes alibi quærere, multi conſtituerunt? Quod fieri eiuscemodi temporibus ſolet: conquieſcere negotiationes: agrorum & vinearum remiſſiores eſſe cœperunt culturæ: fundorum, ædium, aliarum rerum ſunt viles atque iniquæ æſtimationes factæ. Neque id quidem iniuria. Quis enim, vel pedem in ſuo collocare, vel etiam quid ſuum, aut alienum ſit, exploratum habere poteſt: vbi extra telorum, quod dicirur, iactum illud non eſt, ſalſuginoſa, vereque mala vicinia reformidanda? Quid prodeſt prædia opima, ædes magnificas, hortos amœnos, plenas villas, arces præluſtres, amplas opes, atque diuitias poſſidere: ſi dubium incertumque ſit, quam eas ipſas ſis diu retenturus? Longe profecto facilius, bonorum vacuitas & egeſtas, quam amiſſio ac iactura, fertur: ſatius ducitur, nihil poſſidere, quam, quod eſt ſemel poſſeſſum, perdere. Teſtatur hoc *Pub. Terentius*, qui, cum centum tantum & octo fabulas, e Menandro conuerſas, in mari amiſiſſet, merore exſtinctus eſt. Teſtatur *Cratinus Athenienſis* Comicus, qui nulla alia periiſſe de cauſſa dicitur; quam, quod pleno vaſe vinum effundi vidiſſet. Teſtantur, *Conſtantinus*, *Iuſtinus Minor*, *Henricus* IV. Imp. plurrimi alii Imperatores, Reges, Principes, qui, quia ſuis exuti, animi dolore ægritudineque confecti, e vita exceſſerunt.

*Terror, ob deditionem* Iauri ni. *Rumor periculi bellici negotiationes & agriculturā peſſundat.*

*Exempla mœrore extinctorum.* *Terentii mors.* *Cratini Comici interitus.* *Imperatores, ægritudine confecti.*

Verum, quid? dicat quis, *Iaurinum*, tantopere occupatum iuuat, vt cedro, quod aiunt, dignum videatur? ſunt vtique, qui procul a ſe ſe mala remota, ſusque deque ferunt: vtramuis in aurem, ac porrectis pedibus, manibusque conſertis, dormiunt: etiamſi de clade a Turcis, Noſtris illata, triſtes acerbique nuncii adferantur. *Corcyrenſes*, apud *Thucydidem* imitati, ſingularis eſſe prudentiæ opinantur, alienis periculis non implicari; tam ſedere ac quieſcere diu, donec proximus ardere Vcalegon cœpit. Sed, & non pauci reperiuntur, qui, ſiue arte, ſiue natura loca munita, nihili faciunt. Neque adeo nuper illa opinio, leuibus ac dubiis auctoribus exorta eſt: verum iisdem veteribus, luculentis, locupletibusque auctoribus nititur. *Plato*, qui Philoſophorum ſemper eſt princeps a doctis habitus, cum in ſuis de *Legibus*, libris, in ædificiorum, tum priuatorum, tum publicorum, occupatus ratione eſt, Poëtæ illud laudat, quo ænea ac ferrea magis, quam terrea condere mœnia, iubemur: murorum illam circumductionem, incolarum

*Corcyrenſium præpoſtera prudentia.*

*Platonis opinio, de propugnaculis exſtruendis.*

rum, & valetudini obesse, & nocere animis scribit. quos ita molles, languidos, effeminatos reddat, vt de hoste propulsando, curam cogitationemque nullam suscipiant. De Iudæis istud historici referunt, quod cladem suam ipsi excitarint, inque sese Romanos conuerterint: cum horum peterent amicitiam, fidem minime seruaturi, violarent pacem, virtute impares, inferrent bellum, spe omni, non in viribus & viris, sed mœnibus collocata. Græciæ salutem ac libertatem, gloriam *Athenienſibus*, immortalem illud peperit, quod *Xerxe*, contra Græcos exercitum ducente, nauibus hi potius, quam muris ciuitatis, se suaque commiserunt. Sunt laudati *Spartani*, non solum, quod murorum oppugnationes declinarunt: vtpote, in quibus contigeret, vt vel fortissimus vir, ab abiecto, vel etiam puero ac fæmina, vulneratus caderet: verum etiam vrbem sunt suam perituram arbitrati, si mœnibus cincta esset. Quin & persuasum nonnulli habuerunt; fieri nullo modo posse: vt & vrbes bene munitæ, & fortes in his simul ciues reperiantur: cumque murorum præsidia quærunt, strenui videri nequeunt. Quibus omnibus, & hoc accedit, quod experientia testatur, vix vllas, vel arces, vel vrbes, tam hodie opere moleque septas, inueniri, quæ diuturnam obsidionem ferant, non vel fame, vel deditione, vel proditione, vel ratione aliqua alia, in hostium tandem potestatem perueniant. Verum, vt hæc non infirmari prorsus possunt: ita neque illud, vt prudens quisquam inficiabitur: singulari muros, & ornamento ciuitatibus, & vrbibus præsidio, & hostibus terrori esse. Et quam quæso, aliam ob causam, nisi ignominiam atque maculam perpetuam inurendam, *Ioas*, Israëlitarum Rex, *Amaſia* capto, *Hieroſolymam* ingressurus, sic muri partem diruit, vt curru victor inueheretur? Quid *Lyſandrum*, Athenis captis mouit; vt muros illorum ad tantum demoliretur? vt seruitutis Atheniensium documentum aliquod, & quidem insigne ac luculentum, daret. Cur, vrbis huius inclytæ, *Argentinæ*, ab ATTILA, Hunnorum Rege, in potestatem redactæ, mœnia ita deiecta fuerunt: vt cunctis ad hanc aditus libere pateret: *viæ* illa *arx*, & *Strasburgum* vulgo adpellaretur? Nonne, vt subiectionis perpetuo monumentum exstaret.? Quamobrem, *Polybio* teste, cis Boëtim fluuium, oppidorum mœnia cuncta, vno deiecta die, *M. Catonis* imperio fuerunt? Idem in Africa, *Genſericus*, *Totilas* in Italia, alibi alii, fecerunt; ne locus scilicet vllus munitus, belli hostibus sedes fieret: haberent illi, quo se ac sua, contra vim atque incursiones, tuerentur: licentiæ & furori horum freni iniicerentur. Et, si expediendæ salutis, propulsandarum iniuriarum, munitionum ratio, minus commoda honestaque iudicatur; cur non illud turpe habetur, manibus se se defendere? Quidni, in vomeres & falces, gladii; in capreolos, pugiones; in mergas, bipennes atque hastæ, conuertuntur; comitatus omnis remouetur? Habent spelæa in siluis feræ; bicameratas etiam plures casas, fiber, ex arboribus deiectis, construit. Hinnulos suos, tenellos adhuc, ceruus in stabulis abscondit, quo, periculi euitandi gratia, fugere debeant,

Iudæi *infideles, mœnibus fidentes.*

Græci *nauibus muniti.*

Spartani, *muros negligunt.*

*Munitæ vrbes, incolis inermibus.*

*Munitissima expugnantur.*

*Muri ornamenta vrbis.*

Athenarum *muri deiecti.*

Strasburgum, *vnde dictum.*

*Mœniorum deiectorum exempla.*

*Animalium latebræ, & propugnacula.*

Leo. ant, docet: veſtigia ſua leo iubatus, callide oblitterat, quo venatores fallat, ne in cubili catuli deprehendantur: ad victum parandum, vnam alteramue ſui defenſionem elephanti barrientes reſeruant; ſpeluncas ſuas conſeruant vncantes vrſi: celſis in arboribus præſidia petentes pardi quærunt, cum a canibus agitantur: ita alcyones in mari ſollicite atque anxie nidos in ſcopulos contexunt: vt nec fluctibus, nec ſaxis, nec vlla re alia, lædi diſſoluique poſſint: artificiose nidos ſuos hirundines fritinientes firmant, vt contra ceterarum auicularum tutæ munitæque inſidias ſint: eosdem etiam aliæ, tutis ac ſecuris in locis conſtruunt. Et nimirum homo, animal illud prouidum, ſagax, plenum rationis & conſilii, iis nudaretur: quæ vel maxime ad defenſionem faciunt: neque illud cogitaretur, hanc cum primis ob cauſſam arces atque ciuitates, primum exſtructas fuiſſe; vt contra hoſtium incurſiones, tutæ fortunæ, ſalua bona, libera omnisque periculi expertia, reliqua eſſent?

*Alcyones.*

*Hominis cauſſa vrbes exſtructæ.*

*Tria, in propugnaculi exſtructione obſeruanda.*

*Iaurino* vero eo, quo de nunc agimus, ecquem non in *Vngaria* modo tota, verum etiam alibi, munitiorem locum reperiemus? Qui de Architectura ſcribunt, murorum, turrium, portarumque rationem, ad hoſtium impetus repellendos excogitatam, tribus potiſſimum æſtimandam eſſe ſtatuunt: firmitate, vtilitate, venuſtate. Ipſis in mœnibus hoc videre iubent, vt loci primum ſaluberrimi electio inſtituatur: euitetur deinde paluſtris vicinitas, tum, nec meridiem, nec occidentem illa ſpectent. Sed & iſtud requirunt, vt iis in regionibus munitiones firmæ conſtituantur, quæ fructibus, ad alendos homines, & iumenta, copioſæ, opportunæ fluminibus: ad has oppugnandas aditus, aut nulli prorſus, aut peradmodum dificiles ſint: non anguli in iisdem procurrant, qui hoſtes magis, quam ciues tueantur: nec denique aggeres alti deſint, aut foſſæ latæ atque amplæ, deſiderentur. Quid horum omnium, non in *Iaurino* noſtro, iam DEI Opt. Max. bonitate ac clementia, virtute ducum, militum fortitudine facto, eſt repertum? Non natura illud tantum, ſed & arte induſtriaque munitum ſingulari; foſſis latis inſtructum, altis circumdatum vallis, propugnaculis, Turcicæ oppoſitis tyrannidi, tutiſſimis atque firmiſſimis ſeptum: tribus fluminibus nobile: paratum probe ab alliis eſt: quæ ad tutos, periculique omnis expertes, tum vicinos, tum ceteros reddendos, hoſtium propulſandos aditus: excurſiones impediendas: commeatus intercipiendos, belli vim totam auertendam: reliqua, totius imperii ſalutem concernentia, accommodata, ſummeque neceſſaria ſunt: ita quidem, vt longo poſt ſe interuallo *Albam*, tam *Græcam*, quam *Regalem* relinquat; ſuperet *Budam*; aliis antecellat, quæ inter inſigniter munita recenſeri caſtra ſolent. Neque anno, *milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto*, a Sinane Baſſa, vt licet maxime oppugnatum ac quaſſatum, niſi certis traditum conditionibus, occupari potuerit. Cum hoc ipſo vero, quot quantaque obſecro, ſimul nobis contigerunt? *Ferro*, inquit ille, *non auro, viris, non vrbium tectis bella geruntur.*

*Situs regionis.*

*Aggeres.*

Iaurini *delineatio.*

Iaurinum, *quibus præferatur.*

*SinaniusBaſſa Iaurinum oppugnat A. 1594.*

At

*χρήματα τῶν πραγμάτων*

*Phillopœmenes.*

*Manubiæ & præda, ex capto Iaurino.*

At non minus vere istud dictum, rerum vires ac neruos pecunias esse: & hoc primum, qui affirmauit, ad bellum cum primis respexisse videtur: si quidem, non nisi numis vtilia esse arma consueuerunt; neque male *Philopœmenem, Achæorum* ducem, magnis quidem a copiis, at non loculis, bene instructum, *Flaminius*, manibus & cruribus sane præditum, sed ventre carere, dixit. Est *Iaurino* occupato, auri, argenti, gemmarum, stragularum, vestium, pellium, aliarumque rerum pretiosarum, vis atque copia magna, inuenta: vt, quod olim *Alexander Seuerus*, a *Persis* reportata victoria, in Senatu protulit: etiam de hac nobilissima victoria vsurpari possit: *Eloquentia opus non est: milites diuites redeunt.* Maximum in bello momentum, commeatus habent, sine ferro vincitur exercitus, his, qui destituitur.

*Commeatus necessitas. Fames in bello.*

Neque famem satis cum virtute nosse cohabitare, tum aliorum plurimorum, tum Rheginorum, Atheniensium, Numantinorum, exempla, docent: ideoque dicere solitum fuisse *C. Iulium Cæsarem* legimus: idem sibi consilium aduersus hostes, quod plerisque medicis contra morbos, atque corporum vitia esse; fame scilicet potius, quam ferro superandi.

*Commeatus Iaurinum a Turcis comportatus.*

Ita *Iaurini*, omnis generis commeatibus, cellæ repertæ plenæ fuerunt: vt non de *Vienna* solum, obsidione graui cingenda; verum etiam aliis, Christianorum in perniciem atque interitum instituendis, Turcicus cogitasse Tyrannus videatur. De puluere vero fulminali, & machinis ac tormentis militaribus, ibidem inuentis atque recuperatis, quid, vt dicam, exspectatis Auditores? Solent, sat scio, hæc quoque non magni quidam hodie facere; qui scilicet in eo multi, imo toti sunt, vt ne singulare quid ac præcipuum habere putentur: etiam ab iis videantur recedere: quæ diuturnus vsus comprobauit: sapiens vetustas, & inuenit, & vt vtilia cum primis, atque necessaria, nullo non tempore adhibuit.

*Antonii Machinæ. Vespasiani tormenta bellica. Cæsaris bellica instrumenta.*

Trecentis plaustris machinas, ad vrbium oppugnationes, Parthico in bello fuisse vectas, in Antonio, *Plutarchus* refert: *Vespasianum*, tormentis in Iudæorum ciuitatibus expugnandis esse vsum, *Iosephus* scribit: vndique hæc ipsa, Alexandrino in bello, Cæsarem conquisiuisse, ex ipsius historia constat: sunt balistæ, catapultæ, onagri, scorpiones, arietes, helepoles, alia, ad periculi præsidia & salutis inuenta necessitatem, iis nota, quibus cum antiquitate negotium est.

*Iaurino recepto, quot bellicæ machinæ, vt & alia inuenta.*

*Iaurino* recepto, quot partim recuperata, partim noua adquisita fuerint, vel fama notum est. Vltra ducenta maiora tormenta, inuenta ibi esse militaria, tum litteræ fide dignæ, tum illi testantur, qui αὐτόπται exstiterunt: inter alia haud postremo istud loco celebrant. Quanquam si quid hac mihi iudicare in ætate licet, sunt & alia, quæ gratulationis atque lætitiæ materiam his nequaquam inferiorem suppeditant. Vngarici regni quæ sit conditio, haud ita pridem, hoc ipso ostensum de loco: illud, opinor, demonstratum fuit omnibus iis idem adfluere. quibus regionis alicuius æstimari felicitas solet. Eadem & *Iaurini* ratio

*Iaurini situs.* eſt; magna ſoli hic fertilitas: fructuum atque frugum vbertas eximia: nihil in paſtione, nihil iis in rebus, quæ exportantur, deſideratur: vicis abundat. Iam quot gemitus, quot ſuſpiria, quot lachrymas, incolarum miſerorum auditas conſpectasque fuiſſe putamus *Auditores*! cum in Sinanis Baſſæ, *Iaurinum*, aliquot ante annos, eſt poteſtatem redactum? *Sinanis Baſſæ Tyrañis.* Neque enim hoſtis hic venit, vt imperet tantum, longe lateque tyrannidis ſuæ terminos proferat: ſed vt obuios quosque, interficiat ac iugulet; non pueris innocentibus, non ſenibus annoſis & anhelis, non mulieribus fragilibus, atque miſerandis parcit: etiam ſæpium palis, infantum corpora ſuffigere: fœtus e prægnantium matrum exſcindere vteris conſueuit. Eorum vero, in ſeruitutem qui abiguntur, ecquæ fortuna? Talis, mi CHRISTE! vt ad hanc deflendam, nulli ſufficere lachrymæ videantur. Cum *Xantippi*, Lacædemonii ducis arte, captus a Carthaginenſibus, M. *Attilius Regulus*, eo affectus pœne genere eſſet: vt ligneæ arcæ incluſus, clauis introrſum adactis, vigiliis oculos verſaret: exquiſitum hoc atque atrox eſt ſupplicium habitum: & fuit reuera; verum, non diuturnum extitit. *M. Attili mors miſerrima.* In Turciam autem, qui abducuntur, nonne ita viuunt, vt vel centies mori ſatius his ſit ducendum? Catenis vincti, retortis poſt tergum manibus, pecudum inſtar, hinc inde tracti, duriſſimos ad labores venduntur: flagris cæduntur quotidie: tranquillum liberumque nunquam ſpiritum ducunt. *Captiuorum Chriſtianorum miſera conditio.*

Iam illorum, quibus manere patriis in ſedibus contigit; meliorne ſors eſſe ſolet? Equidem, eſſe quosdam noui, qui Turcam ſibi dominum exoptant: qui huius ſub imperio, æquius atque melius, quam multis, CHRISTO nomen qui dederunt, regibus ac principibus, viuere quemque poſſe clamitant. *Stolidorum votum Turci imperium optantium.* Sed, non hi Turcicum adhuc experti iugum videntur. Quid enim? An non exactionibus acerbiſſimis familias expliari videmus? *Exactiones Turcicæ.* de hominibus vita functis, de maſculis, de ædium hortorumque portis, aliis, quotannis vectigalia ſoluere duriſſima: patrefamilias e viuis abrepto, tantum, quantum placet, hæredibus, relinquere, reliqua ſibi reſeruare; tibi bene eſt viuere? An filios quoslibet, veneris turpem ad vſum abripi, aut cogi, vt vel Chriſtianorum in viſcera arma conuertant, vel abnegata fide, in impias Mahometis leges iurent, circumciſi cælum verſus directis oculis, dextræque manus indice, Deum vnum, & Mahometem eius Prophetam, profiteantur; tibi bene eſt viuere? *Filiorum deprauatio & perditio.* An ad libidines, filias, vxores ad ſtupra, etiam præſentibus parentibus ac maritis, adhiberi, his ipſis ſilentium imperari; tibi bene eſt viuere? *Libidines.* An nobiles atque illuſtres tolli familias: optimum quemque, ac ſapientiſſimum, ita premi, vt erigere ſe ſe nequeat; tibi bene eſt viuere? An ſine ſedibus pietatis, domiciliis virtutum, artium atque diſciplinarum officinis, Academiis ac Scholis, degere; tibi bene eſt viuere? *Studiorum neglectio.* Pudet me Tui, CAROLE MAGNE, qui annos triginta, cum Saxonibus nullam aliam ob cauſſam, niſi vt abiecta ſuperſtitione, DEum verum colerent, bella geſſiſti. *Caroli M. bellum Saxonicum.* Expugnata

ta

ta in Vngaria *Buda*, vt Christiana religio propagaretur, id, a deuictis vnicum postulasti, vt idolis abiectis, CHRISTVM agnoscerent & colerent. Miseret me vestri, *Romani*, qui vnius ob *Lucretiæ* pudicitiam, a *Tarquinio* sexto, expugnatam, non Tarquiniorum modo exsilio, iniuriam hanc vindicastis; sed etiam regium dominatum totum sustulistis. Stulti exstitistis Demetrii, Timoleon, Arate, Thrasibule, Dion; qui etiam summo vitæ cum periculo, tyrannorum iugum excussistis. Non magni, quin potius nullius consilii maiorum & parentum, & nostro tempore, vos Heroes fuistis: *Huniades*, MATTHIA, *Scanderbege*, *Schwendi*, *Zerini*, *Battiani*, *Rubere*, MATTHIA, *Maximiliane*, *Mannsfeldi*, *Nadasti*, *Bathoree*, *Pálfi*, *Auerspergi*, *Teuffenbachi*, ceteri Duces: miserorum Vngarorum, *Turcicis* ab acinacibus vitam, incendiis ædes, dereptionibus fortunas, libidinibus corpora, Alcorano impio, animas, partim liberastis, partim adhuc liberare satagitis. Verum, aliter & hi, Auditores! senserunt, & vere, qui sunt prudentes ac cordati alii, sentiunt. Vniuersæ nostræ vitæ finem principem, & metam, ad quam collimandum, DEI agnitionem & cultum, Reipublicæ fundamentum, fontem felicitatis omnis, religionem veram esse statuunt: nihil ducunt calamitosius, quam ex beato, miserum, diuitem, pauperem fieri: summam miseriam, summa coniunctam cum turpitudine iudicant, seruire, & improbis, impuris, impiis tyrannis; ideoque victoriam hanc insignem, a *Iaurino* reportatam, laudibus amplissimis maximisque, ornant.

*Buda expugnata.*

*Reges Roma eiecti.*

*Tyranni expulsi.*

*Heroes in Vngaria dimicantes.*

*Vitæ Christianæ finis & scopus.*

Nam de modo, quo est hæc parta, quid dicam? Sunt vtique in hac ipsa singularia atque eiuscemodi pleraque omnia, vt nemo tanta eloquentia: neque tam diuino atque incredibili genere dicendi esse videatur, qui hæc non modo augere, aut illustrare oratione, sed consequi possit. Ac licet de his dicere quædam, pro mea tenuitate constitueram: tamen actum ne agam, anteque adlata repetendo, *Illustris ac Nobilis huius Auditorii*, in auscultando, patientia abutar, oratione illa tota, quam domo mecum adtuleram, relicta; iis solummodo respondere conabor: qui, quod consilio, prudentia, arte, solertia singulari, non corporis viribus constat, haud magnam laudem atque celebrationem, mereri opinantur: errant interim turpissime. Quæ enim militiæ pars reperitur, quæ non strategematibus, & olim fuerit confecta, & adhuc hodie conficiatur. Nonne crebris istud sermonibus *Lysander* vsurpare est solitus? vbi Leonina nihil pellis efficit: vulpina ingrediatur. Nonne *Carbo*, de *Carolo Marco*, hoste suo, dicere consueuit, sese, quamdiu cum leone ac vulpe, quæ simul nidum eius in pectore fecerant, negotium habuerit, semper vulpem magis, quam leonem reformidasse. Et multis magnisque in victoriis *Hannibalis*, nulla est vnquam inuenta, in qua non corporis robur, ingenii arma iuuerint. Sed ad recentia, eaque accedamus, quæ nostris esse temporibus facta nouimus. Quomodo anno *millesimo quingentesimo nonagesimo*, a *Comite Nassouio Mauritio*, est *Breda* capta? stratagemate sci-

*Stratagematum vsus in bellis.*

Lysandri *vulpina pellis.*

*Vulpes formidabilior leone.*

*Mauritii Comitis Nassouii stratagema.*

*Zutphaniense propugnaculum captum.*

ſcilicet, & militibus ſub ceſpitibus latitantibus, quibus pro regionis illius more, ignes nutriri ſolent. Qua ratione *Zutphanienſe* propugnaculum munitiſſimum, *milleſimo, quingenteſimo nonageſimo primo* occupatum? ſtratagemate nimirum, & ſimulatis ruſticis butyrum, caſeos, oua, quaſi venalia Zutphanium deferentibus, aut alii vt volunt, falces, velut fœnum ſecturi, gerentibus.

*Ambianum ſtratagemate occupatum.*

*Ambianum*, Picardiæ vrbs longe nobiliſſima, vt Hiſpanorum in poteſtatem, anno *milleſimo, quingenteſimo nonageſimo ſeptimo venit?* ſtratagemate profecto, ac nucibus in porta ſparſis; quas dum præſidiarii ac ſtationarii collegerunt, & ſe, & vrbem perdiderunt. Hoſtem vero, quem interimere mos ac fas eſt, quonam modo ex hominibus abire cogamus, quid refert?

*Simile.*

An feras, qui captat, venator, vituperatur, ſi non vi manuque omnes, ſed laqueis, ac retibus occultis, quaſdam ceperit: tendiculis, indaginibus, foſſis, palis, vncis ferreis, aliis fuerit vſus? An non prima hæc ducum atque Imperatorum belli ſapientia cenſetur, ſine periculo hoſtes vincere: hoc ipſo ſumma illis & laus & beneuolentia paratur?

Iaurinenſis *victoriæ difficultas.*

Quanquam in hac, qua de nunc agitur, victoria *Iaurinenſi*, ſimul ſtratagemata, ac vires, Artem atque Martem valuiſſe, conſtet; neque illud: *veni, vidi, vici*, ſine cruore, & ſanguine, vſurpari, aut lectiſſimi quique Turcarum, vna cum *Baſſa*, viro fortiſſimo, ſuperari potuerint:

*Turcarum animoſitas.*

verum vltra tres horas dimicare, & Marte dimicare dubio, neceſſe fuerit: ita quidem; vt plurimi Chriſtiadum vulnerati: non pauci interfecti: nonnulli ex hoſtibus reperti ſint, qui ſuperati iam, ac humi ſupini iacentes, eorum a quibus deiecti, ceruices & inguina, vel pedes ſaltem peterent ac proſternerent. Illud de his *Homericum* vſurpari poſſe videretur: ου δὲ οἱ γὰρ ἀνεμωτὶ γ' ἐμάχοντο: neque hi ſine ſanguine pugnam miſcebant.

*Victoriæ huius laus ſempiterna.*

Quamobrem, dum ſolita ſe ſe cælum conuerſione torquebit: ſol ille temporum dux ac moderator, luce ſua complebit terram: in freta dum fluuii current: dum montibus vmbræ inſtabunt: feliciſſimus, inuictiſſimus prædicabitur Diuus RVDOLPHVS II. Cæſar: cuius ſub imperio victoria hæc, longe auguſtiſſima nobiliſſimaque, reportata eſt.

Rudolphus *II. Imp.*

*Archi-Duces Auſtriæ.*

Semper honos, nomen laudesque manebunt, Sereniſſimorum Auſtriæ Ducum, *Maximiliani* & *Matthiæ*, quorum ſub auſpiciis, hæc ipſa parta.

*Adolphi* Schvvartzenbergii *prudentia militaris.*

Nouis atque inuſitatis præmiis & honoribus, *Illuſtris D.* ADOLPHUS, *Baro* SCHWARTZENBERGICUS, ob noua inuſitataque dignus promerita erit: neque vlla tam ingrata vnquam poſteritas reperietur, quæ huius de inſtituto facinoreque præclaro, conticeſcet. Nunquam *Iaurinum*, Illuſtris hic Baro ingreſſus fuerat; ita tamen diligenter acuteque omnia indagauit: diſpoſuit prudenter, vt areæ, plateæ, valla in hoc iam occupato, ante noſtro a milite occuparentur: quam arma hoſtes induerent: qua tandemcunque poſt ſeſe verterent, paratos qui reſiſterent, tam equites, quam pedites, noſtros inuenirent.

*Fortitudo animi.*

Neque ad pugnam alios probe inſtruxit: ipſe ſibi poſt principia cauit: verum, primus pugnauit ſtrenue: illud de ſe vere vſurpare vetus potuit:

tuit: *non dicta mea modo milites: sed & facta sequi debetis: nec disciplinam modo, sed exemplum etiam a me petere.* Cui & præpotentis illius, ac virtute præcingentis DEI, præsto fuisse auxilium, cum alia aperte testantur, tum luna ostendit, nubecula, ad insidias occultandas obducta, post cælo sereno, ad arma capessenda fulgens. Summis deinde laudibus nomen, *Illustris D.* NICOLAI PALFII, tolletur, qui, alter velut Theseus, ad Illustrem *D. Schwartzenbergium*, copias instructas cum primis atque exercitatas, adduxit: has, ad strenue fortiterque pugnandum animauit: id peruigili & fraterna cura ac sollicitudine cauit: ne, quod noctu *Iaurinum* nostris occupantibus, periculum a Turcis immineret. Nunquam digne deprædicari laudes clarissimorum nobilissimorumque virorum, *Vaubecourtii, Oberbruckii, Lopæi, Petri Oersi, Stratzoldi,* poterunt: quorum virtute, non modo PETARDO, *Iaurini* occlusæ portæ, disiectæ; verum etiam cum immanissimis atque ferocissimis hostibus pugnatum acerrime, fortissime, felicissimeque fuit. Neque militum illorum *Germanorum, Vngarorum, Wallonum, Lotharingiorum,* nostris ex animis, vllo vnquam tempore, memoria effluet. qui animi sui magnitudine, Turcarum furorem, audaciam, virtute, superauerunt: Christianorum a vita, ferrum, tectis flammam, fortunis rapinas, corporibus libidines, repulerunt: sarissis, sclopetis, spiculis, mucronibus suis effecerunt; vt peradmodum pauci hostium, deditione vitam redimerent: perirent vltra mille trecentos. Illi vero beati in primis, ac felices iudicandi, qui naturæ debitam mortem, pro religione, pro libertate, pro patria, maxime reddiderunt: suoque exemplo confirmarunt, id, quod sapientes statuunt, omnibus mortalibus, atque æque ignauis ac strenuis fatalem mortem esse: solis fortibus, præclaram & gloriosam, contingere.

*Diuini auxilii signa.*

Nicolaus Pálffi *Dynast. Vagar.*

*Duces militum celebriores.*

*Milites fortiter pugnantes.*

*Mors honesta & pia.*

Et, vt debita his laus atque prædicatio manere perpetuo debet: ita DEO OPT. MAX. gratiæ, quantas animi nostri concipere, linguæ proferre possunt, agendæ maximæ erunt. Is enim exaltatio & vexillum nostrum; Is potentiam in brachio suo facit: Is populorum tumultum compescit: Is arma & scuta confringit; Is DOMINVS fortis ac potens, DOMINVS potens in prœlio: Is, qui *Gedeonem* spiritu induit suo, vt de manu Madian, Israëliticum populum liberaret: excitauit *Samsonem*; vt Philistæos interficeret: *Dauidi* vires atque robur suppeditauit; vt cornu horum confringeret: *Cyri* dexteram adprehendit; vt ante faciem eius gentes subiiceret, regum verteret dorsa. Idem, in nobilissima hac IAVRINI expugnatione, *Illustris Baronis Schwartzenbergii,* & consilia & manum direxit; animum addidit: *Pálffio, Vaubecourtio, Oberbruckio, Lopæo, Strazoldo, Petro Orsio,* aliis viris fortissimis: vt, quæ essent tecte quidem & occulte, sed optime deliberata, fortiter feliciterque perficerent. Sed, & idem coniunctis rogandus votis atque precibus, DEVS PATER, Domini ac Seruatoris nostri IESV CHRISTI erit, vt quandoquidem non minor est virtus, quam quærere, parta tueri: hæc

*DEus, omnis militiæ summus Imperator.*

*Iud. 7. & 15.*

*1. Chron. 19.*

*DEI opera in expugnando Iaurino.*

*Votum, pro partis seruandis.*

hæc nobis eſſe bona diuturna, aliis quoque cumulare dignetur, diutiſſime, & hos & ceteros conſeruet, qui Turcici Tyranni ſeſe furoribus opponunt: victoriis plurimis, *Sacram Cæſaream Maieſtatem, Sereniſſimos Auſtriæ Archi-Duces: Imperium Romanum totum*, donet: pugnandi ardorem, militibus noſtris inſpiret: vincendi vim largiatur: faciat, vt ſanctiſſimi huius in belli ſocietatem, plurimi alii Reges atque Principes pii, deueniant, parcat populo, a CHRISTO nomen qui habet: neque in opprobrium hæreditatem ſuam, immaniſſimis noſtris hoſtibus tradat, vt a victoriis elatis illud: *Vbi nunc eſt Deus. Veſter*? magno noſtro cum cruciatu; non minori dedecore, audire neceſſe habeamus. *Dixi.*

# F I N I S.

